SC. SUP. 21. Pl. 2.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO LOKERSE
31
7 H
12

DE
ORATORIIS DOMESTICIS
ET DE USU
ALTARIS PORTATILIS

AUCTORE

P. D. JOHANNE BAPTISTA GATTICO NOVARIENSI
CANONICO REGULARI LATERANENSI ET ABBATE

EDITIO SECUNDA EMENDATIOR

CUI ADCESSIT EJUSDEM EPISTOLA APOLOGETICA CAPITIS XXIX.
DE VETITA ADMINISTRATIONE EUCHARISTIÆ
IN ORATORIIS PRIVATÆ DOMUS

ET

FRANCISCI MARIÆ S.R.E. CARD. BRANCATII
DE PRIVILEGIIS
QUIBUS GAUDENT S. R. E. CARDINALES IN PROPRIIS CAPELLIS

DISSERTATIO

ADNOTATIONIBUS AB ANONYMO NOVISSIME ILLUSTRATA

CURANTE

JOSEPHO ALOYSIO ASSEMANO.



ROMÆ, MDCCLXX.
SUMPTIBUS VENANTII MONALDINI, ET NATALIS BARBIELLINI BIBLIOPOL.

EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI HÆREDIS FRANCISCI BIZZARRINI KOMAREK,
AC PROVISORIS LIBRORUM BIBLIOTHECÆ VATICANÆ.

SUPERIORUM FACULTATE.

CAROLO VICTORIO AMADEO DE LANCEIS

S. R. E.

CARDINALI EMINENTISSIMO.

JOSEPH ANTONIUS MONALDINIUS

FŒLICITATEM.

EST hoc in more poſitum, CAROLE VICTORI AMADEE CARDINALIS EMINENTISSIME, ut, quicumque vel ſua, vel aliena opera in vulgus edunt, ea viro alicui nuncupent doctrina, nobilitate, dignitateque con-

ſpicuo, ipſiuſque tutelæ, & patrocinio commendent. Ut primum igitur Librum Johannis Baptiſtæ Gattico: *De Oratoriis domeſticis*, & *uſu Altaris portatilis*: ſemel jam per ipſum Auctorem anno 1752. Romanis typis evulgatum, prælo iterum committendi, noviſque exemplaribus jam rarioribus factis, mea cura, & ſumptu ditandi, in conſilium veni; ſtatim intellexi id mihi ſimul negotii datum, ut parem Libro denuo evulgando Patronum adſciſcerem. Non diu tamen in hoc quærendo, deligendoque mihi fuit hærendum. Ut enim cum alibi paſſim, tum præſertim in Urbe hac Catholici Orbis Sede, bonarumque litterarum magiſtra, qui, quantuſque Tu ſis ignorat nemo; ſic protinus ipſe meæ ſuccurriſti menti, omniſque in Te mea ea de re cogitatio, cura, ac ſollicitudo conquievit. Nec vero metui, Te recuſantem reluctantemque meo defuturum animo. Siquidem nec mihi inexplorata erat humanitas Tua; nec poterat non fiduciam augere Libri ipſius Tuæ Clientelæ offerendi co-

gni-

gnitiſſima præſtantia: quippe cum explanet ille Juris Canonici partem, in quo potiſſimum excolendo, haud me latebat, Te diu jam egregiam navaſſe operam. Itaque his fretus, nulluſque dubitans, Librum edendum Te certo fore habiturum Auſpicem; novæ ipſi adornandæ editioni alacriter admovi manus: effecique etiam, ut Operi nobile, & perutile auctarium eſſet ejuſdem Gattici: *Epiſtola ad Amicum Apologetica, in qua defenditur Caput XXIX. de vetita adminiſtratione Sacramenti Euchariſtiæ*: ejus ipſius Operis: itemque Viri Clariſſimi Cardinalis Brancatii: *de privilegiis, quibus gaudent Cardinales in propriis Capellis*: numeris omnibus abſolutiſſima Diatriba, doctis ipſa quantum maxime commentariis, atque animadverſionibus ab Anonymo illuſtrata. Sed quod Tu Cardinalis Eminentissime, meis votis precibuſque annuens, comiter ſiveris Librum iſtiuſmodi ob oculos hominum venire Tuo inſignitum nomine; maximum hoc quidem illius decus, atque ornamentum eſt,

quod immortalem, eidem parat famæ celebritatem, ſummamque ſimul conciliat auctoritatem. Nam tibi æſtimatori, atque judici longe præſtantiſſimo illum placuiſſe; omnibus omnino placuiſſe eſt. Quo in loco inſtituenda mihi longa laudatio eſſet tum acerrimi ingenii, tum omnigenæ ſapientiæ, tum cæterarum animi dotium, virtutumque quibus doctiſſimos quoſque, atque religioſiſſimos in Tui admirationem trahens, Te hactenus præbuiſti ſubſpiciendum. Sed mediocritatis meæ non eſt Virum tantum pro dignitate laudare: nec, ſi id poſſem maxime, facerem, dum Tua modeſtia reſiſtit. Vale igitur, Cardinalis Amplissime; & qualem Te ſemper virtutum dignitatiſque Tuæ obſervantiſſimis præſtitiſti, talem Te mihi etiam pro naturæ Tuæ conſuetudine hoc præſertim tempore impertias.

DOMI-

DOMINE JESU CHRISTE
QUI ES
VERUS DEUS DE DEO VERO
VERUS HOMO EX MARIA VIRGINE
OMNIUM BONORUM
FONS ET LARGITOR
UNICA FIDELIUM SPES
TE
INVOCANTEM EXAUDI.

DOMINE JESU CHRISTE, qui in corde meo bonum conſilium ſeminaſti, ut expreſſa invocatione Magni Nominis Tui ſingulare præſidium, & robur compararem huic Operi, quod ad Divini Sacrificii

cii Tui digne, ac ſanĉte omni loco celebranda Euchariſtica Myſteria dirigitur; ſuſcipe, quas ſtudiorum meorum primitias offero. Ante Infinitam Majeſtatem Tuam tremens, & provolutus Te adoro, & Opus reddo, quod Te intus movente inchoatum, Te vires ſubminiſtrante completum eſt, & niſi de Tua Largitate fluxiſſet, Tibi conſecrare non poſſem. Cupio de Tuis Donis glorificare Teipſum; ut quicunque mea legerint, ſi bona ſunt, gratias Tibi mecum ſemper agant; cum nimis ingratus eſſem Beneficiis Tuis, ſi quanta caritate in hujus parvi laboris curſu me craſſiſsimis ignorantiæ tenebris caligantem confoveris, omnino tacerem. Nihil autem abſterret me munuſculi parvitas; quoniam etiam unius quadrantis oblatio, quod pauper Fæmina in Templi Gazophilacio poſuerat, acceptiſsima fuit; & in Paſtoribus Betlhemiticis non minus grata fuerunt ruſtica dona ſimplicitate Cordis oblata, quam ſi largiſsima munera ad præſepe Tuum advoluiſſent. Tu enim Teipſo ſuperplenus, & de plenitudine Tua omnibus ſecundum ſapientiam Tuam diſtribuens non tam ea, quæ offeruntur, quam

ad

ad animi affectum, & obſequium, quo data redduntur, reſpicis. Illud vero me vehementer conturbat, quod Dona Tua multis, gravibuſque culpis inquinaverim, cum tamen Divinæ Sanctitati Tuæ ad iniquorum oblationes non reſpicienti mundæ ſolum, & immaculatæ oblationes placere poſsint. Attamen hoc plane per Tuam immenſam Charitatem JESU CLEMENTISSIME, qui neminem ad Te confugientem deſpicis, omnes ſincero corde ad Te clamantes exaudis, humilime rogo & humilime rogare deſidero, ut prius ſalutaribus aquis ſcaturientibus de fonte Tuo omnia ſcelera mea abluas, unde jam purgata remaneant munera Tua, quæ offero. Accipe igitur JESU BENIGNISSIME opus, qua parte mihi illud donare pro Tua Bonitate dignatus es, idemque ante conſpectum Infinitæ Majeſtatis Tuæ offerentibus Beatiſsima Virgine Genetrice Tua MARIA Patrona mea, aliiſque Sanctis Advocatis meis, quos iccirco nunc invoco, amantiſsime excipe. Me beatum, ſi tanta obtinuero! Tunc in Me copioſa deſcendet Benedictio Tua, quæ condonatis omnibus iniquitati-

bus meis me Tibi ſemper adhærere, & famulari efficiat; atque his diebus, quibus recurrunt Solemnia Nativitatis Tuæ ſecundum Carnem in corde famuli tui accendes ſanctum illum ignem, quem de Cœlo detuliſti. Hoc votum meum eſt, JESU SALVATOR.

SANCTISSIMO, ET BEATISSIMO PATRI

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO.

JOANNES BAPTISTA GATTICO CAN. REG. LAT.

CUM me tribus ab hinc annis BEATISSIME PATER ad Sanctiſſimorum Tuorum Pedum optata oſcula admiſeris, tantam miratus ſum in Maximo Pontifice clementiam, ut ſtatim deſiderio exarſerim nonnullam Sanctitati Tuæ humilimi

obſequii mei, atque obedientiæ ſignificationem oſtendere. Quare vix intellexi SANCTISSIME PATER *eum Tibi rem gratam facturum, qui de Oratoriis Domeſticis Opus edidiſſet, maxime opportunam rationem votorum explendorum mihi datam, atque oblatam conſiderans ingenii mei infirmitate haudquaquam retardatus illud alacriter ſum aggreſſus. Verum dum primo ſpartam hanc gerendam ſuſcepi, id ferme tantum menti occurrerat meis qualibuſcunque ſtudiis Eximio Pontifici obſequentiſſime famulari poſſe: Nec adhuc ſatis perſpectum habebam, cur novum Opus de domeſtica Miſſarum celebratione* BEATISSIME PATER *hiſce temporibus congruum Tibi potiſſimum videretur, cum ſæpe multi de hoc argumento diſſeruiſſent. At vero ubi ea rimari jam cæpi, quæ in hac re in medium proferre oporteret; tandem magnitudinem Conſiliorum Tuorum ſuſpexi. Noveras* SAPIENTISSIME PONTIFEX *uberrimam veterum monumentorum copiam ſimul congregari poſſe, qua ſplendide illuſtraretur præſens Eccleſiaſtica Diſciplina, quæ ex Apoſtolica Prædeceſſorum Tuorum, Tuaque auctoritate in privatis Domibus Sacrificium in dies offerri permittit. Noveras ad multorum abuſus evellendos, qui paſſim in privatis Oratoriis irrepſerant, plurimas declarationes, definitioneſque vel immediate a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Tuis, vel ab ampliſſimis illis Patribus, qui Pontificia Delegatione Sacri Tridentini Concilii interpretationi præpoſiti fuerant, frequentiſſime editas afferri oportere; unde innoteſceret, quid eſſet agendum, quidve ab iis vitandum, quibus Miſſarum Euchariſtica Myſteria in privatis Sacellis celebranda conceduntur. Noveras quo-*

rum.

rumdam Scriptorum falſas aliquot confutandas eſſe opinationes, eaſque maxime, quas Sanctiſſimi Prædeceſſores Tui repulerunt, & Tu ipſe inter primordia Apoſtolatus Tui reprobaſti, ne limites præfixi in Pontificiis Diplomatibus pro domeſticis Sacrificiis excederentur. Hæc profecto excelſa mente revolvebas SAPIENTISSIME PATER, ut Opus de Oratoriis Domeſticis *ſimul iſthæc omnia complectens Tibi acceptum foret. Enimvero nihil hujuſmodi Sapientiæ Tuæ ignotum erat, cum in eruditiſſimo Opere* de Sacrificio Miſſæ *ſelectiora eorum omnium ſemina effuderis, e quibus copioſiſſimam ſegetem colligere inſtruerentur, qui amplum campum veteris, & præſentis Diſciplinæ circa Miſſarum celebrationem in privatis Oratoriis, ceteriſque Locis ad Divinum tantummodo cultum non dedicatis, aut conſecratis excurrere voluiſſent. Itaque ad hujuſmodi ingrediendam, peragrandamque provinciam, quemadmodum ipſam præſtantiſſimi Operis rationem expoſcere non dubitaveram, omnes vires meas intendi; ac nimio Tuæ SANCTISSIME PONTIFEX obſequendi voluntati fervore accenſus difficultates omnes, quas rerum inquirendarum, pertractandarumque arduitas identidem opponebat, divina opitulante gratia vincens, ſpatio tandem duorum annorum qualitercunque finem Operi* De Oratoriis Domeſticis *impoſui; aliudque Opuſculum* de Uſu Altaris Portatilis *adnexui, quod propter maximam affinitatem nullatenus ab illo ſeparandum exiſtimavi. Quamvis vero omnem ſollicitudinem impenderim, ut majori, qua poteram, ſedulitate lubenti animo ſuſceptum laborem explerem; non tamen ita ſum audax, ut arroganter præſumam* Exi-

mio

mio Pontifici gratum aliquid me parare potuiſſe; cum mihi plurimum obtinuiſse gratularer, ſi ab infimo ex Grege Tuo exiguum aliquod in ſtudiis meis obedientiæ, & obſequii teſtimonium intueri, atque excipere non dedigneris. Cæterum in eo certe ſpero pergratum Tibi fore SANCTISSIME PATER *hoc ipſum Opus, quod* DOMINO JESU CHRISTO *ſit conſecratum; cujus Tu in Terris vices geris, poteſtate fungeris, Regnum moderaris. Quamobrem etſi reliqua deſint, quibus Sapientiæ Tuæ placere poſſint ſtudia mea, id ſaltem probaveris Te illa reddidiſse Bonorum omnium Largitori, cujus ſæpe lumen ſupplex invocaveram, ut quantum Ipſe miſericorditer adeſset, Vicarii Sui obtemperarem voluntati, quæ ad ejuſdem gloriam unice reſpiciebat. Fove igitur* BEATISSIME PONTIFEX, *qua ſoles benignitate, Opus, quod ad Tuos Sanctiſſimos Pedes ſiſto; & mihi, omnique Congregationi Lateranenſi, cujus ſum noviſſimus Filius, Tibi, uti par eſt, devotiſſimæ Pontificiam Benedictionem clementiſſime impertire. Ego vero communibus votis meas quoque adprecationes adjiciam, ut* DOMINUS JESUS CHRISTUS *diu ſervet incolumem* BENEDICTUM XIV. *Sanctiſſimum, Maximum, Clementiſſimum, Sapientiſſimum, Vigilantiſſimum Pontificem.*

NOS

NOS D. CÆSAR BENVENUTI

CREMENSIS

Canonicorum Regularium Lateranenſium Abbas Generalis.

QUum Opus a Reverendiſſimo P. D. Joanne Baptiſta Gattico Novarienſi in Congregatione noſtra Abbate Privilegiato Perpetuo elucubratum, quod inſcribitur *De Oratoriis Domeſticis, & de Uſu Altaris Portatilis*, duo ex noſtris Canonicis perlegerint, atque in lucem edi poſſe cenſuerint, quod in eo nil Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus diſſonum repererint, Nos ex muneris noſtri auctoritate, quantum ad nos pertinet, facultatem concedimus, ut ſervatis omnibus aliis de jure ſervandis, Opus præfatum Typis mandetur. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Canonica S. Mariæ Pacis die 7. Julii 1745.

Domnus Cæſar Benvenuti Abbas Generalis.

D. Matthæus Nabruzzi Abb. a Secretis.

APPROBATIONES.

MAndatis obtemperans Reverendiſſimi Patris Nicolai Ridolfi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, Librum perlegi, cui Titulus *De Oratoriis Domeſticis, & de Uſu Altaris Portatilis*, a Reverendiſſimo Patre Abbate D. Joanne Baptiſta Gattico Novarienſi Canonico Regulari Lateranenſi accurate conſcriptum; nihilque in eo reperi, quod vel ab Orthodoxæ Fidei puritate alienum ſit, vel bonorum morum honeſtatem lædere poſſit: Quin, ut verum fatear, non ſemel admiratus ſum Clariſſimi Auctoris ingenium, ſapientiam, multiplicemque Sacrorum Rituum peritiam. Is enim, quæ modo ea de re viget, Eccleſiæ Diſciplinam, cum veteri ſcite confert, Privilegia a Romanis Pontificibus concedi ſolita, prolatis Sacrarum Congregationum Decretis, atque Declarationibus non minus docte, quam perſpicue illuſtrat. Quidquid demum ad argumentum, quod eſt aggreſſus, pertinere videtur, ſummo ſtudio, & labore proſequitur, ac plurima eruditione, facilique methodo ediſſerit. Eapropter idem Opus digniſſimum cenſeo, quod in publicam lucem prodeat, ac Typis quantocyus contradatur. Dat. Romæ Pridie Idus Julii MDCCXLV.

Venantius Philippus Pierſanctes, Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, ac Sedis Apoſtolicæ Cæremoniarum Magiſter.

Juſſu

JUſſis obtemperans Reverendiſſimi P. Aloyſii Nicolai Ridolfi Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri, quæ in hoc Opere *de Oratoriis Privatis*, *& Uſu Altaris Portatilis*, ſpectata tum veteri, tum nova poſt Concilium Tridentinum Eccleſiæ diſciplina, accuratiſſime diſſerit Reverendiſſimus P. Abbas D. Joannes Baptiſta Gattico Canonicus Regularis Lateranenſis, attente legi, ſummamque diligentiſſimi Auctoris in colligendis antiquis, & recentibus ad hoc argumentum ſpectantibus monimentis curam, & in exorientibus identidem difficultatibus explicandis ſollertiam admiratus, utillima eſſe cenſui, ac digniſſima, quæ in publicam lucem edantur. Ex Ædibus S. Petri ad Vincula hac die 14. Auguſti 1745.

D. Antonius Andreas Galli Can. Regul. Sanctiſſimi Salvatoris, Abbas S. Mariæ de Rheno, Sac. Congreg. Indicis Conſultor, & Sac. Rom. Inquiſitionis Qualificator (& poſtea S.R.E. Cardinalis.)

JUſſu Reverendiſſimi Patris Sac. Apoſtolici Palatii Magiſtri opus, cui titulus eſt *de Oratoriis Privatis*, *& de Uſu Altaris Portatilis* Auctore Reverendiſſimo P. Abbate D. Joanne Baptiſta Gattico Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium cum attente, ac jucunde perlegerim, nihil comperi, quod Orthodoxæ Fidei, ac bonis moribus adverſetur; plurima vero eruditione veterem, ac novam Eccleſiæ praxim ad normam Eccleſiaſticarum Sanctionum explanat clariſſimus Auctor. Quare ad aliorum utilitatem, ac oblectationem dignum Prælo exiſtimo, niſi aliter Reverendiſſimo Patri videatur. Die 4. Octobris 1745.

Coſmus Torretti Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi D. Card. Tamburrini Auditor, ac Academiæ Theologicæ Cenſor.

Legi

LEgi ita mandante Reverendiſſimo Patre Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici quæ olim Opera ſejunctim edita fuerant nunc in unum ſunt collecta hoc ſub titulo: *De Oratoriis domeſticis & de uſu Altaris portatilis auctore P. D. Johanne Baptiſta Gattico Novarienſi Canonico Regulari Lateranenſi & Abbate. Editio ſecunda emendatior cui acceſſit ejuſdem Epiſtola Apologetica capitis* XXIX. *de vetita adminiſtratione Euchariſtiæ in Oratoriis privatæ domus*; *& Franciſci Mariæ S. R. E. Cardinalis Brancatii de Privilegiis quibus gaudent S. R. E. Cardinales in propriis Cappellis diſſertatio adnotationibus ab Anonymo noviſſime illuſtrata curante Joſepho Aloyſio Aſſemanno*: Nil porro in Operibus hiſce deprehendi quod noſtræ Catholicæ Fidei, boniſque moribus adverſetur. De præſtantia vero, ac utilitate ipſorum non eſt quod diſſeram. Vel hæc quæ tantopere optata eſt nova eorum editio a Viris doctis oſtendit, quanti ea æſtimentur. Si igitur aliud haud erit Judicium Ejus cujus auctoritas hac in re eſt, cenſeo nil obſtare novæ huic editioni imo eam utiliſſimam eſſe. Dabam ex Ædibus meis die 13. Aprilis anni 1770.

Franciſcus Mazzei in Romana Curia Advocatus.

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

Dominicus Jordani Patr. Antioch. Viceſg.

REIMPRIMATUR,

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. Sac. Palatii Apoſt. Mag.

PRÆ-

PRÆFATIO.

QUANTA veneratione, & decore Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, quantoque pietatis affectu Euchariſticorum Myſteriorum dignitas coli debeat, eo potiſſimùm argumento elucet, quod Majores Noſtri, pro ut temporum conditio ferebat, enixè curaverint Eccleſias erigere, & conſecrare, in quibus convenientibus ſimul Fidelibus ſolemniter debita Deo vota perſolverentur, & Chriſtus incruenta Victima immolaretur. Hinc ſapienti conſilio multi Clariſſimi Viri de Sacris Chriſtianorum publicis Ædificiis eruditos ediderunt Libros, ut dum Antiquiorum, Noſtrorumque Patrum ſingularem ſollicitudinem in Eccleſiis exſtruendis, & exornandis demonſtrabant, non tam curioſitati Lectorum blandirentur, quam ampliſſima ſuppeditarent teſtimonia cultus, & obſequii erga Divinum Sacrificium, propter quod præcipue publicæ Sacræ Ædes erigebantur. Frequenter itaque Docti Scriptores de communibus Fidelium ſynaxibus, & de publicis Miſſarum celebritatibus, quæ in ſancta Populorum Congregatione a Paſtoribus peragebantur, effuſo ſtylo diſſeruerunt; unde ſplendidiora ſigna devotionis, & reverentiæ in Cæleſtium Donorum oblatione emicarent.

II. Ut autem multi de hoc pulcherrimo argumenti genere eruditionis copiam effuderunt; Ita e contra paucos reperiri exiſtimo, qui de Privatis Domorum Oratoriis, & de Uſu Altaris Portatilis extra Loca Divinis tantum Cultibus conſecrata Libros, aut Tractatus evulgaverint, cum ſolum iſtas Veterum conſuetudines ipſis non ignotas vel obiter contingere, vel bre-

vi ſermone complecti voluerint. Aliqui, iidemque optimi Viri, de Regiis Palatinis Capellis Libros valde eruditos elucubraverunt. Alii non modica monumenta de antiqua Monaſtica Diſciplina in Cœnobiorum Oratoriis Miſſas celebrandi ſimul congeſſerunt, atque illi maxime, qui Monachorum Regulas commentariis expoſuerunt, ac illuſtraverunt. Alii etiam de Loco celebrandorum Divinorum Sacramentorum agentes, quæ ad domeſticam Miſſarum oblationem pertinentia ipſis occurrerant, ſimul inſerere in ipſorum Operibus non prætermiſerunt. Paſſim denique a Liturgicis Scriptoribus de Miſſis Privatis diſſeritur, ac frequentiſſime ab iiſdem recolitur quorumdam Temporum, & Regionum neceſſitas, ob quam Sacerdotes quocumque Loco etiam non ſacro Miſſas facere cogebantur. Verum licet hæc omnia a Multis erudito ſermone tradantur, mihi adhuc non inutile viſum eſt ſimul in unum congerere, quæ ſparſim ab aliis pertractata, & diligenter examinata reperi; aliaque valde plurima ex ſcriptis Veterum corraſa ſuperaddere, ut ſimul congregata uberiorem, quamvis non plenam, (Nimium quippe audax ero, ſi tantum de mea inopia pollicerer:) de Miſſarum celebratione in privatis Oratoriis, ac in Locis cæteris non conſecratis Tractationem efformarent.

III. Lubens ego provinciam hanc, etſi meis de viribus merito non modice diffidere deberem, gerendam ſuſcepi; cum adverterem mihi inde opportunam præberi occaſionem exponendi duo illa magna æſtimatione digna Privilegia, quæ a RR. Pontificibus conceduntur, videlicet Miſſarum celebrandarum in privatæ Domus Oratoriis, & ſuper Altare Viaticum in aliis Locis congruis, atque decentibus. Uberrime equidem Apoſtolicum Privilegium domeſtici Sacrificii multi Theologi Morales expoſuerunt, illiuſque ſingulas particulas in proprio ſenſu explanare ſtuduerunt. Eodem pariter argumento præclari quidam Juris Canonumque Interpretes delectati ſunt, cui inter ampliſſima ipſorum volumina locum dederunt. Attamen non penitus, ſicut ſpero, fructu vacui remanebunt labores mei; quoniam non raro evenit libentius legi Libros unicum argumentum continentes, quam magna Volumina diverſis tractationibus contexta. Imo licet nonnulli Canoniſtæ de Oratoriis privatis, deque Pontificio Indulto domeſticarum Miſſarum locuti fuerint, cum ſimul plurima pertractanda ſuſcepiſſent, variiſque curis occuparentur, non omnia, quæ diligentiorem ponderationem requirunt, expendere potuerunt; ſed quædam ſolummodó contigerunt ad alia properantes, ita

ut ab illis integra, ac plena Apoſtolicorum Privilegiorum interpretatio vix ſumi poſſit, ſi unum, alterumque excipiamus, qui diligentiorem in hac re operam navarunt. Verum etiam de iſtis eadem propemodùm ratio militat, quam afficere Moralium Theologorum Tractatus *de Oratoriis privatis* editos adverti. Cum enim aut non prodiiſſent clariores declarationes S. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, aut illis Theologis non innotuiſſent; propterea non ſemper ita firmis inſiſtere fundamentis valuerunt in reſolutione multarum quæſtionum, quin aliquando opiniones non amplius ſuſcipiendas adoptaverint. Cæterum quid prohibet, ut ab aliis tentatam interpretationem Pontificii Privilegii etiam ego novis ſtudiis adornare ſatagam nihil eorum ommittens, quæ prius ab optimis Scriptoribus accurate fuerunt tradita; & alia addens, quæ vel recentius prodiere Decreta auctoritate Sedis Apoſtolicæ confirmata, vel forte illos fugerunt?

IV. Nova itaque ſimul & Vetera, quæ huc pertinent, complectar Divina opitulante gratia; ne quidquam deſit, ſive quod ex antiqua Eccleſiaſtica Diſciplina exornat, & confirmat morem noſtra adhuc ætate retentum a RR. Pontificibus aliquando concedentibus Miſſarum celebrationem in privatis Oratoriis, & permittentibus Uſum Altaris Viatici in Locis non conſecratis cauſſa Sacrificii; ſive quod ad rectam Privilegiorum Apoſtolicorum executionem a Privilegiatis obſervari debet. Illud temeraria, ſi quæ ſunt, ingenia, & nemini ſuis morſibus parcentia forte coercebit, ne præſentes conſuetudines audeant reprehendere: Iſtud vero plurimum proderit ad aliorum, ſi qui reperiuntur, corrigendos exceſſus, ne ultra limites, & contra ſtabilitas in Pontificiis Litteris Leges conceſſo Privilegio abutantur. Duo ergo conabor majori, qua poſſum, diligentia ſimul hoc Opere comprehendere, quod hactenus ab aliis factum ignoro; hiſtoricam nempe Diſciplinæ enarrationem a primis Eccleſiæ temporibus uſque ad noſtra tempora deductam, quæ permittebat, & permittit quibuſdam Miſſas in domeſticis, privatiſque Oratoriis, aliiſque Locis non conſecratis celebrare; & examen quæſtionum, quas pro idoneo exercitio hujuſmodi facultatis intra certos fines coarctatæ exponere oportet, ut ante oculos Legentium proponatur, quid a R. Pontifice, vel a communi Jure, vigentibuſque aliqua ex parte antiquis Canonibus concedatur; quidve prohibeatur.

V. In duas porro partes iſta diſtinguere malui, quarum

una

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

una diſquiſitiones de Oratoriis contineret, altera Tractatiunculam de Uſu Altaris Portatilis haberet. Revera ſive nova, ſive vetera reſpiciamus, facultatem celebrandi in Oratoriis Domeſticis cum facultate offerendi Sacrificium ſuper Aras Viaticas non modice inter ſe differre deprehendemus. Nam cum olim frequentius Miſſæ in privatis Oratoriis peragebantur, non ita frequenter, imo non niſi gravi ex cauſſa, aut neceſſitate poſtulante alibi Sacrificium, quam in Eccleſiis, ac Oratoriis permittebatur. Nunc pariter diſtincta penitus, ac diverſa ſunt Privilegia, quæ a RR. Pontificibus conceduntur, dum Miſſa in Oratoriis privatis fieri indulgetur; & dum liberior facultas tribuitur, ut aliis quibuſcunque in Locis Altare Viaticum propter Sacrificium adhiberi poſſit. Novi equidem juxta præſentem conſuetudinem, quæ tamen multis ante ſæculis invaluerat, Oratoria privata non eſſe Loca ſacra, ſed tantum communia cubicula, quæ in Oratorii formam aptantur, ornanturque, ut inde dignius in illis Sacrificium peragatur, quam ſi ſimul aliis uſibus communibus deſervirent: Attamen nihil obſtat defectus Conſecrationis Oratoriorum privatorum; quin opportune diſcerni debeat utraque jam indicata facultas, & a ſe invicem ſeparari. Etenim ubi deficit ſpecialis Dedicatio ad Divinum Cultum, ſaltem reperitur perfecta a reliquis domeſticis officiis ſegregatio, propter quam etiam conſiderata ratione Loci Privilegium pro Oratoriis privatis traditum ab altero Privilegio Altaris Viatici abſque ulla Locorum reſtrictione conceſſo diſtinguitur.

VI. Prius de Oratoriis privatis diſſeram, poſtea de Uſu Altaris Portatilis Opuſculum ſubnectam; quia nempe & illorum frequentior eſt conſuetudo, & multo majorem dicendi materiam ſuggerunt, quæ ad molem operis efformandam ſufficiunt; quamvis de genere Oratoriorum publicorum pauciſſima, & obiter ſim dicturus, quantum nempe neceſſitas poſtulaverit ea reſerandi, quæ maxime ad intentum operis pertinent. Imo neque etiam multa loquar de illis Oratoriis, quæ etſi intra privatæ domus ambitum comprehenſa fuerint, ad publica, Oratoria, ſeu Capellas publicas nunc revocare ſolemus. Quia vero nimium mutila remaneret noſtra de privatis antiquis Oratoriis Lucubratio, niſi ſimul quædam Oratoria, ac præcipue Magnorum Principum, proponerem, in quibus publicitatis veſtigia aderant; propterea in fronte Libri potius Titulum *De Oratoriis Domeſticis*, quam de Oratoriis privatis collocare volui; ut videlicet ſub unius Vocabuli amplitudine conclu-

derem

derem omnia, quæ in medium proferuntur. Modica autem juxta præſentes conſuetudines diverſitas exoritur ſive Oratorium domeſticum, ſive privatum appellemus; quoniam valde rara, & exceptis majoribus Palatinis Capellis, pene nulla ſunt Oratoria intra Domorum fines clauſa, quæ vere publica reputentur. Quare etiam in affixo Titulo illico præcipuum ſcopum Operis ad privata Oratoria reſpicientem detegi non ambigo.

VII. Contexturus hiſtoricam narrationem veteris Diſciplinæ de Oratoriis Domeſticis a non dubiis, incertiſque Scriptoribus monumenta ernere ſtudui; atque ut plurimum pro varietate temporum, atque ætatum ſynchronos proponere, ac inveſtigare curavi. Maximam partem teſtimoniorum vel ab ipſis fontibus genuinis hauſi. Libros Patrum, & Conciliorum Acta conſulendo; vel ſaltem accepi a recentibus Auctoribus, quorum diligentia, & eruditio communi Sapientum judicio comprobatur. Rariſſime, ac ferme numquam antiqui Scriptoris verba proferam ab aliis recitata, quæ cum potioribus editionibus, quæ mihi notæ fuerunt, non contulerim.

VIII. In Collectione autem veterum Monumentorum aliquem ordinem ſervare ſtudui, ne tantummodo valde moleſtam Rerum congeriem cumularem. Imo neque ſolam ſæculorum ſeriem tenendam eſſe exiſtimavi uberiori Lectorum commoditati conſulens, qui ſecus plura Operis Capitula decurrere debuiſſent, ut quæ ad ſingulas Perſonarum Claſſes pertinent, multum inter ſe disjuncta perquirerent. Duo igitur conati ſumus retinere, ordinem nempe Temporum, & diſtributionem Monumentorum in totidem Perſonarum claſſes, quot illæ fuerunt, & ſunt, quibus Sacrificium in Oratoriis privatis permittitur. Hac ratione, quantum conſequi potuit induſtria imperiti Scriptoris, tum Lectorum moleſtia, & labor minuetur, qui in diſtinctis Capitulis facile reperient, quod pro ſingulis Claſſibus Pontificum, Epiſcoporum, Monachorum, Principum, cæterorumque Hominum inquirere optabunt; tum tantilla ſaltem ſuavitas deguſtabitur, quæ in rebus ad Diſciplinam ſpectantibus gratior percipitur, cum continua ſerie a primis ætatibus uſque ad nos ipſos perducitur enarratio. Non me latet ad ſuaviorem reddendam hiſtoricam Veteris Diſciplinæ narrationem plurimum conferre ſermonis elegantiam, ac opportunas animadverſiones, quibus dum vetera illuſtrantur, ſimul ſublevatur animus Lectoris, nec nimium memoria fatigatur, imo potius adjuvatur. At quam optabam apud Lectores gratiam

tiam mihi comparare his ſcriptionis leporibus a mea ruditate longe alienis, ſimplicitate ſtyli, & aliquo, cum neceſſarium videtur, teſtimoniorum examine, quantum mihi conceſſum fuit, Lectorum tædio occurrere laboravi: quod ſi non obtinuero, adhuc ſperare licebit de aliena humanitate, ut ſaltem conatus, & deſideria Scribentis illis accepta reddantur.

IX. Poſt hiſtoricam narrationem, quod exiſtimo Operis non ignobiliorem portionem, ſuſcipio examen eorum, quæ vel fieri, vel præcaveri debent ab iis, quibus Domeſticorum Sacrificiorum Privilegia ſunt conceſſa; atque ad minutiora quælibet deſcendere, & ſingula explorare ſatago, ut quæ ad Praxim attinent, enucleate, ac diſtincte proponantur. Ita vero animo in rebus, cauſſiſque hujuſmodi comparatus ſum, ut penitus de me ipſo diffidam timens aut nimis laxare limites Apoſtolicæ conceſſionis, aut anxietates, ac dubitationes aliis ingerere in iis peragendis, quæ ſervato rigore Privilegii tuto, ac libere peragi poſſunt. Hinc ſemper aliorum Scriptorum ſententias exploro, & licet non ſemper omnium nomina recenſeam, (Id enim ſæpius factum inutiliter Lectores ſiſteret:) fere numquam auſus ſum quidquam proferre, quod vel numero, vel ſaltem gravitate quorumdam Doctorum bene munitum non judicabam.

X. Quia vero non partibus ſtudere, ſed veritati aperte adhærere opus eſt; ſic alienis Scriptorum placitis adhæſi, ut ſimul amarem nullius abripi opinamentis, ſi tutioribus, ac certioribus motus argumentis in contrariam ſententiam deſcendere juberer. Nunquam tamen etiam id facere audeo, niſi aliquorum ſaltem ſuffragio inſtructus, quo oſtenderem non ſolum numero Scriptorum, quam rationum efficacia ſententias eſſe muniendas, ne a limitibus præfixis in Pontificio Indulto recederem.

XI. Quamobrem, quantum poſſum, vel verbis Apoſtolici Privilegii, vel Declarationibus, & Decretis Sacrarum Congregationum Eminentiſſimorum Cardinalium ſententias, quas eligo, præcipue roborare, ac confirmare contendo. Hæc ſane ſunt tutiſſima, & certa dirimendarum quæſtionum, quæ a nobis pertractantur, argumenta, a quibus etiam Scriptorum contraria opinamenta emendantur. Maxime vero a Sacra Congregatione Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum frequenter prodiere decreta ad reſolvendas quæſtionum ambages, quæ in exercitio Papalis Indulti aut excitatæ fue-

fuerant, aut poterant exoriri. Apud aliquot Scriptores plura indicantur Sacræ Congregationis decreta huc ſpectantia. Verum in gravioris momenti quæſtionibus reſolvendis non paſſus ſum alienis tantum allegationibus fidere, cum admonitus eſſem eaſdem typographicis erroribus ſæpius falſatas fuiſſe; quod experientia comperi. Fontes ergo adivi, & licet nequiverim omnes pretioſiſſimos Codices evolvere, quam plurima ſane, &, ut reor, potiora decerpſi, quæ deinceps in præſenti Opere ſincere, & integre deſcriberem; quamvis legitimis cauſſis poſcentibus multorum Nomina prætermiſerim, quæ in iiſdem Codicibus ſunt expreſſa. Etiam in Regeſtis aliarum Congregationum feliciter reperi, quæ deſiderabam; hiſque contentus fui, ne aliis moleſtiam, & gravamen inferrem, ſi majora quærere cogitaſſem.

XII. Hinc rariſſime ab aliis Scriptoribus Decreta indicata profero, quæ prius cum authenticis Codicibus non contulerim. Ubi autem hæc ipſa commemoro, quæ cum autographis conferre non potui, ab illis depromo, qui aliquod munus in Congregationibus ipſis geſſerunt; nam licet Typographici errores in Anni, ac Menſis nota irrepſerint, propter quos ſæpe fruſtra in authenticis Codicibus reperiuntur, tamen de exiſtentia eorumdem decretorum ingenuitas Scriptorum dubitare non ſinit. Verum etiam in his allegandis hanc cautionem adhibui, ut tunc ferme ſolum commemorarem decreta non antea a me ipſo cum autographis collata, quando aliunde apertis argumentis pateſcit veritas ſententiæ, cui muniendæ, & amplioribus probationibus firmandæ talia Decreta ab aliquibus adduntur.

XIII. Magnum pariter ſubſidium Operi contulerunt multa Apoſtolicæ Sedis Privilegia, quæ aut in quibuſdam Archivvis deſcripta legi, aut ab aliorum beneficentia mihi tradita fuerunt. Ex his Pontificiis Diplomatibus plurima ſane, & apprime opportuna illuxerunt, quibus ornamentum, & robur Operi adderetur. Gratias autem maximas debeo Illuſtriſs., & Reverendiſs. Dom. Nicolao De Simone Patricio Beneventano, Epiſcopo Marcianenſi, S. Congregationis ſuper Diſciplina Regulari Secretario, Signaturæ Juſtitiæ Votanti, Viro Litteris Humanis, & Divinis ornato, in utroque Jure peritiſſimo, & integritate vitæ probatiſſimo. Ipſe enim cum pro ſua in me magna benevolentia ad Operis aggreſſionem vehementes ſtimulos addidiſſet, peramanter ſuorum ſelectorum Librorum copia adjuvit, ut ſuſceptam provinciam facilius explerem. Tantam ampliſſimi Præſulis humanitatem Nobilis Dom. Januarius De Simone, ejus

optimus Nepos, morum gravitate, ſcientiarum ornamentis, & prudentia rerum gerendarum Patrui imitator ſpecialibus favoribus, ac beneficiis voluit cumulare, pro quibus omnibus gratias ſincero animo reddo.

XIV. Etſi vero his inſtructus mediis omnem ſollicitudinem impenderim, ne a vero aberrarem; adhuc tamen præſumere nequeo, quod concupiveram obtinuiſſe. Quamobrem hæc omnia Prudentum, & Sapientum Virorum judicio humiliter emendanda ſubjiciens Benevolos Lectores oro, obteſtorque, ut benigne Scriptoris imperitiam excuſent.

PROSPECTUS OPERIS *DE* ORATORIIS DOMESTICIS.

CAPUT I.

De Nomine Oratorii.

NOmen Oratorii prius datum fuit omnibus Locis Orationis 1.2. SæculoV. coarctari cæpit ad parva Sacella. 3. Anaſtaſius illud anguſtis Sacellis aptavit. 4. Sæc. VI. & VII. applicabatur Sacris Ædibus, in quibus publicæ non habebantur Collectæ 5. & 6. Vel quæ Parochiali Jure carebant. 7. Id ex M. Gregorio probatur. 8. Hac de cauſſa Græci nomen Εὐχτήριο uſurparunt. 9. Illud nomen poſtea inter Latinos pene tantum privatis Sacellis aptatum fuit. 10. Quibus Sacris Ædificiis nunc tribuatur. 11. *a pagina* 1. *ad* 6.

CAPUT II.

De Nomine Capellæ.

Vetuſtiora hujus nominis teſtimonia e Sæculo VII. recitantur. 1. Ejus Origo ad Capam S. Martini refertur. 2. A qua etam prodiit nomen Capellanorum. 3. Peyrati contrariis argumentis reſpondetur. 4. 5. Capellæ nomen ad parva Sacella extenſum fuit. 6. Aliquando ad Eccleſias Parochiales. 7. Et ad omnia ornamenta Eccleſiaſtica. 8. *a pag.*6. *ad* 10.

CAPUT III.

De differentia inter Oratorium publicum, & privatum.

Antiqua eſt diſtinctio Oratorii Publici, & Privati. 1. Oratorium Publicum omnibus patet in via publica. 2. Viæ publicæ conditiones. 3. Has debet habere Oratorium Publicum. 4. Oratorium publico aditu carens eſt privatum. 5. Indicantur quædam Oratoria domeſtica publica. 6. Iſtorum Janua debet eſſe publica. 7. Ingreſſus privatus in Oratorium ſimul habens januam publicam non impedit Oratorii publicitatem. 8. 9. Janua publica Oratorii debet eſſe major ceteris. 10. Ingreſſus privatus in Oratoria publica raro ab Apoſtol. Sede conceditur. 11. Campana bene congruit Oratorio publico. 12. Non tamen eſt neceſſaria. Unam ſolum illis conceſſit S. Carolus. 13. Oratoria publica, in quibus Miſſæ non permittuntur. 14. Duo genera Oratorii privati. 15. Omnes libere poſſunt habere Oratorium privatum ad orandum. 16. *a pag.* 10. *ad* 19.

CAPUT IV.

De frequentia Domeſticorum Oratoriorum per priora Eccleſiæ ſæculo non penitus deleta ceſſatis perſecutionibus.

Origo Domeſtic. Oratoriorum ſumitur ab Apoſtolis. 1. Hi pene tantum in privatis domibus ſacrificabant. 2. Rariſſima tunc erant publica Oratoria. 3. 4. Synaxes in domibus privatis celebrabantur. 5. Et in illis privata Oratoria nonnunquam conſecrabantur. 6. Cauſſæ propter quas rarius poſt perſecutiones in Domeſticis Oratoriis celebrabatur IV. & V. Sæculo. 7. Aliquando in illis Oratoriis etiam tunc celebrabatur. 8. Id Concilia Laodicenum. & Gangrenſe non penitus prohibuerunt. 9. Id parvus numerus Sacerdotum non omnino impediebat. 10. Aliqui Sacerdotes in privatis Oratoriis celebrabant. 11. Quamvis etiam tunc Sacrificium in Loco Sacro offerri deberet. 12. *a pag.* 19. *ad* 26.

CAPUT V.

De Oratoriis privatis, & Capellis Palatinis R. PONTIFICIS.

RR. Pontifices aliquando privatas Miſſas faciebant. 1. Ex Sacramentariis, & aliis cauſis id colligitur. 2. Oratoria Apoſt. Palatii recenſentur. 3. De Palatino Oratorio Laurentiano diſtincte agitur. 4. Atque de illius Clero. 5. Vetera Pontificia Oratoria cum Modernis comparantur. 6. De Secretioribus Pontificiis Oratoriis. 7. Plures Papales Capellani indicantur. 8. Varia Officia horum Capellanorum. 9. Præcipue miniſtrandi Pontifici in Divinis Officiis. 10. Obiter de Apocriſariis pauca. 11. Munera Capellanorum olim alii obibant Clerici. 12. De Diaconis Palatinis Pontificiis. 13. De Subdiaconis Palatinis; qui etiam S. R. E. Subdiaconi dicebantur. 14. Proferuntur exempla Palatinorum Subdiaconorum. 15. Subdiaconi Palatini cum Capellanis forte aliquando confuſi. 16. de Acolythis Palatino-Pontificiis. 17. Palatini Clerici miniſtrabant Pontifici in Palatio celebranti. 18. Inquiritur in Morem ſolemniter Divina Officia celebrandi in Papali Capella. 19. De Stationibus aliqua præmittuntur. 20. Ordo R. XIV. declarat morem prædictum. 21. Quare non utamur eo Ordine ad antiquitatem hujus moris? 22. 23. Scriptus videtur Ordo XIV. poſt Gaetanum. 24. Probatur antiquitas Solemniter celebrandi Divina Officia in Pontificia Capella. 25. 26. *a pag.* 26. *ad* 38.

CAPUT VI.

De Domeſticis Antiquis Oratoriis S. R. E. Cardinalium, & Epiſcoporum.

Sacrificium quotidie non poterant Epiſcopi in publicis Eccleſiis facere. 1. Sæculo V. mos erat conſecrandi Oratoria in Epiſcopiis. 2. Viguit VI. Sæculo. 3. Apud Orientales etiam vigebat. 4. Oratoria in Epiſcopiis ex Libro Diurno RR. Pontificum probantur. 5. Alia adduntur pro ſequentibus ſæculis. 6. De Cardinalium Capellis. 7. 8. *a pag.* 38. *ad* 42.

CAPUT VII.

De Privatis Monachorum Oratoriis Sæculis IV. V. VI. VII.

Monachi habebant Sæculo IV. proprium Presbyterum. 1. Habebant etiam Oratoria, in quibus Sabbatho, & Dominica conveniebant. 2. Ubique non cogebantur ad publicas Synaxes accedere. 3. Sæculo V. Abbates Orientalium Monaſteriorum ſæpe erant Presbyteri. 4. Quare tunc ægre Monachis Clericatus permitteretur? 5. Eodem Sæculo in Monaſteriis Orientis aliqui Oonachi erant Presbyteri. 6. Tamen in Occidente rariores reperiebantur. 7. Exceptis Inſulis. 8. Oratoria Monaſteriorum Sæculo V. privata erant. 9. Pauca aliquot in Oriente erant publica. 10. Sæculo VI. & VII. in Monaſteriis Sacrificium offerebatur. 11. Etſi tunc Presbyteri Monaſteriorum non ubique permitterentur: 12. Non tamen carebant Sacrificio in Monaſteriis peracto Monachi aut Orientales: 13. Aut Occidentales, pro quibus extraneus Sacerdos celebrabat: 14. Vel unus ex Monachis ordinabatur. 15. Quare S. Gregorius juſſerit Ordinari Monachum in Presbyterum Monaſterii? 16. Monachus ordinandus eligebatur a Monachis. 17. Hic Ordinatus pro Monachis Sacrificium offerebat. 18. Orientalium Monaſteriorum Abbates frequenter tunc erant Presbyteri. 19. Non ita Occidentales Abbates: 20 Quamvis abſolute non eſſet iſtis vetitus Presbyteratus: 21. Neque id prohibuiſſet M. Gregorius. 22. Quoſdam Abbates Occidentales tunc Presbyteros fuiſſe non negamus: 23. Sed multo minores numero erant, quam a nonnullis credatur. 24. Aliquis Sacerdos tunc in Monaſticis Oratoriis celebrabat. 25. Privata erant hæc Oratoria. 26. Ab his Foeminæ arcebantur. 27. Et alicubi etiam Viri Laici extranei. 28. Saltem in illis Collectæ, & Miſſæ publicæ vetabantur. 29. Miſſas publicas in Monaſteriis Magnus Gregorius prohibuit. 30. Quæ ſint illæ Miſſæ publicæ. 31. Sacrificia offerebantur in Monaſteriis propter ſolos Monachos. 32. Confirmantur præcedentia ex Libro Diurno RR. Pontificum. 33. Et ex Pelagio I. 34. Hujus Litteræ expenduntur. 35. Indicantur paucæ quædam Eccleſiæ publicæ Monachorum Sæculo VI. & VII. 36. *a p.* 42. *ad* 57.

CA-

CAPUT VIII.

Proſequitur idem argumentum de privatis Monachorum Oratoriis a Sæculo VIII. uſque ad tempora Concilii Tridentini.

Perſeverabant Sæculo VIII. Oratoria privata Monachorum in Occidente. 1. Huic Diſciplinæ potius favit data diſpenſatio Monaſterio S. Altonis. 2. Etiam in Oriente eadem diſciplina perſeverabat. 3. Sub Carolo M. juſſi monachi ſibi conſtruere ſecretiora Oratoria. 4. Horum exempla, & alia indicia proferuntur. 5. Sæculo IX. Monaſticæ Eccleſiæ non erant publicæ, quia omnibus non patebat publicus aditus. 6. Hic maxime claudebatur Foeminis: 7. Eo quod Monachorum Baſilicæ intra Clauſtra exſtruebantur. 8. 9. Quare Sæculo X. laxata fuerit apud quoſdam Monachos vetus diſciplina. 10. Aliqui eamdem tenacius ſervaverunt: 11. Præcipue Ordines Sæculo XI. Reformati: 12. Et qui Eremiticam vitam ducebant ſolitarias Miſſas celebrantes. 13. Habebant Monachi præter majorem Eccleſiam ſecretiora alia Sacella. 14. Hæc Veterum teſtimoniis demonſtrantur. 15. Majores Eccleſiæ Monaſteriorum publicæ non erant, quia ibi Populis Sacramenta non diſpenſabantur. 16. Sicut in omnibus Eccleſiis publicis fieri ſolebat. 17. Publicæ Miſſæ in Monaſteriis vetitæ uſque ad Sæculum XII. 18. Licet cum ſolemnitate a Monachis Divina Officia celebrarentur. 19. Sæculo XIII. Monaſteriorum Eccleſiæ publicæ evaſerant. 20. Hinc publicas ſtatim habuit Ordo Prædicatorum. 21. Et Ordo Minorum: 22. Etſi tunc Parochiani diebus Feſtis ad proprias Parochias accederent. 23. Servaverunt Viri Regulares privata Oratoria intra Clauſtra. 24. Pro iſtis Privilegia Apoſtolicæ Sedis obtinuerant Prædicatores: 25. Aliique Regulares; 26. Qui in iiſdem Oratoriis privatis celebrabant. 27. Hæc Oratoria habebant etiam in Granciis. 28. De his ſingularia ſtatuta condiderant Monachi Ciſtercienſes. 29. *a pag. 57. ad 69.*

CAPUT IX.

De Veteribus Privatis Oratoriis Sanctimonialium.

Uſque ad Sæculum V. Moniales acceſſerunt ad publicas Eccleſias: 1. Vix forte paucis exceptis. 2. Sæculo V. aliquæ perpetuam clauſuram ſervabant. 3. Hæ privatum habebant Oratorium, in quo Sacerdos Miſſas faceret. 4. Id ex Regula S. Cæſarii, & Donati colligitur. 5. Sæculo VI. multo plures ſervarunt perpetuam Clauſuram in Oriente: 6. Et in Galliis. Hæ pariter habebant Oratoria privata. 7. Expenditur Epiſt. M. Gregorii ad Reſpectam. 8. In Monaſteriis Monialium erant propter Sacrificium Oratoria privata in Germania 9. In Italia 10. In Africa. 11. Duravit eadem Diſciplina Sæculo VII. 12. Sæculo VIII. 13. Sæculo IX. 14. At non multo poſt ceſſavit. 15. Et rariſſima evaſerunt Sacrificia intra Clauſtra Monialium ſine ſpeciali privilegio. 16. 17. *a pag. 69. ad 77.*

CAPUT X.

De Oratoriis, ſeu Capellis Palatinis Magnorum Principum.

In Aula Conſtantini M. erat Oratorium 1. In quo etiam Sacrificium offerebatur. 2. Hic mos tranſivit ad Filios, & Succeſſores Conſtantini. 3. Palatinum Oratorium Sæculo V. exiſtebat in domo Placidiæ Auguſtæ. 4. de Oratorio Palatino Juſtiniani: 5. Et Mauritii Imper. 6. Oratoria Palatina in Galliis tempore Clodovei cæpiſſe videntur. 7. Indicia Palatini Regii Cleri Sæculo VI. 8. Quidam Archicapellani Regii e Sæculis VII. & VIII. recenſentur. 9. Ad hoc munus optimi Sacerdotes eligebantur. 10. Quanta dignitas Capellæ Regiæ ſub Carolo M., & ejus Stirpe. 11. Qui Archicapellani eligerentur. 12. De Clericis Palatinis agitur. 13. Illorum nonnulli fuerunt aliquando reprehenſi. 14. Clerici Palatini ex conſilio Epiſcopi aſſumebantur. 15. 16. Etiam Palatinæ Capellæ de conſenſu Epiſcopi erigebantur. 17. De Oratoriis Imperatorum Orientis iterum, & de eorum Clero aliqua indicantur. 18. Recenſentur plura Palatina Oratoria Orientis. 19. 20. Ea habuerunt Orientis Imperatores uſque ad exitum Imperii. 21. Semper Occidentales Reges retinuerunt Palatina Oratoria. 22. His ut plurimum præficiebantur Epiſcopi. 23. Plures Clerici Palatini evecti fuerunt ad Epiſcopatum. 24. Sæculo XI. erant exemptæ a Juriſdictione Epiſcopali Capellæ Regiæ in Gallia, & in Anglia 25. Non in Norvegia. 26.

Eadem

Eadem exemptio a RR. Pontificibus conceſſa fuit nonnullis Palatinis Capellanis. 27. Regiæ Capellæ ad publicas Capellas revocantur. 28. Pauca de Domeſticis Oratoriis Comitum &c. 29. a pag. 77. ad 90.

CAPUT XI.

De veteribus Domeſticis Oratoriis Laicorum uſque ad tempora Tridentini Concilii.

Miſſæ in privatis Oratoriis Sæc. IV. & V. peractæ fuerunt. 1. In eam rem alia proferuntur ex Vita S. Ambroſii, & ex Conciliis Epheſino. 2. Et III. Chartaginenſi 3. Synodus Trullana ſtatuit neceſſariam Epiſcopi licentiam, ut in Domeſticis Oratoriis Miſſæ celebrentur. 4. Idem juſſit Juſtinianus Imp. 5. Paſſim Sæculo VI. in Domeſticis Oratoriis offerebatur in Galliis. 6. Ibi Sæc. VII. Epiſcopo ſubjecti fuerunt Capellani. 7. In Italia celebratio Miſſarum in privatis Oratoriis a voluntate Epiſcopi omnino pendebat. 8. Formula, qua Romani Pontifices privilegium Oratorii concedebant. 9. Hæc Oratoria erant domeſtica. 10. Etiam in Galliis, & in Oriente Sæculo VIII. ab arbitrio Epiſcopi Presbyteri in Oratoriis privatis celebrantes pendebant. 11. Sæc. IX. permiſſum fuit in Oriente cuicumque Presbytero Miſſas in domeſticis Oratoriis facere. 12. Hinc Epiſcoporum juriſdictio fuit coarctata. 13. In Occidente perſeveravit integra hæc juriſdictio, & arbitrio Epiſcopi Miſſæ in privatis Oratoriis agebantur. 14. Hincmari Locus huc ſpectans excutitur. 15. Ipſe Capellas in duas claſſes diſtinxit. 16. Capellas privatas Laicorum ſuæ poteſtati plene ſubjecit. 17. Notatur arrogantia aliquorum Laicorum in præſentandis Clericis ordinandis ad proprias Capellas. 18. Quid concederetur in Galliis Capellarum Fundatoribus? 19. Itali adhuc poſtulabant ab Epiſcopis Presbyteros in ipſorum Oratoriis celebraturos. 20. Perſeveravit continuo diſciplina permittendi Sacrificia in domeſticis Capellis ab authoritate Epiſcoporum pendentibus. 21. Proferuntur plurima Statuta in eam rem edita: & primum Eccleſiæ Treccorenſis, 22. Aurelianenſis, & Æduenſis, 23. Caturcenſis, Tutelenſis, & Ruthenenſis, 24. Turonenſis, 25. Andegavenſis, & Nannetenſis, 26. Nemauſenſis, Senonenſis, 27. Et Pariſienſis. 28. Decreta Synodi Londinenſis Anni 1321. proferuntur: 29. Et alterius Synodi 1342. 30. Decreta Eccleſiæ Leodienſis, Moguntinæ & aliarum in Saxonia. 31. Aliqua proferuntur ex Eccleſiis Italiæ 32. Hiſpaniæ 33. Et demum ex Eccleſiis Orientalibus. 34. Summatim perſtringitur Veterum Diſciplina circa Oratoria in domibus privatis erecta. 35. 36. 37. a pag. 90. ad 108.

CAPUT XII.

De tempore & cauſſis variatæ veteris Diſciplinæ, ſecundum quam domeſtica Oratoria conſecrabantur.

Olim in Domibus non conſecratis facta ſunt Sacrificia. 1. Sæpius iſta fuerunt peracta in Domibus Conſecratis. 2. Oratoria domeſtica conſecrabantur: 3. Etiamſi erecta in Laicorum domibus. 4. Cum Sæculo VIII. & IX. vetus Diſciplina a quibuſdam mutari cœpit, reſtiterunt Egbertus, & Concilia Gallicana. 5. Concilii Pariſienſis VI. decreta recitantur. 6. 7. Reſtitit Jonas Aurelian. 8. Theodulphus, Herardus, Ayto. 9. Reſtiterunt deinde Italiæ Epiſcopi. 10. Afferuntur decreta ex Libris Capitular. 11. Sæculo IX. permiſerunt Epiſcopi celebrare in Oratoriis non conſecratis. 12. Quare Sæculo XI. Oratoria conſecrata in domibus privatis rariora evaſerunt; 13. Prima cauſſa hujus mutationis refunditur in neceſſitatem impediendi graviora incommoda exorta. 14. Secunda cauſſa, quia ſolum ad certum tempus concedebatur ab Epiſcopis licentia celebrandi in privatis Laicorum Oratoriis. 15. Tertia cauſſa, quia ſolemnitas Conſecrationis non apte conveniebat cubiculariis Oratoriis. 16. Quarta cauſſa, quia nequibant Epiſcopi omnia hæc Oratoria conſecrare. 17. Nunc ſolum aliqua privata Domorum Religioſorum poſſunt ſpeciali Ritu Deo dedicari: 18. Attamen ſola Benedictione, non Conſecratione. 19. Alia privatæ domus Oratoria neque hoc Ritu Benedictionis ſunt Deo ſacranda. 20. a pag. 108. ad 119.

CAPUT XIII.

De prohibitione facta a Concilio Trident. Miſſarum intra Oratoria privatarum Domorum.

Recitatur Decretum Concilii Trid. 1. Quorumdam falſa opinio dicentium a Concilio Trid. non fuiſſe vetitas Miſſas in privatis Laicorum Oratoriis. 2. Hæc opinio manifeſtam contradictionem involvit. 3. Rejicitur ex Decreti Tridentini verbis, & fine. 4. Inſuper quia illa Oratoria privata vere non dicuntur *dedicata* Divino Cultui: 5. Et quia non *deſignantur* ab Epiſcopis. 6. Concilium non comprehendit Oratoria privata in Titulum Beneficiarium erecta. Quæ ſententia fuerit Sac. Congreg. Concilii de his Oratoriis. 7. Concilium Tridentinum coarctavit Epiſcoporum poteſtatem in concedenda Miſſarum domeſtica celebratione. 8. Id oſtenditur ex fine Decreti, & modo, quo factum fuit: 9. Secus inutile fuiſſet Decretum. 10. Hanc limitationem factam a Tridentino inſinuant Concilia Mediolanenſia ſub S. Carolo: 11. Toloſanum, & Mexicanum: 12. Aliaque poſt Tridentinum celebrata. 13. Præcipue Synodus Iprenſis. 14. Quædam adnotantur de Concilio Narbonenſi, & Tarraconenſi. 15. 16. Eadem reſtrictio ſumitur ex praxi, & declarationibus Sac. Congreg. Concilii. 17. Quanti hanc fecerint Concilia Provincialia poſt Trident. celebrata. 18. *a pag.* 119. *ad* 130.

CAPUT XIV.

De Obedientia præſtita Decreto unico Seſſ. 22. Concilii Tridentini, & de Declarationibus ejus cauſſa editis a Sacra Congregatione Concilii Interprete.

Poſt Tridentinum Concilium ad R. Pontificem confugiebant, qui Miſſam in privato Oratorio deſiderabant. 1. Viris Nobilibus tunc a R. Pontifice facultas dabatur cauſſa infirmitatis. 2. Vel ob alias valde graves cauſſas. 3. Ob meram nobilitatem rariſſime dabatur exceptis Magnis Principibus. 4. Tunc ſtrictiſſime communi ſententia verba Concilii interpretabantur: 5. Poſtea exortis dubitationibus de ſenſu Decreti Tridentini Sac. Congreg. Concilii ſæpe multis Epiſcopis reſpondit facultatem concedendi Miſſas in privatis Oratoriis a R. Pontifice eſſe petendam. 6. 7. Eadem Sac. Congregatio juſſu R. Pontificis quibuſdam Epiſcopis injunxit Licentias ſimiles retractandi. 8. Exceſſibus eorumdem Epiſcoporum reſtitit etiam Sac. Congregatio ſuper negotia Epiſcoporum, & Regularium. 9. Cautiones adhibitæ ad penitus ſupprimendos exceſſus. 10. Litteræ Sac. Congregationis Concilii Anni 1615. ad omnes Epiſcopos hac de re miſſæ. 11. Alicubi ſuſpenſæ etiam fuerunt facultates hujuſmodi a R. Pontifice antea conceſſæ. 12. Litteræ illæ *Decreto Concilii* nitebantur. 13. Quam prompte plures paruerint Litteris ſcriptis juſſu Pauli V. P. 14. Epiſcopis Hiſpanis Paulus V. Apoſtolica delegatione ſexennio duratura conceſſit eas licentias tribuere: 15. Etiam Cardinali de Auria Archiepiſcopo Panormitano. 16. Et Nunciis quibuſdam. 17. Limites delegatæ poteſtatis aliqui exceſſerunt. 18. Hinc delegatio ipſa rariſſime Epiſcopis fuit aut confirmata, aut conceſſa. 19. Nunciis quoque Apoſtolicæ Sedis raro data. 20. Contrariæ conſuetudines alicubi poſtea exortæ. 21. Novis Decretis Apoſtolicæ Sedis ſublatæ fuerunt. 22. *a pag.* 130. *ad* 145.

CAPUT XV.

De Cauſſarum gravitate, ut licite ab Ordinariis concedatur Sacrificium in Oratoriis privatæ domus.

Epiſcopi in Magna neceſſitate, & graviſſima de cauſſa poſſunt concedere Sacrificium in Oratorio privato Domus Laicalis. 1. Huic poteſtati non repugnant Litteræ Sac. Congregationis. 2. Ipſi favet formula Decreti Tridentini. 3. Et S. Carolus. 4. Non eſt neceſſe eas cauſſas in Jure communi exprimi. 5. Quædam cauſſæ ad examen vocantur. 6. In Judicio de gravitate harum Cauſſarum ſeveriores paullatim evaſerunt Scriptores. 7. Quanto crevit obſervantia Decreti Tridentini, tanto gravior cauſſa requiritur, ut Epiſcopus diſpenſet. 8. 9. Judicium de gravitate cauſſæ ob varias circumſtantias Regionum non ubique eſt uniforme. 10. Infirmitas Viri Nobilis quibuſdam olim videbatur cauſſa ſufficiens pro Epiſcopali Diſpenſatione. 11. Sac. Congreg. hanc cauſſam nequaquam approbavit. 12. Imo ſæpius improbavit. 13. Contrariæ conſuetudines a Clemente XI. ſublatæ fuerunt. 14. 15. Propter

Viaticum miniſtrandum Epiſcopus nequit in Oratorio privatæ domus permittere Sacrificium. 16. Hanc facultatem aliqui Epiſcopi a R.Pontifice poſtulaverant: 17. Sed fruſtra 18. Ne graviora irreverentiæ pericula irreperent. 19. Epiſcopus nequit concedere idem Sacrificium Viro Nobili impotenti ad Eccleſiam accedere. 20. Conſuetudo celebrandi ſine Privilegio Papali in privato Oratorio præſente Cadavere, ubi adeſſet, deberet auferri, ſi ſine gravi tumultu poſſet. 21. Multo gravior cauſſa pro conceſſione domeſtici Sacrificii ab Epiſcopo attendi debet, quoties cauſſa ſimul multos non reſpicit. 22. Facile pro detentis intra publicos Carceres conceſſit R.Pontifex Indultum Miſſæ privatæ. 23.24. Imo, ut eam concederent Ordinarii, ipſe permiſit. 25. In Locis Infidelium, & Hæreticorum bene Epiſcopi in privatis Oratoriis Sacrificia concedunt 26. *a pag.* 145. *ad* 159.

CAPUT XVI.

Quæ ſint Privatæ Domus, ad quas reſpexit Concilium Tridentinum in Decreto Seſſionis 22.

Indicantur Domus, de quibus poſſet dubitari, an comprehendantur in Decreto. 1. Capellæ Majores Magnorum Principum non comprehenduntur. 2. Comprehenduntur Oratoria Secreta Principum. 3. His a R. Pontifice ampla Privilegia conceduntur. 4. Hæc neceſſaria ſunt pro Oratoriis exiſtentibus in publicis Palatiis Magiſtratuum. 5. Multo magis pro Oratoriis privatis cæterorum Laicorum omnium. 6. Oratoria intra Arces exiſtentia attenta ratione Loci publica non ſunt. 7. Sæpe pro illis privilegia Miſſarum R. Pontifex conceſſit. 8. 9. Oratoria privata Collegiorum egent Privilegio Papali, niſi ſint Loca Pia. 10. Privilegium conceſſum Collegio Clementino a Benedicto XIV. 11. Aliud pro Collegio Nazareno. 12. Seminaria non comprehenduntur in Decreto Tridentino: 13. Nec Hoſpitalia: 14. Nec Oratoria in Domibus Presbyterorum Secular. Congregat. Oratorii, & Piorum Operariorum. 15. Privilegium conceſſum Congregationi Avenionen. Doctrinæ Chriſtianæ. 16. De Oratoriis Domus Presbyterorum Oratorii S. Hieronymi Charitatis de Urbe. 17. Monaſteria in Decreto Concilii non comprehenduntur. 18. *a pag.* 159. *ad* 169.

CAPUT XVII.

De Oratoriis Privatis S. R. E. Cardinalium, & Epiſcoporum poſt Concilium Tridentinum.

Epiſcopis extra Dioeceſim non fuit conceſſum ante Concilium Trid. erigere Oratorium domeſticum, quod jure ſuo in Dioeceſi habere poterant. 1. A Concilio Trid. non fuiſſe ablatum hoc Epiſcoporum jus S.Congreg. declaravit. 2. Idem eruitur ex Concilio ipſo. 3. Epiſcopia non ſunt privatæ domus. 4. De Oratoriis privatis Epiſcopiorum ſex quæſtiones proponuntur. 5. Plura privata Oratoria eſſe poſſunt in Epiſcopiis. 6. In his poſſunt plures Miſſæ ſingulis diebus celebrari. 7. Abſente licet Epiſcopo: 8. Ad hoc ſufficit, ut Oratorium ſit intra Epiſcopium. 9. Singulis diebus Feſtis ſatisfacit præcepto quicumque Miſſæ ibi adfuerit. 10. Ruralia Oratoria privata in Dioeceſi habere poteſt Epiſcopus. 11. Vacante Sede Epiſcopali Oratoria in domibus Epiſcopalibus eaſdem proprietates conſervant: 12. Quamvis illa Oratoria eſſent reſervata Epiſcopo ejuſque Familiæ. 13. Niſi tamen Ædes Epiſcopales in alios uſus convertantur. 14. Privilegium Oratorii privati conceſſum Epiſcopis Aſſiſtentibus Solio Pontificio a Gregorio XV. 15. Hinc colligitur Epiſcopis per ſe non competere extra Dioeceſim habere Oratoria domeſtica. 16. 17. Pro impetranda facultate Oratorii aliqui Epiſcopi ad Apoſt. Sedem confugerunt. 18. Frequentius confugiunt, qui in Urbe morantur. 19. Alibi extra Dioeceſim morantes utuntur Privilegio Aræ Viaticæ. 20. S.R.E. Cardinales habere poſſunt privata Oratoria in propriis Palatiis. 21. Nec egent ſpeciali Indulto. 22. Quæ conveniant Capellis Cardinalitiis. 23. Epiſcopi, eorumque Superiores non poſſunt uti ſuperſtite facultate in Oratoriis Laicorum. 24. Afferuntur in hanc rem plura Decreta. 25. Adminiſtratores Epiſcopatuum non habent jus ſibi erigendi Oratorium privatum. 26. Etiamſi eſſent Epiſcopi Titulares. 27. Cæteri Præſules, qui non ſunt Epiſcopi in Locis propriæ Juriſdictionis non gaudent jure Oratorii privati ad Miſſarum celebrationem. *a pag.* 169. *ad* 184.

CAPUT XVIII.

De privatis Oratoriis in Monaſteriis & Grangiis Regularium poſt Concilium Trident.

Poſſunt poſt Concilium Trid. in Monaſteriis approbari privata Oratoria: 1. Hæc debent appro-

approbari ab Ordinario Loci, niſi nova privilegia obtinuerint Regulares à R. Pontifice. 2. Amplum Privilegium datum fuit Societati Jeſu, quod eſt communicabile. 3. Privilegium iſtud exigit approbationem Oratorii à Superiore Provinciæ. 4. Semel approbata Oratoria non debent ſine cauſſa ad alios uſus converti. 5. In his Oratoriis nulla eſt reſtrictio Dierum, Miſſarum, Perſonarum. 6. Poſſunt in illis alia quædam Divina Officia celebrari 7. Ut eſt Eucharistiæ diſtributio Adſtantibus. 8. Graves cauſſæ eſſe debent, ut in illis Euchariſtia aſſervetur. 9. Hanc Minoritæ in aliquibus Valetudinariis ſervant. 10. Et in Oratoriis aliquotum Hoſpitiorum. 11. Pro quibuſdam Hoſpitiis neceſſarium eſt Indultum Papale, ut ibi Miſſæ fiant. Hujuſmodi Privilegia recitantur. 12. 13. 14. Granciarum Regularium duo genera. 15. Ut in Granciis propriis Miſſæ fieri poſſint eſt neceſſarium Privilegium Papale conceſſum poſt Concilium Tridentinum. 16. Hoc Privilegium dedit Gregorius XIII. Societ. Jeſu, de quo alii Regulares participant. 17. Pro Oratoriis Granciarum ſupplicarunt Carthuſiani Clementi XII. P. 18. 19. Quod cupiebant, obtinuerunt. 20. Ex Conſtitutione Clementis XII. aſſerta noſtra roborantur. 21. Debet in Granciis reſidere aliquis Sacerdos. 22. Laudatur Decretum Sac. Congregationis Concilii Anni 1735. 23. Alterum illius Decretum noſtræ conciliatur ſententiæ. 24. Etiam Oratoria Granciarum carent reſtrictionibus Dierum, Miſſarum, Perſonarum. 25. Huic amplitudini non opponitur Decretum Sac. Congregationis ſuper Diſciplina Regular. 26. Neque aliud Decretum Sac. Congregationis Concilii. 27. Exempla Privilegiorum, quæ data fuerunt à R. Pontifice pro quibuſdam Oratoriis Ruralibus Regularium 28. Et Alumnorum Loci Pii. 29. *à pag.* 184. *ad* 198.

CAPUT XIX.

De Oratoriis privatis intra Clauſtra Monialium; Collegia Tertiariarum, & Conſervatoria Puellarum poſt Concilium Tridentinum.

Propter Legem Clauſuræ nequeunt Miſſæ celebrari intra Clauſtra Monialium. 1. Concilii Triden. Decretis adverſantur Miſſæ intra illarum Clauſtra. 2. Contrariæ conſuetudines ſublatæ fuerunt. 3. Neque in Valetudinariis Monialium poſſunt Miſſæ celebrari ſervato Tridentino Decreto. 4. Idem aliis argumentis confirmatur. 5. Propter leges clauſuræ à S. Pio V. editas nequiverunt Moniales Lateranenſes exequi Privilegium a Pio IV. conceſſum Ordini pro miſſis tempore infirmitatis. 6. Simile Privilegium à Gregorio XIII. Moniales quædam Januenſes 7. Et Mutinenſes obtinuerunt. 8 Item aliquæ Bononienſes. Speciale Indultum Amitæ Henrici IV. conceſſum à Paulo V. 9 Recenſentur Privilegia ſimilia Monialibus Urbis conceſſa. 10. Poſt Conſtitut. Benedicti XIV. *ſuper Clauſuram Monialium* novum requiritur Privilegium, ut intra Clauſtra Monialium Sacrificium offerri poſſit. 11. Quædam conceſſit SS. Pater: profertur illud pro Monialibus Pratenſibus S. Clementis. 12. Aliud pro Monialibus Viterbienſibus S. Bernardini. 13. Indicantur Privilegia data pro privatis Oratoriis Oblatarum. 14. Tertiariarum. 15. Puellarum in Conſervatoriis degentium. 16. Quare in Privilegiis conceſſis Virginibus ſimul conviventibus, ſed ſine lege Clauſuræ, dicatur: *citrà approbationem*? 17. *à pag.* 198. *ad* 210.

CAPUT XX.

De Privilegiis, quæ à R. Pontifice concedi ſolent celebrandi in Oratoriis privatæ Domus.

Concilium Tridentinum integram R. Pontificis poteſtatem permanere in concedendis Miſſis domeſticis novit. 1. Ea poteſtate ſæpe utuntur RR. Pontifices circa Viros Nobiles: 2. Nec propterea aliquid inſolitum moliuntur. 3. Eadem utuntur circà alios Juriſdictionem temporalem habentes: 4. Et Viduas, Filiaſque ex illis relictas. 5. Aliquandò etiam circa alios quoſdam aliqua ratione dignos. 6. Iſta facilitas concedendi privilegia pro Oratoriis privatis rectum finem reſpicit. 7. Quæ ſint differentiæ in amplitudine, vel reſtrictione illorum Privilegiorum. 8. De Privilegiis Oratorii privati pro ampliſſimis R. Curiæ Collegiis. 9. Privilegium conceſſum à Benedicto XIV. P. Advocatis Conſiſtorialibus. 10. Privilegia Capitulo Patriarchali Ulyſſiponen. conceſſa à Clemente XII. P. 11. Quibus modis Privilegia à R. Pontifice erogentur pro Oratorio privato. 12. Recitatur formula ampli Privilegii à S. Pio V. conceſſi 13. Altera adhibita à Sixto V. 14. Conditiones à Sac. Congregatione Concilii ſtabilitæ, & à R. Pontifice tunc probatæ, & in Apoſtolicis Privilegiis inſertæ. 15.

Sub Urbano VIII. diſtinctius illi expreſſi fuerunt in Privilegio, qui de eodem participabant. 16. Eos frequenter nomine *Familiæ* complectebatur Indultum. 17. Formula ampliationis Privilegii pro Nobilibus Infirmis uſurpata ſub Innocentio X. 18. Altera ejuſdem modo Commiſſario pro Nobilibus aliter impeditis ad Eccleſiam accedere. 19. Formula Privilegii, quam Bededictus XIV. uſurpari jubet. 20. Altera Formula modo commiſſario. 21. Privilegium pro Gentilibus Romanorum Pontificum. 22. Ejuſdem Privilegii ampliatio. 23. *à pag.* 210. *ad* 225.

CAPUT XXI.

Exponitur Apoſtolicum Indultum pro Oratorio privato ſecundum ea, quæ pertinent ad Perſonam Privilegiatam principaliter.

A Privilegiatis limites Privilegii ſervari debent. 1. Illius verba juxta intentionem Pontificis ſunt interpretanda. 2. Nihil magis fieri poteſt, quam quod in Privilegio eſt expreſſum. 3. Idem Privilegium ſtricte exponi debet. 4. Ad hanc ſtrictam interpretationem faciendam multa movent. 5. Vitium ſubreptionis, vel obreptionis nullum reddit Privilegium. 6. Veritas cauſſæ moventis ſupponitur in Privilegio. 7. Hac ceſſante ceſſat Privilegium. 8. Eadem cauſſa maxime perſeverare debet in viventibus *More Nobilium*, & in Viduis. 9. Quæ Privilegia non ceſſent ceſſante cauſſa movente. 10. Privilegium a Lege diſpenſans *ſubreptitium* cenſetur ſine cauſſa movente. 11. Error ſubſtantiam Privilegii afficiens iſtud viciat, etſi alia ex cauſſa potuiſſet licitè concedi. 12. Quid requiratur ad Nobilitatem *Perſonæ*, & Nobilitatem *Generis*. 13. Non ubique eadem ſunt requiſita ad Nobilitatem. 14. Juxta Regionum mores debet attendi Nobilitas exigita in Privilegio Miſſæ domeſticæ. 15. Alicubi majores Gradus Nobilitatis requiruntur, ut valeat Privilegium alicui conceſſum *ex Nobili Genere procreato*. 16. Alicubi ſufficere fortè poſſet mera Nobilitas ex parte Matris. 17. Ferme ubique ſufficit Nobilitas ſolius Patris. 18. Pauca de Juriſdictione Temporali, quam aliquando R. Pontifex in Indulto ſupponit. 19. Regulæ ad cognoſcendos in Privilegio *Principaliter* Privilegiatos. 20. Ex his Regulis aliqui fruſtra angebantur. 21. Exortæ dubitationes facile diſſipatæ fuerunt. Recitantur Litteræ Paſtorales Eminentiſſimi Querini. 22. Requiritur præſentia Principaliter Privilegiati tempore Sacrificii, ut privilegium aliis Familiaribus ſuffragetur. 23. Decretum Benedicti XIV. Ann. 1741. hac de re editum. 24. 25. Regula P. Bardi laudatur pro expoſitione particulæ *Ac*. 26. Privilegio frui poſſunt ſinguli principaliter Privilegiati ſine præſentia Familiæ. 27. Iidem Privilegiati ſeorſim in diverſis domibus ſuarum habitationum ſimul Privilegio frui poſſunt. 28. Privilegium Principaliter plures reſpiciens virtute eſt multiplex. 29. Hæc ſententia munitur Benedicti XIV. reſponſo. 30. Privilegium pro Oratorio Privato eſt merè *Perſonale*. 31. Ceſſat morte principaliter Privilegiati. 32. Non ceſſat morte Pontificis concedentis. 33. Etiamſi poſt mortem ejuſdem executioni tradatur: 34. Niſi hæc dilatio nimia fuerit. 35. Privilegiatus aliquando ad uſum Privilegii urgetur à præcepto Miſſæ audiendæ: 36. Maxime ſi jam Oratorium eſſet approbatum. 37. Etiam urgetur aliquando ab obligatione ſatagendi, ut Familiares illud præceptum adimpleant. 38. *à pag.* 225. *ad* 246.

CAPUT XXII.

De Domo, in qua Privilegiatus poteſt exequi Privilegium Miſſarum celebrandarum in Privato Oratorio.

Quare Privilegium limitetur pro Domo propriæ *habitationis*. 1. Non deſinit eſſe domus *ſolitæ habitationis*, ſi Habitator ad breve tempus eam deſerat animo redeundi. 2. Ad *ſolitam* habitationem in domo ſufficit in illa aliquo tempore morari animo diutius commorandi. 3. *Solita* habitatio in duabus domibus haberi poteſt: 4. Non item in tribus; aut quatuor. 5. Habens duplicem habitationem utraque ſimul gaudet. 6. quæ poſſit circa Sacrificium domeſticum habens duas *ſolitæ* habitationis domos. 7. Quæ idem non poſſit. 8. Cum in Privilegio deeſt particula *ſolitæ* habitationis, poteſt Privilegiatus illo uti in domo, in qua non habitat per medietatem Anni: 9. Dummodò domus illa propriæ habitationi ſit deſtinata, & in ea aliquo anni tempore habitet. 10. Tempus neceſſarium *habitationi* menſurari debet judicio Prudentum. 11. Videtur ſufficere unicus Menſis. 12. Nulli alteri debet eſſe locata do-

domus, in qua ſuum Privilegium aliquis exercet: 13. Sed vere aliquo tempore in illa Privilegiatum habitare oportet. 14. Poteſt transferri Privilegii exercitium translata habitatione. 15. Quæritur an Privilegii exercitium poſſit transferri extra Civitatem, & Diœceſim? 16. Hæc translatio permittitur, quando in *Brevi* non ponitur limitatio Oratorii exiſtentis *in Civitate*, ſeu *Diœceſi N.* 17. Neque hinc laxatur illud Privilegium. 18. Imo favet Decretum Sac. Congregationis Concilii. 19. Attenta Formula, quæ nunc ſolet adhiberi in Privilegio, iſtud non valeat mutata Diœceſi. 20. Id probatur ex precibus Oratoris: 21. Et aliis argumentis: 22. Ac conſuetudine. 23. Privilegium pro Oratoriis Ruralibus exequi ſolum poteſt in Locis Villæ rationem habentibus. 24. In eadem domo duo ſimul Privilegiati uti nequeunt proprio Privilegio: 25. Niſi domus una æquivaleat duabus: 26. Nam tunc ambo ſimul illo poſſunt uti, etiamſi unus habitet in ſuperiore, alter in parte inferiore Palatii. 27. In communi Oratorio ambo Privilegiati Miſſas celebrari facere non poſſunt. 28. Dum domus una non æquivaleat duabus Prior Privilegiatus, niſi ſponte cedat, ſolus poteſt ſuo privilegio frui: 29. Interim Privilegium alterius efficaciam ſuam ſuſpendit, non vero ammittit. 30. *à pag.* 246. *ad* 260.

CAPUT XXIII.

De Conditionibus requiſitis ab Apoſtolico Indulto pro Oratorio Domeſtico.

Oratorium debet eſſe muro exſtructum: Mandatum juſſu Clementis XII. hac de re editum. 1. Ab anteriori parte debet efformari Janua, & cuſtodiri. 2. Oratorii amplitudo debet ſufficere Domeſticis. 3. Quamvis Altare cooperiatur, adhuc aliqua ſigna Oratorii patere debent. 4. De Feneſtris Oratorii. 5. Major eſſet decentia, ſi nullus ſuper Oratorium cubaret. 6. Qui ornatus in Oratorio exigatur. 7. Requiritur præcipua decentia in iis, quæ ad Sacrificium deſerviunt. 8. Altare vel debet eſſe totum ex muro compactum: 9. Vel ſaltem formam fixi Altaris præſeferre. 10. Unicum debet eſſe Altare Oratorii, cujus lapis ſolum conſecratur, non integra Menſa. 11. Altare in medio eſt collocandum. 12. Altari ſuperimponendum eſt Umbraculum. 13. Ipſi bene congruerent Cancelli. 14. Congrueret etiam Oratorio parva Cella ad inſtar Sacriſtiæ. 15. Ubi iſta deerit diligenter in Oratorio cuſtodiri debet Sacra Suppellex. 16. Quare ex veteri diſciplina hic modicum delibemus. 17. Oratorium debet eſſe liberum a domeſticis uſibus. 18. Hanc conditionem aliqui violant ſine excuſatione. 19. Prophanato Oratorio neceſſaria eſt nova approbatio Ordinarii: 20. Quia prior per prophanationem ceſſaverat. 21. Prophanatum Oratorium aptum non redditur Sacrificio ex hoc ſolum, quod ibi poſtea Miſſæ celebratæ fuerint. 22. Per actiones prophanas in Oratorio peractas proprie Sacrilegium non committitur. 23. Oratorium privatum non conſecratum caret Immunitatis privilegio. 24. *à pag.* 260. *ad* 272.

CAPUT XXIV.

De Viſitatione, & Approbatione Oratorii Privati ab Ordinario facienda.

Quare exigantur Viſitatio, & Approbatio Ordinarii. 1. Hinc aliquid tribuitur juriſdictioni Ordinarii. 2. Fieri illa debent ab Ordinario *Loci*: 3. Vel ab ipſius Delegato. 4. Ut valeat approbatio Ordinarii, debent alia requiſita ab Indulto adeſſe. 5. Approbatio injuſtè non eſt neganda: 6. Etiamſi injuſte negaretur approbatio, impediretur exercitium Privilegii. 7. Quo ſenſu pendeat *ab arbitrio* Ordinarii Licentia celebrandi in privato Oratorio. 8. Arbitrium Ordinarii debet a Jure, ac Prudentia dirigi. 9. Si ipſe ſuſpenderit licentiam injuſtè, adhuc parere debet Privilegiatus. 10. Oratorium ſemel approbatum iterum ab Ordinario viſitari poteſt prudenti ex cauſſa. 11. Pro viſitatione exigi poteſt aliqua *Procuratio*, ubi fuerit conſuetudo. 12. Unicum Oratorium in eadem domo pro Privilegiato approbari poteſt. 13. *a pag.* 272. *ad* 279.

CAPUT XXV.

De Conſanguineis, Affinibus, Familiaribus, & Hoſpitibus, qui participant de Apoſtolico Indulto principaliter Privilegiati.

Limitationes factæ in Privilegio quo ad eos qui ſatisfaciunt præcepto Miſſæ, attente ſunt

ſervandæ. 1. Hæ ſeverius urgent, quanto fere ſemper in Privilegiis exprimuntur. 2. Adverſus falſas interpretationes clariora verba limitantia in privilegio ponuntur. 3. De Privilegio participant Nati, & Spurii poſt legitimationem. 4. Probabile eſt etiam Filios adoptivos participare. 5. Participant omnes Conſanguinei uſque ad quartum gradum. 6. Similiter Affines, qui tales non ſint ex illicito concubitu. 7. Exigitur præſentia Privilegiati, ut ejus Affinis ſatisfaciat præcepto Eccleſiaſtico. 8. Affines, & Conſanguinei debent *inſimul* cum Privilegiato habitare. 9. *Inſimul* habitare eſt ſimul habere eamdem habitationem. 10. Ad participationem Privilegii non requiritur Cognatos vivere ſumptibus Privilegiati. 11. Nomine *Familiæ* intelliguntur Familiares. 12. Familiaris eſt, qui Domino famulatur: 13. Etiamſi in domo illius non habitet. 14. Familiaris debet alia Domino: 15. Sive cibis miniſtratis, ſive pecunia numerata. 16. Multi participarent de Privilegio domeſtici Sacrificii, ſi nullus Familiaris excluderetur. 17. Hinc reſtringitur ad Familiares *actu* neceſſarios. 18. Iſta neceſſitas ſumi poteſt inſpecta dignitate Privilegiati: 19. Debet tamen limitari *ad tempus Miſſæ*. 20. Aliquando ad unicum tantum Familiarem reſtringitur facultas. 21. Cur numerus Familiarium de Privilegio participantium non ſoleat exprimi in *Brevi*. 22. Præter Familiarem Sacerdoti Miniſtrantem poteſt alter eſſe neceſſarius Privilegiato tempore Miſſæ. 23. Si plures eſſent neceſſarii, ut aſſiſterent aliis ſub cura Privilegiati degentibus, etiam illi de Privilegio participarent. 24. Propter decorem Privilegiati aliqui dici poſſunt neceſſarii. 25. Sacerdos celebrans in Oratorio Privato eſſe poteſt Familiaris Privilegiati. 26. Sacerdos etiam non familiaris ſatisfacit præcepto Miſſæ, dum iſtam in Oratorio privato celebrat pro Privilegiato. 27. Meri commenſales Privilegiati nullatenus participant de illius Privilegio. 28. Ad Hoſpites Nobiles in Oratoriis Ruralibus extenditur Privilegium. 29. Ex conditionibus Hoſpitis duæ quæſtiones huc ſpectantes ſolvuntur. 30. Famuli Hoſpitis non participant de eodem Privilegio. 31, *à pag.* 279. *ad* 294.

CAPUT XXVI.

Oſtenditur neminem in Oratorio Privato ſatisfacere præcepto Miſſæ audiendæ, qui de Privilegii Apoſtolici participatione non gaudet.

Privilegium Papale non ſolet permittere omnibus Miſſæ præceptum implere in Oratorio privato. 1. Refertur quorumdam opinio dilatans ad omnes hanc poteſtatem. 2. Eorum interpretationes aptatæ contrariis verbis Privilegii recitantur. 3. Opinio hæc rejicitur ex Privilegii verbis, quæ Legi præcipienti correſpondent. 4. Eadem opinio improbatur Decreto Clementis XI. 5. Verum eſt ceſſaſſe præceptum audiendi Miſſam in Eccleſia Matrice: 6. Similiter ceſſaſſe Legem præcipientem Miſſæ Parochialis auditionem. 7. Ita ſæpe declaravit Sacra Congregatio. Concilii. 8. Oratoria privata non ſunt omnibus idonea ad ſatisfaciendum Præcepto audiendæ Miſſæ. 9. Solum in Locis ab Eccleſia probatis poteſt ſatisfieri illi præcepto. 10. Quæ loca ſunt inepta celebrationi licitæ, ſunt inepta ad præceptum implendum. 11. Oratorium privatum pro illis erit Locus aptus implendo præcepto, quibus id conceditur in Privilegio. 12. Hoc Privilegium utpote Perſonale non extenditur ad Perſonas expreſſe non comprehenſas. 13. Etiam apud Veteres Privilegia hæc non extendebantur indiſcriminatim ad omnes. 14. Qui in Privilegio non comprehenditur, non tenetur Sacrificio aſſiſtere in Oratorio, cum nequit ad Eccleſiam accedere. 15. *à pag.* 294. *ad* 301.

CAPUT XXVII.

De Diebus, in quibus ab Apoſtolico Privilegio Miſſa in Oratorio Privato celebrari conceditur.

Quare in Oratoriis privatis una tantum concedi ſoleat Miſſa. 1. Hanc Indulti Papalis reſtrictionem violando graviter peccatur. 2. In die Nativitatis, qui Privilegio fruuntur, tres Miſſas celebrari facere poſſunt. 3. Miſſa in Oratorio privato poteſt celebrari à quocumque Sacerdote Seculari approbato ab Ordinario: 4. Et à quocumque Sacerdote Regulari de licentia ſaltem tacita ſuorum Superiorum. 5. Excipi ſolent in Privilegiis Dies Solemniores. 6. Apud Veteres licet non omnes dies Feſti exciperentur; 7. Probabile eſt exceptos

fuiſſe

fuiſſe Dies Solemniores, ne privatis in Oratoriis Sacrificia fierent. 8. Hujus exceptionis vetera monumenta proferuntur. 9. Quare diſtincte non exprimantur in Brevi omnes Dies Solemnes excepti. 10. Hi dies recenſentur ex Decreto S. Congregationis Rituum. 11. In Paſchate, & Pentecoſte ſolum primus dies excipitur. 12. Translato Officio, non vero Praecepto Diei Feſti Annunciat. B. M. V. non transfertur exceptio expreſſa in Privilegio. 13. In die Coenae D. non poteſt celebrari Sacrificium in Oratorio privato. 14. Etiam olim in Eccleſia eo die privata Sacrificia vetita erant. 15. Incidente Feſto S. Joſeph in diem Coenae D. non poteſt Miſſa celebrari in Oratorio privato. 16. Neceſſarium eſt ſingulare Privilegium, ut in Privato Oratorio poſſit in die Coenae D. Miſſa celebrari: 17. Pariter ſine ſingulari Privilegio nequit ibi celebrari ſequenti biduo. 18. *a pag.* 301. *ad* 310.

CAPUT XXVIII.

De Sacris Functionibus, quae in Oratorio privato fieri prohibentur.

Antiquus eſt mos prohibendi in Oratoriis privatis praejudicia Juribus Parochialibus. 1. Nullum praejudicium inferri debet oblationibus Eccleſiae Parochialis. 2. Sine licentia Epiſcopi nequit in Oratorio privato conferri Baptiſmus: 3. Aut Matrimonium celebrari. 4. Proclamationes Matrimonii futuri fieri nequeunt in privato Oratorio 5. Benedictio Mulieris poſt partum ſine debita licentia nequit in privato Oratorio peragi. 6. Vix unquam diſpenſatur pro Communione Paſchali intra privatum Oratorium. 7. Tumulari non poſſunt Fidelium cadavera in Oratorio privato; Niſi forte iſtud in Domo Religioſa vices Eccleſiae gerat. 8. Miſſa cantata, & plures aliae Benedictiones non ſunt Juris mere Parochialis. 9. In Privatae Domus Oratorio nequit ſolemniter Miſſa cantari. 10. Pauca ſunt Oratoria in Domibus Religioſis conſecrata, in quibus ſolemnia Miſſarum cum cantu celebrantur. 11. Cur in privatis Oratoriis Sodalitatum Laicalium aliquando Miſſa ſolemnis concedatur. 12. Plures cauſſae afferuntur vetitae ſolemnis Miſſae in Oratorio privatae domus. 13. Ex conceſſione Apoſtolica Miſſae in privato Oratorio non conſequitur facultas illam ſolemniter cantandi. 14. Nullae Ceremoniae in illa Miſſa adhiberi poſſunt, quae ſolemnitatem praeſeferant. 15. In illa non poteſt fieri adſperſio Aquae Benedictae ſuper Adſtantes. 16. Poteſt in Oratorio privato privatim a Sacerdote Aqua benedici. 17. Nequeunt in eodem Oratorio benedici Cineres, Candelae, Palmae: 18. Imo neque poſſunt a Sacerdote ibi Sacris operante Conciones, & ſimilia fieri. 19. In Oratoriis privatis Religioſorum aliter res ſe habet. 20. In privatae Laicalis Domus Oratorio praedictas functiones nec etiam Epiſcopus illic celebrans peragere poteſt. 21. *a pag.* 310. *ad* 321.

CAPUT XXIX.

De vetita adminiſtratione Sacramenti Poenitentiae, & Euchariſtiae in Oratoriis privatae domus.

Sine licentia Ordinarii non poteſt in privato Oratorio Laicali miniſtrari Sacramentum Poenitentiae. 1. Cauſae dubitandi an ibi ſaltem poſſit miniſtrari Euchariſtia? 2. Quid pro communione intra Miſſam ſtatuerit Benedictus XIV. P. 3. Attenta circumſtantia Loci poteſt aliquando prohiberi intra Miſſam Communio Adſtantium. 4. Epiſcopi aliqui non permittunt eandem Communionem in privatae domus Oratorio. 5. Requiritur ſpeciale Privilegium, ut quis in illo de manibus Sacerdotis celebrantis Communionem accipiat. 6. Recitatur Privilegium Confeſſionis, & Communionis in privato Oratorio miniſtrandae, quod Nepotibus Romanorum Pontificum conceditur. 7. Quibus hoc Privilegium conceditur, non eſt neceſſaria ſpecialis facultas Dioeceſani. 8. Non egeret Dioeceſani licentia Sacerdos, ſi ſimile Privilegium diſpenſandi Euchariſtiam a Romano Pontifice obtinuiſſet: 9. Deberet autem in Privilegio exprimi facultas pro Oratoriis privatae domus. 10. 11. Hanc expreſſam conceſſionem oſtendere debent, qui id ipſis licere defendunt. 12. *a pag.* 321. *ad* 328.

CA-

CAPUT XXX.

Bullæ Cruciatæ Privilegia pro Oratoriis privatis vera à falſis diſcernuntur.

Quid commiſſariis cruciatæ, & habentibus Cruciatam quidam concederent circa Oratoria privata. 1. Iſtorum figmenta rejecta fuerunt. 2. Recitantur verba Cruciatæ, quæ huc pertinent. 3. Quatuor argumenta referuntur, quæ ex his verbis opponebantur. 4; Generatim objecta refelluntur ex Trident. Decreto Seſs. XXII. 5. Ex Litteris juſsu Pauli V. An. 1615. ad omnes Epiſcopos ſcriptis. 6. Ex mente Pontificis Cruciatam concedentis. 7. Ex verbis ipſis Cruciatæ, qua ſolum conceditur celebrari Sacrificium tempore Interdicti in Oratorio jam antea approbato. 8. Privilegia Cruciatæ ad Oratorium privatum ſpectantia ſupponunt aliud diſtinctum Indultum Papale pro Oratorio privato. 9. Cur formula Cruciatæ eadem ſit etiam pro aliis non habentibus Indultum Miſsarum in Oratorio privato. 10. Singillatim confutantur ſingula illa quatuor argumenta. 11. 12. 13. 14. Aliæ falſæ dilatationes privilegiorum Cruciatæ ad Oratoria privata pertinentium referuntur. 15. Hæ refelluntur, quia Cruciatæ privilegium tempore Interdicti ſupponit omnes conditiones alterius Papalis Indulti pro Oratorio privato. 16. Ad normam illius indulti dirigi debet Privilegium Cruciatæ tempore Interdicti. 17. Cur Cruciata taceat de numero, & diebus Miſsarum celebrandarum in Oratorio privato. 18. Cur indicet neceſſitatem Oratorii viſitandi, & approbandi. 19. Propter Cruciatam tempore Interdicti nequeunt in Oratorio Miſsæ intereſse, niſi qui in alio Indulto Miſsarum celebrandarum in privato Oratorio comprehenduntur. 20. Solvitur objectio ex cap. *Licet. de Privil.* in VI. deprompta. 21. Propter Cruciatam tempore Interdicti Privilegiatus in proprio Oratorio antea approbato ſumere poteſt Communionem a Sacerdote celebrante. 22. 23. Ad lucrandas indulgentias per Cruciatam conceſsas debent impleri præſcriptæ a Pontifice conditiones. 24. Hinc neceſse eſt viſitare Eccleſias, ſeu publicum Oratorium; nec ſufficit viſitare proprium privatum Oratorium: 25. Etiamſi deeſsent Oratoria publica. 26. *à pag.* 328. *ad* 340.

Proſpectus Opuſculi De usu Altaris Portatilis. *pag.* 343.

Epiſtola Apologetica Cap. XXIX. De vetita adminiſtratione Euchariſtiæ in Oratoriis privatæ Domus. *pag.* 467.

Franciſci Mariæ S. R. E. Card. Brancatii. De Privilegiis, quibus gaudent S.R.E. Cardinales in propriis Capellis, Diſſertatio ab Anonymo adnotationibus noviſſime illuſtrata. *pag.* 511.

R.P.D.

R. P. D.

PAULO FRANCISCO ANTAMORO

ROMANI SAPIENTIÆ ARCHIGYMNASII RECTORI
DEPUTATO VIGILANTISSIMO

S. P. D.

JOSEPH ALOYSIUS ASSEMANUS.

NOſti Paule Franciſce Præſul ampliſſime , pro tua , qua multum inclaruiſti , omnigena eruditione , & doctrina , quam præclarum , dignumque Sapientis cujuſque laude ſit Opus *De Oratoriis Domeſticis , & de uſu Altaris Portatilis* , quod Vir longe clariſſimus Johannes Baptiſta Gattico ejuſdem Auctor Anno primum 1746. in vulgus edidit Romanis Typis . Ipſamet autem hæc tibi cognita exploratăque Operis hujuſce præſtantia in cauſa fuit , cur dudum jam illius Exemplaria rariora eſſe cœperint ; nec fieri idcirco hactenus ſatis potuerit votis plurimorum , qui ea ſibi comparandi cupidiſſimi ſunt . Sed ad hoc tamen incommodum ſubmovendum ſuam excitavit , intenditque curam , qui jam potiſſimum nomine hoc de re literaria publica haud parum emeritus eſt Joſeph Antonius Monaldinius Bibliopola Romanus . Ipſe enim digniſſimi iſtius ſcriptione Operis novam ſuſcepit adornandam editionem ; quam jam , ut vides , ad umbilicum perduxit ; ſic omni omnino ſumptuum ratione poſthabita , ut & in more illi eſſe jam propalam eſt , & ipſe monſtrat ejuſdem Editionis adſpectus . Dum autem huic curandæ ſuam Monaldinius ſedulam navabat operam , auctor ipſi fui , ut librum uno , alteroque (non quidem extraneo , ut perſæpe aſſolet , ſed quod ad eamdem rem maxime pertineret) ſcripto ditaret : ratus ſcilicet commodiſſimum eſſe debere , ut quidquid de uno argumenti genere ſparſim hactenus expoſitum elucubratumque eſſet , id ſimul omne in poſterum , quoad ejus fieri poſſet , haberetur collectum . Ut vero is in quovis paratus eſt , quod ad publicam utilitatem quoquo modo conducere videatur ; ſic facile perlibenterque adduci ſe ſivit ad meum id conſilium implendum . Adductus tamen ea lege eſt , ut mea aliqua præfatione ſignificarem , eum in re hac me ipſum conſultorem ſuaſoremque habuiſſe . Patet jam vero ex his omnis meæ hujus Epiſtolæ ratio . Nam quod ad Te eamdem inſcripſerim , factum id jure meritoque

DE
ORATORIIS DOMESTICIS
CAPUT I.
De Nomine Oratorii.

I. ORATORIUM ex eo, *ad quod factum eſt, nomen accepit*, ut inquit S. P. Auguſtinus in Regula n. 3. Et inde nitidiorem præſefert ſignificationem, quò clarius propriam originem ab Oratione derivantem oſtendit. Locus igitur ad orandum ſive Pſalmorum concentu, ſive Sacrificiorum oblatione, ſive aliis precibus ſingulariter electus *Oratorium* appellatur. Convenit hoc nomen appellationi, qua Chriſtus locum divino tantùm cultui devotum *Domum Orationis* Matth. 21. & Luc. 19. vocavit. Apud veteres Græcos, & Latinos Εὐχτηρίον, ſeu Oratorium paſſim occurrit, quod univerſim omnibus Sacris Ædibus tribuebant; eoque valdè opportunè utebantur, cum Fideles excitabant ad illa opera dignè peragenda, propter quæ ædes ipſæ Deo ſpecialiter dedicantur. Ita planè ajebat S. P. Auguſtinus Epiſt. 121. *In Oratorio præter orandi, & pſallendi cultum nihil penitus agatur, ut nomini huic & opera jugiter impenſa concordent*. Ad etymologiam reſpexit pariter S. Benedictus in Reg. cap. 52. hoc modo Alumnos ſuos hortatus: *Oratorium hoc ſit, quod dicitur, nec quicquam ibi aliud geratur, aut condatur*. Similem obſervationem alii Regularum Conditores fecerunt apud Menardum in Concord. Regul. pag. 859., & præcipuè Auctor Regulæ Tarnaten. cap. 15. laudata Auguſtini verba inſerens.

II. Gratum adeo nonnullis fuit nomen Oratorii ad indicandum Locum Orationi addictum, ut illo *Chorum* nuncuparent, non alia ſanè de cauſſa, niſi quia in illa Eccleſiæ parte largiores, ferventioreſque preces funduntur. Exemplum ſuppeditat Cangius in Gloſſar. V. *Oratorium* ex Geſtis Hoelli Tom. 3. Annal. Mabillon. inſertis. Ipſum quoque Scamnum, quod ante Altare collocatur, ut ibi genuflexi oremus, Oratorium appellatur in Ordine Rom. I. num. 8. apud Mabillon. Tom. 1. Muſæi pag. 8. Ed. Pariſ. *Quartus Scholæ præcedit Pontificem, ut ponat Oratorium ante Altare, & accedens Pontifex orat ſuper ipſum*. Conſimilem nuncupationem reperio in Codicibus Sacramentariis Gregorianis editis a Menardo, & Rocca, in quibus inter Ritus Feriæ VI. Paraſceves ita

ita ſtatuitur: *Poſito ante eam* (Crucem) *Oratorio venit Pontifex, adoratam deoſculatur Crucem.* Orarium potius hìc mallent legere Viri præclari, quo exprimeretur tapes ante Crucem ſtratus, ſuper quem genibus flexis Pontifex Crucem adoraturus orabat: Verum cum hujuſmodi Lectio propter orationem Orarii vocabulum Tapeti tribuat, æquè fide Codicum integrè ſervata Oratorii nomen retineri poterit, quod certius loco orationi deputato convenit.

III. Nimis ampla hæc ſignificatio Oratorii nullam differentiam exhibens inter unum, aliumque Locum Sacrum paulatim limitari cœpit; Atque ut ex nominum diverſitate Sacræ Ædes nonnihil diſcernerentur, nomina *Martyrii* ad Sepulcra Martyrum indicanda; *Baſilicæ*, & *Templi* ad magnificentiam & amplitudinem ædificii exprimendam; & frequentius *Eccleſiæ* ad demonſtrandum Locum, in quo multi ſimul congregarentur orationis, & ſacrificii gratia, invaluerunt. Hiſce ſpecialibus, aliiſque aliquot invaleſcentibus appellationibus Oratorii nomen applicari primum cœpit ex hominum conſuetudine illis Sacris Ædibus, quæ anguſtæ erant. Sæculo ſexto, imò etiam quinto hujuſmodi reſtrictionem nominis Oratorii obtinuiſſe tum inter Græcos, quam apud Latinos videtur. Certè Socrates Lib. 5. Hiſtor. Eccleſ. cap. 7. ſolo nomine Oratorii vocat parvum Sacrum Ædificium; quod cum in ampliorem formam dilatatum eſſe narraret, Baſilicam appellat: *Eodem tempore*, inquit, *Gregorius ab Urbe Nazianzo translatus intra Urbem Regiam in exiguo Oratorio* ἐν μικρῷ Εὐκτηρίῳ *Conventus agebat: Poſtea Imperatores cum maximam Baſilicam adjunxiſſent, Anaſtaſiæ nomen ei indiderunt.* Ex Latinis autem occurrit S. Gregorius Turonenſis, dum Lib. 1. de Gloria MM. cap. 64. Ædiculam in honorem S. Patrocli extructam prius *Oratorium* vocat; & poſtquam ampliata fuit, *Baſilicam* appellat. *Erat*, inquit, *ſuper eum* (apud Urbem Trecenſem) *PARVULUM ORATORIUM, in quo unus tantum Clericus ſerviebat .... Populus autem ex hoc magis honorare cœpit Martyrem, conſtructaque ſuper eum Baſilica &c.* Super Sanctorum reliquias non ſemper Baſilicæ ædificari poterant; ſed Incolarum paupertas nonniſi parva Sacella exſtrui ſinebat, quæ *Oratorii* nomine appellabantur, quemadmodum idem Gregorius Lib. 1. Hiſt. Franc. cap. 101. anguſtam cellulam ligneis tabulis conſtructam in honorem S. Georgii Mart. in Agro Lemovicenſi *Oratorium* nuncupat. Eodem ſexto Sæculo Bertichramnus Cenomanenſis Epiſcopus in ſuo Teſtamento anni 586. Loca Sacra in tres tantum claſſes diſtinguebat, *Eccleſiam*, *Baſilicas*, & *Oratoria*; poſtremoque hoc vocabulo minores orationum domos demonſtrabat; ut opportunè Mabillonius Tom. 1. Annal. ad annum 586. advertit.

IV. Simili ex cauſa conſtantius deinceps retentum obſervo nomen Oratorii ad deſignandas parvas ædes, quibus ob loci anguſtiam neque adaptari vocabulum Eccleſiæ, neque in illis Fidelium conventus celebrari poterant. Ab Anaſtaſio Lib. de Vitis Pontificum *Oratoria* recenſentur in Monaſteriis, in Xenodochiis, & alibi erecta, atque a Pontificibus ſplendidè ornata; quæ non aliter appellata cenſeo, niſi quia ipſorum anguſtiæ non bene appellationes Baſilicæ, aut Eccleſiæ congruerent. Videat Lector Vitam Leonis III. P. num. 406. 407. & 408., & ſi cum præcedentibus contulerit, niſi omninò fallar, rem ita ſe habere intelliget. In Vita Hilarii P. ſect. 69. Rec. Edit. Rom. commemorat *tria Oratoria in Baptiſterio Baſilicæ Conſtantinianæ S. Crucis, S. Joannis Baptiſtæ, & S. Joannis Evangel.*; quæ etiam recenſet in Vita Symmachi ſect. 79.; Et ne ambigeremus propter Loci anguſtiam tali nomine nuncupari; *Cubiculi* titulum iiſdem attribuit. Quare non dubito Anaſtaſium ſemper Oratoria cum Cubiculis, parviſque

Sacris

Sacris Ædibus permiſcuiſſe. Semel in Leone IV. num.519. *Oratorium* pro *Eccleſia* S. Nicolai promiſcuè uſurpatum legitur: Sed cum in aliis tam multis locis Oratoriorum meminerit, nec alibi verborum ambiguitate abutatur, ibi facilè in Codicibus irrepſiſſe errorem conjicio, ut ſcriberetur *in Eccleſia eadem*, cum *in Oratorio eodem* (S. Nicolai) ſcribere oportebat. A Sæculo vero IX., quo floruit Anaſtaſius, ad noſtra uſque tempora Oratorii appellatio frequentiùs non aliis Sacris Ædificiis aptata legitur, quàm illís tantummodo, quæ ob anguſtiam ambitûs ſolùm impropriè denominationem Eccleſiæ adoptare valent.

V. Alteram reſtrictionem nominis Oratorii Sæculo VI. factam deprehendimus; quoniam tunc Plures illud tribuere conſueverant Sacris Ædificiis, in quibus publici Populorum conventus celebrari nequibant, cum jam numerus Eccleſiarum a ſubjecto Grege ob Sacrificium, & Sacramentorum participationem frequentandarum determinatus foret. Hanc genuinam cauſſam eſſe cenſeo, cur orationis domus intra Monaſteriorum ſepta ædificatæ a Latinis numquam Eccleſiæ, paſſim *Oratoria*, aut ſimili titulo appellarentur. Nam qua proprietate ſermonis Eccleſiæ dici poterant ſacræ illæ ædes, in quibus tantùm Fratres ad orationes, & divina officia ſecreto conveniebant, neque ad eas Laicis, & maximè Fœminis acceſſus permittebatur? Certè inter Locum omnibus ad orandum patentem, & Locum deputatum privatæ orationi Monachorum illud diſcrimen etiam in nomine factum non ſemel in Libris Capitularium, & apud Anaſtaſium in Vit.Paſchalis I.P.n.434. & 435. adverti. Attentè pariter verborum veram rationem perpendebat M. Gregorius, cum Domos Orationum intra Monaſteria ædificatas non Eccleſias, ſed Oratoria nuncupavit Lib.1. epiſt.56. N.Ed. ad Petrum Subdiac. & Lib. 9. epiſt. 44. ad Ruſtician. Eandem in nominibus cautelam tenuit Concilium Aquiſgranenſe Sæculo IX. in domeſticis Oratoriis Sanctimonialium, quæ non appellavit Eccleſiæ nomine, ſicut in Reg. Canonicar. cap.27. Eccleſiam vocaverat illud ædificium, in quo publicè Clerus Sacrarum Virginum divina officia peragebat. Quamobrem vehementer ſuſpicor, quod ideo in Concilio Toletano XI. ſub Wamba Rege anno 675. collecto Julianus *Eccleſiæ Monaſterii S. Michaelis Abbas*; Valderedus *Eccleſiæ Monaſterii S. Leocadiæ Abbas*; & ſimiliter alii quatuor Abbates ſubſcribunt; quia videlicet in Hiſpania introducta fuerat Sæculo VII. conſuetudo, ut præter interius Monaſticum Oratorium a ſolis Monachis adeundum publicam Eccleſiam utrique Sexui communem haberent, quam etiam in ſubſcriptionibus eorumdem Monaſteriorum Abbates exprimerent. Hanc enim Monachorum conſuetudinem habendi duplicem Sacram Ædem unam omnibus patentem, alteram intra Clauſtra erectam ſolis Monachis reſervatam exemplis ſequentium ætatum deinceps magis declarabimus; quam tamen hìc innuere opportunum fuit, ne aut tunc in Hiſpania penitus interiiſſe adhuc alibi vigentem morem, ut Monachis eſſent privata Oratoria; aut ſolos Hiſpanos Abbates proprietatem etymonis Eccleſiæ neglexiſſe putàremus.

VI. Egregiè diſtinxit Eccleſias ab reliquis orationum domibus Evagrius in Vitis SS. PP. cap.5.; illaſque verè Eccleſias dici indicavit, ubi Fidelium collectæ habebantur: *Sunt*, ait, *in ipſa Urbe .... XII. Eccleſiæ, in quibus publicus agitur populi conventus exceptis Monaſteriis, in quibus per ſingula loca Orationis domus ſunt, quæ certis temporibus ad orationem frequentantur*. Sequentibus Sæculis vix unquam nomen Eccleſiæ adſcriptum Domeſticis Oratoriis legi. Id quidem inveni in Sancto Paulino Epiſ. ad Severum n. 1. Sed quinto ineunte Sæculo nondum tantus in nominibus rigor obſervabatur; quem poſtea neceſſitas diſtinguendi loca orationis publica a priva-

tis cuſtodiendum perſuaſit; ut nominum diverſitate Locus Publicus, in quo Populi congregarentur, ſtatim pateſceret. Legi pariter apud Euſebium Lib. IV. de Vita Conſt. cap. 17.; & Sozomenum Lib. 1. Hiſt. cap. 8. Sacella in ſuo Palatio a Conſtantino ædificata *Eccleſiæ* titulo inſigniri. Verum a Carolo M., a Ludovico Pio, & ab aliis medii ævi Scriptoribus reticitum eſt nomen Eccleſiæ, etiam dum agebatur de Ædificiis in Regum, ac Principum Palatiis ad divinum cultum explendum erectis, quæ potius Oratoria dicta ſunt; quia licèt aliquando inter hæc nomina diſcretionem nullam fecerint Homines, eam poſtea diligenter tenuerunt, unde emicaret nulli loco penitus convenire appellationem Eccleſiæ, qui ſine ulla Perſonarum exceptione, ac limitatione publicus non fuiſſet.

VII. Imo adhuc ſolo Oratorii nomine vocabantur olim Sacra aliquot Ædificia, quamvis nemini prohiberent acceſſum. Plura hujus generis a Viris Nobilibus tùm in agris propriis, cùm propè ipſorum domos in Civitatibus extructa, ac dotata reperimus nudo Oratorii, aut ſimili nomine vocitata. Inquirenti autem mihi cauſſam, propter quam hæ Sacræ Ædes aliquando etiam ab Epiſcopo conſecratæ Oratoria frequentiùs, non Eccleſiæ dicerentur, ſatis didici eam inde ſumi debere, quod nempè *Parochialibus* prærogativis illæ carerent, in illis Baptiſmus non adminiſtraretur, nec ullus Presbyter *incardinaretur*, etſi ad divinum cultum in iiſdem explendum Clerici velut *Beneficiario Titulo* ordinati deputarentur. Multus ero, ſi ſingula proferam, quæ me in hanc ſententiam pertraxerunt: Dicam autem potiora, ne videar ſine teſte iſta pronunciaſſe. Imprimis Concilium Agathenſe anni 506. can. 21. permittebat Divitibus habere *Oratorium* in agro, idemque a Parochiis ſegregabat his verbis: *Si quis extra Parochias, in quibus legitimus eſt, ordinariuſque conventus, Oratorium in agro habere voluerit.* De Martyriis loquitur Concilium Epaonenſe anni 517., & Oratoria nominans ſtatim a Parochiis diſtinguit can. 25. *Sacrorum Reliquiæ in Oratoriis Villaribus non ponantur, niſi forſitàn Clericos cujuſcunque Parochiæ vicinos eſſe contingat*. Apertè quoque diſcernit Parochias ab Oratoriis Concilium Arvernenſe anni 535. can. 15. dicens: *Si quis ex Presbyteris, aut Diaconis... neque in Parochiis Canonicus eſſe dignoſcitur, ſed in Villulis habitans in Oratoriis Officio ſancto deſerviens*. Aderant igitur Presbyteri, aderant Clerici, qui in Oratoriis Sacra Miniſteria obibant; Tamen quia ibi Parochorum munera nullus exercebat, ſolo Oratorii nomine nuncupabantur.

VIII. Rem exploratiſſimam reddit M. Gregorius ſæpè ſolo Oratorii titulo vocans Sacras illas Ædes, in quibus Parochialia Officia exequi nequibant, quamvis Presbyteris quibuſdam commendarentur. Duas tantum brevitatis gratia S. Pontificis Litteras apprimè nobis faventes eligo. Conceſſerat ipſe Timotheæ illuſtri Fœminæ intra Civitatem Ariminenſem *in loco juris ſui* fundare *Oratorium* in honorem S. Crucis; & Januariæ Religioſæ Fœminæ *In Maſſa Furiana juris ſui Oratorium* in honorem SS. Severini Confeſs., & Juliani M. extruere. At tum Caſtorio Epiſcopo Ariminenſi Lib. 2. Ind. 10. Epiſt. 12., cùm Fortunato Neapolitano Epiſcopo Lib. 7. Epiſ. 85. juſſit prædicta Oratoria conſecrare, *ita ut in eodem nec futuris temporibus Baptiſterium conſtruatur, nec Presbyterum Cardinalem* conſtituerent. En quare Oratoria a Maximo Pontifice appellentur, quæ potius Parochiæ vocabulo M. Gregorii ætate ſatis pervulgato inſigniri debuerant, ſi in illis aut Baptiſterium conſtructum, aut Cardinalis Presbyter conſtitutus fuiſſet. Etenim iſta ſunt manifeſta Parochiarum indicia, ut appoſitè Joannes Fronto C. R. Epiſc. ad Epiſc. Laudunen. de Canonicis Cardinalib. obſervat, atque ſuadet. Nihil autem me movet, quod B. Gregorius Lib. 12. Epiſ. 11. ad Paſ-

ſivum

ſivum Firmanum Epiſcopum in Oratorio conceſſo Anioni Comiti Caſtri Aprutienſis Presbyterum Cardinalem conſtitui juſſerit: Nam cùm ibi de Baptiſterio conſtruendo taceatur, ædes illa non propriè in numero Parochiarum computabatur; ſed melius Oratorii nomen retinebat. Neque mirum videatur hìc Presbyterum Cardinalem concedi, qui in aliis Oratoriis negabatur; quia non ubique eodem modo frequentes erant Parochiæ; ut proindè opportunè fuerit ſtabilem in Oratorio Aprutienſi aſſignari Presbyterum ad Miſſas celebrandas, *quoties præfatus Conditor fieri ſibi fortaſſe voluerit, vel Fidelium concurſus exegerit*, ut ſcribit M. Gregorius; quique non ſicut Parochus, ſed tanquam Capellanus ejuſdem Oratorii curam gereret, ſicut advertit Mabillonius Comment. in Ord. Rom. pag. 19. Edit. Pariſ. Pænè omnia verba Gregorii Papæ tranſcripſit Zacharias P. Epiſ. ad Pippinum num. 15., Deceſſoriſque ſui morem ſequens Oratorii appellationem Sacris illis Domibus attribuit, quæ Parochialibus prærogativis deſtituebantur.

IX. Diu inter Græcos quoque viguit Ευχτήριν nuncupatio per oppoſitionem cum Eccleſiis, in quibus tantùm ſine ſpeciali Epiſcopi indulgentia licebat Miſſas facere, & baptizare, quod ſingulare eſt Eccleſiis Parochialibus. Hinc Concil. Trullanum can. 31.; Juſtiniani Novella CXXXI., & Leonis Sapientis Novella XV. in eo præcipuè videntur Eccleſias ab Oratoriis diſcernere, quod in illis, non verò in iſtis liberum foret Sacrificia offerre, & Baptiſmum miniſtrare. Locus itaque, in quo libera non erat Sacramentorum adminiſtrato, non alio magis frequenti, quam Ευχτήριν titulo vocabatur. Ne vero mihi opponatur B. Joannes Chryſoſtomus hom. 18. in Acta Apoſt. nomen *Eccleſiæ* tribuens illic Sacris Ædibus, ad quas in ſuis Prædiis, Villiſque ædificandas Viros Divites vehementer hortabatur; obſervo potius ibi novas Parochias deſignari, quàm ſimplicia Oratoria. Enimvero eas exſtrui Eccleſias monet vigilantiſſimus Præſul, in quibus preces quotidie, & *perpetuæ* perſolverentur, *Magiſter* adeſſet, *Synaxes* celebrarentur. Si ſimul iſta jungamus, Ruralium ſanè Parochiarum ſpecimen repræſentabunt; quarum parvum numerum in Agro CP. creſcere deſiderabat S. Chryſoſtomus, ſubſidium ſimul conferentibus duobus, vel tribus Agrorum dominis. Malui hæc de S. Chryſoſtomo adnotare, non quia exiſtimem exeunte Sæculo quarto fuiſſe nimis ſeverè perpenſum rigorem nominum Eccleſiæ, & Oratorii; ſed ut veritatem locutionis Sancti Patris magis ſtrictè retinerem.

X. Quouſque ſervata fuerit appellatio Oratorii ſub hac ſignificatione Sacræ Ædis non gaudentis jure Parochialium Eccleſiarum difficile mihi eſt definire. Longè autem diù inter Græcos retenta eſt. Cum enim illi rariores Eccleſias, & plurima Oratoriola habeant, ut ita Miſſis commodius interſint, quarum unicam tantùm in ſingularibus Eccleſiis quotidie celebrant; propterea ipſorum Ædes *Eccleſiæ* nomine nuncupatæ communiter Parochiali Jure inſigniuntur, niſi ſacras orationis domos ad Monaſteria ſpectantes excipiamus. At apud Occidentales, quamvis paſſim in Libris Capitularium; & in poſterioribus Scriptoribus, ac Synodis Parochialium Eccleſiarum jura ab Oratoriis excludantur; non ita tamen rigoroſè retentam appellationem putamus, ut ſemper quæcunque Sacra Ædificia iiſdem juribus deſtituta unico Oratorii vocabulo appellarentur. Etenim, ne loquar de Sacris Monachorum Ædibus, quæ non ſemper Oratoria, ſed *Monaſteria* ſæpiuſculè in D. Gregorio, in Capitularibus, in Anaſtaſio, & alibi nuncupantur; nomen ipſum Eccleſiæ conceſſum frequenter fuiſſe cenſeo omnibus ſacris Ædificiis, quæ dote aſſignatâ in loco publico obtentâ prius facultate ab Epiſcopo ibidem Crucem figente erigebantur. Revera advertens

ad

ad Canones, Legeſque ea ætate editas de ædificatione Eccleſiarum non obſcura mihi apparuerunt indicia, ut illud affirmarem. Verùm quia in aſſignanda epocha mutationis nominum ſæpe fruſtra laboramus, vereor inutilem operam facere, ſi hoc voluero diligentius inveſtigare, quod modicum etiam meam de Oratoriis inquiſitionem illuſtrat. Id unum fateor rariſſimè in monumentis Occidentalium Scriptorum a Sæculo IX., & deinceps comperiſſe ſacrum ædificium, quod verè publicum fuerit, ſub Oratorii nomine expreſſum; Imo ut plurimum nomen Oratorii privatis, domeſticiſque Sacellis attributum ab illis advertiſſe.

XI. Emicat ex dictis quanta fuerit nuncupationis Oratorii coarctatio; ita ut quæ olim indiſcriminatim ad qualiacunque ſacra ædificia extendebatur, poſtea vel rarius, vel nonniſi pro domeſticis, aut anguſtiſſimis ædiculis adhiberetur. Cum igitur longâ conſuetudine aſſueti ſint Homines alia nomina uſurpare, vix aliquando vulgari loquendi modo nomen Oratorii tribuitur Sacris Ædibus, quæ licet amplitudine molis, ornatûs ſplendore, & Parochiarum jurium careant, tamen in Loco Publico erectæ omnibus patent, atque in illis liberè Sacrificium offertur. Potius invaluit denominatio *Eccleſiolæ*, (quam cæteroquin vetuſtam eſſe confirmant plura in Gloſſario Cangiano collecta,) qua ſæpè expedit uti, ne quis fortè imprudens iraſcatur, ſi parvum ſuum Sacellum, vocabulo Oratorii appellari a quoquam audierit. Nomen itaque iſtud nunc ſolemus tribuere Domeſticis Sacellis, & ſi aliquando Publicis Sacris Ædibus eundem Titulum aptamus, ad eas conſuevimus tantum reſpicere, quæ ſe habent velut Sacella ad proximam aliquam Baſilicam pertinentia; vel quæ ambitu valdè ſunt anguſtæ, vel quæ demum rarius aperiuntur, & loco parvum obvio ædificatæ a paucis frequentantur. Porro in hac ipſa applicatione nominis Oratorii priſtinum morem retinemus, quem Sæculo VI., & IX. ex Gregorio Turonico, & Anaſtaſio ſupra diximus viguiſſe.

CAPUT II.

De Nomine Capellæ.

I. UT aliqua de nomine *Capellæ* prælibaremus, nos movit valdè communis, & pervulgata conſuetudo, juxta quam promiſcua appellatione uſurpari ſolent Oratoria, & Capellæ. Unde defluxerit Capellæ vocabulum plures inquiſiverunt. A Græcis illud derivatum Joannes Filiſacus in Querela Gallic., & Cujacius Tit. 1. de Secund. Nupt. 4. decret. dixerunt. At Joannes Meurſius in Lex: Græco-Barb. V. *καπελλάνος* apud Græcos inauditum eſſe oſtendit, & licèt apud nonnullos *κάπηλα* legatur, non habet eam ſignificationem, quam inter Latinos obtinuit, ſicut appoſitè Vincentius Turturetus de Sacello Regio cap. 1. num. 10. obſervavit. In Gallia primum, ſicut a multis creditur, Capellæ nomen audiri cœpit. Ante Sæculum Septimum nullum hactenus Scriptorem advertimus, qui illo uteretur: Nam ubi quidam apud Evodium, ſive quemcumque alium Scriptorem Miraculorum S. Stephani Lib. 1. cap. 8. legebant *Capellam*, juxta Codices, quibus in Append. Tom. VII. Operum Auguſtini editionem illius Libri adornaverunt Monachi Benedict. legere debemus *Capſellam argenteam*. In Marculpho, qui medio circiter Sæculo VII. floruit,

ruit, Capellæ vocabulum apparet, & pro Capſella, ſeu Theca Reliquiaria uſurpatur. Scribit quippe Lib. 1. Formular. cap. 38., quod juramentum a Regni Francici Proceribus fieri oportebat *Manu poſita in Palatio* (Regio) *ſuper Capellam domini Martini*, *ubi Reliqua Sacramenta* percurrebantur. Morem hunc ſuper Capellam S. Martini juramenti præſtandi duæ vetuſtiſſimæ Chartæ a Mabillonio editæ De Re diplom. pag. 470. & 483. Edit. Pariſ. confirmant. In harum prima Theodericus Francorum Rex anno 680. inquit *Sua mano ... in Oratorio noſtro ſuper Capella domni Martini*, *ubi reliqua Sacramenta percurribant*, *hæc debirent conjurare*. In altera, quæ præfertur ſub nomine Childeberti Regis anno 710., iſta leguntur: *Sic ab ipſo Viro Grimoaldo fuit judicatum, ut ſex homenis de Verno, & ſex de Latiniaco bone fideus in Oratorio ſuo, ſeu Capella S. Marthini immerorate homenis debirent conjurare*.

II. Ex his poſtremis verbis apparet non tàm nomen Capellæ uſurpatum pro Arcula Reliquiaria, quam promiſcuè cum Oratorii nomine confuſum fuiſſe; licèt Oratorium, cujus ibi fit mentio, portatile eſſe debuerit, ut benè advertit Mabillonius; fueritque, ut nos abitramur, capſa Reliquiarum S. Martini, quas ſecum in itineribus Francorum Reges deferri curabant. Iſta verò ſunt antiquiora monumenta appellationis Capellæ, quæ niſi fallimur, a Reliquiis Sancti Martini derivationem ejuſdem nominis ſimul indicant. Etenim ſi nomen Capellæ aliam originem haberet, vix credibile eſt, quod Scriptores illius ætatis tunc ſolùm uſurparent, quando de Turonenſis Antiſtitis ſacris pignoribus ſermo erat. Quare mihi videtur ex prædictis teſtimoniis confirmari ſententia, quam Viri celebres Baronius in Martyrol. ad diem XI. Junii, Cangius in Gloſſar. V. *Capella*, laudati Turturetus, & Mabillonius, Barboſa de Jure Eccl. Lib. 2. cap. 8., & alii ſecuti ſunt; quæque a Capa S. Martini nomen Capellæ inventum fuiſſe tuetur. Meliorem originem hujus nominis non inveni hactenus, maximè cum Antiquioribus iſta arriſerit; ac præcipuè Monacho Sancti-Gallenſi, qui Lib. 1. de Vita Caroli Magni cap. 4. de Regia Capella inquit: *Quemdam optimum dictatorem in Capellam ſuam aſſumpſit, quo nomine Francorum Reges propter Capam S. Martini, quam ſecum ob ſui tuitionem, & hoſtium oppreſſionem jugiter ad bellum portabant, Sancta ſua appellare ſolebant*.

III. En autem præclarum teſtimonium, quo deprehendimus Sæculo IX. Domeſticis Oratoriis nomen Capellæ attribui conſueviſſe; ſimulque originem hujus nominis intelligimus. Quamvis enim Francorum Reges plurima Sanctorum pignora in Palatio ſervarent; præcipuo tamen cultu eas venerabantur, quæ ad Magnum Turonenſem Epiſcopum Martinum a Francis omnibus ſingulari honore habitum pertinebant. Capam ipſius ſumma cura in Palatio aſſervabant; & quocunque adverſus hoſtes pugnaturi pergebant, ad Caſtra per ſpectabiles Preſbyteros velut tutiſſimum præſidium eam deferri deſiderabant. Ut ergo inter præcipuas Reliquias computabatur, ita ſuam denominationem impertiri potuit non tam Arculæ ipſam continenti, quam Oratorio in quo cuſtodiebatur, & Præsbyteris, qui ad ipſius obſequium, & conſervationem vigilare debebant. Iſtis itaque *Capellanorum*; Illi *Capellæ* nomen donavit. *Dicti ſunt primitùs Capellani*, ait Walfridùs Strabo Lib. de Reb. Eccleſ. cap. ult. de Regiis Capellanis loquens, *a Capa B. Martini*, *quam Reges Francorum ob adjutorium victoriæ in prælio ſolebant ſecum deferre*. Affinia ſcribit Honorius Auguſtud. Lib. 1. Gemmæ cap. 128., ubi licèt duas alias nominis Capellanorum origines indicaverit, tamen cum iſtas prætermiſerit iterum de Capa Sanctiſſimi Præſulis diſſerens *Ser. de S. Martino*, aliam à ſe non probari, præter illam jam expoſitam ſatis oſtendit. Parum ſanè veroſimiles erant cæteræ ab Honorio indicatæ origines appellationis

nis Capellanorum; ut ſicut ipſe meritò noluit amplius de his eſſe ſollicitus, neque nos illa commemorare debeamus.

IV. Walfridi, & Monachi Sangallenſis verba corrupta eſſe arbitratus eſt Guillelmus Peyratus Lib. 2. de Antiqu. Capellæ Reg. Franc. capp. 1. & 2., atque legendum eſſe credidit pro *Capa Capellam*; itaut hunc ſenſum reddant, Cappellanorum nomen non a Capa S. Martini, ſed ab Arcula continente ipſius Reliquias derivaſſe. Verùm oporteret aperta proferre contraria teſtimonia, ut juxta regulas exactæ critices legitimè Codices caſtigari, illiſque fides denegari poſſet. Miratur autem Vir eruditus, quod nunquam Capam S. Martini indicaverint illius magnifici, ac ſanctiſſimi laudatores Paulinus Nolanus, Severus Sulpitius, Venantius Fortunatus, & Gregorius Turonicus: Imo ex epiſtola Theodemari XII. Abbatis Caſinenſis ad Carolum Magnum infert Capæ nomen peculiare veſtimenti genus ſignificans non a Francis, ſed ab Italis potius exortum eſſe. Neutrum horum nos movet, cùm advertamus nominum appellationes viciſſitudinibus eſſe obnoxias; & ſæpè veteres obſoleſcere, novaſque introduci. Paſſim id novimus contigiſſe in his maximè nominibus, quæ ad veſtium nuncupationem adhibentur, idemque ſæpè depræhendimus in Scriptoribus de Re Veſtiaria, a quibus propterea laborandum valdè fuit, ut non obſtante mutatione nominum adhuc accuratè Veſtimenta Veterum exponerentur. Nondum itaque erat ortum Sæculo V. & VI. nomen Capæ, quod valdè poſt, & ſolùm Sæculo VII. adoleſcente audiri cœpit: Unde qui illis temporibus S. Martini geſta omnia deſcripſerunt, ipſius Capam numquam nominarunt; etſi de illius brevi, hiſpidaque veſte non tacuerint. Quam ergo *bigerricam veſtem brevem, atque hiſpidam* dixerunt Sulpitius Dial. 2., Fortunatus Lib. 3. de Vita. S. Martini, & Lib. 1. Poem. 5.; alii ſubinde *Capam* nuncupaverunt.

V. Ex Theodemaro autem non exculpitur nomen Capæ ab Italis primum prodiiſſe, dum in laud. Epiſtola, quæ extat Lib. 1. Chron. Caſin. cap. 12. inquit: *Illud veſtimentum, quod a Gallicanis Monachis Cuculla dicitur, & nos Cappam vocamus, quod propriè Monachorum habitum deſignat*. Novimus equidem his verbis Italorum Monachorum conſuetudinem, qua Monachicum Habitum totum corpus contegentem *Cappæ* nomine appellare ſolebant: Attamen non indè eruitur inter Gallos ignotum fuiſſe idem vocabulum ad aliud Veſtimenti genus indicandum. Imo neque penitus Sæculo IX. apud Gallos infrequens evaſerat uſus appellandi Cucullum Capæ nomine, ut exempla in Cangiano Gloſſario V. *Capa* oſtendunt. Quamvis igitur Capæ nomen a Gallis Theodemari ævo ad certum genus Veſtimenti exprimendum non uſurparetur, benè poterat ab illis adhiberi ad veſtem aliam ſignificandam, quæ partem ſolùm corporis contegeret. Ita planè ſe habebat, quæ ſervabatur S. Martini veſtis hiſpida. Non enim ad inſtar Monaſtici Cuculli totum corpus tegebat; ſed teſte Sulpitio *brevis* erat, pectuſque ambiens nuda brachia relinquebat, ut tradit laudat. Monachus Lib. 2. cap. 27.; ubi illam *Roccum* appellat. Atque iſta ſint dicta, ne a magis communi ſententia recederemus, quæ originem nominis Capellæ a S. Martini Capa derivat.

VI. Sequentes itaque Monachi Sancti-Gallenſis, aliorumque documenta benè concludere poſſumus Capellæ vocabulum Ædem Sacram demonſtrans primitus ſolùm uſurpatum fuiſſe ad Oratorium Palatinum Regum Francorum ſignificandum. At verò paulatim idem nomen ad privata Oratoria, ac etiam ad omnes parvas ædes divino cultui dedicatas alii extenderunt. Ita Carolus M. dùm Lib. 1. Capit. cap. 182. jubet: *Ne Capellæ in Palatio Regio, vel ALICUBI ſine permiſſu Epiſcopi, in cujus eſt Parochia, fiant*; æquè Principum, ac Aliorum Sacellis Capellæ nuncupationem conveniſſe abundè ma-

dè manifeſtat. Saltem Sæculo Octavo invaluerat conſuetudo illud nomen omnibus Sacris Ædiculis concedendi, nam Concilium Pariſienſe celebratum anno 839. Lib. 3. cap. 6. de iiſdem ædiculis teſtabatur, quod *uſus inolitus Capellas appellat*. Quare increbreſcente magis Capellæ denominatione non ſolùm *Cellæ*, & *Cubiculi* nomina olim adhibita denominandis parvis Sacellis obſolverunt, verùm vel ipſum *Oratorii* nomen minus frequenter uſurpatum eſt; ita ut poſt Carolina tempora familiarius Capellarum, quàm Oratoriorum mentio inveniatur. Imo Sæculo XIII. in Anglia factam hanc diſcretionem inter Capellas, & Oratoria obſervo; quod ideſt domeſticis Sacellis Oratorii nomen, publicis verò Capellæ titulus concederetur. Iſtud diſcrimen mihi ſubminiſtrat Synodus Exonienſis anni 1287. cap. 9.

VII. Quamvis autem Capellæ, & Oratoria apud nonnullos Veteres aliquandò diſtinguerentur; tamen non minus Capellas, quàm Oratoria Parochialibus Privilegiis caruiſſe frequentius advertimus. Paſſim in Hincmari Statutis, in Conciliis Metenſi anni 888. cap. 3., Moguntiaco ejuſdem anni capit. 9., Pariſienſi laud. &c. diſtinguuntur Capellæ ab Eccleſiis, ad quas unicè pertinebant decimæ: & in quibus ſolùm Sacramenta Fidelibus diſpenſabantur. Non eſt verò negandum aliquando Capellas de Parochialibus Juribus participaſſe, cum nonnumquam Eccleſias Parochiales *Capellæ* nomine appellatas legamus. Id nequaquam factum reperivimus circa Oratoria, poſtquam Appellationum, Nominumque diverſitas ſeverius fuit obſervata. In Villis præcipuè, quæ erectæ erant Capellæ, facilè in Parochiales Eccleſias commutabantur; cumque illæ ad ſuccurrendum Eccleſiis Matricibus ædificarentur, frequenter etiam ob augumentum Populi pluralitatem Parochiarum poſtulantis ſervato priſtino Capellæ nomine Parochialia munera identidem in illis peragi concedebantur. Videri poteſt Cl. Tomaſinus de Benef. Par. 1. Lib. 2. cap. 95. num. 9. Illuſtre Monumentum *Capellæ Decimalis*, & *Baptiſmalis* apud Martenium Tom. 1. Anecd. in Præcepto Ottonis Imperatoris anni 977. habemus: Etiam in Appendice III. eruditi operis *de Presbyterio* Petri Moretti num. 15. extat Epiſtola Honorii III. commemorans *Parochianos Capellæ S. Sylveſtri* pertinentis ad Capitulum inſignis Baſilicæ S. Mariæ Tranſtyberinæ. Sæculo XIII. vigebat magis denominatio Capellæ Parochialis, ut bene colligitur ex loco cit. Concilii Exonienſis; & ex Statutis Augerii Epiſcopi Conſeranenſis anno 1280., ubi Rectoribus Eccleſiarum, ſeu Parochis *Capellani Curati* titulus tribuitur. Hoc nomine Parochos appellatos Sæculo eodem Cangii Gloſſarium V. *Capellanus* pluribus exemplis declarat; quibus unum addo ex Bulla Alexandri III. P. anni 1169. quam edidit Ludov. Muratorius To. 6. Antiq. Italicarum pag. 409. In ea ita alloquitur Ferrarienſem Epiſcopum: *Nec cuiquam fas ſit in cæteris Eccleſiis Capellanum abſque conſenſu tuo conſtituere, vel amovere*. Deinde: *Capellanus verò qui auctoritate tua fuerit conſtitutus de manu tua curam Animarum recipiat*. Nullibi, ut puto, nunc Eccleſia Parochialis Capellæ nomen ſervat, quamvis Capellani Curati titulum in diverſis Italiæ Regionibus uſurpatum audiverim. Quin etiam Capellæ denominatio non ita frequenter applicatur publicis Oratoriis, & pænè tantum uſu vulgari pro Sacellis minoribus intra ambitum Eccleſiarum collocatis adhibetur.

VIII. Hæc de nomine Capellæ ad noſtrum Inſtitutum ſufficere poſſent, ſed adhuc addimus aliam ſignificationem, quam hominum conſuetudine conceſſam eidem vocabulo reperimus. Igitur altera ſignificatio *Capellæ* non infrequens illa fuit, qua deſignarentur omnia eccleſiaſtica ornamenta in Veſtibus, Vaſibus, Reliquiis, cæteriſque Sacris Cimeliis, quæ in domeſticis Oratoriis ſervabantur. Ut enim nomen

men Capellæ ad Oratorium,& ad Thecas Reliquiarias applicatum fuit; ita etiam ad omnia, quæ in Oratoriis continebantur, & ad illorum ornatum pertinebant, latè extenderunt Majores noſtri; quatenùs uno vocabulo ſimul omnia complecterentur. Eginardus in Vita Caroli M. Capellam pro *Eccleſiaſtico Miniſterio* uſurpat; eodemque ſenſu ſumitur ab Evverardo Comite in ſuo Teſtamento anni 937. apud Miræum Cod. Donat. Piar. cap. 21., ab Eckeardo Juniore Lib. de Caſibus Sancti Galli cap. 1. ab Adrevaldo de Mir. S.Bened. cap. 4. aliiſque multis in Cangiano Gloſſario V. *Capella* collectis. His addantur Ordò R. XI. num. 45. & XII. cap. 22. num. 45. & Epiſtola Guibaldi Abbatis Stapulenſis Sæculo 12. ad Decanum Caſinenſem ita ſcribentis (extat Tom. 4. Rer. Italic. pag. 622. Edit. Mediol.) *Pluviale, & Camiſiam, quam nobis dediſtis conſervavimus. Expectantes ſecundùm promiſſionem veſtram ut reliquum, quod AD CAPELLAM pertinet, nobis compleatis.* Noſtra adhuc ætate hujuſmodi ſignificatio Capellæ nomini concedi ſolet.

CAPUT III.

De differentia inter Oratorium Publicum, & Privatum.

QUæ ſuperius cap. 1. diximus, duplicis generis Oratoria Publica videlicet, & Privata habuiſſe Veteres manifeſtant. Equidem multa Oratoria, quæ in Villis, & Civitatibus erecta Clericorum cuſtodiæ committebantur, ut in illis divina officia peragerent, Sanctorumque reconditas Reliquias cuſtodirent, Publica Loca orationis erant, quo omnibus accedere religionis gratia licebat. Numquid publica non erant illa Oratoria, quæ vel poſtea ex Fidelium pietate in Baſilicas ſunt ampliata, vel Parochiæ evaſerunt? Numquid Oratoria SS. Joannis Bapt., & Joannis Ap. Baſilicæ Conſtantinianæ juncta, aliaque hujus generis quamplurima in loco omnibus patente extructa non fuerant? Hæc omnia perſuadent in Publicis Viis erecta olim Oratoria extitiſſe; itaut, ſi id uberius demonſtravero, otio abutar. Recolantur Oratoria ab Anaſtaſio Bibliothecario commemorata, eademque non tantùm in publicis utcumque; verùm etiam in Regiis, ac Conſularibus Viis erecta fuiſſe emicabit. Imò quià benè cohærere poſſunt hæc duo: Nempè aliquod Ædificium in fundo alieno, & in domo alicujus excitatum eſſe; & adhuc aditum in loco, ac via publica omnibus patere, propterea exiſtimo plura apud Antiquos recenſita Oratoria in domibus aliquorum, aut alieno fundo ædificata, eo modo fuiſſe publica, ut in Viis publicis patentem ingreſſum relinquerent omnibus. Equidem dum deſtructis prophanis ædificiis operâ Piorum Hominum erigebantur in iiſdem fundis Oratoria in Dei honorem, ac Sanctorum cultum, verè in alieno fundo, ac aliorum domibus ædificata dicebantur. Hinc plurimæ Eccleſiæ, Capellæ, aut Oratoria Laicali Juriſdictioni ſubjecta erant, quia in Laicorum fundis excitata aſſignatam ſimul ab ipſis dotem obtinebant. Fuiſſe porrò apud Veteres Oratoria Privata, apertè ex dictis cap. 1. colligitur; Nec hìc oportet quidquam addere, cum integrum hoc Opus pro hujuſcemodi Privatis Oratoriis ſuſcepimus. Interim contenti ſumus advertere non novellam eſſe diſtinctionem inter Oratoria Publica, ac Privata, quam longa annorum ſerie viguiſſe nemo ullus inficiabitur.

II. Quid verò interſit inter Publicum,

blicum, & Privatum Oratorium jam indicavimus; & niſi accuratius hoc diſcrimen aſſignari deberet, nihil adderemus. Ut igitur id nitidè explanemus Jus commune conſulimus, a quo ne minimum quidem recedit Eccleſiaſtica Diſciplina, dum communiter receptas a Populis Leges in deſignandis Rebus Publicis, & Privatis ſupponit. Ita autem L: Sed Celſus, & Leg. Pacta Conventa §. Papinianus ff. *de contrahenda emptione* deffinitur *Publicum*, ut ſit illud, quod *de publico uſu habetur*; ſive quod *publico uſui deſtinatur*, ſicut dicitur in D. Lib.43. Tit.7. de *Locis, & Itin.Pub.* & Lib.43. Tit.8. *Ne quid in Loco Pub.* Erit igitur publicum Oratorium, quod publico, ſive omnium uſui patebit; & e contra Privatum, quod aliquorum tantummodo uſui parabitur. Porro quia nunquam aliquod Ædificium publicæ commoditati patere poterit, niſi janua illius, in publico loco, ideſt in via publica patuerit; iccirco niſi aditus in Oratorium immediatè correſpondeat Publicæ Viæ, publicum numquam erit.

III. Ad tollendas autem qualeſcumque ambiguitates iterum conſulamus commune Jus, & ab eo diſcamus Publicæ Viæ conditiones, quas proponit Ulpianus relatus L. cit. his verbis: *Viam publicam eam dicimus, cujus etiam Solum publicum eſt. Viæ privatæ Solum alienum eſt. Viæ autem publicæ Solum publicum eſt relictum ... ut ea publicè iretur.* Duo hinc exigunt Leges ad Viam publicam, 1:quod Solum ſit publicum: 2. quod publicè per eam eatur. Quomodo autem publicè per viam ibimus, ſi illius initium, & exitus ad Locum Publicum non reſpexerit; aut ſub poteſtate privata fuerit viam claudere, obſtaculiſve admotis tranſitum per illam impedire? Poſtulant deinde Legum Civilium Interpretes in Viis Publicis tantam latitudinem, quanta ſufficiat curribus, vel vehiculis capiendis, ſecus impropriè Viæ Publicæ vocabuntur. Legi hac de re Franciſcum Mariam Conſtantini Tom. 1. in Statuta Urbis annot.22. art.1. num. 45. ubi alios ſecum conſentientes recenſet, quos neglexi conſulere, ne in aliena facultate nimium vagarer. Adverto tamen ſufficienter conſiderari publicum exitum Viæ, quoties hæc terminaverit ad publicum Oratorium; quia nihil obeſt publicæ Viæ, ſi intermoriatur, ut in D. Tit.7. *de Loc. & Itin. Public.* Lib. 3. dicitur de Viis *Vicinalibus*, ideſt quæ in vicis ſunt, vel ad vicos ducunt. Hæ enim *Publicarum Viarum numero* accenſentur, quamvis earum pars *ſine ullo exitu intermoriatur*, dummodo ad Locum Publicum terminaverit.

IV. Has itaque conditiones habebit Oratorium Publicum: nempe Januam apertam in via omnium uſui patente, & a Privatorum Hominum dominatu exemptâ, tantæque amplitudinis, quanta communiter ab Interpretibus Juris ad viæ publicæ denominationem deſideratur. Hujuſmodi conditiones exigunt RR. Pontifices, dum nonnumquam Apoſtolicas Litteras pro approbatione Capellæ publicæ ad Miſſas celebrandas concedunt. Ita enim inquiunt, ſicut legi in Litteris a Clemente XII. ſcriptis Epiſcopo Placentino pro ſimili Capella: *Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut ſi Capella prædicta PUBLICO IN LOCO SITA SIT, EJUSQUE PORTA VIÆ PUBLICÆ ADJACEAT ... Capellam hujuſmodi ſub prohibitione de mandato fel. rec. Pauli P. V. Prædeceſs. noſtri de non celebrando in privatis Oratoriis publicata minimè comprehenſam declarantes &c. Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium ... celebrari authoritate noſtra Apoſtolica permittas.* Nihil determinatur de latitudine viæ publicæ in his litteris, non quia qualemcumque callem pro ſolis pedeſtribus, aut equitantibus Viatoribus præparatum approbaverint; ſed quia requiſita ad viam publicam, quemadmodum & alia neceſſaria Loco Publico tanquam ex communi Jure, Juriſque Commenta-

toribus nota non tam exprimi, quàm ſupponi oportebat.

V. Ex præcedentibus conſequitur tunc Oratorium Privatum eſſe, quando alius in illum non pateat aditus, niſi per locum privatæ juriſdictioni ſubjectum. Ubi ergo per domûs atrium, per prædium, aream, campumque alicujus dominio addictum neceſſe fuerit tranſire ad ſubeundum Oratorium, vera Publici Ædificii deſtruetur natura, niſi vel ſaltem *immemorabili* conſuetudine tranſitus ille pro publico haberetur, nec ulla ſupereſſet facultas in Domino prædii, domûſque, qua ingreſſum impedire poſſit, ſicut obſervat allegatus Conſtantinus artic. 1. de Viis pub., & priv.: aut niſi Dominus atrii, ſolique publico inſtrumento renunciaverit ſuæ juriſdictioni, ſicut S. Cardinal. Concilii Tridentini Congregatio apud Fagnanum Lib. 5. dec. Tit. de Privil. cap. *In his* num. 18. declaravit. Similem renunciationem etiam deprehendi ab illa S. Congregatione exigitam, cum die 13. Novembr. Anno 1626. tradidit modum ſervandum ab ampliſſimo Card. Bevilaqua ejuſdem Præfecto in conſtruenda publica Capella. Ita enim lego Lib. 13. Decret. pag. 128. *Sacr. Congregat. cenſuit Capellam per Illuſtriſs., & Reverendiſs. Domin. Cardin. Bevilaquam conſtruendam in Villa nuncupat. Tuſculana, ſi conſtruatur in Loco, ad quem omnibus pateat aditus, nec habeat aditum, vel proſpectum ullum in Privatas Ædes, dictuſque Illuſtriſs. PUBLICO INSTRUMENTO ſe obliget ſemitam, qua itur ad Capellam prædictam, cuicunque liberam in perpetuum ſervare, atque ILLIUS DOMINIO, & JURI RENUNTIET, edicto de privatis Oratoriis hac de re edito non comprehendi, ibique de licentia Ordinarii poſſe Miſſas celebrari:*

VI. Opponet aliquis exemplum quorumdam Oratoriorum, quæ licet intra Domos erectæ fuerint, tamen tanquam publica habentur. Raræ ſunt equidem nunc Eccleſiæ, ſeu Oratoria intra privatas Domos exſtructa, quæ ſimul de prærogativâ publicitatis participent, quoniam jam a Sæculi hujus exordio ſicut tradunt aliqui, ac maximè Emin. Card. Petra prudentiſſimè Sac. Concilii Congregatio monuit, ut ſi quæ erant hujuſmodi publicæ Capellæ in Titulum Beneficii erectæ ab Epiſcopis in Locum Publicum extra Domos privatas transferrentur apertâ ſaltem, ubi ſtructura ipſa ſineret, januâ illius immediatè in publicam viam reſpiciente. Verum adhuc aliquæ ſimili modo in privatis Domibus ædificatæ Capellæ, alicubi permittuntur; extatque in Urbe nobiliſſima Eccleſia intra ambitum Palatii Excellentiſs. Familiæ Altempſianæ, quæ omninò publica eſt omnia habens publicitatis indicia, cujuſmodi ſunt Campana, Sacri Miniſtri perenniter ipſius cultui tùm ad quotidiana Sacrificia in eâ offerenda, tum ad ejuſdem cuſtodiam addicti; Pompa demum, ſacerque apparatus, quo conveniente copioſiſſimo Fidelium numero ſolemniter quædam Feſtivitates, ac maxime S. Martyris, & Ponticis Aniceti celebrantur. Hæc igitur Eccleſia, aliæque ſimiles Capellæ intra quorumdam Domos ædificatæ ex hoc, quod Beneficium Eccleſiaſticum annexum habuerint, & in Titulum conferantur, intra claſſem Publicorum Oratoriorum recenſentur, neque in Decreto Concilii Tridentini, & Pauli V. de Oratoriis Privatis edito comprehenduntur. Ita planè non ſemel declaravit S. Cardinalium Concil. Trid. Interpretum Congregatio; ut tradunt Nicoſius Lib. 5. Lucubrat. Canonic. Tit. 33., & Pignatellus To. 1. Conſult. 93. Allegant iſti declarationem factam in una Terracinen. die 28. Julii 1619., in una Pollicaſtrenſi 15. Julii 1616., in una Licienſi 15. Januarii 1616., & ſimul laudant alteram declarationem factam in S. Congregatione Eminentiſs. Cardinalium ſuper Eccleſiaſticam Immunitatem in Neritonenſi die 17. Januar. 1628., quæ cenſuit certam Capellam in Beneficium erectam removendam quidem eſſe a Domo privata, quo uſque tamen illic

illic retinebatur gaudere adhuc Privilegio localis Immunitatis. Reperi in Archivo Sac. Congregat. Concilii Lib.10. Litter. pag.7. Epiſtolam ſcriptam Epiſcopo Neritonenſi, & ad hoc argumentum ſpectantem, quam propterea hic inſero: *Ad conſultationem prioris partis Litterarum Amplitudinis Tuæ, ita reſpondendum duxerunt Illuſtriſs. Patres Concil. Trid. Interpretes, nimirum Capellas intra domeſticos parietes Epiſcopi auctoritate erectas, & dotatas, ſi modo in Titulum perpetui Beneficii conferri conſueverunt, minimè comprehendi in decreto a S. Congregatione jam pridem edito de privatis Oratoriis, ac proinde poſſe Amplitudinem tuam, ubi dictas Capellas viſitaverit, ac divino cultui aptas, ac decentes eſſe compererit ſuo arbitrio indulgere, ut in eis Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrari poſſit &c. Romæ die 19. Februarii 1619.* His ergo, cæteriſque conſimilibus utens aliquis fortè conditiones a nobis ſupra exigitas ad publicum Oratorium conſtituendum, atque denominandum ſubvertere tentabit.

VII. Verum nullam ex Capellis prædictis patitur moleſtiam, quod antea ſtabilivimus. Etenim etſi liberum, nulliuſque peculiari dominationi ſubjectum aditum, quò ad publicam itur Capellam, eſſe debere monuerimus; unà tamen ſimul diximus ſufficere, quod Dominus fundi ſeſe obſtrinxerit ſolemni Chirographo, ubi deeſt antiqua conſuetudo, ad liberum omnibus relinquendum acceſſum; ac proindè ſponte ceſſerit ſuæ juriſdictioni, qua fruebatur circa Locum, per quem accedentibus ad Oratorium tranſire eſt opus. Jam verò illi, qui in Titulum Beneficiarium domeſticas erigebant Capellas; perpetuò eas divino cultui mancipabant, ac publicæ Fidelium devotioni addicebant; Pariter portam, atrium, aream, ſcalam, quæ in illas aditum parant, publicæ commoditati ſubjiciebant, ſtatiſque horis ad Sacrificium, cæteraque divina obſequia illic exibenda liberum omnibus acceſſum permittere obſtringebantur; atque ideo ipſorum Capellæ conditionem publici Oratorii acquirebant. Hinc ſicut ad publicum Oratorium neceſſe eſt viam ad illud immediatè ducentem reddere publicam renunciatione proprii Juris; ita ad publicum Oratorium intra alicujus Domum erigendum requiritur portam Domûs, atriumque penitus liberum ſingulis relinqui, ut a Domino nunquam poſſit tranſitus prohiberi illis, qui ad eandem Capellam oraturi acceſſerint. Hæc ſanè obſervantur in prædictis Capellis, unde nihil eis deeſt, quod non æquipolleat deſideratis conditionibus publicorum Oratoriorum. Non puto autem tantum rigorem pro via publica ad Oratorium ducente attendi, ut ſi fortè contingeret & ruinâ parietis, vicinique ædificii eamdem viam obſtrui, tunc permitti non valeat Fidelibus idem Oratorium ingredi per viam privatam, quo uſque in priſtinum publica reſtituatur. Etenim id potius convenientiſſimum videtur concedere ſine præjudicio publicitatis Oratorii, ne proprio commodo priventur Fideles ob inopinatam ruinam, aut alluvionem, dum interim illa impedimenta intra non longum temporis ſpatium auferantur.

VIII. Præter Oſtium principale in Via, Locoque publico apertum habent frequenter in nonnullis Regionibus ex conſenſu Epiſcoporum Oratoria ab ipſo fundationis exordio aliam minorem Januam, quæ privatam Domum, vel privatæ Domûs atrium reſpiciens ingreſſum non omnibus liberum præbet; ſed ſolis domeſticis, in quorum unicè gratiam aperitur. Quin etiam, (id in multis Laicorum Ruralibus Oratoriis cernitur) in ipſis Oratoriis tum ſedilia nobiliora parantur, tum pars quædam Oratoriorum ligneis Cratibus ſepitur ad ſingulare commodum Dominorum: demum nonnumquam feneſtræ in parietibus effinguntur, ut e privatis cubiculis domeſtici in Oratoria reſpicere, atque ita a reliquis omnibus ſeparati Miſſæ, ac orationi

tioni aſſiſtere, & vacare poſſint. Privatis hiſce feneſtris, ac januâ e Domo privatâ in Oratorium permittente acceſſum publici Oratorii rationem violari putavit Barboſa in Concil. Triden. Seſſ. 22. cap. 8. num. 21., quia Fundatores talium Oratoriorum fraudes innectere videantur, dum ſub ſpecie, ac prætextu reddendi publicum Oratorium januam publicam aperiri curant, & revera aliud non cogitant, quàm privatæ ipſorum conſulere commoditati. Pariter Franciſc. A Moſtazo Lib. 5. de Cauſis Piis cap. 10. num. 15., & 16. cenſuit Oratorium adhuc eſſe privatum, nec ſuffragari patentem publicam januam, quoties manifeſtò ex circumſtantiis appareat, quod Oratorium magis fuerit conſtructum ob commodum domeſticorum habentium privatum ingreſſum, quàm ob publicam commoditatem. Imo multò minus cautus Scriptor credidit januam publicam ſuffragari, ſi aperta hæc fuerit, poſtquam idem Oratorium penitus privatum extiterat, quoniam nova publici oſtii aperitio evidens ipſi videbatur indicium fraudis excogitatæ ad eludendam Tridentinam Legem adverſus eos conditam, qui Miſſæ Sacrificio in publicis Oratoriis intereſſe neglexerint.

IX. Non ſuſcipimus iſtorum Doctorum ſententiam, quia inprimis eodem Moſtazo num. 11. teſte juxta *communem ſententiam* ingreſſus privatus formam Oratorii Publici non adimit, quando nempe liberrimus, publicuſque in idem pateat alius aditus. Quorſum igitur publicum non evadet Oratorium ſive ante ſive poſt janua publicæ viæ adjacens conſtruatur? Si nihil obeſt ingreſſus privatus, ubi adſit publicum oſtium, nihil etiam oberit, quod ad conciliandam Oratorio publicitatem oſtium publicum aperiatur, ex cujus defectu antea privatum fuerat. Hoc ſanè modo non paucæ orationis ædes, quæ primùm ob unicum privatum ingreſſum privata tantùm erant Oratoria, poſtea ſublato impedimento, redditoque publico acceſſu, & conſtructâ, aut complanatâ publicâ viâ non publicæ ſolùm evaſerunt Capellæ, ſed aliquando in Parochiales Eccleſias fuerunt converſæ. Quod autem non præjudicet Oratorio Publico præter oſtium publicum privatus aditus, inde manifeſtè cognoſcitur, quia nihil obſtante privato ingreſſu plenè libera, & expedita perſeverat in omnibus facultas ad Oratorium ſubeundum per publicum oſtium, cui nullum obſtaculum inferunt cæteri privati aditus, ac apertæ feneſtræ; dum interim publica pateat janua. Alia non moror rem eandem illuſtrantia, quæ a pluribus J. U. Doctoribus expenduntur, cum ſatis ipſam confirmet pervagata apud multos praxis, quâ ſecreta oſtiola in Oratoriis, & non rarò etiam in amplis, inſignioribuſque Eccleſiis pandunt. Habent quidem iſti ad hos privatos aditus defendendos privilegium Apoſtolicæ Sedis, vel antiquiſſimam Majorum ſuorum conſuetudinem, vel demum Jus ſibimetipſis in ipſa fundatione Sacri Ædificii reſervatum, & tunc executioni traditum. Verum ſi publico loco repugnaret alter privatus ingreſſus præter publicum oſtium, non quam per qualemcunque diſpenſationem, privilegium, conſuetudinem relinqueretur publicus, a quo illi privati aditus, ac ſecreta foramina neceſſariò exigitam conditionem publicitatis ſubvertiſſent. Adde pulcherrimum, nitidumque teſtimonium Card. Sabellii in Synodo Beneventana anni 1567. Tit. 5. cap. 2., qui dum formam præſcripſit Oratoriorum Laicis ab Epiſcopo concedendorum, non reſpuit in illis privatum ingreſſum, dummodo aliæ ſimul omnibus e via publica paterent fores. Hoc enim modo publicum adhuc habebatur Oratorium, quod unicè Epiſcopus Concilii Tridentini decreta obſervans propria authoritate ad Miſſarum celebrationem approbare poterat. En verba Synodi: *Ædificationem, & uſum Oratoriorum ita Epiſcopi, cum id illis juſta de cauſſa concedendum viſum fuerit, concedant,*

UT

UT PRÆTER FORES, PER QUAS A PRIVATIS DOMIBUS AD EA ITUR, alias item habeant, quibus a via publica omnibus etiam aditus pateat.

X. Hoc unum itaque attendendum eſſe arbitror an janua publica Oratorii comparata cum oſtio privato fuerit anguſtior, vilior, deteriorque; nam tunc vigilantiam Epiſcopi proviſuram non dubito, ut nimia deformitas auferatur; ac curaturam, ut nobilior, & principalior janua Oratorii ea ſit, quæ publicam reſpicit viam. Tanta enim foret hujuſmbdi deformitas, quæ ſimul fraudem a Fundatoribus patratam ad Eccleſiaſticas Leges eludendas per aperitionem oſtioli reſpicientis publicam viam oſtenderet. Revera quocunque in ædificio nobilior, principaliorque ingreſſus ſemper attenditur; atque ab iſto denominatio præcipua Publicæ, vel Privatæ Ædis accipitur. Hinc ſi publica janua Oratorii amplitudine cæteras ſuperaverit, nec in angulis parietum, quin potius in medio, quantùm Ædificii ſtructura patitur, aperta (Melius autem, & congruentius Veterum moribus ſolet janua publica directè reſpicere Oratorii Altare:) præcipuum locum ingreſsûs ſtatim præleferat; tunc illa publicum conſtituet Oratorium, quod ex minoribus aliis privatis aditibus nequaquam privatum nuncupabitur. Ecce igitur cauſſam, propter quam permiſſis privatis illis oſtiolis in gratiam Virorum Nobilium, & maximè Fundatorum nulla fraus committatur, vel quidquam adverſum publicitati Oratoriorum; nec propter favorem illis elargitum ulla ex parte jus, quod omnes acquiſiverunt liberè ingrediendi publica illa Sacra Ædificia, violetur, aut deſtruatur.

XI. Fatemur tamen hoſce privatos ingreſſus in publica Oratoria non expedire paſſim omnibus concedi, quia ſubjectionem; ſive ut Canoniſtæ appellant, peculiarem *ſervitutem* Oratoriorum inferunt erga Perſonas, quibus talis privata communicatio indulgetur. Vel ipſi RR. Pontifices cum Litteras declaratorias alicujus Oratorii publici concedunt, apertè cavent, ne privati aditus fiant, per quos e domo privata ingredi, vel proſpici poſſit in Oratoria. Ita loquitur Clemens XII. in laudatis Litteris ad Placentinum Epiſc. *Ejus* (Capellæ a Viro Nobili erectæ) *porta viæ publicæ adjaceat; & in ea nulla alia porta, quæ ad ALIQUAM DOMUM DUCAT, EXISTAT; & quatenus exiſtat omninò claudatur; atque ita a privatis Domibus ſeparata ſit, ut per eas ad eam acceſſus, aut proſpectus nemini pateat.* Apoſtolici Brevis, quo declarantur conditiones Oratorii publici, meminerunt Nicolius Lib. 5. Lucub. Canonic. Tit. 33. Pignatell. Tom. 1. Conſ. 93. num. 24. Idem pariter cavit expreſsè S. Congregatio Concilii circa Oratorium exſtructum ab Ampliſſimo Card. Bevilaqua, illis verbis: *Nec habeat aditum, vel proſpectum ullum in privatas ædes.* Mitius alicubi interpretantur prohibitionem privati aditûs, aut proſpectûs è privata Domo in Oratorium; ac licet non permittant Epiſcopi ullam communionem inter Oratoria publica, & cubicula domeſtica, niſi ſpeciale privilegium Apoſtolicæ Sedis fuerit alicui conceſſum; tamen ſimilem communicationem inter atrium, areamque domûs ac Oratorium aliquando permittere non renuunt. Hoc communionis genus in gratiam Fundatorum, & Dotatorum indulgeri poſſe in ipſo fundationis principio tradunt nonnulli, ac præ cæteris Pignatellus laudatus. Verum neque ſemper talis indulgentia expedit, ut attentius caveantur omnia pericula prophanationis Domûs Dei, quæ fortè ex incuria eorum, qui non cuſtodiunt diligenter privatos illos ingreſſus atrium Domûs reſpicientes, irrepunt. Ob hanc cauſſam prudenter quidam Epiſcopi præter unicam januam publicam alios nullos penitus patiuntur ingreſſus, quos propterea expreſsè in ſua Synodo Placentina anni 1696. Tit. de Sacroſan. Eccleſ.

cleſ. & Orator. magnæ probitatis Præſul optimus Georgius Barni prohibuerat.

XII. Poſtquam ratione Loci, publicique acceſsûs diſcrevimus Oratorium Publicum a Privato, aliud non ſupereſſet dicendum, quod ad illorum differentiam pertineat, niſi Barboſæ L.2. de Jure Eccleſ. c.8. num. 11., & aliis paucis lubuiſſet aſſerere neceſſariam eſſe Oratorio publico Campanam, qua Fideles de Sacrificio celebrando admonerentur. Sine examine præteriri non debuit hæc opinio, ne eam deſpexiſſe ſilentio, ac tanquam inutilem ab Oratoriis Publicis Campanam rejicere videremur. Abſit hoc a Nobis, qui ingenuè commendamus nonnullos Epiſcopos antiquiorum conſuetudinum Eccleſiaſticarum conſervatores devotos, aut reparatores prudentes, qui in viſitandis, approbandiſque publicis Oratoriis enixe deſiderant Campanam appendi in culmine Sacri Ædificii, cujus ſonitu Vicini ad divinam agendam advocentur. Quamvis enim congregandis Fidelibus ad publicum Sacrificium prioribus quinque circiter Eccleſiæ Sæculis nondum Æs Campanum pulſaretur: Semper tamen, (dummodo aut turbo perſecutionum, aut Locus, in quo celebrabantur divina myſteria, non prohiberent) ſigno aliquo *ſonoro*, ut loquitur Sanctus Ephrem Edeſſenus in Syria Diaconus Parænesi 43. aliique apud Card. Bonam lib.1. Rer. Liturgic. Roccam Tract. de Campan. Martenium Lib.2. de antiq. Eccleſ. Rit. cap.22. Cangium in Gloſſar. Catalanum in Pontif. Rom. Tom. 2. Tit. 21. &c., convocabantur Fideles ad ſacra myſteria; qualecunque poſtea eſſet hoc ſignum, ſive tabulis, tintinabuliſque ligneis, ſive tubis, ſimilibuſque ſonoris inſtrumentis datum. Valdè igitur opportunè in publicis Oratoriis Campanula collocatur in loco edito, ut ſacra Domus omnium uſui deſtinata etiam habeat manifeſtum illud indicium publici Sacri Ædificii, quod cum pulſatur invitet omnes ad Sacrificium, & negligentiam eorum, qui ſine cauſſa tam magno operi vacare non ſtudent, ſuo modo repræhendat. Dubium equidem nullum eſſe poteſt Campanam Oratoriis Publicis aptiſſimè convenire, & per eam tanquam per evidens ſignaculum publicitatis a Privatis diſtingui. Quarè cum Epiſcopus Abulenſis interrogaſſet Cœleſtinum III. *utrùm Templariis, Hoſpitalariis, & aliis Oratoria habentibus in domibus ſuis liceat in eiſdem Campanas ponere, publicèque pulſare.* Reſpondit Pontifex Cap. *Patentibus* Tit. 33. *de Privil.* Lib. 1. Decretal., *quod non licet eis hoc facere, & cenſura Eccleſiaſtica coercendos fore*. Optima ſanè reſponſio: Nam quia illa Oratoria privata erant, & ad aliquorum tantummodo commoditatem conceſſa, debebant iſti eſſe *ſuo jure contenti*; nec occupare jura aliarum Sacrarum Ædium, in quibus ſolùm Campanæ ſonitu Fideles omnes congregare licebat. Atque hinc intelligimus, cur Campanæ non alibi appendantur, quàm ubi Populus convenire liberè poteſt ad publicam Miſſarum, Eccleſiaſticorumque Officiorum celebrationem, neque in privatis Oratoriis permittantur.

XIII. Etſi autem Campana optimè *vel ſuper parvulam Turriculam a Parochiali omninò diſtinctam*; *vel ſuper duas pilas lapideas in pariete ſummo erectas fulciatur* in Oratoriis Publicis, ut verbis utar S.Caroli Par.IV. Actor. Eccl. Mediol. Lib. 1. Inſtruct. Fabric. Eccleſ. cap.30.; Tamen non indè conſequitur Campanam neceſſariò deſiderari, ut eadem Oratoria Publica perſeverent. Quot enim in Villis præcipuè, & Oppidis reperiuntur Oratoria, in quibus publicè Sacrificium offertur, nec in illis ſuſpenſa reperitur ulla vel minima Campanula; quin propterea ab Epiſcopis interdicantur? At verò hujuſmodi defectum nequaquam optimi Epiſcopi tolerarent, ſi ex communi jure Campana ad conſtituendum Publicum Oratorium requireretur. Mihi certè hæc multo-

multorum Epiſcoporum tolerantia æquipollens invicto teſtimonio apparet; cum ex illâ evidenter comprobetur inter neceſſaria requiſita Oratorii Publici Campanam non reputari. Quocirca non jam Oratorium propter Campanam publicum conſtituitur; ſed ut benè obſervavit Pignatellus Conſ. 93. cit. n. 24. ideò Campana appenditur, quia jam ſupponit Locum Publicum, quo perfecto ſignum illud collocatur. Signa etenim rerum prius in ſe ipſis res conſtitutas ſupponunt, quas niſi perfectas præſupponerent, fallaciter demonſtrarent. Si autem dicatur malè a quibuſdam Epiſcopis tolerari Oratoria Publica abſque Campanâ, ac abundè ad diſcrimen uberius inter Eccleſias, & Oratoria conſervandum ſufficere; ſi quod olim juſſerat Joannes XXII. in Extrav. 2. de off. Cuſtod., renovaretur; quemadmodum expreſsè illud renovavit S. Carolus in Concilio Provin. Mediolan. IV. Par. 1. Tit. *de Campanis*; videlicet *unam tantùm* Campanam in Oratoriis; plures ſolùm in Eccleſiarum Campanariis Turribus appendi: Hæc ſi dicantur, ſtatim reponere poterimus non uniformem ubique regulam poſſe obſervari ob diverſas circumſtantias in diverſitate locorum occurrentes. Addam pariter nullam, quam ſciam, ab Apoſtolica Sede, legem latam eſſe præcipientem in Oratoriis Publicis appendi Campanam; ac proindè uniuſcujuſque Epiſcopi prudentiæ relinqui pro opportunitate hanc vel exigere, vel non concedere. Mea non intereſt alia ſubjungere, cum non aliter hoc genus argumenti attigerim quàm ut oſtenderem ſine Campanâ publicum adhuc Oratorium perſeverare. Si vero aliquis oppoſitum tueatur, mallem, ut dum ex antiquâ conſuetudine demonſtraret appenſas Campanas in Publicis Eccleſiis, ſimul eandem obſervationem pro quibuſcunque Publicis Oratoriis inſtitueret. Fortè deficientibus monumentis nullum vadimonium dabit, quod olim collocarentur Campanæ ſuper omnia Oratoria Publica, atque ita faciliùs in noſtram flectetur ſententiam.

XIV. Perſtructâ differentiâ inter Oratorium Publicum, ac Privatum reſpectu Loci, in quo illa fuerint erecta, nihil a nobis dicendum occurrit de nonnullis Oratoriis, quæ a Piorum devotione eriguntur in publicis viis ad venerationem alicujus Sacræ Imaginis ibidem collocatæ, vel ad orationes fundendas; nec tamen ab Epiſcopo tanquàm idonea ad Miſſæ celebrationem approbata fuerunt. In Civitatibus, & Villis non infrequentia occurrunt talia Sacellula, quæ creſcente Fidelium pietate ditantur donariis, luminaribus, ornamentis; & non rarò in ampliorem formam dilatata de conſenſu Epiſcopi in Eccleſias Publicas convertuntur. Quamvis enim illa non gaudeant privilegiis, quibus alia Oratoria publica authoritate erecta, & ab Epiſcopis approbata fruuntur; tamen verè publica ſunt, & a domeſticis, privatiſque orationis Ædificiis diſtinguuntur. Quarè ab Emo Card. Petra Tom. 1. in Conſt. Apoſt. pag. 394. Edit. Rom. & Fagnano Cap. *Authoritate* Tit. *de Cenſ.* eo ſenſu *privata* dicuntur eadem Oratoria, ut ita nonnulla diverſitas exprimatur ab cæteris Oratoriis Publicis, in quibus liberum eſt offerre Sacrificium, licèt ratione Loci etiam ipſa *Publica* ſint appellanda. Hujus generis Oratoria à pietate Fidelium in Viis, Agriſque conſtructa non deerant apud Veteres Chriſtianos, quæ poſtmodum creſcente devotione non rarò in amplas Eccleſias dilatabantur. De his certas, & valdè egregias Regulas ſtatuit S. Carolus Lib. 1. Inſtruct. Fab. Eccl. cap. 30. & 31. Tom. 1. Actor. Mediolan. pag. 591. N. Edit. Bergomenſ.

XV. Huic duplici publicorum Oratoriorum claſſi correſpondent duplicis generis Oratoria privata ob diverſitatem eorum, quæ in iiſdem aguntur, diſtinguenda. Poſſunt etenim in Domibus Fidelium Loca quædam ſpecialiter ſeligi, ubi unuſquique Domeſticorum vel ſeorſim, vel ſimul cum aliis

aliis ad preces fundendas ſe recipiat. Non ſunt penitùs inſolita hujuſcemodi cubicula in eum tantummodò finem reſervata, ut ibi rerum divinarum meditationi, ſacræ lectioni, precibuſque in Dei, BB. Virginis, & Sanctorum laudem boni Parentes cum Filiis, & Servis quotidie ad aliquod breve tempus vacent. Licèt enim non omnes gaudeant privilegio Oratorii ad Miſſæ privatam celebrationem, tamen ſingularis aliquorum pietas amat ſæpè intra proprias domos Oratoriolum efformare, in quo tùm Sanctorum Reliquias, quas habent, devotiùs cuſtodiant; cùm nonnullas Chriſti, ac Beatorum imagines collocent, ante quas proſtrati ferventius orent. Hæc profectò Loca Oratorii Privati nomen ſibi vindicant, quatenus ſeparata a reliquis domeſticis uſibus tantùm Orationi a Patribus-Familias deputantur. Hujus rationis Domeſtica Oratoria habere nemini unquam vetitum; quin potius ſemper convenientiſſimum fuit, ut in Chriſtianorum Domibus haberentur. Ad eadem paranda aliud nihil deſiderabatur, quàm pietas, & fervor colendi Deum in locis minus prophanis, magiſque remotis ab omni tumultu domeſticarum actionum. Nulla in iiſdem deſignandis licentia ab Epiſcopo poſcebatur; quæ tamen in alterius generis Oratoriis Domeſticis, illis nempè, in quibus Sacrificium offerrebatur, neceſſaria erat. Ita planè legitur Lib. 5. Capitul. cap. 230. *Qui in Domo ſuâ Oratorium habuerit, orare ibi poteſt, tamen non audeat in eo Sacras facere Miſſas ſine permiſſu Epiſcopi loci ipſius*. Similia multò antea Juſtinianus Novell: 58. imperiali lege firmaverat, prohibens *in Domibus* quaſdam quaſi Orationum Domos habere, *& in his Sacra celebrare Myſteria*; eaſdemque permittens *orationis gratiâ, & nullo celebrandi penitus horum, quæ ſunt Sacri Myſterii*. Similia etiam habentur in antiquo Rituali Bibliothcæ Caſſanatenſis, cujus verba ſeq. Opuſc. Cap. IX. num. 1. recitabimus.

XVI. Perſeverat adhuc expedita apud omnes facultas Oratoria hujus generis in loco propriæ habitationis laudabili devotione conſtituendi; unde in decretorum Collectione a Gratiano factâ Par. 3. Diſt. 1. *de Conſecrat.* inſertus eſt Canon. III. Concilii Aurelianenſis IV. hæc ſtatuens: *Unicuique Fidelium in Domo ſuâ Oratorium licet habere, & ibi orare: Miſſam autem ibi celebrare non liceat*. De his Oratoriis Domeſticis ad unicum orandi finem præparatis a nobis non eſt diſſerendum, cum nullæ Leges quidquam præſcripſerint, quod mereatur expoſitionem: ſed totum relictum eſt arbitrio, & devotioni ſingulorum; niſi excipere voluerimus quoſdam Cœnobitas, ac Moniales, quibus juxta propriæ Regulæ ſtatuta paratur anguſtum Sacellulum, in quo privatum precum penſum quotidie peragunt. In Cellis Carthuſianorum, & Camaldulenſium ſeverioris obſervantiæ pia hæc Oratoriola vidi, & in Urbe ſingulæ Oblatæ Auguſtinenſes Monaſterii erectæ ſub titulo B. Virginis Doloroſæ ad radices Montis Aurei Oratorium Cellæ proximum habent. Imitari videntur hæ piiſſimæ Virgines morem Sancti Euſtochii, cujus privatum Oratorium a D. Hieronymo Epiſ. 22. n. 17. illis verbis: *Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo*, commemorari exiſtimat eruditus Abbas Jo: Chyſoſt. Trombelli Diſſer. VII. de Cultu Sanct. cap. 51. num. 6. Pariter *Altariolum* in ſuâ Cellulâ habebat S. Viborada V. & M., ſicut in illius Vitâ num. 24. Sæcul. V. Bened. ad diem 2. Maii narratur. Etiam in Vitâ B. Colettæ, quæ obiit anno 1447., in Martio Bolland. Tom. 1. pag. 602. legi eam tanto deſiderio Loca Sacra frequentandi exarſiſſe, ut illius Pater Oratorium in propriâ Domo erigere debuerit, *ubi pro arbitrio, ac temporis commoditate pio Religionis affectu poſſet indulgere*. Moderni autem Aſcetæ antiquos imitantur Anachore-

tas,

tas, quos habuiſſe privata hæc Oratoriola, ut Euchariſtiam decenter conſervarent, ex interrogationibus S. Helladii Corinthiorum Epiſcopo factis non obſcurè colligitur. Quæſiverat Sanctiſs. Aſceta quomodò ipſe, ſuique Inſtituti Aſſeclæ in propriis Aſceteriis Euchariſtiam ſumerent, cum *nedum Collecta, ſed neque Sacerdos ſuppetat*? Reſpondit Epiſcopus eſſe *imponendum Sacræ Menſæ præſanctificatorum vaſculum, ſi quidem EST ORATORIUM; ſin autem Cella ſcamno mundiſſimo*. Prætermiſſo hoc privatorum Oratoriorum genere toti incumbemus deinceps in iis explanandis, quæ ſpectant ad alia Privata Oratoria eo maximè fine in Domibus erecta, ut Sacrificium offeratur.

CAPUT IV.

De frequentiâ Domeſticorum Oratoriorum per priora Eccleſiæ Sæcula non penitus deletâ ceſsatis Perſecutionibus.

I. SI Domeſticorum Oratoriorum originem ad exordia ipſa Eccleſiæ, imo ad prima ab Apoſtolis celebrata Sacrificia evehimus, nemo nos reprehendet, cum Actuum Apoſtolicorum ſeries, temporumque illorum conditio id pluſquàm veroſimiliter ſuadeant. Seſe illi collegerant cum Mariâ Matre Jeſu, & ejus Fratribus in *Cænaculo* expectantes virtutem Spiritûs Sancti, & perſeverantes unanimiter in oratione. Jamverò quamquam nonnulli putaverint tùm primùm divina conſecrata fuiſſe Myſteria, ut ferventius Paracleticum Adventum præſtolarentur; Melius tamen alii ſuffragatoribus Heſychio in Cap. 9. Levit., & Paſchaſio Lib. de Corp. & Sang. Dom. cap. 21. crediderunt non quidem multò poſt Sancti Spiritûs deſcenſum, ſed ſaltem poſt accepta divina uberiora chariſmata Apoſtolos primùm ſacrificare voluiſſe, ut ſanctius ſacram incruentam Victimam immolarent. Verùm quodcunque horum dixerimus; in privatâ domo, & cœnaculo eodem, quo collecti fuerant ad orandum, primò Sacrificium obtuliſſe Apoſtolos arbitramur. Nam quo tunc aptiore in loco offerre poterant, quàm vel ubi collecti erant in oratione, vel quò paullò ante deſcenderat Spiritus Sanctus? Tanti enim cœnaculum illud divinitùs ſanctificatum æſtimari oportebat, ut nullibi dignius divina dona peragerentur. Iccircò non ſtatim Apoſtoli deſeruere Cœnaculum, quin potius illuc venerunt Populi excitati inſolito fragore; ibique Petrus palam primùm prædicavit Evangelium: Nullum demùm, vel minimum indicium habemus, quod eundem Locum repetere poſtea prohiberentur Apoſtoli adverſus quos nullus fuerat excitatus tumultus, quia *metus magnus* univerſos pervaſerat propter ſigna, & prodigia, quæ ab illis operabantur. Potuerunt itaque liberè ad idem Cœnaculum accedere Apoſtoli, ac ubi ſe longâ oratione præparaverant locuſque orationis evaſerat, ibi laudis, & gratiarum actionis incruentam hoſtiam immolare; Imo ſæpè in eodem Cœnaculo Sacris Myſteriis operatos fuiſſe non dubitamus; quoniam convenientiſſimum erat in tàm ſanctâ Domo divina peragi, in qua frequentiùs melior portio dominici Gregis BB. Virgo Maria habitabat.

II. En igitur primordia Domeſtici Oratorii revocata ad Apoſtolicam Ætatem: En quo in loco primùm Sacrificia celebraverunt Apoſtoli. Quemadmodum verò in Cœnaculo Hieroſolymitano, ita deinde, cum nondum alibi publicam haberent orationis Domum, ubi divina explerent Sacrificia, in privatis Chriſtianorum domibus, utque veroſimile omninò eſt, in cubiculo a prophanis uſibus ſecreto congregabantur. Reverà in tertio Domûs Cœnaculo Paulus Troade cæleſtem frangebat panem, cum Adoleſcens Eutychius Actorum 20. è feneſtrâ cecidit; & univerſim de Apoſtolis Act. 2. 46. dicitur, quod illi *circa domos* Euchariſtiam Fidelibus perſeverantibus in illorum doctrinâ, & *communicatione fractionis panis* diſtribuerent. Majora non ſuppeditantur in Actis Apoſtolicis teſtimonia Sacrificiorum domeſticorum; plurima tamen alia ex Epiſtola ad Rom. cap. 16. Clariſ. Florentinius Exercit. XI. in Martyrol. S. Hieronymi, & Antonellus Diſſert. de Titul. Sancti Evari. proponunt, quæ valdè probabiliter perſuadere poſſunt in privatis Romanorum Chriſtianorum Domibus non minus prædicationis Apoſtolicæ documenta Fidelibus ſimul congregatis expoſita, quàm Sacramenta, & ipſa maximè Euchariſtica myſteria fuiſſe peracta. Dum enim jubet Apoſtolus ſalutari eos, *qui ſunt ex Ariſtobuli domo*, eos qui *ſunt ex Narciſſi Domo*, *qui ſunt in Domino*; omnem inſuper *domeſticam Eccleſiam* Priſcæ, & Aquilæ, ſatis prudentem nobis ſuggerit conjecturam, unde exiſtimemus in illorum Domibus conveniſſe Fideles, ut ſacras Synaxes vel ſimul in omnibus illis, vel in earum alterâ pro opportunitate, numeroque Chriſtianorum colligendorum explerent. Quare Auctor Commentarior. in Epiſ. ad Rom. ſub Hieronymi nomine antea vulgatus, & Theophilactus advertunt *Eccleſiam* ibi ab Apoſtolo commemoratam oſtendere *Fidelium Congregationem*, quæ Domeſtica vocabatur, *quoniam* Aquila, Priſca, & alii *Domum ſuam Eccleſiam fecerunt Collectionem Fidelium eam facientes*; ubi *Divina Myſteria intus promptè, & alacriter peragebant*, ſicut loquitur Theodoretus. Parco reliqua recenſere cum ſatis iſta nobis præforment imaginem Oratoriorum Domeſticorum; ſimulque oſtendant non alibi inter crepundia Chriſtianæ Religionis ædificari potuiſſe. Enimverò quis dicat publicum ſtatim parari potuiſſe Sacellum in tot Regionibus, quas peragrarunt Apoſtoli in illas Chriſtum inferentes? Itaque quod B. Petrus, cum Romam venit, in Domò Pudentis feciſſe ſcimus ex vetuſtiſſimâ traditione, ubi nempè commoratus celebravit, ac poſtea in *Titulum Paſtoris* dedicavit, alibi etiam factum fuiſſe quis ambigat?

III. Deſiderabant quidem Sanctiſſimi Apoſtoli aliquas licet anguſtas Orationis Domos penitus ſecretas ab aliis communibus Domibus extruere, & ubi eas licuit vel Hieroſolymis, vel Romæ, vel Alexandriæ, vel alibi erexerunt. At rariſſimè id illis concedebant tùm graviſſimæ Judæorum inſidiæ, cùm poſtea adverſus Chriſti Diſcipulos commoti Gentiles; ita ut cogerentur Fideles in abdita, ac privata loca convenire ad Sacrificii, & Sacramentorum participationem. In Eccleſiâ Corinthiorum ex iis, quæ leguntur Epiſ. 1. ad Cor. cap. II. additis commentationibus S. Joannis Chryſoſtomi, & Sedulii, additiſque verbis S. P. Auguſtini quæſt. 57. in Levit. certam fuiſſe ædem a ſingulorum Domibus ſecretam ac fortè publicam ſacræ Synaxi, & Sacrificiis celebrandi deputatam ſuſpicari quibuſdam licuit. Attamen nec tale aliquid penitus indubitatum Pauli verba præmonſtrant, ut innuit toto Orbe celebratus Sanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinalis, & Archiepiſcopus Bononienſis primum, nunc Supremus Pontifex Benedictus XIV. de Sacrific. Miſſæ §. 4.: Neque ab exemplo Corinthiorum Chriſtianorum pervagatam eâ ætate conſuetudinem

non

non alibi ſacra peragendi, quam in Publicis Oratoriis affirmare poſſumus. Etenim valdè rara erant Chriſtianis publica hujuſmodi ædificia, etiam diu poſt Apoſtolica tempora, quibus cum tutum non eſſet ob Paganorum inſultus in Loco patente, ac manifeſto proprios conventus facere, ſecreta petebant; atque patienter ferebant ſe a Gentilibus propterea traduci tanquam eſſet *natio latebroſa, & lucifugax*, nullaque habens Templa, & Altaria.

IV. Operam luderem, ſi de celebratione Divinorum Myſteriorum in Locis abditis; occultiſque factâ illis primis Sæculis, in quibus ſævis jactabatur perſecutionum fluctibus Chriſti Navicula longam intexerem narrationem. Spartam hanc illuſtrarunt Clariſſimi Viri Bona, Martenius, multique ſimiles; proſtantque adhuc in Romanis Chriſtianorum veterum Cœmeteriis Altaria, ſuper quæ Antiſtites eò tutius Sacramenta conficiebant, quò remotius erigebantur, quoniam ſcribente S. Cornelio P., vel alio quocunque veterrimo Scriptore Epiſtolæ ad Lupicinum *neque in Cryptis notioribus Chriſtianis Miſſas agere, licebat*, cum undique a Perſecutoribus quærerentur ad necem, & etiam in Cryptis, & Specubus occultiſſimis inter Sacrificium ipſum nonnunquam trucidarentur. Quomodo ergo in tot Chriſtianorum calamitatibus publica ædificia ad rem divinam faciendam ædificari poterant? Non negavero quidem, quod ubi licebat, Chriſti Sacerdotes etiam tunc quaſdam ædificarent Eccleſias; Nam de Sacris Chriſtianorum ædificiis ante Conſtantinum extructis monumenta plura diligentiſſimè collegerunt Bellarminus Lib. 3. de Cultu Sanctor. cap. 4. Bona Lib. 1. Rer. Liturg. cap. 19. Ciampinus Tom. 1. Veter. Monument. cap. 18. Georgius Lib. 1. de Miſſa Rom. Pont. cap. 3., aliique multi Viri præclariſſimi; imo Philo apud Euſebium Lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 17. de primis Chriſtianis Alexandrinis teſtatus eſt in ſingulis Locis habuiſſe *conſecratam orationi Domum*; & in eâ celebraſſe *caſtæ vitæ myſteria*. Sed quid collata cum toto Orbe Chriſtiano oſtendunt pauca veterum Sacrorum ædificiorum monumenta? Potius, ubi iſta decurrantur, demonſtrabunt raritatem eorundem, ac proinde evidentia argumenta frequentiſſimæ privatæ celebrationis divinorum myſteriorum illis temporibus factæ ſuppeditabunt. Imo nec illa omnia teſtimonia Veterum clarè indicant publicam ſacram Orationis Domum; quoniam eorumdem veritas integra cuſtoditur, licèt de Oratoriis privatis tantùm exponerentur. Omnes illas conſecratas Chriſtianorum Domos, quarum meminit Philo, publicas fuiſſe vix ullus judicabit Alexandrinos Gentiles Populos Chriſtianis infenſos rememorans: Faciliùs credam illas ut plurimùm fuiſſe privatarum ædium ſegregatas partes, quæ ex pietate Paſtorum in Dei cultum conſecrabantur, quemadmodum alia nos inſtruunt paullò poſt recenſenda exempla.

V. Magna hæc penuria publicorum Oratoriorum, Eccleſiarumque abundè convincit in privatis Ædibus fuiſſe coactos Chriſti Sacerdotes Sacrificium offerre, & in illis, cum poterant, parva privata Oratoriola componere, ut magis decente loco celebrarent. Hujus generis cubicularia Sacella in illis maximè Domibus paraſſe, in quibus ſeſe invicem admonentes frequentiùs ſolebant convenire, mihi omninò veroſimillimum apparet. Nam dum ſemel, aut iterum in Domum alicujus venientes Apoſtoli, Apoſtolicique viri ad ſpiritualem quorumdam, & propriam conſolationem myſtica conſecrabant dona, quis credat ſemper in paupere Domo reperiri potuiſſe cubiculum penitus a prophanis, domeſticiſque rebus liberum, ut ibi velut in parvo Oratorio Miſſæ fierent? Paſſim vero ſimul multos Fideles ad Synaxim congregatos fuiſſe teſtabantur *ipſa Martyrum geſta*, quæ referente S. P. Auguſtino Brevic.

Col-

BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE

Collat. Cartag. cum Donat: Collat. 3. diei cap. 17. n. 32. & 33. monſtrata ſunt Cartagine, ex quibus *confitebantur* tùm Donatiſtæ *in paſſionibus ſuis* Martyres *collectam, & dominicum egiſſe*, cùm Catholici inferebant, *& DOMUM PRIVATAM Chriſtianis congregandis præſtitam tempore perſecutionis fuiſſe*, ſicut *in quibuſdam Geſtis Martyrum legebatur*. Fortè inter ea Martyrum geſta ab Afris coram Marcellino Comite anno 411. recitata, etiam Acta SS. Saturnini, & Sociorum MM. Abitinenſium, qui in Africa paſsi ſunt anno 304., fuerunt lecta. In his narratur, quod Edicto Diocletiani, & Maximiani ſolo jam complanatis Baſilicis, & prohibitis *Sacris Ritibus* adhuc *in Civitate Abitinenſi in Domo Octavii Fælicis . . . . Dominica ſigna glorioſi Martyres erexerunt, ibique CELEBRANTES EX MORE DOMINICUM* a Satellitibus ſunt comprehenſi, & interrogati a Pro-Conſule utrum *in Collectâ* fuiſſent, forti animo reſponderunt *Dominicum cum Fratribus congruâ Religionis devotione celebraſſe*. Fortè etiam legerunt Afri Acta S. Pontii M. (Edita ſunt a Balutio Miſcellan: Tom. 2.) ubi narratur cap. 3. quod *cum* Gentiles *aſcendiſſent in Cœnaculum, & vidiſſent* eos, Chriſtianos nempè, *ſancta celebrare Myſteria declinaverunt in locum, quo ad uſque Dominicum conſummaſſent Officium*. Quid autem ſit Dominicum celebrare diſcimus a Tertulliano Lib. de Fuga cap. ult., S. Cypriano Epiſ. 63. & S. P. Auguſtino Epiſ. 36., apud quos idem ſignificat, quod Sacrificium celebrare.

VI. Etſi vero probabile multum ſit ex recitatis Martyrum geſtis eam privatæ Domûs partem ſelegiſſe Fideles ad Divinorum Myſteriorum oblationem in communi Synaxi, quæ penitus libera eſſet a prophanis operibus; adumbraretque proinde modeſtam, ac recte compoſitam Orationis Ædem, quando id permittebat Domorum ſtructura, ſitus, & amplitudo; Evidentius tamen hanc Oratoriorum Domeſticorum rationem deprehendimus in illis primorum Chriſtianorum Domibus, quas nonnumquam conſecrabant Antiſtites, ut in Loco Sacro tempore perſecutionis prohibentis publicas Eccleſias ædificari Chriſti Sacrificium offerrent. Egregia ſanè eſt Epiſtola ſub nomine Pii P. ad Juſtum Viennenſem Epiſcopum ſcripta, ut fertur, anno 166., in qua fit mentio Domûs privatæ in *Titulum* converſæ, ac proinde ad Eccleſiaſticos uſus dedicatæ; *Soror noſtra*, ait, *Euprepia (ſi bene recordaris) Titulum Domûs ſuæ pauperibus aſſignavit, ubi nunc cum pauperibus noſtris commorantes Miſſas agimus*. Novi etiam a nonnullis, atque præcipuè a Petro Couſtant abjudicari hanc Epiſtolam tanto Pontifici: At quamvis Auctor ignotus foret, pro illius antiquitate vetuſti ſuffragantur Codices, quorum auctoritas ſufficiet inſinuandæ conſuetudini primorum Temporum Domos Chriſtianorum in Eccleſias conſecrandi. Id feciſſe Marcellum P. de Domo Lucinæ tradit Anaſtaſius in Vita Marcelli P. Similiter S. Cæciliam oraſſe S. Urbanum P., ut Domum ipſius in Eccleſiam conſecraret Acta illius apud Surium, & Baronium referunt. Demùm fermè omnes antiqui Tituli Romanæ Urbis vel ab Evariſto, vel ab aliis Pontificibus deſignati ad Fidelium congregationes non alibi, ſicut etiam fusè declarant laudati Viri Antonellus, & Florentinius, quàm in privatis Domibus Chriſtianorum cauſsâ perſecutionum erigebantur; iidemque Tituli Oratoria Privata, ac Domeſtica tantùm erant conſiderata ratione Loci, quamvis ad multorum Synaxim aptarentur. Ab his clariſſimè emicat quàm frequentia ſævis illis Eccleſiæ temporibus domeſtica Oratoria forent, itaut neceſſitas ipſa clanculùm celebrandi ſacros cœtus Locum Orationis in Privatis Ædibus eligere cogeret.

VII. Redditâ diù deſideratâ pace Fidelibus in Conſtantini ad Chriſti Religionem converſione per Urbes ſingu-

ſingulas Baſilicæ, & Eccleſiæ reparari, erigi, & conſecrari conſpiciebantur, atque in illis Deo debita ſervitutis, & laudis obſequia publicè, ac ſolemniter ſimul a Grege cum propriis Paſtoribus perſolvebantur. Evanuerant jam omnia pericula, propter quæ ſecreta, ac domeſtica Oratoria adire ad ſacros celebrandos conventus antea Fideles compulſi fuerant. Hinc Sacrificia in Locis, Ædibuſque privatis rariſſima tunc evâſerant; maximè cum nondum tantus creviſſet Sacerdotum numerus, ut facile poſſent ex iſtis aliqui ad domeſtica Sacella declinare, cauſsâ Sacrificii, quod in propriis Eccleſiis ad communem Populi utilitatem ſinguli Presbyteri offerre debebant. Enimverò illis temporibus tot ferè tantùm ordinabantur Presbyteri, quot ſingulis Eccleſiis, Tituliſque regendis neceſſarii erant, atque ubi plures eidem Titulo addicebantur Sacerdotes, quod primum tempore Innocentii P.I. ex Anaſtaſio in Innoc. Vita contigiſſe conjectat Bencinus adnot. ad Anaſt.Tom.3. Edit. Rom; pag. 69., vel unà ſimul divina Myſteria celebrabant in proprio Titulo juxta frequentem Majorum conſuetudinem; vel alternis vicibus offerebant. Difficilè ergò in modico Sacerdotum numero poterant reperiri, qui ad privata accederent Oratoria; ut in illis privatæ quorumdam pietati indulgerent. Plurimùm etiam expediebat Sæculo IV.; & V. abſtinere a frequenti celebratione Miſſarum in Domeſticis Sacellis, ne anſa præberetur Euſthatianis, qui deſpiciendo Eccleſias ſeorſum, & in privatis Ædibus conveniebant. Illos Synodus Gangrenſis can.6. damnaverat: Atque adverſus ſimiles Schiſmaticos, qui ſeparationem a communione Fidelium facientes Altare contra Altare erigebant, & in ſecreto Sacrificium offerebant, reſpexiſſe non dubito B.Baſilium in Pſal.115. dicentem: *Non in Latebris deliteſcens ſacrificabo, ſed publicum exhibebo tibi Sacrificium*. Propter hos ego quidem ſuſpicor Concilium Laodicenum anni 372. ſtatuiſſe can.58. *Quod non oportet in Domibus fieri oblationes ab Epiſcopis, ac Presbyteris*. Cauſſa demum, ob quam in Domeſticis Oratoriis rariſſima tunc fuerint Sacrificia, inde colligi poteſt, quod cum rariſſimè, ac nonniſi magnâ urgente neceſſitate alibi, quàm in Locis Deo conſècratis ſacrificari permitteretur, raro etiam Miſſæ fieri poterant in Domibus, Oratoriiſque privatis, pro quibus conſecrandis vel Epiſcopi aliis multis paſtoralis regiminis ſollicitudinibus occupati tantum otii non habebant; vel non expedire judicabant in eo ſuam adhibere operam, unde ſumebatur occaſio paſſim publicas deſerendi Eccleſias.

VIII. Quamvis autem imminutus valdè fuerit numerus Miſſarum Domeſticarum poſt conciliatam Eccleſiæ tranquillitatem; non tamen indè penitus interiit diſciplina; quæ nonnumquam privatas Miſſas extra publica Oratoria concedebat. Imò quocunque tempore juxta providam Paſtorum curam permiſſa leguntur Sacrificia Domeſtica non tantùm ſemel, aut iterum ob occurrentes neceſſitates; verum etiam frequenter ad ſpirituale ſolamen illorum, qui Oratoria ad hunc finem in propriis Domibus ædificabant. Veterem diſciplinam circa celebrationem in privatis Domibus, Oratoriiſque excurrere decrevimus, ut collatis veteribus cum noſtris conſuetudinibus appareat; quod legitimis de cauſis in privatis, domeſticiſque aliquorum Oratoriis ſemper permiſſum fuerit Miſſas facere; licèt pro diverſitate Temporum, Perſonarum, ac Locórum non uniformiter eadem conſuetudo ſemper, aut ubique retineri potuerit. Ordinem Sæculorum velut magis aptum ad feriem rerum colligendarum texendam, quantùm fieri poterit, diligenter cuſtodiemus; Attamen hujuſmodi Oratoria Domeſtica in diverſas claſſes diſtribuemus, ut ſeorſim quæ ad Epiſcopos, quæ ad Regularis Vitæ Cultores, quæ ad

Prin-

Principes, & ad Cæteros demum pertinent, proponamus.

IX. Priuſquàm verò de ſingulis loquamur, generatim advertere operæ pretium duco nullam ex nuper n.7. indicatis cauſſis convincere numquam Miſſarum celebrationem factam fuiſſe in privatis Oratoriis Sæculis IV. aut V., ad quæ præcipuè conjecturæ ſuperius propoſitæ referuntur. In primis autem conſiderandus videtur recitatus Canon Laodicenus, quem profectò Patres in Concilio congregati nequaquam condidiſſent, ſi nulla tunc temporis conſuetudo in Domibus ſacrificandi viguiſſet. Imò neque de illa conſuetudine penitùs extirpanda cogitaverunt Patres ipſi, quantùm ego arbitror; ſed ſolùm nimiam Miſſarum Domeſticarum frequentiam impedire ſtuduerunt, quo abunde remedium adverſus Euſthatianorum errorem adhibebatur, ne amplius confoveretur. Etenim ſi Patres Laodiceni omninò reprobaſſent domeſticas Sacrificiorum oblationes, aliis ſanè valdè ſeverioribus verbis uſi eſſent, quàm nudè dicendo *non oportet*, ex quo potius confirmatur, approbaturque domeſtica celebratio, quando gravis, ac rationabilis cauſſa occurreret, unde illam peragi *oporteret*. Etiam a Gangrenſibus Patribus permiſſam ſuſpicor Miſſarum celebrationem in privatis Domibus, dummodo adverſus hæreticos deſpicientes Loca in Dei nomine ædificata, & conſecrata commendarentur ſacri in Eccleſiis celebrati conventus. Hanc ſuſpicionem mihi inſinuant verba Concilii Gangrenſis, quæ poſt Canones ab ipſo conditos exſtant, & ita ſonant. *Domos Dei honoramus, & Conventus, qui in his fiunt, tanquam ſanctos, & utiles ſuſcipimus PIETATEM IN PRIVATIS DOMIBUS NON CLAUDENTES, ſed omnem Locum in nomine Dei ædificatum honoramus, & congregationem in eâdem Eccleſiâ factam pro utilitate communi recipimus.*

X. Quod porrò de Sacerdotum parvo numero, & de eorum *incardinatione* alicui Eccleſiæ diximus, non impedit, quin aliquando, aut alicubi ſaltem illorum aliquis ad privatum Oratorium mitteretur, ut piis quorundam votis ſatisfaceret. Sicut enim unus miſſus eſt Presbyter in domum Heſperii ſacrificaturus, cujus meminit S. P. Auguſtinus Lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. num. 6. Ita pariter ad aliorum domos alii mitti poterant nihil prohibente penuria Sacerdotum, quæ tanta non erat, ut neminem ſineret reperiri, qui ſine præjudìcio ſubjectæ plebis poſſet in domo privatâ Sacrificium offerre. Multò magis in illis Locis reperiebantur Presbyteri ad hoc faciendum idonei, in quibus jam non unus, ſed plures pro ſingulis Titulis Sacerdotes deputabantur. Romæ certè Sæculo V. plures eidem Titulo Presbyteri præficiebantur; Unde in Synodo Romana ſub Symmacho anno 449. modo unus, modo duo, modo tres, quatuorve Presbyteri ejuſdem Tituli ſubſcribunt. Denique illi ſaltem, qui nulli alligati Eccleſiæ ordinabantur, quales fuerunt Macedonius Anachoreta, S. Hieronymus, & S. Paulinus teſte Theodoreto Hiſt. Relig. cap. 13. Hieronymo Epiſtol. 61. & Paulino Epiſtol. 6., illi, inquam liberè poterant in privatis Oratoriis Sacra peragere, quos nulla urgebat neceſſitas, ut publicas pro ſubjecta Plebe Miſſas celebrarent. Imo de his alterutrum affirmare eſt opus, aut eos a celebratione ferè ſemper abſtinuiſſe, aut ut plurimùm in privatis Oratoriis ſacrificaſſe: Nam quinto Sæculo nondum in Eccleſiis multiplicata fuerant Altaria, ut in altero eorum potuerint exteri Sacerdotes offerre, poſtquam proprius Tituli Presbyter in majore Arâ obtuliſſet; Neque illorum temporum conſuetudo ferebat, ut eodem die ſuper idem Altare bis Sacrificium perficeretur.

XI. Quocirca libenter conſentio erudito P. Berlendi De Oblat. §. 2. num. 4. dicenti de S. Barbatiano Presbytero, qui Sæculo V. floruit, eum non alibi, quàm in privatis Oratoriis obobtuliſſe Divinam Victimam Ravennæ,

næ, quando ibi hoſpes degebat; quia nempe ipſi nequaquam concedi poterant publica Miſſarum ſolemnia a ſolis Epiſcopo, aut Parocho juxta morem illius ætatis celebranda. Ex eo etiam acutiſſimus Scriptor colligit S. Barbatiani ſacrificia fuiſſe privata, quòd ante Agendam illi darentur a Nobilibus quibuſdam Ravennatibus oblationes, ut pro ipſis Miſsas facere dignaretur. Apta ſane obſervatio innixa Ritui illorum temporum, quo vigente, dum Miſſæ in Eccleſiâ publicâ celebrabantur, Oblationes ad Altare poſt LectionesApoſtolicas,& Evangelicas deferrebantur. At verò tempore Sacrificii non dabanturSancto Preſbytero oblationes, quæ potius ipſi offerebantur, ut ad Altare accederet Miſſas celebraturus. Hoc profectò exhibet antiquum Lectionarium Ravennatenſe editum Tom. 2. Rer. Italic. pag. 197., ubi narratur Julianum Virum Nobilem ad S. Barbatianum perrexiſſe *cum oblationibus, ut Miſſarum ſibi ſolemnia celebraret ad liberandum ejus filium*; & pag. 198. de Theodorâ dicitur, quod *aſſiduè cum oblationibus veniebat obſecrans Miſſarum ſibi ſolemnia celebrari*. Lubuit iſta inſerere, quatenus ex unico S. Barbatiani exemplo alia plurima eruerentur propter multos illos Sacerdotes, qui in variis Provinciis diverſati non aliunde probabiliter, quàm in privatis Domorum Oratoriis Sacrificium offerebant.

XII. Ultimum ex dictis num. VII., quodque ſpectat ad celebrationem Miſſarum in Locis conſecratis, nobis nequaquam opponitur, ſive quia aliquando etiam illis temporibus diſpenſationem admittebat; ſive quia abſque ullâ gravi difficultate benè in Oratoriis privatis obſervari poterat. Ut ut enim admitteretur tanquam genuinum S. Silveſtri P. decretum, quod ipſi in 3. Par. Decr. Diſt. 1. *de Conſec.* a Gratiano inſcribitur, quodque ſub depoſitionis pœnâ jubet *Miſſas celebrare, niſi in conſecratis ab Epiſcopo Locis*: Quamvis etiam ſimilem Legem viguiſſe in Oriente non ambigamus, dicente S. Cyrillo Lib. adv. Antropomorph. cap. 22. quod *Donum, ſive oblatio, quam myſticè celebramus, in ſolis orthodoxorum Sanctis Eccleſiis offerri debet, neque alibi omninò. Qui ſecus faciunt, apertè legem violant*. Attamen nonnumquam etiam illâ tempeſtate rigor ſanctiſſimæ hujus Legis legitimâ laxabatur diſpenſatione, quemadmodum in ſequenti Opuſculo ejuſdem ævi monumentis pateſcet. Sicut ergo cauſsâ itineris in Campis, & in aperto aëre licebat aliquando tunc etiam ſacrificare; cur idem in Domibus privatis concedi non poterat, ut in proprio Oratorio infirmus aliquis, ac ad Eccleſiam accedere impotens haberet ſolatium ſpirituale domeſtici Sacrificii? Viguit enim deinceps, vigetque adhuc Eccleſiaſtica Lex celebrandi in Locis Deo ſpecialiter dedicatis; nec tamen defuerunt, aut deſunt convenientes diſpenſationes. Cæterum nihil prohibebat etiam illâ ætate quædam in Privatis Domibus Oratoria ab Epiſcopis conſecrari non obſtantibus aliis curis paſtoralibus; cum exploratum habeamus ſequentibus Sæculis, licèt magis multiplicata eſſent talia Oratoria, frequenter adhuc conſecrata fuiſſe. Valeant itaque ſuperius dicta num. 7. ad eum finem, ob quem nos illa protulimus, oſtendendæ videlicet raritatis domeſtici Sacrificii in Privatis Oratoriis: Non autem torqueantur in alium ſenſum excludendi penitus ab iiſdem IV. & V. Sæculo ſacrificia. Verùm ubi decurremus ſingula Majorum monumenta, non obſcura emicabunt, imo clara, & aperta patebunt teſtimonia conſervatæ conſuetudinis non ſolùm medio, infimoque ævo, ſed etiam poſt immediatè ſedatas perſecutiones in privatis Oratoriis Miſſas celebrandi. Accedimus ergo juxtà diſtributas Claſſes ad proponenda domeſtica Veterum Oratoria ea ſingulis Claſſibus adaptantes, quemadmodum magis ipſis congruere viſum fuerit; ut uno curſu

Lectionis, quod de illis reperivimus, conſpici poſſit; nec interrumpemus ſermonem, niſi cum ad tempora Concilii Tridentini ventum fuerit, a quo certæ ſtabilitæ ſunt Leges deinceps exponendæ.

CAPUT V.

De Oratoriis Privatis, & Capellis Palatinis R. Pontificis.

Magnus ille, ac generoſus zelus, quo Romani Pontifices, ferventibus licèt Tyrannorum perſecutionibus, quantùm poterant, frequentes ſimul cum Clero, & Populo celebrabant Synaxes, nequaquam tepuit ſedatis tumultibus; ſed potius incrementa accepit, cum amplis ædificatis Eccleſiis liberè, ac commodè numeroſus grex ſtatis diebus congregaretur, ut a ſupremo, & univerſali Paſtore divinis celebratis Myſteriis ſacramenta ſuſciperet, atque ab illo hortamenta ſalutis inter Miſſarum ſolemnia dari ſolita acciperet. Hinc antiquiſſimâ ab ætate Stationes in R. Urbe habebantur, in quibus turmatim Populus Pſalmodiæ, & Sacrificio aſſiſtebat ſimul cum univerſo Clero, & præſente Pontifice. Feſta etiam Martyrum, & eorum præcipuè, quorum Memoriis inſignes erectæ erant Baſilicæ, publico Sacrificio ſuper ipſorum Altaria oblato Apoſtolici Præſules colebant. Aliis demum quibuſdam fortè Anni diebus in publicis Eccleſiis ſacrificabant ſive moti propriâ pietate, ſive ab occurrentibus identidem ſpecialibus cauſſis invitati. Verùm nec omni die Martyrum ſolemnitates oportebat publicè celebrari; nec nimis frequenter Stationes indicebantur; aut peculiares cauſſæ quotidie urgebant, ut Pontifex ad Eccleſiam deſcenderet Sacris operaturus. Erant igitur non pauci dies per Annum, in quibus ipſe poterat privato in Oratorio ſacrificare, quin continuò Clerum ſuum fatigaret in Eccleſiam deſcendens. Certè non ita parcè ſe continebant Sanctiſſimi, ac Œcumenici Paſtores in offerendo Sacrificio, ut tunc ſolùm offerrent, quando ſtabiliti Ordines, aut extraordinarii eventus communes ad Baſilicas illos accedere poſtularent. E contra novimus eorum aliquem ſæpius eodem die celebraſſe: Nam de Leone III. P. ſcripſit Walfridus Strabo Lib. de Eccl. Reb. cap. 21. quod *ipſe fatebatur ſe ſæpius* feciſſe, *una die ſepties, vel Novies Miſſarum ſolemnia*.

II. Ex his conſequi videtur debuiſſe in R. Patriarchio privata quædam extrui Oratoria, ubi rei divinæ vacarent Pontifices, quando non valdè infrequens occaſio ipſorum excitaſſet pietatem ad ſacrificandum, licèt nulla ratio ſpecialiter ipſos ad publicum offerendum Sacrificium invitaret. Quare Vetera Sacramentaria, & ordines Romani deſervire poſſunt argumento celebrati nonnumquam domeſtici ſacrificii; cum diligenter pænè illos omnes dies deſignent, in quibus Pontifices publicè Miſſas facere, atque ideo ad Eccleſias cauſsâ Sacrificii accedere ſolerent. Suadet inſuper eadem Sacrificia privata neceſſitas, quæ ſæpè non poterat non evenire, ut in proprio Patriarchio vel valetudinis ergo, vel ob nimias ſollicitudines paſtoralis regiminis commorari cogerentur. Numquid enim credibile eſt ſupremum Eccleſiæ Caput caruiſſe privato Oratorio, ut cum nequiret ad Baſilicas accedere, in privato Sacello ſacrificare non poſſet? An ne minoris ipſe conditionis erat cæteris Epiſcopis, quibus tamen erant domeſticæ Capellæ, ut inferius patebit?

III.

III. Imo potius non unum, ſed plura Oratoria habuiſſe RR. Pontifices in Lateranenſi Patriarchio, quod pænè ſtatim poſt Conſtantini illuminationem incolere conſueverunt, abundantiſſime oſtendit Card. Raſponus in ſuo erudito Opere de Baſilic. & Patriarch. Later. Videat Lector Tabulam iconographicam antiqui illius Patriarchii in calce laudati Operis impreſſam, ut ſitum, & numerum Oratoriorum ad idem ſpectantium intueatur. Erant iſta intra ambitum Pontificalium Ædium pænè omnia comprehenſa, quæ proinde tot erant Palatinæ Capellæ, in quibus ſacra Myſteria conſecrabantur. Imo aliqua etiam propè Pontificium Cubitorium, aut Veſtiarium, aut Cœnatorium ædificata fuerant; Unde magis perſuaſum habeamus illa verè intra Lateranenſis Palatii fines incluſa fuiſſe. Ab Anaſtaſio Bibliothecario ſitum eorumdem Oratoriorum diſcimus; De Oratorio a Julio Pontifice extructo ipſe loquitur in Sergio I. num. 158., & illud intra limites Patriarchii collocat: De Oratorio S. Cæſarei, quod *intra Palatium* extitiſſe tempore M. Gregorii probat Raſponus Lib. 4. cap. 13, inquit Anaſtaſius: *EST INTRA Sacroſanctum ſupraſcripsum Palatium*. Similiter num. 161. de Theodori P. Oratorio agens illud in Palatio Locum habuiſſe ſatis indicat. At melius reor Lectorem meum ad Raſponum mittere Lib. 4. de iiſdem Oratotiis lato calamo diſſerentem, quàm hìc ſingillatim omnes Capellas Palatino-Pontificias exponere; maximè cum apud eundem inveniet primos illarum ædificatores Theodorum, Gregorium, Vigilium, Julium, alioſque nonnullos RR. Pontifices, a quibus tanquam ab earum Auctoribus nomen ſortiebantur, ſicut amplæ Capellæ Sixtina, & Gregoriana in Vaticano, & Paulina in Quirinali Palatio ſuorum Fundatorum nomina retinuerunt, ut appoſitè advertit præclari nominis Vir Franciſcus Blanchinus Adnot. ad Cæleſtinum P. Sect. 62. pag. 96. Tom. 3. Anaſtaſii Edit. Roman.

* *

IV. Singulariter autem loquar de Oratorio Laurentiano, quod ex teſtimonio Anaſtaſii apertè demonſtratur Palatinam Pontificiam Capellam extitiſſe. Etenim in Stephano IV. (Hunc ipſe III. appellat) num. 264. refert, quod Conſtantinus *Subdiaconus*, *&* *Diaconus a* (Gregorio) *Epiſcopo in Oratorio Sancti Laurentii intra idem Patriarchium* . . . *conſecratus eſt*, inſtantibus videlicet nonnullis factioſis anno 768. Alibi etiam clarius idem Scriptor declarat eandem Capellam privatis commodis Pontificum deſerviiſſe, quando privatim ipſi Divinas Laudes, quæ Sacrificiis præcipuè exhibentur, cum ſuis Palatinis Clericis perſolvebant. Ita ergo in Gregorio IV. Anno 827. in Sede Petri collocato loquitur num. 475. *Fecit & in Patriarchio Lateranenſi pro UTILITATE, SIVE USU PONTIFICIS prope Oratorium Sancti Chriſti Martyris Laurentii habitaculum ſatis idoneum*, *ubi & quies eſt optima*, *& cum Clericis ſuis Pontifex inde egrediens omnipotenti Domino debitas poteſt laudes perſolvere*. Diù poſt Sæculum IX. perſeveravit Oratorium S. Laurentii (*vulgariter Sancta Sanctorum dicitur* teſte Auctore Ordinis R. XIV. cap. 21. pag. 261., editi a Claris. Mabillonio) gerere vices Capellæ Pontificiæ; atque de illo exiſtimamus locutos Petrum Abaelardum, dum Epiſt. 5. ad B. Bernardum, nominavit *Romani Palatii Baſilicam*; & Cencium Camerarium Ord. R. XII. num. 20., dum commemoravit *in Capellâ* nonnumquam a Pontifice facta ſacra officia. *Excepto*, ait, *quando Dominus Papa conſecrat in Capellâ*. Qualis fuerit hæc Pontificis Capella, ſatis deſignaverat, ut arbitror, Cencius num. 15. dum de Feſto Paſchatis tradidit, quod Pontifex *vadit ad Baſilicam S. Laurentii* . . *& exſurgens ingreditur ad adorandum Salvatorem* . . . *Tunc Acolythi ponunt Crucem CAPELLÆ ſuper Altare*, *& Dominus Papa adorat eam*. Erat igitur Laurentiana Baſilica Pontificis Capella, in qua præter alias inſignes Reliquias portio Domini-

minicæ Crucis in cruce aureâ pretioſis gemmis ornatâ cuſtodiebatur, & certis diebus a Pontifice ſuper Altare ab omnibus adoranda collocabatur. Optimè autem congruebat Oratorio Sancti Laurentii nomen Capellæ Pontificiæ a Cencio ei attributum, cum illud in Palatio Lateranenſi erectum fuiſſe frequentius dixerit idem Cencius, & præcipuè num. 79. his verbis; *Prior Baſilicæ S. Laurentii de Palatio*: & num. 81. *Prior S. Laurentii Sacri Palatii*. Etiam Petrus Manlius Lib. ad Alex. III. S. Laurentium *de Palatio* nuncupavit cap. 30. Tom. 2. Muſæi Italici Mabillon. pag. 163. Ed. Pariſ.

V. Ex laudatis Camerarii Apoſtolici verbis diſcimus fuiſſe ſpeciales Clericos huic Capellæ Pontificiæ addictos, qui illius cultui continuò excubarent. Forte illi Clerici, cum quibus Gregorius IV. in idem Oratorium facturus Dei laudes deſcendebat, ipſius Cuſtodiæ ſimul deputati erant; quamvis apertè id non tradat Anaſtaſius. Præter Cencium alii Ordines Romani XI. pag. 131. Muſæi Ital. T. 2., & XIV. infra a nobis proferendus commemorant Priorem, & Canonicos Baſilicæ *Sancta Sanctorum*; quæ ſunt manifeſtum indicium Cleri adſcripti ad ejuſdem cultum. Hinc confirmari poſſunt acutæ, ac prudentes conjecturæ præclari Viri Petri Moretti de Presbyter. pag. 62. arbitrantis *Scholam Baſilicæ*, ſeu *Baſilicariam*, quæ legitur in Ordine Romani Canonici num. 43., & Ordine Manlii pag. 159. fuiſſe Collegium Clericorum miniſtrantium Papæ in Baſilicâ Palatii ad Sancta Sanctorum. Facilè etiam hinc conciliari poſſunt duo diplomata Honorii II. & Innocentii II., quorum inferius mentio erit, quibus promiſcuè aliqui Subdiaconi ſubſcribunt ſub hoc titulo *Sacræ Baſilicæ Subdiaconus*; alii verò: *Sacri Palatii Subdiaconus*. Optimè iſta cohærent, cum alterutro nomine idem ſignificaretur, quia Baſilica Laurentiana tum *Baſilica Sacri Palatii*, tum abſolutè *Sacra*, ſeu *Sancta Baſilica* nuncuparetur. Ex Clericis ejuſdem Baſilicæ fuiſſe vix ambigo illos, qui Litteris a Clero R. ſcriptis anno 1119. Kal. Martii, & To. 1. Ampliſ. Collect. Martenii pag. 646. editis ſubſcribunt Electioni Calliſti II. *Gregorius Scholæ Baſilicæ Subdiaconus*, & *Rainerius Prior Subdiaconus Scholæ Baſilicæ*. In Notitiâ Vaticanâ, editâ a Card. Baronio ad an. 1057. inveniuntur ſex Diaconi *Palatini Præfecti* Diaconis *Regionariis*. Hos quoque addictos Baſilicæ Laurentianæ conjicio; quos utpote ſpecialiter deputatos Pontifici ſimul honoris cauſsâ Regionariis præfici conſueviſſe ſuſpicor. Parcat Lector benevolus, ſi paululum in Clero hujus Capellæ Papalis eum detinui, quia uberiora videbantur mihi de Oratorio reliquis illuſtriore enarranda. Proderunt etiam iſta illuſtrando argumento de Clericis Palatino-Pontificiis, de quibus paullo poſt diſſeram.

VI. Recenſita hactenus Oratoria intra fines Lateranenſis Palatii comprehenſa penitus privata fuiſſe affirmare non poſſum; Nam prætermiſſis Oratoriis Baſilicæ Lateranenſi, ejuſque Baptiſterio verſùs occaſum conjunctis, ac Oratorio S. Thomæ, quæ propriè Palatina non erant; adhuc aliqua illorum verè ad Pontificium Palatium pertinentia certis diebus omninò patebant omnibus, qui illa viſitare orationis gratiâ voluiſſent. Id præcipuè de Oratorio Laurentiano ad Sancta Sanctorum evidens eſt ex his, quæ apud Cencii, aliorumque Romanos Ordines leguntur. Verùm Tùm iſtud, tùm alia quædam Oratoria benè poterant in numerum privatorum Oratoriorum revocari, quatenus intra Palatium exſtructa publici penitus Juris nuncupari nequibant & proprio ſenſu Palatina dicebantur. Cæterum illa ipſa facilitas Populo data adeundi Pontificia Oratoria magis ad vivum repræſentat ſimilitudinem cum Capellis Apoſtolicorum Palatiorum recentioris ætatis, in quas non ægrè permittitur aditus ſingulis, quantum patitur earumdem amplitudo; ſecundùm quam recentes Papales Capellæ etiam Veteribus non modicè aſſimi-

aſſimilari poſſunt. Etenim Palatinæ illæ Baſilicæ non erant anguſtæ, cum in illis Concilia celebrata, ut in Baſilicâ Julii Synodus Palmaris ſub Symmacho P., & in Baſilicâ Leoninâ Synodus ſub Nicolao I. adverſus Joannem Ravennatem; ſplendida convivia; & alia multa peracta fuerint, quæ modicas Aulæ anguſtias non ferebant. De his abundè agit Card. Raſponus Lib. 4. ubi ſimul magnificos ornatus earumdem deſcribit, ut demum in hac magnificentiâ etiam Modernæ æmulentur antiquas.

VII. Quamvis porrò RR. Antiſtites in proprio Palatio tot haberent Baſilicas, ſeu Oratoria, maximè veroſimile mihi videtur ſecretiora alia habuiſſe, quæ magis proxima propriis cubiculis eò promptius adirent, quò difficilior cæteris pateret acceſſus. Tale fortè erat Oratorium a Calliſto II. exſtructum, & ornatum illis picturis, quas Raſponus Lib. 4. cap. 1. p. 287. Ed. R. repræſentat. De illo Oratorio ita in antiquo Codice apud Card. Baronium ad annum 1124. legitur: *Hic* (Calliſtus) *a fundamento conſtruxit in Palatio Lateranenſi Capellam S. Nicolai ad ASSIDUUM Romani Pontificis USUM*. In hujuſmodi privatis Capellis non rarò ſacrificaſſe Pontifices nemo inficiabitur, cum non alio fine iſtæ excitarentur, quàm ut ipſorum privatæ pietati liberrimè indulgerent. Tenuerunt poſtea Romani Pontifices eundem morem diſtinctarum Capellarum Palatinarum, quarum aliæ eſſent ampliores, ac ad ſolemnem celebrationem Miſſarum idoneæ, aliæ anguſtiores ad uſum magis aſſiduum, tùm proprium, cùm Apoſtolicorum Clericorum. De iſtarum diſtinctione Capellarum in *parvam*, & *magnam* clara adverti indicia pag. 353. Muſæi Ital. Mabill. ex Ordine R. XIV. cap. 72., & pag. 474. ex Ordine XV. cap. 53. Similiter cap. 154. fit mentio Miſſarum in *Magna* Capellâ Perufii ſub Bonifacio IX celebratarum; & capp. 157. & 159. *Parvâ* Capella innuitur. In Vaticano Palatio major eſt numerus anguſtorum Sacellorum, & nomina ſervant Fundatorum nempe S. Pii V. Sixti V. Clementis VIII. Pauli V. &c.

VIII. Ut verò Apoſtolici Palatii propria Oratoria, quæ poſtmodum Capellæ nomen adoptaverunt, deſignare ſtuduimus, operæ pretium ducimus ſimul etiam de Palatino-Pontificiis Clericis ſermonem inſtituere, quatenus ex his magis confirmemus morem RR. Pontificum nonnumquam celebrandi in proprio Patriarchio. Non valdè antiquum eſſe Capellanorum nomen ex dictis Cap. 2. quiſque poteſt deprehendere; At ſimul unicuique exploratum erit non aptius, tutiuſque inveſtigari quorumdam Capellas, quàm ex Capellanis ipſis, quorum denominatio a Capellis derivavit. Licèt ergo prætermittere alia teſtimonia ſeries temporum hortetur; prius tamen ab Capellanis Pontificis exordimur, quibus manifeſtius ex ipſâ Nominis appellatione Pontificiæ Capellæ oſtenduntur. Capellanorum Papalium mentio primùm comparet in Ordine R. X., quem ſpectare cenſuit Mabillonius ad Sæculum XI. Verùm quia tanquam novum vocabulum non proponitur, propterea antiquiores ejuſdem nominis, ac officii Clericos fuiſſe in Pontificis Palatio non imprudenter conjicimus. Frequentius autem eorum meminere Scriptores XII. & ſequentium Sæculorum. In excerptis Petri Manlii, qui floruit medio XII. Sæculo, de Vatic. Baſil. Tom. 2. Muſæi Ital. pag. 162., & 168.; Pariter in Ordine R. XII. Cencii Camerarii ſcripto ineunte Sæculo XIII. num. 28. 66. 82. Capellani Pontificis memorantur. Bato *Capellanus* Lucii II. dicitur in chartâ ejuſdem Lucii P. anni 1144.; quam ex Hiſtoriâ MS. Peregrini Priſciani Clar. Georgius T. 2. de Lit. R. Pont. Diſſer. 1. cap. 4. n. 10. unà ſimul cum aliâ ſimili chartâ pro Eccleſiâ Nicienſi allegat. Innocentius II. ſpoponderat *ſe inter Capellanos ſuos habiturum* Petrum Diaconum & Monachum Caſinenſem, ut legitur Lib. 1. Chron. Caſin. cap. 114. Ab Innocentio III. Lib. 1. Epiſt. 369. Lib. 2. Epiſt.

209.

209. 210. 211., & Lib. 16. Epiſ. 18. inter Capellanos Pontificis recenſentur Marſicanus, Joannes Apoſtolicæ Sedis Legatus, & Angelus poſtea Diaconus Cardinalis S. Hadriani. S. Thomas Herofordienſis poſtea Epiſcopus appellatur *Capellanus Domini Papæ* Innocentii IV. in excerpt. de ejus Canonizat. Tom. 2. Vit. Papar. Avenion. pag. 367. apud Balutium. Ejuſdem Innocentii Capellanum, & Pœnitentiarium fuiſſe Sanctum Raymundum Pegnafortium ſcribit Bzovius ad annum 1234. num. 15., qui ad ann. 1249. num. 6. Joannem Valdehuſenium inter Capellanos prædicti Pontificis adjungit. Idem Bzovius ad an. 1273. num. 9. loquitur de Guillelmo Matiſconenſi Epiſcopo, & Capellano Gregorii X. De aliis Capellanis Pontificiis gravia munera perfunctis ſub Nicolao III. ſucceſſore Gregorii agit idem celebris Hiſtoricus ad an. 1278. num. 15. & ad an. 1280. num. 1. & 3. Videri etiam poterit Peyratus Lib. 1. de Capel. Reg. Franc. cap. 3., qui nominat Giraldum de Moret *Domini Papæ* Clementis IV. Capellanum. Legatur demum Ciaconii opus a Victorello auctum in Nicolao IV., & Bonifacio VIII., in quo indicantur nonnulli Capellani Pontificii Sacelli ad Cardinalitiam dignitatem provecti.

IX. His Capellanis magna negotia identidem a Summis Pontificibus fuerunt concredita; ac proinde plures ad eum gradum aſſumebantur, qui ſcientiâ, & prudentiâ præfulgebant. Ipſorum aliquos Scribæ, & Cancellarii Apoſtolici munus geſſiſſe, non minus ac in Principum Aulis Capellani Regii eadem munera obirent, Turturetus de Capel. Reg. Hiſpan. Peyratus ſupra laudatus, & Cangius in Gloſſ. V. *Capellanus* plurimis exemplis confirmant. His non difficile foret alia adjungere ex ſubſcriptionibus, quibus Capellani aliorum Principum chirographa ſignabant. Aliquot ſuppeditabunt Antiquitates Mædii Ævi a Clariſ. Muratorio collectæ.

X. Hæc officia præſtita a Pontificiis Capellanis non prohibent; quin maximè in eam curam incubuerint inſerviendi R. Pontifici in Mitrâ, in Sacris Veſtibus, & ſimilibus muneribus, cum vel Pſalmodiæ curſum decurrebat, vel ſacris operabatur. Revera in prædictis RR. Ordinibus talia munera Capellanorum proponuntur. Ita Ordo X. num 2. de Off. in Cœnâ D. inquit: *Intrat*, Pontifex, *Eccleſiam S. Thomæ, & dicit cum Capellanis ſuis Nonam*. Et Ordo XII. Cencii num. 28. agit de recitando feriâ VI. in Paraſceve Pſalterio a Pontifice cum *Omnibus Capellanis* ſuis. Videri poteſt Ceremoniale Gregorii X. num. 25., cujus nos verba inferius num. 25. deſcribemus. Qualia autem eſſent munera Capellanorum, dum Pontifex Miſſas faciebat, latè proponit Ordo XIII. Mabillonianus, ac præcipuè cap. 53.; ubi mihi ſingulariter videtur advertendum, quod etſi diſtinctè Capellani, ac Clerici Capellæ Pontificiæ commemorentur, tamen a numero Clericorum Capellani expungi non debeant; ſecus opus foret Acolythos a Clericis ipſis diſpeſcere, qui etiam diſtinctè eodem cap. nominantur. Nemo porro, ſicut exiſtimo, prudenter ambiget illos eoſdem Capellanos, qui publicè in Stationibus aſſiſtebant miniſtrantes, famulanteſque Pontifici celebranti ſolemniter, eumque ad Eccleſiam proficiſcentem comitabantur; ſimul etiam præſto fuiſſe ad eadem officia, cum in Palatinis Capellis ſacrificabat. Imò potius hoc propriè Capellanis competit videlicèt Epiſcopo inſervire, quocunque in loco non ſolùm in privato Oratorio, quàm in publicâ Eccleſiâ, ſicut innuit Concilium Colonienſe anni 1260. cap. 10., ipſe Miſſas fecerit.

XI. A me autem forte quis quæret, cur prætermiſerim antiquius monumentum Capellanorum Papalium promendum ex Titulo Apocriſarii, quem Sæculo VI. M. Gregorio traditum ab Iſidoro Lib. de Illuſ. Eccl. Scrip. c. 27. a Joanne Diacono in illius Vitâ c. 17., ab Adone, & aliis novimus; Quemque

que Hincmarus Epiſ. ad Epiſcopos Galliæ de Offic. Palat. cap. 6. cum Capellano confundere viſus eſt his verbis: *Apocriſarius, qui & Capellanus dicitur*? Non ſine cauſsâ ab eo abſtinendum duxi: Etenim nomen Apocriſarii propriè aliud plane diverſum munus a munere Capellani ſignificat; videlicet Nuncii Officium, quale S. Gregorius Conſtantinopoli exercuerat, ipſo teſtante Lib. 3. Dial. cap. 36.; ubi inquit: *Dum juſſione Pontificis mei in CPanæ Urbis Palatio reſponſis Eccleſiaſticis obſervirem*. Hincmarus quoque cap. 13. Apocriſarium appellat *Reſponſalem Eccleſiaſticorum negotiorum*. Ideo autem Capellanum Regium ſimul etiam Apocriſarium olim nominabant Galli, quia ad ipſum pertinebat, quæ ad Aulam deferebantur negotia Eccleſiaſtica audire, & ſæpe pro maximâ, qua apud Principem fruebatur, auctoritate componere. Ne igitur certa incertis commiſceremus abſtinere neceſſe fuit ab hujuſmodi genere teſtimoniorum; maximè cum Apoſtolicæ Sedis Apocriſarii non in Pontificio Palatio conſtituerentur; ſed ad Imperatores mitterentur, ut cauſas Eccleſiæ Cæſari nunciarent, & viciſſim reſponſa Imperialia ad Pontificem referrent, a quibus reddendis proprie dicti ſunt Apocriſarii, cum ἀποκρισεις græcè *Reſponſa* latinè ſonet.

XII. Et ſi vero vetuſta non ſit Capellani Pontificii appellatio, quæ nondum fortè pervulgata fuerat ante Sæculum XI. ad denominandos Clericos Epiſcopis in divinis obſequiis famulantes; non propterea multò antea deerant Pontifici ſui ſpeciales Clerici, qui in Palatio degentes variis muneribus perfungerentur. De M. Gregorio refert Joannes Diacon. Lib. 2. Vitæ cap. 11. quod *remotis a Cubiculo ſuo Secularibus Clericos, & Monachos ſibi Conſiliarios, & Familiares delegit*. Hunc morem alii Pontifices tenuerunt, & ſuos habuerunt Clericos Familiares, quibus curas Pauperum, cauſſarum cognoſcendarum, Veſtiarii, Theſauri, cæterarumque Rerum committerent. Permanet iſta adhuc conſuetudo inter RR. Pontifices, qui Domeſticos Prælatos ſimilibus Palatinis Officiis præficiuunt; Et quamvis ex his plures extra Apoſtolicum Palatium habitare permittant, tamen velut Familiares de eodem pane, vinoque participes faciunt. Cum igitur tàm multos ſecum haberent Clericos Romani Præſules, copia Miniſtrorum iſtis deeſſe non poterat, dum in proprio Patriarchio per ſe, vel per alios Sacrificium offerre voluiſſent.

XIII. Cum verò ſpeciales Clericos Palatii Apoſtolici recenſuerimus; nos rurſus invitat hoc ipſum, quod tractamus argumentum, peracti videlicet nonnumquam a RR. Pontificibus Sacrificii in Palatinis Oratoriis, ſeu Capellis. Joannes Diaconus de Eccleſ. Lateranen. ad Alexand. III. P. Tom. 2. Muſæi Ital. pag. 567. manifeſtat ſingulares fuiſſe Diaconos, & ſubdiaconos Palatinos, qui miniſtrarent Pontifici, dum in Palatio Miſſas habebat, quamvis iidem ipſi unà cum aliis aſſiſterent Pontifici, cum ſolemniter vel in Eccleſiâ Lateranenſi, vel in cæteris inſignioribus Urbis Baſilicis Stationes celebraret. Pauca recitamus verba Joannis, unde ſumemus diſtinctionem *Palatinorum* Diaconorum, & Subdiaconorum a cæteris Diaconis, & Subdiaconis Regionariis. *Debet* (ait) . . . *præſens eſſe Archidiaconus cum ſex Diaconibus Palatinis, qui in Palatio legère debent Evangelium, & in Baſilicâ Lateranenſi: & alii duodecim Diacones Regionarii, qui ſolent Evangelium legere in Stationibus Eccleſiarum Romæ conſtitutis*. Hæc de Diaconis; ſequentia de Subdiaconis: *Debent . . . eſſe ſeptem Subdiaconi Palatini, & Schola Cantorum, ſed & alii ſeptem Subdiaconi, qui Regionarii vocantur &c. Alii verò ſeptem Palatini Subdiacones Epiſtolas legere debent in Palatio ad Miſſam Domini Papæ, & in Eccleſiâ Lateranenſi*. De Palatinis Diaconis mentionem factam a Leone Urbevetano Sæc. XIV. vidimus apud Lamium Tom. 2. Delic. Erud. pag. 28.

XIV.

XIV. Uberiora de Palatinis Subdiaconis reperiuntur. Hos cenſuit eruditus Auctor Dom. Georgius Tom. 2. Diſſer. 1. de Hier. Eccl. cap 4. num 2. confundi poſſe cum Subdiaconis Baſilicariis, quatenus etiam iſti tum in Palatio, cùm in Baſilicâ Lateranenſi Pontifici celebranti miniſtrarent. Si ita res ſe habet, multò altius conſcendere poſſumus in aſſignandis Palatinis Subdiaconis, cum antiquius ſit nomen Subdiaconi Baſilicarii. Alter eruditus Scriptor Onuphrius Panvinius p. 5. Interp. Vocum Eccleſ. dixit eoſdem fuiſſe Subdiaconos S. R. Eccl., qui Subdiaconi Palatini dicebantur. *Hi porro*, inquit, *S. R. E. Subdiaconi, quod Pontifici certis officiis aſſiſterent, & ſervirent, ut in Camerâ, & in Menſâ, & in Proceſſione ante ipſum Crucem deferrent, Palatini etiam Subdiaconi dicti ſunt*. In Panvinii ſententiam me inclinat Diploma Innocentii II. anni 1138. pro Eccleſiâ Piſanâ ex Ughello a Georgio num. 4. laudatum; Cui in hunc modum ſubſcripſit *Joannes Paparo Rom. Eccl. Subdiaconus*, cum alii ſubſcripſerint Subdiaconi *Sacri Palatii*. Mirum enim unum tantùm S. R. Eccl. Subdiaconum fuiſſe; & non potius illos omnes ejuſdem gradûs extitiſſe; qui proinde ſive ſeſe Subdiaconos Sacri Palatii, ſive S. R. E. Subdiaconos inſcriberent, diverſis vocibus idem officium ſignificarent. Certè ſi inter illos nonnulla muneris diverſitas fuiſſet, ordinem etiam in ſubſcriptione ſervare debuiſſent; cum tamen Paparo inter Subdiaconos Sacri Palatii ſubſcriptus reperiatur. Nec refert non debere de Diaconis, & Presbyteris, qui S. R. E. Diaconi, & Presbyteri inſcribebantur, idem affirmari, quod de Subdiaconis probabile videtur: Nam S. R. E. Diaconi, ac Presbyteri ſuos ſpeciales Titulos regendos habebant, atque in illis morabantur, neque cum Palatinis Diaconis, ac Presbyteris in Apoſtolico Palatio commorantibus confundi poterant. At Subdiaconis S. R. E. creditas Urbis Eccleſias fuiſſe vel numquam legitur; vel ſolùm ex ſingulari diſpenſatione aliquando contigit. Movent etiam in ſententiam Panvinii Innocentii II. P. litteræ in quibus frequenter promiſcuâ appellatione modo Subdiaconos *ſuos*, modo *Romanæ Eccleſiæ* Subdiaconos nuncupat.

XV. Jam verò ſi hos Subdiaconos confundamus, prodeunt ſtatim duo vetuſta monumenta, quæ ad Palatinos Subdiaconos deſignandos a nobis hìc proferantur; quorum unum ex Concilio Romano anni 969. ſub Joanne XIII. P. ſumitur, in quo *Joannes S. R. Eccl. Subdiaconus conſenſit* Litteris pro Eccleſiâ Beneventanâ datis; alterum ex Concilio Rom. ſub Nicolao II. P. anno 1059., cui *Hildebrandus Monachus, & Subdiaconus, & cæteri Romanæ Eccleſ. Subdiacani ſubſcripſerunt*. Hæc, aliaque è Sæculo XI. prompta commemorat Cl. Georgius, quæ nos in uſum noſtrum ſponte venientia ſuſcipimus. Duos alios Subdiaconos Sanctæ Rom. Eccl. reperio in erudito opere Ludov. Muratorii Antiqu. Italic. nempe Gualfredum ex chartâ Ann. 1156. editâ Tom. 3. pag. 169., & Gratianum S. R. E. Subdiaconum, & Notarium Alexandri P. III. ex chartâ anni 1175. editâ Tom. 5. pag. 568.; & ex alterâ anni 1169. editâ To. 6. pag. 409. Si porro clara deſideramus Subdiaconorum Palatinorum teſtimonia, non deſunt: Etenim poſt Ughellium a Georgio num. 3. laudatur Diploma Honorii II. P. anni 1126. pro Eccleſia Piſanâ, cui non minus, quàm alteri Innocentii II. P. anni 1138. *Sacri Palatii Subdiaconi* ſubſcribunt. Addamus tertium, quod refert Pandulphus Piſanus in Vitâ Gelaſii II. P., hujus nempe electioni inter cæteros ſubſcripſiſſe *Subdiaconos Palatii omnes*.

XVI. Forſitan hinc emergit quædam conjectura Subdiaconos Palatii eos fuiſſe, qui poſtea dicti ſunt Capellani; nam Innocentius Papa III. Lib. 1. Epiſ. 369. ita nominat Marſicanum: *Subdiaconus, & Capellanus noſter*. At vero mera eſt conjectura; quia ſaltem poſtea non ex Subdiaconis, ſed ex Presbyteris aliquos conſtitutos fuiſſe Capel-

Capellanos ex Gregorii X. P. Cæremoniali num. 22., & ex Ordine Cencii num. 4. ſatis colligitur. Imo ſubinde diſtinctos inter ſe Subdiaconos Pontificios a Capellanis apertè declarat Cencius in ſuo Ordine num. 57., & Ordo XIV, R. cap. 46. his verbis: *Quilibet Capellanus Domini Papæ, non Subdiaconus Domini Papæ*, & cap. 74. recenſentur *Capellani Commenſales, Auditores, & Subdiaconi, deinde Acolythi, & Capellani honoris*. Ex hujuſmodi Clericorum diſtinctione diverſæ claſſes, ſive, ut primum vocabantur, diverſæ *Scholæ* Palatini Cleri ſunt diſtributæ. Iterum vero Capellani, & Auditores Cauſſarum Palatii in unam Claſſem coaluerunt; quod, ut videtur, aliquanto poſt regreſſum Pontificum Avenione in Urbem contigit. Reverà Ordo XV. Petri Amelii ſcriptus poſt eundem reditum ſeorſim recenſet n. 3., & 15. Capellanos, Acolythos, Auditores, Subdiaconos; & Capellanos diſtinguit inter Capellanos *Commenſales*, & Capellanos *Honoris*. Solum ineunte Sæculo XV. obtinuiſſe conſtat, ut Auditores ſimul eſſent Capellani Apoſtolici. Litteræ Joannis P. XXIII. 8. Kal. Junii an. 1410., & Alexandri P. V. anno 1409. recitatæ a Bernino in ſua accurata Hiſtoria Rom. Rotæ pag. 60. id demonſtrant. Iiſdem Auditoribus munus Apoſtolicorum Subdiaconorum addidit Alexander VII. P., cujus Litteras anni 1655. die 26. Octobris recitat Berninus in laud. Hiſtoria cap. 4.; cauſſas vero iſtius poſtremæ variationis profert Card. Raſponus Lib. 2. de Baſilic. Later. cap. 7.

XVII. Præter Palatinos Diaconos, & Subdiaconos habuiſſe RR. Pontifices etiam Palatinos Acolythos tradit Arringhius Lib. IV. Romæ Subterran. cap. 25., quos iccirco ab Acolythis Stationariis, & Regionariis diſtinguit. Triplicem eandem Acolythorum claſſem novit quoque Panvinius cit. Opuſc. At Mabillonius Comm. Prævio ad Ordd. RR. pag. XVIII. Ed. Par. duplicem tantum illorum Claſſem admittit, quos *Regionarios*, & *Titulares* nominat. Nihil vero doctus Scriptor proponit, quod nos removeat ab Arringhii, & Panvinii ſententia, quæ nititur teſtimonio Cencii Tit. 38. n. 62. diſtincte commemorantis *Acolithos Domini Papæ* participantes de oblationibus factis ſuper Altare S. Petri. Eorundem Pontificiorum Acolythorum mentio frequens occurrit in ſequentibus Romanis Ordinibus, qui ſimul innuunt, illos miniſtraſſe Pontifici celebranti in aliis Baſilicis, quibus ſingulares erant adſcripti Acolythi. Unde igitur novi hi introjerunt Acolythi ſpecialiter R. Pontifici in ſacro miniſterio famulantes, ſi antea proprios non habebat Acolythos diſtinctos a Baſilicariis, ſeu Stationariis, & Regionariis? Qui olim Acolythi S. R. Eccl. dicebantur, certè erant Pontificii, & Palatini, quemadmodum de Subdiaconis S. R. E. cum Panvinio paullo ante dicebamus. Enim vero qua alia ratione, & in quem alium finem Acolythi S. R. E. conſtituerentur, quam ut Pontifici ſingulariter in Sacrificio deſervirent, penitus ignotum fore exiſtimo. Ex Acolythis S.R.E. duos recenſet laud. Georgius Diſſer. 1. de Hier. cap. 5. n. 6. nempe Theodorum ex Lapide litterato Sæculi IX. expreſſo in Inſcription. Donii Claſſe 19. num. 17., & Petrum, qui Diplomati Alexandri P. II. anno 1063. in gratiam Monaſterii S. Benigni Fructuarienſis conceſſo ſubſcripſit. Elapſo Sæculo Collegium Acolythorum Apoſtolicorum Alexander P. VII. per prædictas Literas Apoſtolicas majore nobilitate adauxit in illud adſcitis ampliſſimis R. Curiæ Præſulibus, qui ſunt Votantes Signaturæ Juſtitiæ, & Abbreviatores Cancellariæ Apoſtolicæ, quique plura veterum Defenſorum, & Notariorum Apoſtolicorum munera gerunt.

XVIII. Singula hæc de Clericis Palatino-Pontificiis in medium prolata eo a nobis diriguntur, ut inde eruamus, quod RR. Pontifices apud

ſe hos Clericorum Ordines habuerint, qui ipſis ſive in Eccleſia Stationali, ſive in propria Capella Miſſam celebraturis præſto eſſent. Imo iſta diſtinctio Palatinorum Clericorum a reliquis Diaconis, Subdiaconis, & Acolytis nil aptius præſefert, quàm debita in ſuo ordine, ac gradu famulatus, & miniſterii obſequia a Palatinis Clericis præſtita Pontifici in Palatio ſacrificanti. Nam dum publica in Eccleſiis officia peragebant Pontifices, aderant peculiares Miniſtri, ac Clerici Regionales, & Stationales, qui ipſis benè miniſtrare poterant, quin ad hunc finem diſtinctum & ſingularem Palatinum Clerum conſtituere opus foret. Aliis porro Palatii Apoſtolici gerundis muneribus nulla ratio exigebat, ut Palatini Clerici in Claſſes Subdiaconorum, & Acolythorum diſtribuerentur, quæ proprie, & unicè ordinem ad rem divinam faciendam inſinuant. Conſervatur hactenus, ut jam diximus, laudanda conſuetudo diverſi ordinis, graduſque Clericorum Palatinorum; ſed quia ad rem divinam privatè faciendam multi non ſunt neceſſarii Miniſtri, iccirco qui conſcripti ſunt albo Subdiaconorum, & Acolytorum Pontificiorum, non ſolent miniſtrare Pontifici, niſi cum ſolemniter divina officia peragit. Alios autem ſemper in proprio Palatio habitantes retinet Rom. Pontifex Capellanos, qui *Secreti*, & *Communes* appellantur, quique ſolent aſſiſtere ipſi privatè celebranti in privatis Sacellis, aut ad ejus nutum, ipſo præſente, celebrare. Suſpicatus eſt acutus Morettus de Presbyter. Par. 1. ſect. 6. pag. 52. nonnullum veſtigium extare *Secretorum* Capellanorum in Cæremoniali Cardin. Rothomagenſis de Eſtoutevilla, dum eos nuncupat *Capellanos Cameræ* cap. 76. Ordinis XIV. Mabillonianì pag. 332. Verum non progreditur ultra fines meræ conjecturæ.

XIX. Hactenus dicta de Palatino-Pontificio Clero aperiunt mihi aditum ad inquirendum in eam conſuetudinem, ſecundum quam RR. Pontifices nonnumquam in Apoſtolica Capella ſolemniter divina complent officia adſtantibus S. R. E. Cardinalibus, Epiſcopis, univerſiſque Clericis Palatinis. Eo autem tempore, quo in Romana Eccleſia Sacrarum Stationum vetus diligenter obſervabatur diſciplina, fruſtra inquiruntur alibi ſacra peracta ſolemnia a RR. Pontificibus, quàm in Eccleſiis Stationalibus, ad quas ipſi cum Clero venientes Feſtos Dies ſolemniter colebant. Si ergo a me petitur, ut Majorum teſtimonia proferam celebrati ſolemniter Sacrificii in Pontificiis Capellis, quod juxta Gregorianum Sacramentarium, alioſque plurimos vetuſtos Romanos Ordines in Loco Stationum celebrandum erat, nonniſi recentia dare potero; quia non multis ab hinc Sæculis imminuta eſt Stationum obſervantia. At ſi a me quærantur indicia aliquarum Eccleſiaſticarum Solemnitatum, quæ in Capellis Pontificiis haberentur, quæque licet non omnino correſpondeant præſenti conſuetudini, nonnihil tamen eidem aſſimilentur, dabo ſane vetuſta. Imo etiam in aſſignandis Majorum monumentis, quæ pertinent ad celebrationem ſolemnem Miſſarum in Pontificia Capella neminem ita parcum eſſe debere puto, ut tantummodo id primum in receſſu Avenionenſi RR. Pontificum contigiſſe exiſtimet; cum ante ſæculum 13. & antequam Avenione morarentur Pontifices, certa monumenta exiſtant ſolemniter peracti divini Myſterii in Apoſtolico Palatio, quæ paullo poſt proferam.

XX. Quouſque RR. Pontifices in Urbe ſtabilius ſuam tenuerunt Sedem tranquillumque Pontificatum geſſerunt, Ritum ſanctiſſimum, atque ut loquitur Sixtus P, V. in Conſt. *Egregia* anni 1586. Idibus Februarii edita, *ab Apoſtolicis uſque temporibus* ductum Stationes cum Populo celebrandi ſemper cuſtodiverunt. Verum ubi Ro-

Romam ſæpe, diuque deſeruerunt tumultuum variorum perturbationibus compulſi Anagnium, Peruſium, Viterbium, imo ad remotiores Italiæ, aut extra Italiam Urbes profecti, quod maximè Sæculis XII. & XIII. contigit, tum Stationes interrumpi cœperunt, eæque penitus ſeceſſione Avenionenſi unius pœne Sæculi mora ſublatæ fuerunt. Reſtituta Romæ Apoſtolica Sede Sæculo XIV: incunte ſacrarum Stationum Ordo neſcio quibus ex cauſſis reparari non potuit; & ſolum ſub Sixto V. ex parte renovatus fuit, dum laud. Conſtitutione ſtatuit, ut ſaltem quibuſdam in Solemnitatibus, ac Dominicis Quadrageſimæ, & Adventus priſtinæ in præcipuis Urbis Baſilicis Stationes haberentur; cum tunc vel tantum in Apoſtolica Capella, vel in Vaticana Baſilica, Pontifex ſolemniter Sacrificium celebrare ſoleret. Non diu integrè ſervari potuit Sixtina Conſtitutio, ac licet nonnullæ Baſilicæ ſtabilitis diebus a Pontifice cum Clero frequentarentur, rarior tamen acceſſus ad alias Eccleſias, & frequentior divinorum officiorum celebratio in Pontificio Palatio evaſit. Optime igitur Viri celebres Suareſius, & Ven: Card. Tomaſius a præclaro Moretto par. 2. Presbyter. ſect. 9. num. 15. laudati referunt mutationem Stationalium Celebritatum ad frequentes ab Urbe receſſus RR. Pontificum, ob quos alii etiam vetuſtiſſimi Ritus ſunt obliterati; atque etiam *ob Romanæ Curiæ crebras apud exteras gentes peregrinationes*, ut ſcribit Auguſtinus Piccolomineus Epiſ. ad Innocent. VIII. P., evanuerunt. Reverà etſi extra Urbem voluiſſent Apoſtolici Præſules Stationum morem cuſtodire, ſtationalium Eccleſiarum defectus prohibuiſſet:

XXI. Impeditâ facultate Stationum Loca frequentandi, non tamen ſupremi Pontifices ſinebant majores ſaltem Anni Feſtivitates ſine convenlente ſolemnitate tranſire; & quemadmodum *pro tempore*, *pro loco*, *pro neceſſitate cæremonias mutare* debuerunt, ſicut inquit Paris de Graſſis Epiſ. ad Leonem X. P. Tom. 2. Muſei p. 589.; Ita etiam Locum mutaverunt in propriis Palatiis divina officia celebrantes. Cum enim illis deeſſent Eccleſiæ idoneæ, valdeque commodum foret in Palatinâ Capellâ omnes congregari Patres aliàs graviùs fatigandos acceſſu ad remotiores Eccleſias, ibi ſolemniter ſacrificia ſunt peracta, quæ antea diebus ſtationalibus in Eccleſiis ad Stationem deputatis celebrabantur. Hoc Avenione fieri ſolitum Ordo XIV. Mabillon. non ſemel ſignificat, & ſignanter cap. 99. ubi de Joanne XXII. dicitur, quod in *Capellâ ſuâ Dominus Papa cantat Veſperas Feſti, & fiunt quædam ſolemnitates*. Imò ut uberiore magnificentiâ celebrarentur ſacra Solemnia Clemens P. VI. in Palatio Avenionenſi *Capellam ampliſſimam, nimiùmque decoram* ædificavit, ſicut legitur in Vitâ V. ejuſdem Pontificis apud Balutium Tom. 1. Vitar. Papar. Avenion. pag. 297. ubi additur: *In dicta nova ſua magna Capella ſemel duntaxat in omnium Sanctorum Feſto ſolemniter celebravit, & facundiſſime prædicavit*. Ne tamen initia iſtius conſuetudinis figamus, ut quidam cenſent, ſolum tempori Avenionenſis moræ, non pauca nos prohibent. In primis Ordo XIV. cit. plene convinceret ſub Bonifacio VIII. jam viguiſſe uſum in Palatina Capella ſolemniter celebrandi, ſi ille & ſcriptus fuiſſet ante electionem Clementis P. V., & demtis nonnullis infarcinationibus collectis ex Cæremoniali Petri Amelii eſſet genuinum opus Jacobi Gaetani Cardinalis S. Georgii in Velo aureo ad Purpuram evecti a Bonifacio VIII., & ſub Clemente VI. defuncti. Etenim non tantum in eodem Ordine paſſim eſt ſermo de Capella, & Capellanis Pontificiis; ſed etiam hic proponitur titulus num. 62. *De Miniſterio Presbyteri Cardinalis aſſiſtentis Summo Pontifici cum coram eo celebratur Miſſa in Capella, vel in Aula*. Nihil ſane expreſſius dici poterat ad demonſtrandam Capellam Pontificiam, atque in ea ſolemniter celebratum ſacrificium.

De aliis divinis officiis illic peractis clare alibi, & frequenter loquitur. N. 75. *In hoc feſto* (SS. Innocentium MM.) *nec Papa venit ad ſecundas Veſperas ad Capellam.* Pariter de Feſto Purificationis B.M.V. agens inquit: *Papa incedit aliquantulum per Capellam proceſſionaliter ſub Pallio, &c.* Totum Officium in Feria IV. Cinerum fuiſſe peractum aliquando in Capella Pontificis indicat num. 79. his verbis: *Hoc idem ſervatur in Capella Domini Papæ, quando Papa non celebrat, excepto quod ſibi & omnibus adſtantibus imponit cineres.* Similiter Officium Paraſceves num. 93. in Capella fieri tradit: *Sciendum quod iſta die Dominus Papa, antequam vadit ad Eccleſiam, ſeu Capellam pro Officio faciendo.*

XXII. Tam amplis nihilominus teſtimoniis nolumus inſiſtere, ut ante Sæculum XIV. ſolemnia divinorum Officiorum in Pontificia Capella celebrata diſcamus. Nam demus Mabillonio ſcriptum fuiſſe a Jacobo Cardin. Gaetano prædictum Ordinem, cujus alia ſcripta recenſet Ciacconius Tom. III. Ed. R. pag. 325., num propterea ſub Bonifacio VIII. ſcriptum fuiſſe Ordinem illum conſequitur, cum pæne quadraginta annis Bonifacio ſupervixerit Jacobus, tantumque habere otii potuerit eidem poſt hujus mortem contexendo? Frequentes illæ dicendi formulæ: *Quando Papa eſt Romæ: Si ſit Papa Romæ*, quæ paſſim occurrunt capp. 67. 76., & præcipue cap. 101. melius deſignant tempus Bonifacio VIII. poſterius, cum rarius ſimiles loquendi modi in aliis Ordinibus ante illa tempora deſcripti uſurparentur, licet quandoque Roma diſceſſerint Pontifices. Opportune autem poſt Bonifacium adhibebantur illæ locutiones conditionales, ut innoteſceret quid R. Pontifice abſente agendum foret a Clero ſolemnitates celebrante.

XXIII. Profecto commorantibus Pontificibus Avenione ſcriptus cognoſcitur idem Ordo, in quo frequenter fit mentio Clementis V. cap. 106. pag. 406., Clementis VI.; & Innocentii VI. cap. 117. pag. 435. &c. Ad hæc caput 99, in quo *Additio facta tempore Joannis XXII.* recitatur. Nondum vero intelligo, quare ex his verbis Clar. Mabillonius Tom. 2. Muſ. pag. 380. Ordinarium iſtum ſcriptum fuiſſe ante Joannis XXII. P. ætatem inferat. Nam ſi ante hoc caput nulla alia veſtigia adeſſent deſcripti Ordinis poſt Bonifacium P., tunc forte validior appareret illatio: At cap. 89. Clemens V. Clemens VI., Innocentius VI., Benedictus XII., & Gregorius XI. nominantur. Itaque illa *additio* ab Auctore videtur eo fine inſerta, ut dies, quibus olim conſueſcerent RR. Pontifices Miſſam Papalem facere, ab aliis diſcernerentur, in quibus Joannes XXII. Pontificiam Miſſam ſolemniter cantandam decrevit. Sicut enim cap. 99. apte diſtinguit veterem conſuetudinem a recentiore inſtitutione, quam ſuo Auctori attribuit; ita ſequenti cap. 100. deſcribit *Ordinationem Domini Alexandri Papæ IV. de ſuffragiis faciendis pro Summis Pontificibus, & Cardinalibus defunctis*, quin tamen inde inferre quis valeat ante Alexandrum IV. hunc Ordinem fuiſſe congeſtum.

XXIV. Sed neque tuto concedendum videtur Auctorem ejuſdem Ordinis fuiſſe Jacobum Gaetanum: Potius, Ordo ille videtur eſse, niſi penitus fallar, collectio variarum Cæremoniarum Pontificalium poſt Gaetanum ex pluribus Auctoribus compilata. Quod autem apud Amelium ſæpe allegetur Cæremoniale Gaytani argumento fuit eruditiſs. Mabillonio Ordinem XIV. Gaetano aſserere. Attamen, ut ego tuto ejuſdem Ordinis Gaetanum facerem Auctorem, oporteret me exploratum habere, quod idem Ordo ipſum eſset Gaetani Cæremoniale; nec poſſem ſuſpicari, quod ſicut Amelius plura ex Cæremoniali Gaytani derivavit in ſuum Ordinem, ita etiam confarcinator Ordinis XIV. plura ex eodem Gaytano decerpſerit. Addo tantum ſummatim contineri in Ordine XIV., quæ velut Gaytani laudantur in Ame-

lii

lii Ordine XV. Ignoro pariter num omnia, quæ ab Amelio indicantur reperiri in Cæremoniali Gaytani, inveniantur etiam in Ordine XIV. Mabilloniano. Quæ cap. 85. Amelianus Ordo laudat ex Cæremoniali prædicto, in vulgato Ordine XIV. mihi non occurrerunt. Fugerunt me forte raptim illa perquirentem, quia majorem curam impendere nolui, poſtquam tam multa deprehendi in hoc Ordine, quæ cum ætate illius celebris Cardinalis nequeunt cohærere. Si licet conjicere nonniſi Sæculo XV. prodiit hæc Cæremoniarum collectio ex diverſis Scriptoribus concinnata: Etenim de Bonifacio IX. P. commorante Peruſii Collector capp. 79. & 81. agit.

XXV. Certiora itaque proferam teſtimonia, quod in Capella Pontificia nonnumquam aliqua ante ſacellum Avenionenſe Eccleſiaſtica Officia, & aliquando Sacrificium Miſsæ ſolemniter a Pontifice celebrarentur. Egregium occurrit teſtimonium ſumptum ex Cæremoniali juſsu Gregorii X. P. conſcripto, & vulgato inter Ordines RR. num. XIII., e quo evidenter emicat vigens illa conſuetudo. Videre poterit Lector num. 22. de Officio in Cœna Domini. Ego autem ſequentia ante ejus oculos ſubjicio num. 25. de Feſto Paſchatis. *Dominicum Sanctum Paſcha ſurgit Papa ad Matutinum, & omnes Capellani induti ſuperpelliceis conveniunt in Capella, quæ bene ornata dicitur eſſe, cum pluribus cereis, & magnis faculis: & demum venit Papa indutus Pluviali albo .... Conducentibus eum duobus Capellanis venit ad Capellam, & Officium agit*; & infra: *Capellani .. in omnibus Feſtis Duplicibus a Paſcha uſque ad Feſtum omnium Sanctorum in primis & ſecundis Veſperis, in Matutinis, & IN MISSA, SI FIAT DE FESTO IN CAPELLA, debent uti ſuperpelliceis. Eodem die vigiliæ Dominus Papa cum Capellanis ſuis in S. Petro pernoctat, & dicit in Capella ſua Matutinum cum Capellanis ſuis, & mane in S. Petro cantat Miſſam*. Paullo antiquior eſt Ordo XII. Cencii Camerarii, qui ſimul nonnulla Sacra commemorat Officia, quæ nonniſi cum aliqua ſolemnitate, atque inter Miſsarum celebritatem peragi poterant. Talis eſt Conſecratio Epiſcoporum, vel Abbatum, quam in Capella fieri ſolitam tradit num. 20. *Excepto quando Dominus Papa conſecrat in Capella*. At luculentius reliquis nobis ſuffragatur Joannes Diaconus Lib. de Eccl. Lateran. Tom. 2. Muſ. Italic. pag. 567., quia & celebratam in Capella a Pontifice Miſsam, & Officia Clericorum Palatinorum Pontifici celebranti præſtita ſignificat. Verba illius ſupra num. 13. recitavimus, quæ medio Sæculo XII., quo ſcribebat Joannes, factam aliquando a Pontifice in proprio Palatio celebrationem Sacrificii miniſtrantibus in Lectione Evangelica & Apoſtolica Diaconis, & Subdiaconis Palatinis ſine dubio exhibent.

XXVI. Certa hæc ſunt; ac valde remota a Seceſſu Avenionenſi monumenta, quæ præſeferunt non penitus inſuetos fuiſse RR. Pontifices in propriis Capellis ſolemniter celebrare. Verum non dubito altius adhuc repeti poſse eundem morem inſpecto munere Diaconorum, & Subdiaconorum Palatinorum, quos præcipue electos fuiſſe, ut in *Palatio*, & in Eccleſia Lateranenſi ſolemniter celebranti Pontifici miniſtrarent, ſatis ex verbis Joannis Diaconi eruitur. Eo uſque ergo licebit conſcendere in deſignanda antiquitate ſimilium ſolemnitatum in Pontificiis Oratoriis celebratarum, quouſque aſcendimus in requirendis Palatinis Sacris Miniſtris. Cæterum in Oratorio Laurentiano, in quo bene multas celebritates peractas ex Cencio, ex Benedicto Canonico refert Card. Raſponus Lib. 4. cap. 19., aliquando Miſsarum ſolemnia celebrata fuiſse mihi perſuadet conſecratio in illo tentata Sæculo VIII. Pſeudo-Pontificis Conſtantini: Etenim ubi penitus inſolitæ, ac contrariæ Eccleſiaſticis moribus fuiſsent Miſsarum ſolemnitates in Papalibus Capellis, vix credibile eſt alio ſceleri hunc quoque reatum Grego-

rium

rium Epiſcopum ſuperaddere voluiſſe. Firmavimus igitur, quantum noſtræ datum eſt mediocritati, antiquitatem Ritus ſolemniter divina Officia explendi in Apoſtolica Capella; & licet ante Sæculum XII., quo cœperunt Stationales Eccleſiæ deſeri, raro leguntur ſimiles peractæ Solemnitates; ea tamen, quæ de Capellis Pontificiis habuimus, majori, qua potuimus, diligentia in unum congeſſimus.

CAPUT VI.

De Domeſticis Antiquis Oratoriis S.R.E. Cardinalium, & Epiſcoporum.

I. QUAMVIS nemo prudens dubitare valeat, quin privata in Epiſcopiis fuerint Oratoria ad Epiſcoporum pietatem explendam; adhuc aliqua de illis hoc loco dicenda cenſui, ne velut deſtituta Antiquiorum Scriptorum teſtimoniis ſilentio prætereantur. Sponte autem, lubenteſque confitemur plures Epiſcopos frequenter ad Eccleſias acceſſiſſe, ut ibi præſente Populo celebrarent. Singulis Dominicis, ac reliquis feſtivis Anni diebus Miſſarum ſolemnia coram ſuo grege Præſules explevitſe, quando nullis prohibebantur impedimentis, manifeſte oſtendunt vel ſuperſtites ipſorum homiliæ ea occaſione habitæ, vel aliquando ad aliquorum negligentiam excutiendam ſtabiliti Canones, qui id præcipiebant. In Collectionibus Conciliorum talia mihi occurrerunt decreta, quæ licet particularium Provinciarum Epiſcopos afficerent, tamen ab antiqua non recedebant conſuetudine, quam etiam S. Juſtinus M. Apolog. 1. commemorat, ut *die ſolis* omnes ſimul congregarentur in Eccleſia de manu *Præſidis* ſacrificantis ſanctiſſima Chriſti dona accepturi. Verum quis ſibi perſuadeat quotidie ſingulos Epiſcopos accedere potuiſſe ad Eccleſiam, ut Sacrificium offerrent, & maxime in illis remotis ſæculis, in quibus ſicut nunquam, vel rariſſime ſine ſolemni ſacrarum cæremoniarum apparatu in Eccleſia Miſſæ celebrabantur; Ita non alius aliquando ſuppetebat opportunus modus ſacrificandi, quam in privatis Sacellis? Non recens eſt, imo vetuſta, & a plurimis præcipue Epiſcopis recepta piiſſima, & ſaluberrima conſuetudo offerendi quotidianum Sacrificium, quod neque per unum diem ſine magna neceſſitate, ac cauſa præteriri debere merito inſinuabat Bonifacius VIII. Epiſcopis Cap. fin. de *Privil.* in VI. Tales fuerunt S. Caſſius Narnienſ. teſte M. Gregorio hom. 37. in Evang. S. Licinius Andegavenſ., ut legitur in ejus Actis cap. 2. num. 11. in Februar. Bollandiano ad diem XIII. Sanctus Flavianus, & Sanctus Principius, & illi alii infra commemorandi num. 4., & 6. Qua ergo alia ratione poterant Epiſcopi tam frequenter Miſſas facere, ſi domeſtica Capella carebant? Certe nimium ipſis, ac cæteris Clericis in publico Sacrificio ad decorem Epiſcopalem requiſitis grave, moleſtumque fuiſſet continuo ad Eccleſiam accedere. Præterea valetudinis incommoda ſæpius debuerant non minus olim, quam nunc movere Epiſcopos, ut intra proprias Ædes idonea erigerent Oratoria ad rem divinam aliquando faciendam. Denique quid magis a vero alienum, ut Epiſcopi præterlapſis temporibus propria auctoritate nonnullis Laicis paſſim concederent ad finem explendæ privatæ devotionis in Domi-

Domibus Oratoria erigere; & interim ipſi ſoli deſtituerentur ſimilibus privatis, ac Epiſcopalibus Oratoriis, qui alias etiam in communibus cubiculis aras portatiles ſæpe adhibebant, quando ad proximum Sacellum ingraveſcentibus morbis ire non ſinebantur?

II. Sed exempla proferamus Oratoriorum intra Epiſcopia conſtructorum. Primum autem Lectori propono conſiderandum, an in Mediolanenſi Epiſcopio S. Honoratus Vercellenſis Epiſcopus prius Sacrificium perfecerit, Viaticumque paraverit, quam deſcendens *e ſuperiori Domo* corpus Dominicum S. Ambroſio jamjam ex hac vita migraturo traderet? Id intrepide affirmari non poteſt, cum aperte a Paulino in vita iſtius Sanctiſſimi Antiſtitis non referatur: Verum neque penitus ſpernere poſſumus conjecturam recolentes, quod alii Epiſcopi ejuſdem ævi ante egreſſum ex hac vita oblato in propria domo Sacrificio ſeſe Sacro Viatico communire concupiverunt. Cedant autem conjecturæ, ubi aperta extant argumenta Epiſcopalium Oratoriorum. Iſta ſuggerit S. Paulinus Nolanus Epiſ. 31. num. 1., in qua oſtendit Severum Epiſcopum deſideraſſe *de Sacris Sanctorum Reliquiis benedictionem, qua adornetur domeſtica* ipſius *Eccleſia*. Communem inter Epiſcopos tunc fuiſſe conſuetudinem *Domeſticum*, propriiſque uſibus commodius erigendi Oratorium mihi tum Vota S. Severi, tum reſponſio S. Paulini ſuadent. Nam niſi valde frequens viguiſſet hujuſmodi mos dedicandi domeſtica Oratoria, nec ille Sanctorum pignora in eum finem convertenda poſtulaſſet; nec in penuria Sacrarum Reliquiarum ſeſe paratum exhibuiſſet alter Rogantis deſideria complere.

III. Libere perſeverabat autem laudabilis Diſciplina Sæculo VI., cujus apertum habemus teſtimonium in Caſſio Narnienſi Epiſcopo, de quo M. Gregorius hom. 37. in Evang. narrat, quod licet morbo gravatus *in Oratorio Epiſcopii ſui Miſſas fecit*, ut piis Populi ad ſuum lectum accurrentis ſatisfaceret deſideriis. Alias ſæpe in eodem Oratorio S. Caſſium ſacrificaſſe non ambigimus, quia penitus incredibile videtur, continuo potuiſſe ad communem Eccleſiam ſe conferre, ut *quotidie* ſacra Myſteria perageret. De *Oratoriis*, ſeu *Baſiliculis* privatis loquitur etiam Sanctus Avitus Viennenſis Epiſcopus Epiſ. 6. ad Victricium Epiſcopum; unde morem celebrandi intra Epiſcopalia Oratoria Sæculo VI., quo ille florebat, confirmare valeamus.

IV. Ut vero aliquod ab Orientalibus promamus exemplum, S. Joannis Eleemoſynarii Alexandrini Epiſcopi Acta a Leontio deſcripta nobis ſuppeditant; & ſimul illuſtrant, quod ſuperius innuebamus; tunc ſolùm videlicet ſolitos fuiſſe Epiſcopos in publicâ Eccleſia ſacroſanctam Victimam immolare, quando Paſtoralis Cura poſtulabat ab illis Sacramentorum diſpenſatione commiſſum Gregem alere. Hinc in hunc modum allocutus eſt Populum S. Joannes, ut narratur in illius Vita cap. 41. *Ego propter vos deſcendo in Sanctam Eccleſiam; nam poteram mihi met facere Miſſas in Epiſcopio*. Propter utilitatem, & conſolationem Populorum ſancta ſocietate membra cum capite ſæpè in ſalutari oblatione colligabantur. Verum quia non ſemper urgebat neceſſitas, ut Paſtor cum Grege ſimul congregaretur; ita aliquando S. Joannes privatim offerebat in proprio Oratorio, ſicut teſtatur idem Leontius c. 12. apud Bollandum die 23. Januar. pag. 513. de ipſo dicens: *Facit Miſſas in Oratorio ſuo nullum habens, niſi Miniſtrum ſuum*. Singularem non fuiſſe hanc conſuetudinem S. Joannis; ſed potius inter alios Orientales Epiſcopos evaſiſſe frequentem mihi facilè perſuadeo, quia Oratoria Domeſtica in Oriente Sæculo VI. etiam Laicis jam familiaria evaſerant. Profectò de S. Tharaſio Conſtantinopolitano Patriarcha Sæc. IX. vix dubitari poteſt eum in privato Oratorio divina Myſteria perfeciſſe, a quibus nimia licet ægritudi-

tudine oppreſſus vacare non patiebatur. Si modum, quem ipſum in celebratione Sacrificii tunc tenuiſſe narrat S. Ignatius in ejus Vita Cap. XI. apud Bolland. ad diem 25. Febr. diligenter perpendimus, ad Eccleſiam publicam cauſſa Sacrificii potuiſſe deſcendere omnino incredibile videtur: Etenim *Morbo, & ſenio laborans nequaquam ſatiabatur Sacroſancti Myſterii celebratione, ſed intenſo ad Deum amore ardens, & morbi nullam ducens rationem pectore innitens menſæ ligneæ, quæ parabatur ante Aram Divinam Sancta peragebat.* Pœnè ſimilia de S. Principio Cenomanenſi Epiſcopo ſub Clodovæo leguntur in antiquis Actis Epiſcopor. Cenomanenſ. Tom. III. Analect. Mabillonii pag. 72. Edit. Pariſ. anni 1676. Ipſe enim quotidie Miſſam *aut publicam, aut ſecretam celebrabat. Perſæpe quidem ut prædicti ſui Diſcipuli nobis retulerunt, ita infirmus Miſſam celebrabat, ut a duobus ſuis Miniſtris coram Altari ſuſtentaretur.*

V. Non minus interim ſplendidum in Occidente pro Oratoriis Epiſcopalibus nobis occurrit monumentum ex Libro Diurno RR. Pontificum, quem clari nominis Vir Joannes Garnerius S. J. edidit, illuſtravitque. Continet Liber ille varias formulas, quas RR. Pontifices Sæculo VI., & VII. (Ad hanc enim antiquitatem refert doctus Editor:) ſervabant in Apoſtolicis Litteris, cum certas facultates tradebant. Inter alias formulas extat Tit. X. c. 5. illa, qua Epiſcopis licentiam conſecrandi in propriis Epiſcopiis Oratoria, his verbis concedebant: *Quoniam dilectio Tua Sanctuaria Beati ill. ſibi noſtra voluntate conceſſa in Oratorio, quod in nomine ejuſdem B. Martyris INTRA EPISCOPIUM Civitatis ſuæ aſſerit conſtruxiſſe poſtulat recondenda, ut in ejus honorem Locus ipſe debeat conſecrari; Fraternitati tuæ, ſi tamen illic nullum humatum corpus eſſe claruerit, quæ poſtulas, indulgemus &c.* Vigebat igitur communiter mos intra Epiſcopia Oratorium erigendi, in quo Miſſas Epiſcopi facerent, cum Feſtorum ſolemnia ipſorum in publico conventu præſentiam non exigerent: ſed quia conſueverant eadem Oratoria conſecrari; propterea ad R. Pontificem confugiebant. Etenim illorum, imo antiquiorum temporum Diſciplina jubebat prius a Pontifice licentiam impetrare, quam ullas Baſilicas, ac Oratoria poſſent Epiſcopi conſecrare. De hac re loquitur S. Gelaſius P. Epiſ. 5. ad Epiſcopos Lucaniæ cap. 4. jubens Epiſcopis, quod *Baſilicas noviter inſtitutas non petitis EX MORE præceptionibus dedicare non audeant*: & cap. 25. reprehendit eos, qui *abſque præcepto Sedis Apoſtolicæ Eccleſias, aut Oratoria ſacrare* præſumpſerant. Ætate M. Gregorii id conſtanter obſervabatur; unde ſæpe in ſuis literis copiam facit Epiſcopis conſecrationis celebrandæ. Extat pariter in Libro Diurno cap. 5. Tit. XI. Formula concedendi Epiſcopis facultatem conſecrationis Eccleſiæ, aut Oratorii. De hoc more poſtulandi licentiam ab Apoſtolica Sede ad Baſilicarum conſecrationem loquuntur Martenius Lib. 2. de Antiq. Eccl. Rit. cap. 13. num. 6., & Catalanus Tom. 2. Comm. Pont. Rom. Alia addere non debemus, cum formulam Epiſcopalium Ordinariorum ſuperius dicta ſatis illuſtrent.

VI. Ad Epiſcoporum Domeſtica Oratoria pertinere nullatenus dubito conventionem factam in Synodo Bavarica anno 772. ſub Thaſſilone Duce, cap. 14. inter Epiſcopos, & Abbates, *ut dum eorum quis de hac luce migraret, unuſquiſque ſuperſtitum Epiſcoporum, vel Abbatum pro defuncto in DOMO SUA EPISCOPALI, vel Cœnobio Miſſas ſpeciales . . . . faciat.* Pia hæc conventio in mentem revocat, quod legi in Concilio Valenſi II. Can. 3. Miſſas nempe pro defunctis privatе celebrari ſolitas: Quas enim ibi *privatas*, hic *ſpeciales* appellari video. Volui id obiter innuere, ut ſemel ſaltem indicarem apud Antiquos Miſſas privatas frequentius in privatis tantum Oratoriis fuiſſe peractas. Clariſſi-

riſſime hoc ipſum confirmat Capitulum II. Synodi Ticinenſis an. 850. ſub Lothario, & Ludovico Auguſ. celebratæ; & (quod magis nobis arridet) evidenter ſimul declarat Epiſcopos præter Dies Feſtos celebraſſe quidem, ſed *privatim*, ac *occulte*, ideſt in privato Oratorio ſine præſentia Populi. Ecce Synodi verba mirifice rem noſtram illuſtrantia. *Statuimus, ut non tantum Dominicis diebus, & præcipuis Feſtivitatibus Epiſcopi Miſſas celebrent: ſed cum poſſibile fuerit, quotidiana quoque Sacrificia frequentent: nec faſtidiant PRIVATIM primum pro ſe, deinde pro conſacerdotibus.... preces fundere, & Omnipotenti Deo HOSTIAS OFFERRE, comitante pia compunctione, & ſacræ devotionis affectu, quod MAGIS OCCULTE SACRIFICANTIBUS convenit, ut ipſe quoque Sacerdos Hoſtia viva fiat, & Sacrificium Deo ſpiritu contribulato*, Sufficiunt, ut arbitror, pauca hæc commendandæ antiquitati Oratoriorum Epiſcopalium; nam ſequentibus ætatibus cum creverint potius, quam ſuppreſſæ fuerint Domeſticæ Capellæ etiam in Domibus Laicalibus; nihil in cauſa fuit, unde a priſtina recedere conſuetudine Epiſcopi compellerentur, cum neque Concilii Tridentini Decretis illorum Oratoria interdicta fuerint a Miſſarum celebratione. Quæ enim antea ipſi poterant concedere cæteris ſibi ſubjectis, non eſt, cur ſaltem non valeant in Epiſcopio erigere, ſicut Cap. XVI. dicemus.

VII. De privatis S.R.E. Cardinalium Capellis unicum quidem hactenus apud Veteres mihi occurrit exemplum; ſed tantæ auctoritatis, quanta ſufficit ad illud extendendum in omnes qui eadem dignitate fulgebant. Exemplum reperi in Joanne S.R.Eccl. Diacono Card. Lib. 3. Vitæ S. Gregorii cap. 58., ubi loquitur de Reliquiis, *quæ in Oratorio Domus ſuæ in Suburra poſitæ erant*. Concedebantur igitur non tam Presbyteris, quam Diaconis Cardinalibus Domeſtica Oratoria; nec cogebantur aut Sacrificio carere, aut ad publicas Eccleſias, Titulumq; ſuum quotidie accedere cauſa Sacrificii. Non dubito autem hoc Oratorium fuiſſe privatum; cum id ſatis indicare videantur illæ particulæ determinantes ad Joannis Cardinalis *Domum* pertinuiſſe. Quod ſi ibidem commemoratur *Manſionarius* Oratorio addictus; nihil tamen alienum inſinuatur ab conſuetudine illius ætatis, in qua ut conſecrabantur privata Oratoria, & Reliquiis ditabantur; ita pariter Presbyter aliquis ad earumdem cuſtodiam addicebatur.

VIII. Cæterum ſine ulla difficultate facile intelligitur ampliſſimis S.R.E Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus in regimine Univerſalis Eccleſiæ ſimul cum Pontifice excubantibus conceſſa hujuſcemodi Oratoria, quæ tot aliis hominibus gradu, & dignitate longe inferioribus non negabantur. Neque vero impediebat illos olim frequenter in propriis Titulis habitaſſe; nam etiam Epiſcopi, etiam R. Pontifices in Ædibus Eccleſiæ proximis habitare ſolebant, quin tamen inde vetarentur Domeſtica, ac propriæ tantum pietati reſervata habere privata Oratoria. Semper vero eos retinuiſſe optimam hanc conſuetudinem non dubito, cum nulla veſtigia ſuſpenſæ prius, & poſtea reſtitutæ hujuſmodi facultatis inveniantur. Morem hunc Sæculo ſaltem XIV. vigentem novimus ex Ordine R. XIV. cujus num. 61. ita inſcribitur: *De Miſſis, quæ celebrantur coram Cardinale in Capella ejus per Cappellanum ipſius*. Ejuſdem moris meminit Leo X. P., eumque commendat in Bulla Reformationis Curiæ edita in Concilio Lateranenſi anno 1514. 3. Nonas Maii dicens: *Cum S.R.E. Cardinales omnes in ipſa Eccleſia poſt Summum Pontificem honore, ac dignitate præcedant &c. ſint omnes vigiles, ac divinis Officiis, Miſſarumque celebrationibus intenti, habeantque CAPELLAS SUAS IN LOCO HONESTO, PRO UT FACERE CONSUEVERUNT*.

CAPUT VII.

De Privatis Monachorum Oratoriis Sæculis IV. V. VI. & VII.

I. INTRODUCTAM Sæculo IV. jam fuiſſe conſuetudinem, ut Monaſteria ſuum haberent Oratorium, in quo Miſſam audirent Monachi, & Sacramenta acciperent, compertiſſimum reddit Epiſtola Sancti Epiphanii ad Joannem Hieroſolymit. de Ordinatione Pauliniani, in qua nulla penitus a ſe violata jura Hieroſolymitanæ Sedis contendit, quia ipſum in Monaſterio ordinaverat, ubi alii duo Presbyteri ob modeſtiam offerre recuſabant: *Quamquam*, ait, *in Monaſterio ordinaverim, & non in Parochia, quæ tibi ſubjecta eſt*. Cum enim non alio Titulo, quam ob Monaſterium Paulinianus inſtitutus eſſet, propterea nihil detractum alienæ juriſdictioni a ſe fuiſſe affirmabat Epiphanius. Ad idem Sæculum referendus eſt Abbas Paphnutius, quem Caſſianus Collat. 10. cap. 2. *Presbyterum Congregationis noſtræ* appellat, ut hinc noſcamus eo tempore adfuiſſe Solitariis Presbyteros proprios, qui Monachorum gratia *ſpiritales Hoſtias* offerrent. Voluit Paphnutius teſte Caſſiano Coll. 4. cap. 1. *Succeſſorem digniſſimum* conſtituere Danielem Monachum; atque eum *Presbyterii bonore provexit: qui tamen prioris humilitatis conſuetudinem non omittens, nibil unquam ſibi illo præſente de ſublimioris Ordinis adjectione donavit, ſed ſemper Abbate Paphnutio ſpiritales hoſtias offerente hic velut Diaconus in prioris miniſterii permanſit Officio*. De Presbyteris Aſcetarum illius ætatis alterum teſtem profero Rufinum de Vitis Patrum cap. 18. qui *in Regione Arſeniote Serapionem quemdam Presbyterum multorum Monaſteriorum Patrem* ſe vidiſſe tradit. Narrat etiam Lib. 2. cap. 1. de S. Heleno, quod cum *Dominico die* veniſſet *ad Monaſterium quoddam Fratrum, & cum vidiſſet eos non agentes ſolemnitates diei, cauſſas requirit*; quas Solitarii illi non in ſpecialem Cœnobii a reliquis diverſam conſuetudinem rejecerunt, quaſi quod videlicet ſuum non haberent Presbyterum, a quo ipſis præſentibus divina celebrarentur Sacramenta; Sed quia *Presbyter deſtinatus tunc non adeſſet*, *qui trans flumen maneret*.

II. Alia corradat, quicunque voluerit, illorum temporum pro Preſbyteris Monaſteriorum: Nec enim deerunt; cum etiam tunc eſſent in Solitudinibus Nitriæ, & Erèmis Scythiæ propria Oratoria, in quibus ad ſacra Officia, participationemque Sacramentorum Solitarii certis diebus, & maxime Sabbatho, & Dominico juxta Palladium in Hiſtoria Lauſiaca c. 4. in Vita Arſenii, ac alibi, & juxta veterem Scriptorem Vitæ S. Eutymii Abbatis cap. 57. convenirent. Monachos ſolitos congregari Feſtis Diebus ad divina myſteria, indicavit Barlaam apud S. Jo. Damaſcenum in Hiſt. Barlaam; & Joſaphat recenſens morem aliquorum Monachorum, qui *longe ab invicem cellas habentes Dominicis Diebus ad Eccleſiam unam conveniunt: & divina Myſteria ſumunt, Sacrificium dico intacti Corporis, & pretioſi Sanguinis Chriſti*. Idem de Ægyptiis affirmat Caſſianus Lib. 3. Inſtit. cap. 2. *Nulla apud eos*, inquit, *per diem publica ſolemnitas abſque die Sabbathi, vel Dominica celebratur; in quibus bora tertia Sacræ Communionis obtentu con-*

conveniunt. De Pachomianis ſimiliter idem tradit Palladius laud.cap.38. *Ingredientibus autem ad Chriſti communionem Sabbatho, & Dominico &c.* Id ipſum deNitrienſibus affirmat c.69. his: *Solum autem Sabbatho, & Dominico congregantur in Eccleſiis*. Et ſupra cap.6. de Nitrienſibus aliis Monachis iſta enarrat. *Veniunt ad Eccleſiam Sobbatho ſolum, & Dominico. Sunt autem octo Presbyteri, qui præſunt huic Eccleſiæ, in qua quamdiu vivit primus Presbyter hujus Eccleſiæ, nullus alius offert, nec judicat, nec habet ſermonem; ſed tacitè ſolùm cum eo ſedent*.

III. Habebant igitur Sæculo IV. plura Monaſteria ad Aſcetarum explendam devotionem deputatos Presbyteros; & ſua pariter Oratoria habebant ad rem divinam faciendam parata. At verò, ut arbitror, hujuſmodi Oratoria, pro quibus ex Monachis unus, aut plures ordinati fuerant, penitus privata, illorum tantùm uſibus reſervata, & a turbis Laicorum nimis a ſolitudine, & Inſtituto Monaſtico alienis omninò ſemota erant. Scio quidem nonnumquam doctos Viros dixiſſe de Monachis, quod olim ad publicas Eccleſias percipiendorum Sacramentorum gratia proficiſcebantur. Id profecto veriſſimè dictum exiſtimo, etſi dubitaverit eruditiſſimus Martenius Comm. in cap. 62. Regulæ S. Benedic. Nam S.Athanaſius Epiſ. de Fugâ ſuâ tanquam teſtis oculatus Monachos ad Eccleſiaſticam Synaxim conveniſſe commemorat; Et S.Hieronymus diſcernens Clericos a Monachis, illos in Eccleſiis ſediſſe, ac miniſtraſſe; Hos autem ad Altare munus Sacerdoti obtuliſſe ſignificat, quod cæterisLaicis adſtantibusSacrificio commune erat: *Alia*, inquit Epiſ. 1. ad Heliodor. *Monachorum eſt cauſa, alia Clericorum. Clerici paſcunt oves, ego paſcor, Illi de Altario vivunt, mihi quaſi arbori infructuoſæ ſecuris ponitur ad radicem, ſi munus ad Altare non deſero. Mihi ante Presbyterum ſedere non licet &c.* Etſi vero in dubium nequaquam revocemus aliquando Monachos publicas debuiſſe frequentare Synaxes; adhuc tamen ab hac neceſſitate accedendi ad Eccleſiam propter Sacramenta exempti erant Monachi illorum Monaſteriorum; qui longe a Civitatibus ſolitudinem ſeveriſſime cuſtodiebant. Pro iſtis tantummodo valuit diſpenſatio habendi propria Oratoria, ac proprios Sacerdotes; ut cum aliena jura non invadebantur, ſaltem ad commodum privatum eorumdem Solitariorum peculiaria in ipſorum privatis Oratoriis permitterentur Sacrificia, ne cogerentur in vaſtis ſolitudinibus diù oberrare, ut in Eccleſia communi Miſſæ intereſſent. Habens igitur e Sæculo IV. indicia tam clara celebrati Sacrificii in commodum Monachorum, ad eam uſque ætatem provehendam originem privatorum Oratoriorum ad unicum Monachorum uſum ſum arbitratus. Addo, quod ad Sæculum IV. rejicitur communius ætas S.Barlaami, cujus Hiſtoriam deſcripſit S. Jo. Damaſcenus; imo ante Conſtantinum ſtatuitur a P. Le Quien: Hunc autem fuiſſe Presbyterum conſtat ex eadem Hiſtor., in qua narratur ipſum morti proximum miſiſſe Joſaphat *ad quoſdam Fratres procul habitantes, ut afferret ei, quæ ad ſacram hoſtiam conſecrandam erant neceſſaria*; Quid ſimile refertur Lib.1. de Vitis Patrum editis a Roſuveydo cap. 19.

IV. Frequentiora evaſerunt Sæculo V. privata Oratoria Monachorum, cum multo magis dilatata fuerit conſuetudo, ut Monachi proprium haberent Presbyterum, qui inter illos converſatus, ubi neceſſarium fuiſſet, Sacrificium offerret. Archimandrita præcipue, ſive Rector Monaſterii Sacerdotali Dignitate fulgebat, ut qui Pater erat Monachorum ſibi in Monaſterio ſubjectorum, etiam gradu ſacræ Ordinationis ſublimior cæteris emineret. Plurimi ſane reperiuntur Archimandritæ Presbyteri Sæculo V. Dalmatium Archimandritam Conſtantinopolitanum, & Presbyterum fuiſſe con-

conſtat ex ejus Litteris in Concilio Epheſino relatis. Inſerta in eodem Concilio, relectaque fuerunt Acta Concilii Conſtantinopolitani ſub Flaviano habiti adverſus Eutychetem, in quibus ſæpiſſime recenſentur Archimandritæ Presbyteri. Sola Actio VII. octodecim habet Presbyteros, & Archimandritas, qui ſententiam adverſus Eutychem dixerunt. Similiter Act.4. Concilii Calcedonenſis lecta fuit Epiſtola adverſus Eutychem ad Marcianum ſcripta ab octodecim, qui ſe Presbyteros, & Archimandritas inſcripſerant.

V. Ex hac Archimandritarum ordinatione facile arcebantur pericula elationis a Monaſteriis; ad quæ præcavenda ſuos Monachos a Clericatu alienos eſſe olim volebat S.Pachomius, ut conſtat ex ipſius Vita cap.13.in Majo Bollandiano ad Diem XIV. Verba reticere non poſſum, cum ſimul demonſtrent non fraudatos fuiſſe Monachos Sacramenti, & Sacrificii uberrimis beneficiis, quamvis e ſuo grege neminem haberent Presbyterum; quoniam e vicina Eccleſia Presbyter ad Monaſterium ſacris operaturus advocabatur. *Ubi igitur*; inquit Auctor Vitæ Pachom. pæne coævus, *ad peragenda ſacra Myſteria erat neceſſe Presbyterum e vicinarum Eccleſiarum una aliqua evocabat* (Pachomius). *Nemo quippe inter eos ad Eccleſiaſtici Cleri Ordinem adjunctus verſabatur ita ratiocinante Pachomio, & ad ſuos ſæpe repetente*. (Erant autem S.Viro ſubjecti pluſquam mille Monachi.) *Optimum videri nullam in Cœnobiis præſertim dignitatem, & excellentiam appeti, ne rerum earum cauſa averſiones, rixas, invidiam, æmulationem, aliaſque diviſiones inter Monachos oriri contingat. Quemadmodum enim vel exigua ignis ſcintilla in ſegetem forte incidens, ſi non continuo fuerit extincta, integri anni labores nata eſt omnino exurere; Ita Clericatus initium eſt cogitationis de appetenda præcellentia*. Eadem plane ratione S. Baſilius Monachos ad Clericatum inhiare, ne alios Fratres antecellere ambirent: *Clerum*, ait, *aut inter Fratres Principatum nullo modo appetere Monachus debet; ſi quidem diabolica iſta peſtis eſt*. Caſſianus ipſe licet ſua ætate nonnihil remiſſum viderit rigorem Monaſticum, ita ut jam tunc Monachorum aliqui ad Clericatum promoverentur, tamen inter alia Diaboli tentamenta, quibus Monachorum animos pulſabat, illud refert Lib. XI. Inſtit. cap. 14., quod *nonnumquam Clericatus gradum, & deſiderium Presbyterii, vel Diaconatus immittit*. Denique S.Sabas, ſicut in ejus Vita cap.22. apud Surium 3.Decemb. legitur; *ita ſtatuebat Sacerdotium eſſe ſemper Monachis cauſſam ambitionis*; unde nec ipſe *ſibi nec alicui alii ex iis, quibus præerat*, Sacerdotium permiſit; etſi tandem auctoritati Hieroſolymitani Antiſtitis cedens Sacerdos ordinatus fuerit.

VI. Iterum in viam redeamus. Sæculo igitur V. frequenter Monaſteria ſuum habebant Presbyterum, qui non propter Populum, ſed propter Confratres ſuos ordinatus divina Myſteria in gratiam Monachorum offerebat. Habemus SS.Joannis Chryſoſtomi, & Cyrilli Alexandrini aliquot Epiſtolas Monachis ſcriptas, in quibus Presbyteri, & Diaconi diſtincte a reliquis nominantur, ipſiſque *Monachorum Patribus* in eadem ſocietate manentibus præferuntur. Addendus Sanctus Hieronymus in Epitaph. Paulæ narrans, quod luſtrante Paula ſolitudines Orientis occurrerunt ei turbæ innumerabiles Monachorum, *ex quibus multos Sacerdotalis, & Leviticus ſublimabat gradus*. Quatuor Presbyteros in Monaſterio Betlehemitico ſimul fuiſſe teſtis eſt ipſe Hieronymus Epiſt. 61.adv. errores Joannis Hieroſolymit. cap. 16. In altero Nitriæ Monaſterio octo ſimul extitiſſe Presbyteros ex Palladio cap.7. His. Laus. ſupra advertimus. Igitur cum paſſim in Orientalibus Cœnobiis ſui eſſent Sacerdotes, ſuique Levitæ, quid rectius, veriuſque inferri poteſt, quam ab iiſdem propter Cœnobitas in Monaſteriorum

Ora-

Oratoriis a tumultu ſæcularium Hominum ſecretis Sacrificia celebrata fuiſſe?

VII. In Occidente tam numeroſi ea tempeſtate non reperiuntur inter Monachos Presbyteri; quod eveniſſe inde puto, quia minus remote ab Urbibus ædificarentur Monaſteria, quemadmodum in aviis ſolitudinibus, vaſtiſſimiſque Nitriæ, Ægypti, Scythiæque deſertis extructa fuerant. Hinc facilius Occidentales Monachi poterant alios ad ſe vocare Presbyteros ipſis Sacramenta miniſtraturos, & Sacrificia oblaturos, quin ex Monachis in quiete, & pœnitentia degentibus neceſſe foret aliquos Clericalibus gradibus inſigniri. Non inficior autem, quin etiam tunc temporis ex Monaſtico Grege ad Eccleſiarum neceſſitates, & defectus aliorum Presbyterorum ſupplendos aliqui nonnumquam ab Epiſcopis aſſumerentur. Novi etenim ex S. P. Auguſtino Epiſ. 48. ad Eudoxium Abb., & Epiſ. 60. ad Aurelium Cartaginenſ. ab Epiſcopis aliquando Monachos aſſumptos, Cleroque adſcriptos, ut Eccleſiaſticis miniſteriis ad Populorum ſpirituale regimen vacarent. Id fecit S. Fulgentius in Eccleſia Ruſpenſi teſte Ferrando Diac. in illius Vita cap. 29. Id poſtea in magna Clericorum penuria faciendum edixit Synodus Agathenſis can. 27. Id demum frequentius ſequentibus Sæculis factum legimus. Horum tamen Monachorum ordinatio in exemplum Presbyterorum Monaſteriis deputatorum revocari non debet; quoniam Monachi illi ad Clericatum propter Populum evecti e Monaſteriis extrahebantur, ut Parochorum munera in aliis Eccleſiis obirent, ſicut D. Gregorius Lib. 6. Epiſ. 28., & Lib. 8. Epiſ. 15 juſſerat. Solum ergo ex hujuſmodi monumentis conjicere poſſumus aliquando ob penuriam aliorum Sacerdotum fuiſſe quibuſdam Monachis etiam in Occidente manus Ordinationis impoſitas, ut in Monaſteriis ſpiritualibus ſuorum Fratrum neceſſitatibus ſuccurrerent.

VIII. In Inſulis præcipue, quæ uſum alterius Sacerdotis difficilem præbebant, ex Monachis aliquem Monaſterii Presbyterum conſecratum fuiſſe non dubito. Certe S. P. Auguſtinus Eudoxio Abbati Inſulæ Capraria ſcribens *Compresbyterum* appellat, quod in ſuis Litteris ad Valentinum Abbatem Adrumetinum non facit. Probabile mihi quoque videtur Abbates Inſulæ Lerini ſimul etiam Presbyteros extitiſſe, videlicet S. Hilarium Arelatenſem, S. Honoratum Maſſilienſem, S. Maximum, Fauſtumque Rejenſes Epiſcopos, & de Abbatia Lerinenſi aſſumptos. Ubi decurrantur, quæ de ordinatione S. Hilarii, & S. Honorati dicuntur in ipſorum Vita a Joanne Salinas Congreg. noſtræ docto, & pio Canonico illuſtrata, apparebit eos illico e Monaſterio ad Epiſcopatum raptos fuiſſe. At verò quomodo id contigiſſet niſi prius Sacerdotes extitiſſent? Etenim jam antea Interſtitia ſtabiliverat Sanctus Siricius P. Epiſ. 1. ad Himmerium Tarraconen. Epiſcop. cap. 13., ne ſtatim proveheretur Monachus ad altiores Ordinum gradus, qui prius in ſuſceptis inferioribus Ordinibus non miniſtraſſet. Non erit difficile plures alios hoc modo ad Epiſcopatum ex Monaſterio raptos invenire; unde creſcit numerus Monaſteriorum, quæ proprium Presbyterum habebant. Evidenter autem de Fauſto conſtat ipſum Monaſterii prius Presbyterum extitiſſe; cum in Vita S. Hilarii Auctore Honorato Maſſil. cap. 9. dicatur *in eodem loco* (Lerinenſi) *tunc temporis Sanctum Fauſtum Presbyterum, & Abbatem* reſediſſe: & in Synodo Arelatenſi III. ſub Ravennio circa annum 455. celebrata Fauſto tribuantur tituli *Presbyteri, & Abbatis*. Præter Fauſtum alios quoſdam Monachos Lerinenſes Sacris Ordinibus initiatos fuiſſe demonſtrat idem Concilium, in quo firmata ſunt jura Epiſcopi, & Abbatis, illique reſervatum fuit *Clericos, atque Altaris miniſtros* ejuſdem Monaſterii conſecrare; Sed viciſſim *aliquem Clericum, niſi Abbate petente* ordinare vetitum fuit. Alii Abbates, qui ſimul Presbyteri erant, qualis Caſſia-

Caſſianus fuerat; ac quidam Monachi Sacerdotio initiati ex hiſtoricis monumentis Sæculi V. erudito Lectori occurrent; a quibus adunandis moleſti laboris tædium me excuſei. Potius obſervo, quod in Monaſteriis Italiæ, atque Africæ nondum Sæculo V. ordinabantur Monachi ad commoda ſpiritualia Monaſteriorum, in quibus Sacrificium per extraneum Sacerdotem offerri conſueverat. Hunc morem adhuc in Italiæ Cænobiis viguiſſe tempore M. Gregorii, a quo primum alicubi aliquem Monachum Monaſterii Presbyterum ordinari conceſſum fuit, inferius dicemus; atque ex decretis Synodi Carthaginenſis anni 525. deinde num. XXV. recitandis apud Afros perſeveraſſe Diſciplinam advocandi in Monaſteria extraneum Sacerdotem colligere poterimus.

IX. Interim ex his inferre opus eſt, quod Sæculo quinto divina myſteria celebrabantur in Monaſteriis ſive per Monachum Presbyterum, ſive per alium extraneum Sacerdotem; ſive Sabbathis, Feſtiſque Diebus tantummodo, ſive quotidie, ut in Monaſterio Lauræ S. Euthimii, qui floruit Sæculo V., obſervabatur; ſi vera ſunt, quæ refert Allatius in Symmict. pag. 309. Sacrificio aderant Monachi, qui nec deſerta ſolitudine, nec laxata Clauſtri diſciplina e Monaſterio exire cogebantur, ut ſacris adſtarent, quæ in propriis privatis Oratoriis peragebantur. Cur autem privata potius, quam publica appellem Oratoria, in quibus Monachi Presbyteri miniſtrabant, non pauca me movent. Equidem ipſa Monaſtica Profeſſio, ſegregatio a Populis, ac ſolitudinis amor, quæ ſeverius, tenaciuſque Sæculo V. a Cænobiis ſervabatur, nos valde convincunt eos potius habuiſſe Oratoria privata, quam publica. Cum enim Populorum cura nimis aliena eſſet ab iis, qui in ſancta quiete Se, & Mundum lugentes manebant; alienæ etiam videbantur ab illorum Inſtituto publicæ Eccleſiæ, ad quas convenientes Turbæ ipſorum perturbarent ſolitudinem. Ipſamet cautela, qua eo tempore Clericatum, ſacroſque Ordines fugiebant piiſſimi Monachi, aperte demonſtrat ipſorum Cænobia nullatenus a plebe frequentata fuiſſe, quæ ibi ad Sacrificia convolabat, ubi Sacramenta Populo adminiſtrabantur ab illis, qui propter Populum Clericatum profitebantur. Hinc S. P. Auguſtinus Clericis opponit *Fratres, qui elegerunt vitam quietam remoti a ſtrepitu populari, a turbis inquietis*. Legi poteſt in Pſal. 99., & 132. Tantummodo Sacramentum Baptiſmatis libere tunc a Monachis miniſtrabatur, eo quod Cathecumeni in Monaſteriis ſæpe inſtruerentur, ut ex veterum ſcriptis oſtendunt Mabillonius Lib. 1. Annal. num. 45. ac Lib. 5. num. 53., & P. Alanus Le Large, qui creditur ille Canonicus Regularis S. Genovefæ eruditus Auctor Diſquiſit. de Ordine Canonic. Regular. Diſq. ult. cap. 4. ar. 1. pag. 518. ubi in hanc rem S. Hieronymum, Euthimium, Ferreolum &c. allegat.

X. Negare autem non debeo inter Monachos Orientales Sæculo V. forte aliquorum Baſilicas publicas fuiſſe, quod magis ex referendis ad Sæculum VI. apparebit. Imo in Regula S. Pachomii art. 51. conceditur in Eccleſiis Monachorum diverſus locus Viris, *& mulierculis juxta ordinem ſexus ſui*. Frequentiorem tamen tunc viguiſſe uſum Oratoriorum Privatorum apud Monachos etiam Orientales ambigere non poſſumus, cum Juſtinianus ipſe infra commemorandus ſatis manifeſtet ſua ætate parvum adhuc fuiſſe numerum Publicarum Eccleſiarum Monaſticarum. Profecto ſi præcedenti Sæculo frequentes Monachis fuiſſent publicæ Eccleſiæ, non jam imminutus, ſed multo major extitiſſet iſtarum numerus ſequenti Juſtiniani ſæculo, cum raro immutatæ ſint Baſilicæ publicæ in privatas, paſſim vero ſucceſſu temporis privatæ in publicas evaſerint. Cæterum in Ægypto tam ſtricta retinebatur diſciplina excludendi Extraneos ab Oratoriis Monaſticis, ut

ut apud Cotelerium Monum. Græcor. Tom. 1. pag. 491. referatur, quod in Eccleſia Cellarum prope Nitriam non fuerit permiſſus manere Laicus Iſaaco Abbate dicente: *Hæc loca Monachorum ſunt; Tu vero cum Secularis ſis, tibi hic manere non licet*.

XI. Quam tenuimus methodum in proponendis Monaſticis privatis Oratoriis Seculo V., eandem ſervabimus decurrentes duo ſequentia Sæcula: Primo videlicet ſtabiliemus in ſingulis Monaſteriis vel peculiares adfuiſſe Presbyteros; vel ſaltem, ubi deerant ex Monachorum cœtu, extraneos Sacerdotes fuiſſe ad Monaſteria vocatos, ut Sacrificium in gratiam Monachorum offerretur. Cum vero id expoſuerimus tum inveſtigabimus, quam conditionem habuerint Monachorum Oratoria Sæculis VI. & VII.; quia ex prioris partis expoſitione clara indicia ad alterius illuſtrationem conſequentur. At unde melius oblata his temporibus in Monaſteriis Sacrificia diſcere poſſumus, quam ex illis Monachis, qui ordinatione accepta adhuc in Monaſteriis permanebant, ad differentiam aliorum Monachorum, quibus Clericatus dabatur, ut è Monaſteriis erepti ad eas Eccleſias transferrentur, quæ Sacerdotibus idoneis ad regimen Populorum deſtitutæ erant?

XII. Age ergo loquamur de Monaſteriorum Presbyteris Sæculo VI., & VII. Perſeverabat tunc in quibuſdam Monaſteriis priſtinus rigor, ne ullus Monachorum ad Ordines Sacros proveheretur, ut majore in humilitate poſiti a ſe quoſcunque faſtus, & ambitionis inſultus propulſarent. In Monaſterio S. Sabæ adhuc retinebatur hujuſmodi diſciplina, ita ut *nec ipſe* (S. Abbas) *auderet ſuſcipere dignitatem Sacerdotii; nec alicui alii ex iis, quibus præerat, rem permittebat*, ut legitur in ejus Vita apud Surium ad diem 5. Decemb. cap. 22. Etiam ex cap. 83. Regulæ Magiſtri ſcriptæ ad exitum VII. Sæculi colligitur nullos fuiſſe ex illa Monachorum Congregatione Sacerdotes. In Italia ſimiliter, & in adjacente Inſula Siciliæ erant Monaſteria, quæ proprio carebant Presbytero. Teſtis eſt M. Gregorius de Monaſterio S. Petri in Campania Lib. 5. Epiſt. 37. N. Edit. Pariſienſ. ad Fortunatum Neapolit., de Monaſterio Piſaurenſi Lib. 6. Epiſ. 46. ad Felicem Piſauren., de Precoritano Lib. 9. Ind. 2. Epiſt. 92. nd Victorem Panormitan. Epiſcopum.

XIII. Attamen etſi aliqua Cœnobia proprio deſtituerentur Sacerdote, Certè non carebant altero Sacerdote, qui accederet ad Monaſterium Sacrificium coram Monachis facturus. De Orientalibus Monaſteriis multa dicere non eſt opus, cum nulla adſint veſtigia, quod ab illis deeſſent Sacrificia. *Habeo* ad manus Acta S. Theodoſii Cœnobiarchæ juxta Hieroſolymam, qui Sæculo VI. ineunte floruit, Ab Anonymo Auctore ſcripta, & in Bollandian. Januar. inſerta. Hæc cap. 9. num. 38. tradunt quatuor in Cœnobio extitiſſe Eccleſias pro diverſarum Nationum Monachis illic commorantibus, & addunt, quod *quando oportebat veneranda participare Sacramenta Lex erat apud eos pulchre admodum conſtituta, ut uſque ad divinitus inſpirata Evangelia unuſquiſque in ſua Eccleſia ſimul, & lingua divinam audiret vocem; poſtea autem omnes congregarentur in una*. Quod vero ex S. Saba paullo ſupra prolatum eſt, non probat ſuos Monachos caruiſſe Sacrificio per alterum Sacerdotem oblato; ne quid dicam, quod tandem Sabbas ſanctiſſimus conſenſerit Hieroſolymitano Epiſcopo, & ab eo Sacerdos ordinari paſſus fuerit.

XIV. Etiam Occidentales Monachi ea tempeſtate habebant ſi non proprium, alium ſaltem Presbyterum, qui coram ipſis Miſſas in Monaſteriis faciebat. Ipſamet Regula Magiſtri cit. cap. 83. ſignificat permanſiſſe in ſuo Monaſterio Presbyteros ad divina Myſteria, ac Officia celebranda; quos ideo inter Hoſpites haberi voluit, ne propter Dignitatem Sacerdotalem auderent unquam adverſus Abbatem inſur-

ſurgere: & hunc utpote Laicum a regimine Monaſterii deturbare : *Ne & ipſi* Sacerdotes, ait, *obtentu honoris de ratiociniis, vel dominatione Monaſterii, utpote Laicos Abbates detrudant.* Demum S. Gregorii Litteræ cum deſtituta aliqua Monaſteria propriis Presbyteris manifeſtant, ſimul tamen jubent; ut vel ab Epiſcopo, quoties neceſſitas poſtulaſſet, Sacerdotes ad Sacrificia offerenda in Monaſteriis tranſmitterentur; vel in eum finem aliquis ex Monachis ordinaretur, ne amplius cogerentur Sacrificio carere ex hoc, quod ab extraneo Sacerdote ſufficienter ipſorum ſpiritualibus votis non ſatisfieret. Ita Fortunato ſcribit de Monaſterio S. Petri: *Quoties neceſſe fuerit a Presbyteris Eccleſiæ tuæ in Loco Sancto deſervientibus celebrentur Sacrificia veneranda Miſſarum.* Similiter ad Felicem Piſaurenſem ſcribens decernit, ut ſi Monachi *Miſſas ibidem* (in Monaſterio) *ſibi celebrari voluerint, a Te Presbyter dirigatur.*

XV. Denique in Epiſ. ad Victorem Panormitanum aperte ſtatuit M. Gregorius unum ex Monachis ordinari Presbyterum, qui in Monaſterio continuo commorans ibi pro libito Monachorum Sacrificium offerret. *Quia Monachorum*, ait, *Congregatio, quæ in Monaſterio Præcoritano conſiſtit pro Sacris Miſſarum Solemnibus peragendis Presbyteri indigere probatur officio, atque de ſua ſibi Congregatione in hoc ordine poſtulat conſecrandum, Fraternitatem veſtram ſcriptis præſentibus adhortamur, ut eum, quem ſibi de Congregatione ſua unanimes duxerint eligendum in prædicto Monaſterio ſine mora, vel excuſatione aliqua Presbyterum debeat ordinare, atque eum, neque in Eccleſia, nec in Loco alio obſervare, ſed illic jugiter permanere ex noſtra quoque auctoritate conſtituat; quatenus & ille, dum alibi non fuerit occupatus, in officio ſuo aſſiduus poſſit, & utilis inveniri; & Congregatio, quæ ſibi eum poſtulat ordinari, quoties neceſſe fuerit, ipſo Sacrificii Solemnitatem veneratione debita celebrante valeat refoveri.*

XVI. Plura continent hæc S. Pontificis verba, quæ detruncare noluimus, ut ſimul omnia introſpicerentur, videlicet Sacrificium propter commodum, ac pro arbitrio, & devotione Monachorum offerri debuiſſe a Sacerdote, qui ſolutus a reliquis quibuſcunque curis *jugiter* in Monaſterio moraretur ſpiritualibus neceſſitatibus eorumdem conſulens. Quare porrò S. Gregorius decreverit de Fratrum numero eligendum aliquem, quem Epiſcopus Presbyterum Monaſterii conſecraret, non difficile intelligitur. Etenim extranei Sacerdotes vel minus prompti eſſe poterant, dum extra Clauſtra manebant; vel inopinis eventibus aliquando impediebantur ad Monaſteria accedere; ſicut S. Heleni Monachis contigiſſe ex Hiſtoria Rufini vidimus; vel moleſti timebantur, ſi continuo intra Clauſtra conſiſtere permiſſi fuiſſent. Reverà cum ob defectum propriorum Sacerdotum cogerentur Monachi ad ſe extraneum vocare Presbyterum, gravabantur nonnumquam Monaſteria ab aliquorum Clericorum avaritia, qui prætextu ſpiritalis regiminis ſeſe miſcebant in negotiis, rebuſque temporalibus Monaſterii, eaſque pænè pro arbitrio moderabantur. Hinc ad Sanctum Gregorium non leves querelæ pervenerant adverſus nonnullos Clericos bona Monaſteriorum, quibus ob rem divinam deſerviebant, ſibi uſurpantes. Ita ſcribit M. Pontifex Lib. 7. Epiſ. 43. Mariniano Ravennæ Epiſcopo: *Dudum ad nos multorum relatione pervenerat Monaſteria in Ravennæ partibus conſtituta omnino Clericorum veſtrorum dominio prægravari, ita ut occaſione quaſi regiminis ea, quod dici grave eſt, velut in proprietate poſſideant &c.* Addit ſe jam alias ad Mariniani Deceſſorem ſcripſiſſe, ut hæc gravamina Monaſteriorum auferrentur: & quia nondum damna hujuſmodi penitus ſublata fuerant; ideo juſſit Clericis nullum in Monaſteria patere aditum, niſi tantum cauſſa Orationis; aut quibus forte Monachi permiſiſſent Sacrificium offerre.

Hor-

Hortamur ergo, (ita concludit S.Pontifex) *ut omni modo, omnique excuſatione ſubmota ita Monaſteria ipſa ab hujuſmodi ſtudeatis gravamine relevare, quatenus nullam deinceps in eis Clerici, vel hi, qui in Sacro ſunt Ordine conſtituti, ob aliud habeant, niſi orandi tantummodo cauſſa accedendi licentiam, aut ſi forte ad peragenda Sacra Miſſarum fuerint invitati Myſteria.*

XVII. Arbitrio autem, ut expreſſe tradit Gregorius Epiſc.cit. ad Victorem, ac *unanimi* Monachorum omnium conſenſu prius eligendus erat Monachus, qui ab Epiſcopo conſecraretur Sacerdos. Neque enim debitæ conditiones, ac virtutes neceſſariæ in Presbyterum aſſumendo magis dignoſci poterant, quam a Commonachis idoneis teſtibus Vitæ, & morum illius, qui ad tantam dignitatem provehebatur. Hanc approbationem faciendam a tota Congregatione Monachorum placuiſſe S. Benedicto prudenter arbitratur Mabillonius Lib.9. Annal. num. 39. Etenim licet in Regula cap. 62. ſolius conſenſus Abbatis meminerit S.Patriarcha pro ordinatione Monachi; ſuffragia tamen non excluſit cæterorum Monachorum, a quorum conſilio pendere voluit in cap.3. Regulæ graviora negotia, inter quæ electio Presbyteri merito computatur. Communi Fratrum ſuffragio, ſive *per electionem Fratrum* ad Sacerdotium provectos fuiſſe Sanctos Monachos Valdebertum, Siccardum, Benedictum Cluſanum, Hugonem Eduenſem &c. Martenius in Commen. Regulæ S. Benedict. cap. 62. ex Sæculis II. III., & IV. Benedict. demonſtrat.

XVIII. Jam vero quod in ſua Regula de eligendo, ordinandoque Monacho in Presbyterum Monaſterii ſtabilivit S. Benedictus, uſum Sacrificii peracti in Monaſteriis bene confirmat. Quoniam non aliter aliquis Monachus ad Sacros Ordines tranſire permittebatur, qui ſimul poſt ordinationem in ſancta Congregatione perſeveraret, niſi ut ſuus in Monaſteriis Presbyter adeſſet Fratrum devotioni indulgens, ac Sacramenta diſpenſans. Sic prudentiſſime humilitas monaſtica cum neceſſitate Sacrorum Miniſtrorum componebatur; ita ut illa ſervaretur, dum unus, vel alter e tota Congregatione Sacerdotio inſtituebatur; & viciſſim ex conceſſione alicujus Sacerdotis e Monachorum cœtu aſſumpti, quantum ſatis erat, ſpiritualibus bonis Cœnobitarum providebatur.

XIX. In Monaſteriis Orientalibus frequentius Abbates ſimul erant Sacerdotes, quemadmodum adnotata pro Sæculo V. declarant. Extat Relatio facta Hormiſdæ P. circa annum 517. ab Archimandritis Secundæ Syriæ continens nomina centum, & amplius Monachorum, qui Presbyteri titulum in ſubſcribendo adhibent; & inter illos aliqui Archimandritæ ſe vel Diaconos, vel Presbyteros fuiſſe ſignificant. Habemus etiam Libellum oblatum a Monachis in Synodo CPana ſub Menna Patriarcha anno 529., cui ſubſcripſerunt Archimandritæ hoc Titulo: *Presbyter, & Archimandrita*, quarto excepto, nempe Eutherio, qui ſe *Diaconum* exhibet. Egregie ſane conveniebat dignitas Sacerdotalis Abbatibus, qui ſicut pro gradus munere alios piis moribus præcellere debuerant; ita etiam honore Presbyterii reliquos anteirent, inde præcluſis periculis ſubverſionis temporalis regiminis, quod ſaltem in Abbatibus Laicis turbare poterant alii Presbyteri ex Ordinis honore ſibi omnem prælationem in Monaſteriis debitam eſſe contendentes.

XX. Non ita generalis evaſerat in Occidente conſuetudo, quod Abbates ſimul Sacerdotio fungerentur, ut ex Regula Magiſtri ſupra innuimus. Hoc ipſum in cap. 64. Regulæ Benedictinæ obſervare poſſumus, ubi potius inſinuatur electionem ab Abbate faciendam Monachi ordinandi in alterum cadere debuiſſe, ſicut in ſuo rigore perpenſa exhibent verba ſequentia: *Si*

quis Abbas ſibi Presbyterum, vel Diaconum ordinare petierit, de ſuis eligat, qui dignus ſit Sacerdotio fungi. Cum enim ſatis S. Benedictus caverit illi incommodo, quo Sacerdos Abbatem Laicum præcederet; imo cum etiam in exercitio Sacerdotalium munerum Sacerdotem ab Abbatis juſſibus pendere decreverit; non videbatur amplius neceſſarium ad majorem Abbatis in Diſciplina Monaſtica juriſdictionem, & præcellentiam conſervandam, ut etiam Gradu Sacerdotali inſigniretur. Ita quippe ſtatuit de Presbytero Monaſterii cap. 60. Regulæ: *Concedatur ei POST ABBATEM ſtare, & benedicere, aut Miſſas canere, ſi talem juſſerit ei Abbas; ſin alias nullatenus aliqua præſumat.* Hinc licet Monachorum curam SSmus Patriarcha Benedictus geſſerit; non tamen ad altiorem gradum, quam ad Levitarum ordinem aſcendere voluit, ut oſtendit eruditus Illuſtrator Vitæ illius editæ Tom. IV. Rerum Italicar. pag. 217. Addamus ex Lib. 1. Annal. Mabillon. num. 63. Augendum Abbatem, qui ineunte Sæculo VI. ſanctitate florebat, nunquam adduci potuiſſe, ut prætextu Abbatialis Dignitatis Sacerdos fieret, ſæpe affirmans melius eſſe *ad ſanandam Juvenum ambitionem* Abbatem *Sacerdotio expertem Fratribus præeſſe, ne inde ſe efferret immodice ſupra illos, quos humilitatis, & modeſtiæ exemplo anteire conveniret.* Similiter cap. 35. ejuſdem Vitæ laudatur *Servandus Diaconus,* qui licet *Abbas* Monaſterii Alatrini eſſet, Presbyter tamen non fuit. Pariter Regimbrandus XXI. Abbas Caſinenſis tantum Diaconus fuit.

XXI. Imò quidam ex cap. 2. Regulæ S. Aureliani dicentis: *Nullus honorem Presbyterii, aut Diaconatus accipiat præter Abbatem:* & ex M. Gregorio Lib. IV. Epiſt. 11. ad Maximianum Syracuſanum Epiſcopum, & Lib. V. Epiſt. 1. ad Joannem Ravennatem exiſtimarunt vetitum fuiſſe Sæculis VI., & VII. Abbatem Presbyteratu inſigniri. Hos falli oſtendit Mabillonius Lib. 5. Annal. num. 32., & Lib. 8. num. 48. eo ſenſu Aureliani verba exponendo, ut ſignificent neminem ſine conſenſu, & licentiâ Abbatis ad majores Ordines conſcendere debere. Hanc interpretationem ſpontè patiuntur voces illæ *præter Abbatem*; eamque ipſe confirmat verbis ſequentibus, & ita de Abbate decernentibus, quod *ſi voluerit ordinari Presbyterum, & unum Diaconem, & Subdiaconem, quos ipſe voluerit, & quando voluerit, habent poteſtatem.* Optima ſanè eſt iſta conjectura docti Viri ad confirmandam interpretationem prædictam; quamvis nihil inde eruatur, quo certò doceamur, an Aurelianenſes Abbates ſimul eſſent, aut non eſſent Presbyteri. Cæterum tantum abeſt, ut ex Aureliani verbis videantur a Sacerdotio Abbates excluſi; quin potius illis nudè inſpectis, & à contextu avulſis inferre aliquis poſſet ad ſolos Abbates Gradum Presbyterii, aut Diaconatus in Monaſterio fuiſſe reſervatum; quoniam τὸ *Præter* ſit particula exceptiva.

XXII. Perperam porrò ad excludendos Abbates a Sacerdotis dignitate Litteræ proferuntur Sancti Gregorii, qui in priori Epiſtolâ eos tantum Clericos in Abbates Monaſteriorum eligi vetat, *qui in Eccleſiis militant,* ideſt qui aliis Eccleſiis incardinati fuerant, & deputati. Cum enim ab hujuſmodi Clericis non benè utraque poſſet adimpleri provincia tum propriæ Eccleſiæ munera obeundo, cum Abbatialis vigilantiæ onera ferendo, propterea Maximiano ita ſcribit: *Presbyteros, Diaconos, cæteroſque cujuslibet Ordinis Clericos, qui Eccleſiis militant, Abbates per Monaſteria eſſe non permittas; ſed aut omiſsâ Clericatus militia Monachicis provehantur Ordinibus; aut ſi in Abbatis loco permanere decreverint Clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum eſt, ſi cum unum ex his, pro ſui magnitudine diligenter quis non poſſit explere, ad utrumque judicetur idoneus; ſicque invi-*

invicem & eccleſiaſticus Ordo Vitæ Monachicæ, & eccleſiaſticis utilitatibus regula Monachatus impediat. Iſta difficultas non militabat in Abbate Presbytero, qui nulli alteri adſcriptus propter Presbyterium Eccleſiæ, quam proprio Monaſterio, utraque munera & ſpiritualis, & temporalis regiminis ſuorum Monachorum integre complere poterat. Simili modo loquitur S. Pontifex in altera Epiſtola, prohibens eos *qui ſunt in Eccleſiis*, Monaſterio præfici. *Nemo etenim* (veriſſimè inquit) *poteſt & Eccleſiaſticis Obſequiis deſervire, & in Monaſtica Regula ordinate perſiſtere, ut ipſe Monaſterii diſtinctionem teneat, qui quotidie Miniſterio Eccleſiaſtico cogitur deſervire*. Propter hæc incommoda devitanda non tantum Extraneum Clericum in Abbatem eligi negabat S. Gregorius; ſed neque patiebatur Clericum illum fieri Monachum, niſi prius dimiſſa Eccleſia, cui per Clericatum fuerat addictus, & prohibito regreſſu ad eandem Eccleſiam ſine ſpeciali proprii Epiſcopi revocatione. Legatur Lib. 1. Epiſ. 42. ad Anthemium Subdiacon., ubi negat licere eis, qui *a Clericatu in monachicam converſionem venire contigerit, ad eandem, vel aliam Eccleſiam, quarum primum milites fuerant, ſua voluntate denuo remeare*. Idem plane exigebat Sanctus Benedictus cap. 60. Reg. a Clericis in Monaſterium admitti poſcentibus, a quibus non tam promiſſionem *de obſervatione Regulæ*, quam *de propria ſtabilitate* requirebat.

XXIII. Quamvis autem Sæculo VI. & VII. nec abſolutè vetitum eſſet Abbatibus Presbyteratum aſſumere propter ſpiritualem gubernationem Monachorum, nec frequenter in Occidente Abbates ſimul Sacerdotio fungerentur; tamen ea tempeſtate nonnullos utraque prærogativa Abbatiali, & Sacerdotali conſpicuos recenſet Cointius Tom. III. Annal. Franc. ad annum 674. num. 55. & ſeqq., quem laudant Monachi editores Operum S. Gregorii Adnot. in Epiſ. 11. Lib. 4., & Mabillonius Lib. 8. Annal, num. 48. eodem loco plures Abbates Presbyteros a Gregorio Turonenſi, & M. Gregorio indicari affirmans. Ad hos inquirendos otium mihi non ſuppetit: ſed ſolum adverto, ideo nonnullos ex Abbatibus tunc fuiſſe Presbyteros, quia priuſquam in Monaſteria ſecederent, Eccleſiis jam fuerant per Sacerdotium incardinati. Tales fuerunt Sequanus, Germanus, & Leodegarius in Tom. I. Annal. Mabillon. laudati.

XXIV. Doctiſſ. Tomaſinus Par. 1. de Benef. Lib. III. cap. 1. tanquam probabilem conjecturam aſſerendi Preſbyteratus aliquorum Abbatum credidit illam, quod in nonnullis Conciliis VI. & VII. Sæculo in Galliis, & in Hiſpania collectis Abbates ante Preſbyteros quoſdam ſubſcripſerint, recenſeanturque. Huic optimi Viri conjecturæ fortè aſſentiri renuet aliquis, qui priſtinos mores recogitans exiſtimaverit debuiſſe ab Abbatibus illis exprimi Presbyterium in ſubſcriptionibus Conciliaribus, ſicut alii olim Abbates facere conſueverant. Etiam ego adverti ſæpius Abbates ſubſcripſiſſe in Conciliis VI. & VII. Sæculi ante Presbyteros, & viciſſim aliquando Presbyteros ante Abbates ſubſcripſiſſe. An id contigerit ex defectu Preſbyteratus in iſtis, propter quem illi præcederent, certo affirmare non poſſum; quia nihil amplius exprimitur in ſubſcriptionibus Abbatum ſive ante, ſive poſt Presbyteros ſubſcribentium, quam Abbatis Titulus. Hoc certum novi, longe poſt Sæculum VII. plures Abbates Sacerdotio caruiſſe, quemadmodum ex Concilio Aquiſgranenſi Anni 817. can. 27. non obſcure intelligitur. Juſſerat Concilium Romanum anni 827. Abbates omnes ad majorem ſibi conciliandam reverentiam Presbyteros initiari; atque de illis ita ſtatuerat: *Sacerdotalem honorem ſint adepti, ut peccantium ſibi ſubditorum Fratrum valeant omnimodis refrænare, & amputare commiſſa*. Non ubique tamen obſervantia hujus

Conſtitutionis invaluit; ita ut oportuerit ſeveriore lege compelli a Synodo Pictavienſi anni 1078. Abbates ad Presbyterium his verbis: *Abbates, & Decani, qui Presbyteri non ſunt, Presbyteri fiant, aut prælationes ammittant*. Imo in Catalogo Abbatum Farfenſium edito Tom. I. Muſæi Ital. Beraldus *Diaconus*, & *Abbas* anno 1099. reperitur.

XXV. Sive autem Abbates Sæculis VI. & VII. in Monaſteriis cum Prælatura Sacerdotium gererent, ſive Sacerdotali Dignitate carerent; aliquis Sacerdos in omnibus Monaſteriis aderat, qui Miſſas celebraret, & ſacramenta Monachis diſpenſaret. Quin etiam non tam rara reperiebantur tunc temporis Monaſteria, in quibus plures Presbyteri præſto eſſent, ut ex ſuperioribus colligitur. Revera unico Sacerdote contentos non fuiſſe Monachos Adrumetinos ex Concilio Carthaginenſi anni 525. emicat; unde conſtat illos facultatem antea obtinuiſſe, ut non tantum proprios haberent Presbyteros; ſed ut *prætermiſſo* propriæ *Civitatis Epiſcopo de traſmarinis Partibus ſibi ſemper PRESBYTEROS* ordinarent. Ita iidem Monachi ſuggeſſerunt Bonifacio Epiſcopo in Collect. Concilior. Harduin. Tom. II. pag. 1087. Edit. Pariſ.

XXVI. Hæc omnia tot ſunt irrefragabilia monumenta Oratoriorum Monaſticorum privatorum, in quibus Sæculo VI. & VII. Sacrificia offerrebantur ab iis Sacerdotibus, qui propter rem divinam vel in Clauſtris Monachorum morabantur, vel ſaltem illuc ab Epiſcopis mittebantur. Enimvero quid nitidius ex præcedentibus illuxit, quam propter ſolos Monachos in Monaſteriis celebratas Miſſas, quas proinde *SIBI* faciendas curabant? Publicæ nondum evaſerant, ſi paucas excipiamus, ea ætate Monaſticæ Eccleſiæ; ad quas præcipue Fœminis, & alicubi etiam Viris Laicis non patebat aditus.

XXVII. De prohibito Fœminarum in Monaſticas Eccleſias acceſſu late diſſeruerunt Mabillonius Præfat. in Sæc. Ben. I. II III., & Martenius Commen. in cap. 4. Reg. S. Benedicti. Moleſtus ero, ſi ſingula proſequar inferius reſervanda; at ſi omnia prætercam, quæ ad hanc ætatem pertinent, me forte Lector reprehendet. Itaque commemoro ex S. Gregorio Turon. de Vitis PP. cap. I. S. Romanum Abb. Condateceníem propterea noluiſſe in Baſilica Monaſterii tumulari, quia ex revelatione divina didicerat ſe poſt mortem miracula patraturum, ob quæ magnus ad ipſius Reliquias futurus erat Populorum concurſus. *Non poteſt fieri*, dixit, *ut ego in Monaſterio ſepulchrum habeam, a quo Mulierum acceſſus arcetur*. Ex M. Gregorio infra nonnulla proferam, illudque unice hic adverto, nempe S. Pontificem Lib. IV. Epiſ. 42. juſſiſſe Valentino Abbati ſub pœna *ſeveriſſimæ* ultionis, *ut neque mulieres in Monaſterio deinceps qualibet occaſione* permitteret *aſcendere*. Eandem conſuetudinem excludendi mulieres a Monaſteriis ſub Geremaro Abbate Flaviacenſi, ſub Romaclo Abb. Stabulenſi, ſub Milone Abb. Elnonenſi, aliiſque Sæculo VII. ipſorum Acta Sæcul. III. Bened. inſerta viguiſſe oſtendunt. His interea contentus maneat diſcretus Lector. Videri tamen poteſt Synodus Autiſſiodorenſis Anni 578. Can. 20. mulctans pane, & aqua, & in aliud Monaſterium per tres menſes retrudens Abbatem illum, qui ingredi permiſiſſet Fœminas in proprium Monaſterium *etiam ad ſpectandas aliquas Feſtivitates*. Fœminis autem ingredientibus Monaſteria Synodus Turonenſis anni 566. Can. 16. excommunicationem inflixit. Talem ingreſſum prohibuit quoque Concilium Auguſtudunenſe anni 674.

XXVIII. De cæteris verò Laicis ab Oratorio Monachorum excluſis hæc nobis occurrerunt. In primis adeſt Regula S. Aureliani Epiſcopi Arelatenſis Sæc. VI. præcipiens cap. 14., ut *nullus Laicus ſive nobilis, ſive ignobilis in Baſilicam, vel Mo-*

naſte-

naſterium introire permittatur : Idemque ſtatuit de Fœminis cap. ſeq., quas licet conſanguineæ eſſent Monachorum, in Monaſteria *ingredi ad orationem* non permiſit. Extant deinde Acta S. Joannis Abbatis Reomacenſis Sæc. II., & Lib. 2. Annal. Benedictin. ad annum 525., quæ narrant a S. Abbate expulſum fuiſſe e Monaſterio, ſive e Baſilica Agreſtium, ut ſecretius ſacra myſteria peragerentur. Imo cum ægre ferret Agreſtius expelli, qui die Dominico illuc venerat, ut a ſanctiſſimo Viro *Corpus conſecratum Chriſti mereretur accipere*; votis nullatenus ceſſit Joannis dicentis: *Non ideo id facimus, quaſi præſentiam tuam averſemur, ſed ne Sanctorum Patrum præcepta, & regularem cenſuram tranſgredi videamur*. Eadem diſciplina vigebat in Luxovienſi Monaſterio ſub B.Columbano Sæculo VI., ut advertit eruditiſs. Mabillonius Lib. II. Annal. num. 22., & Lib. IV. num. 15. His omnibus præmiſſis, quam manifeſte conſequatur Monachorum Oratoria ut plurimum privata tantum fuiſſe, unuſquiſque cognoſcit; cum nulla ratione publicum eſſe, dicique valeat, quod omnibus non patet.

XXIX. In multis Cœnobiis tantus tunc non ſervabatur rigor excludendi Laicos ab ingreſſu in Monachicas Baſilicas; Cumque Monaſteria plurimis Sanctorum Reliquiis eſſent locupletata, non tolerabant devotæ Populorum turbæ ſe ab illis Oratoriis viſitandis prohiberi, quæ tam venerandis Pignoribus abundabant. Verum etſi non expediret aditum Laicis claudere colendarum Reliquiarum gratia, adhuc Sæculis VI. & VII. in pleno rigore urgebat Lex prohibens Collectas in Monaſticis Baſilicis; quod ſatis erat iiſdem in numero privatorum Oratoriorum accenſendis. Etenim ſi cauſſas quærimus, quare collectæ illic fieri vetarentur, in id demum illas referre cogimur, quod non ad uſum omnium, ſed ob ſolam Monachorum utilitatem, & commodum in Monaſteriis Baſilicæ extrui permitterentur. Magis hoc ipſum illuſtratur, ſimulque clarius oſtenditur Monachorum Baſilicas publicas non fuiſſe ex illa rigoroſa prohibitione, qua Cathedram in Monaſteriis ad Miſſas celebrandas inferre vetabantur Epiſcopi. Paſſim id, neque alia de cauſſa vetat M. Gregorius, quam ne in Monachorum Eccleſiis publici Populorum haberentur conventus, qui ſolemniter Epiſcopum celebrantem, & in altiore Sede Paſtoralem Dignitatem præſeferente comitabantur. Cum enim ibi Miſſæ publicæ celebrarentur, ubi omnibus aditus patebat; Cumque in Monaſterii Baſilicas nullatenus tunc publicus permitteretur acceſſus; Propterea nec illuc Cathedram Epiſcopalem inferre, nec, quæ cum illa connectebantur, Miſſas publicas cantare concedebatur. Imo vel ipſa Oratoriorum Monaſticorum conſecratio, etſi ſolemnius peragetur, tamen ſine Miſſis publicis facienda erat; quoniam timebatur, ne etiam ſemel illis celebratis, quidquam adverſum Diſciplinæ, & Solitudini Monaſticæ conſequeretur. Legantur plures M. Gregorii Litteræ, ut Lib. 8. Epiſ. 4. ad Venantium Epiſcopum Lunenſem, & Lib. 10. Epiſ. 2. ad Fortunatum Neapolit., in quibus negantur Miſſæ publicæ in conſecrandis Monachorum Oratoriis, ne Solitariorum Loca ex Populorum frequentia turbarentur. Legatur inſuper Lib. II. Epiſ. 41. ad Caſtorium, ubi *Miſſas illic* (in Monaſterio) *publicas per Epiſcopum fieri omnimodo* prohibet, *ne in Servorum Dei Seceſſibus popularibus occaſio præbeatur ulla conventibus; & ſimpliciores ex hoc animas plerumque, quod abſit, in ſcandalum trahat frequentior quoque introitus muliebris*.

XXX. Præcipue autem eligo ex multis Epiſtolam 46. Lib. 6., quia in hac ſunt nonnulla ſpeciali conſideratione ponderanda. Miratur 1. M. Pontifex quod *aliter, quam antiquæ conſuetudinis uſus* exigeret, Felix Piſaurenſis Epiſcopus Monaſterium conſe-

cra-

craverit. 2. Quod hanc conſuetudinem violando ſimul *mandatum* ipſi datum a Prædeceſſore ſuo, *ut locum ipſum abſque Miſſis publicis* dedicaret, tranſgreſſus fuerit. 3. Quod illic *Cathedram* poſuerit, & publice Miſſarum ſolemnia inibi celebrarentur. Tria hæc conſuetudini antiquæ Monaſteriorum contraria corrigit avitæ diſciplinæ tenax Sanctiſſimus Gregorius, mandatque Felici, *ut omni excuſatione ceſſante cathedram exinde modis omnibus* ammoveat, *nec denuo Miſſas illic publicas* peragat. Poſt hæc omnia reticendum non eſt decretum M. Pontificis editum in Synodo Romana anno 601. favore Monachorum, in quo taliter effabatur. *Miſſas publicas ab eo* (Epiſcopo) *in Cænobio fieri omnino prohibemus, ne in Servorum Dei receſſibus, & eorum receptaculis ulla popularis præbeatur occaſio conventus, vel mulierum fiat novus introitus, quod omnino non expedit animabus eorum. Neque audeat ibi CATHEDRAM collocare &c.* Sunt hæc decreta ejuſdem cum præcedentibus tenoris, & *ab univerſis Epiſcopis*, & aliis, qui Concilio aderant, ſubſcripta fuerunt. Ita reperitur Tom. III. Harduinianæ Collect. Concilior. p. 549. Ed. P. Eadem Privilegia ſubnectuntur Epiſtolæ S. Greg. ad Caſtor. Lib. 2. Epiſ. 41. Nov. Ed. Par. pag. 604.

XXXI. Legi Tom. IV. Rer. Italicar. pag. 374., quæ ad verba M. Gregorii in ſuis eruditis illuſtrationibus Chronici Caſinenſis adnotaverat Angelus Nuceus. Exiſtimabat videlicet Vir præclarus tunc celebrari potuiſſe per Monachos Miſſas publicas in Monaſteriis, quæ *per Epiſcopum* fieri prohibebantur; Neque ad alium finem illas Epiſcopis prohibuiſſe M. Gregorium dixit, quam ut aſſereret Monachis privilegium exemptionis ab iſtorum juriſdictione. Imo cum Joſeph Vicecomes ex prædictis Gregorii litteris vetitas in Monaſteriis Miſſas publicas tradidiſſet, in illum nonnihil acerbitatem ſtyli convertit. Mentem hujus Scriptoris apprime in Rebus Liturgicis periti non fuit aſſecutus Nuceus; nec bene exploratas habuit Miſſæ publicæ, de qua loquitur Gregorius, proprietates. Hinc ut ipſe oſtenderet celebratas a Monachis publicas Miſſas, quædam protulit e Lib. 3. Chron. cap. 22., quæ ſolum demonſtrant veterem morem Monachorum cantantium unam Miſſam ſolemniter, & coram omni Monachorum cætu, diverſam propterea a Miſſis privatis, quæ a ſingulis Sacerdotibus in Monaſteriis celebrabantur. Iſtarum Miſſarum, quas nunc *Conventaales* appellamus, Publicarum uſum apud Monachos fuiſſe, nemo prudens negaverit; Noſque ſeq. Cap. num. 19. confirmabimus. Aliæ tamen valde diſpares erant Miſſæ publicæ, quarum meminit Gregorius; nam ad illas Populorum frequentia, & uterque ſexus liberrime congregabatur, ut cum Epiſcopo communem Synaxim peragerent. Hæ ſane in Monaſticis Seceſſibus quietem turbabant; & occaſionem aliquando ſcandali frequens muliebris turba Monachis præbere poterat. Quamvis autem ſcopum non attigerit Nuceus, egregie adhuc in verbis Gregorii Exemptionis Monaſticæ privilegia attendit: Etenim hæc ipſa prohibitio facta Epiſcopis ingrediendi Monachorum Baſilicas ad Miſſarum publicarum celebritatem non ſolum demonſtrabat eas fuiſſe inacceſſas Laicis; verum etiam immunes ab Epiſcoporum ſubjectione fuiſſe ſuadebat. Reverà in hunc ſenſum ſimilem prohibitionem factam a S. Germano Pariſienſi Epiſcopo (Floruit medio VI. Sæculo) interpretatus eſt Aimoinus Monachus Lib. 3. Ita quippe decreverat S. Germanus pro Monaſterio S. Crucis: *Sancimus, ut nullus Metropolitanus, aut aliquis Suffraganeus ejus causà alicujus ordinationis illuc ingredi præſumat, niſi ſolummodo ab Abbate ejuſdem Loci vocatus venerit ad Sanctitatis myſterium celebrandum*. Subdit vero laud. Monachus. *Prævide-*

bat

bat mens ſancta, quod huic immunitati, vel libertati Monaſteriorum poſtmodum conſentiret Sancta, & Apoſtolica Romana Eccleſia; ſicut etiam B. Papa Gregorius poſtmodum in Decretis ſuis confirmavit.

XXXII. Fuerat itaque proculdubio in argumentum Exemptionis, & Libertatis Monaſteriorum illa prohibitio Miſſarum publicarum. Attamen hoc ipſum exemptionis Privilegium eò referebatur, ne Oratoria Monachorum redderentur publica, & omnibus pervia. Hanc cauſſam ſatis expreſſit M. Gregorius, cui addere poſſumus Privilegium Numeriani Archiepiſcopi Trevirenſis conceſſum anno 671. Monaſterio, quod Deodatus quidam exſtruxerat. In eo præcipitur, ut Epiſcopus ibi Miſſas ſolùm celebret, cum *communiter* ab Abbate, & Congregatione Monachorum *poſtulatus* fuerit; ac *mox* diſcedat *quatenus Monachi, qui Solitarii nuncupantur, de perceptâ quiete valeant juvante Domino per tempora exultare.* Extat Numeriani Privilegium apud Mabillonium Tom. I. Annal. in Append. Par. II. num. 25. Ex his conſequitur Monachis Oratoria ad unicam ipſorum utilitatem, ac commodum fuiſſe conceſſa; ac proindè in illis peragi conſueviſſe divina officia, ne Monaſtica Congregatio Sacrificii, & Sacramentorum gratiâ ad alias Eccleſias ire compelleretur. Jam verò quis non intelligat, quod Oratoria Monachorum ob unicum iſtorum commodum erecta tunc fuerant? Certè id inſinuant conceſſiones ſuperius recenſitæ vel Monachi Presbyteri, vel alterius Sacerdotis ad Monaſteria propter Sacrificium miſſi: Nam ex illis manifeſtè patet non aliter permiſſos Monachis Sacerdotes, & Sacrificia, quam in ſpirituale unicum Monachorum ſolatium; qui cum nequirent ex bene conſtabilita clauſtrali diſciplina publicas Synaxes, & Eccleſias frequentare, privata Miſſarum celebratione in proprio Monaſterio non carebant.

XXXIII. Accipient hæc omnia plus roboris ex Libro Diurno RR. Pontificum cap. 5. Tit. XIII., in quo legitur formula apprime demonſtrans intra Monaſteria proprium fuiſſe Oratorium abſque Miſſis publicis conſecrandum, ne ſtrepitu plebis turbaretur *Religioſa Congregatio*, in cujus *tantummodo* præſentia Sacrificium offerebatur. In hunc modum ſcribere conſueverat R. Pontifex Epiſcopis, dum Monaſticum ſacrandum erat Oratorium: *Ill. in ſolo ſibi conceſſo ab ill. & in ill. fundo petitione oblata dudum ſe Monaſterium condidiſſe, IN QUO nuper ORATORIUM, quod deerat, eſſe commemorat; petens hoc in honorem Sancti ill. debere dedicari: & ideo Frater cariſſime .... Oratorium memoratum ſacrabis, ſic tamen, ut non illud publica Proceſſione a Conditore aliquatenus teneatur: CONGREGATIONI TANTUMMODO, quæ illic eſſe noſcitur, ſacra myſteria celebrabis, quatenus Religioſa Congregatio citra ſtrepitum Plebis Domino die, noctuque valeat ſupplicare.* Nihil in hac formula dicitur, a quo deinceps Miſſæ in eodem Oratorio celebrandæ eſſent. Sed Tit. VIII; qui eſt de dedicando Oratorio intra Monaſterium Monachorum, exprimitur illud munus a Presbyteris Epiſcopalis Eccleſiæ peragi debuiſſe pro neceſſitate, & commodo Monachorum. Ita igitur ſonabat altera hæc formula: *Quoniam ill. Sancti ill. in Loco, in quo Monachi habitant Oratorium pro voto ſuo dixit eſſe fundatum, Dilectionem tuam præſentibus juſſionibus duximus admonendam, quatenus ad prædictum Locum, cum poſtulaverit, ingravanter accedas veneranda ſolemnia Dedicationis impendens, ut quoties neceſſe fuerit a PRESBYTERIS ECCLESIÆ in ſupradicto loco deſervientibus celebrentur Sacrificia veneranda Miſſarum; ita ut in eodem Monaſterio neque Fraternitas Tua, neque Presbyteri præter diligentiam diſciplinæ aliquid moleſtiarum inferant.*

XXXIV. Poſt Gregorium M. non exi-

exiſtimo effictam recitatam formulam, cum illa verba *a Presbyteris Eccleſiæ in ſupradicto loco deſervientibus*, correſpondeant ſimilibus verbis, quæ in laudatis S. Pontificis Litteris ad Fortunatum, & Felicem reperiuntur. Vigebat adhuc, cum in Libro Diurno deſcriptum fuerat laudatum formularium, antiquus mos, ut Presbyteri Oratoriorum Monaſticorum non e numero Monachorum, ſed Clericorum eſſent. Imo neque continuo in Monaſteriis morabantur illi Presbyteri; ſed pro Monachorum deſideriis, & poſtulationibus ab Epiſcopo ad Monaſteria mittebantur, ſtatim poſt peracta divina myſteria, & officia ad proprias domos regreſſuri. Egregie id oſtendit Epiſtola Pelagii I. P., qui anno 555. ad Pontificatum provectus fuit; dum Aſterio Epiſcopo hoc modo ſcribebat: *Vindemius Abbas territorii nobis inſinuatione ſuggeſſit, quod habetur in ſubditis, juxta muros Salernitanæ Civitatis intra Monaſterium ſuum Oratorium ſe pro ſua devotione fundaſſe, quod in honore BB. MM. Chryſanthi, & Dariæ deſiderat conſecrari. Et ideo ſi nullum corpus ibidem conſtat humatum, prædictum Monaſterium abſque Miſſis* (publicis) *conſecrabis; ita tamen ut ſi fundator prædictus Miſſas ibidem fieri maluerit a Dilectione tua Presbyterum noverit poſtulandum*. Edidit primum Pelagii Epiſtolam Holſtenius ex Collect. Card. Deusdedit Lib. 3. cap. 168., inſertaque eſt in Collectione Conciliorum Labbeana Tom. VI. pag. 485. Edit. Venetæ.

XXXV. Quam pulchre, & opportune nobis favet illuſtre hoc teſtimonium, quo præcedentia magis illuſtrantur, confirmanturque validius. Etenim multo ante M. Gregorii Pontificatum obtinuiſſe demonſtrat 1. morem, ut *intra Monaſterium* erigeretur Oratorium, quod ibidem ex Veterum conſuetudine a S. Gregorio pariter retenta *Monaſterium* appellatur. Demonſtrat 2. idem Oratorium ab Epiſcopo fuiſſe conſecratum abſque Miſſis: Miſſis inquam publicis, quoniam nuſquam Eccleſiæ, Oratoriive a Majoribus noſtris facta conſecratio reperitur, quam non comitaretur ſuper Altare recens conſecratum Sacrificii oblatio. Demonſtrat demum ab Epiſcopo conſueviſſe mitti Presbyterum in Monaſterium, ut ibi Miſſas celebraret, quando Abbas poſtulabat; quia nempe in illo Monaſterio nullus Monachorum Sacerdotio fungebatur. Quantum autem concinant formulæ a M. Gregorio adhibitæ in conceſſione Oratorii Monaſtici cum expoſita Pelagii P. Epiſtola quiſque intuebitur, ſi ſimul iſtas contulerit. Obiter autem adverto, quod licet nondum introducta conſuetudine ordinandi Monachos in Presbyteros poſtulari deberet ab Epiſcopo Presbyter celebraturus, non tamen obnoxii reddebantur Monachi Presbyterorum juriſdictioni. Imò inter formulas Privilegiorum pro Monaſteriis concedendorum primam hanc adverti in Libro Diurno cap. 7., neminem *cujuslibet Eccleſiæ Sacerdotem* præſumere potuiſſe *in Monaſterio celebrare* Miſſarum ſolemnia, *niſi ab Abbate invitatus* fuiſſet. Similem legi aliam Formulam inſertam in Libro Diurno ex veterrimo Codice S. Crucis in Hieruſalem; cujus auctaria Mabillonius Tom. 1. Muſæi edidit. Iſta ſufficiant de Privatis Monachorum Oratoriis intra Monaſteriorum ſepta erectis, & ad merum illorum uſum ædificatis, cum multa, & forte cum tædio legentium collegiſſe timeamus ad hoc argumentum ſpectantia e Sæculis VI, & VII., niſi de iſtorum in nos humanitate plurimum polliceremur.

XXXVI. Unum diſſimulare non debeo ingenuitatis ergo, alicubi videlicet Sæculo VI. & VII. Monachorum Eccleſias fuiſſe publicas. Revera in Monaſterio Sancti Pancratii prope Urbem extructo Miſsa ſingulis Diebus Dominicis in gratiam utriuſque Sexus M. Gregorio teſte Lib. IV. Epiſtol.

ſtol. 18. celebrabatur. Cum enim illa Eccleſia prius a Presbyteris regeretur; etiam poſtea ad Monachos tranſlata priſtinos retinuit mores, ne vicini Populi ſuo carerent commodo. Eadem plane ratione plures Eccleſiæ antea a ſolis Clericis, poſtmodum a Monachis aut excluſis Clericis, aut ſimul in illarum regimen, cultumque permiſtis adminiſtratæ antiquam conditionem publici Oratorii retinuerunt; quoniam in illis ad ſupplendum Cleri defectum neceſſitatibus ſpiritualibus Populorum diſpenſatione Sacramentorum provideri oportebat. In Oriente quoque aliquas fuiſſe Monachis Sæculo VI. publicas Eccleſias dignoſcitur ex Novella Juſtiniani 133. (Extat. in Cod. Tit. 16. *Quomodo oporteat &c.*,) ubi cap. 2. ſtatuitur, quod *ſi ulla Eccleſia in Monaſterio ſit*, *neque ſit occaſione Eccleſiarum* eſſe abrumpendam Monachorum diſciplinam, aut confabulationes cum Laicis miſcendas: ſed Monachos *venire quidem tempore Sancti Miniſterii* debere *cum Abba*, *ſuis Prioribus*, *&* *Senibus*; *Sacrificioque completo rurſus ad Cænobium* reverti. Solum *quatuor*, *vel quinque Seniores*, qui ſint Presbyteri aut Diaconi, permittuntur in eadem Eccleſia Populum alloqui, reliquis Junioribus Monachis intra certos terminos detentis, ut neque a Laicis viderentur. Sane hic eſt ſermo de publica Eccleſia; quamvis hujuſmodi Eccleſiarum Monaſticarum publicitatem etiam in Oriente non valde frequentem fuiſſe ipſe modus conditionatus, quo utitur Novella dicens: *Si ulla Eccleſia ſit*, perſpicue manifeſtet. De aliis, ſi quæ fuerant Monachorum publicis Eccleſiis, ſupervacaneum nobis in præſentiarum foret plura congerere: Multoque magis inutile foret loqui de illis Eccleſiis, quæ Monachorum juri ſubdebantur, utpote in ipſorum poſſeſſionibus erectæ. Hæ profecto publicæ erant, eandemque conditionem retinebant, qua antea fruebantur, priuſquam pia Fidelium, & Fundatorum devotione Monaſteriis donarentur. Sufficiat itaque tot deprehendiſse Oratoria privata in Clauſtris Monachorum, quot propemodum ſub rigore, legibuſque Monaſticis fundata, & conſervata erant.

CAPUT VIII.

Proſequitur idem argumentum de Privatis Monachorum Oratoriis a Sæculo VIII. ad tempora Concilii Tridentini.

I. MODUM, quem præcedentibus Sæculis tenuiſſe videmus Monachos in ipſorum ORATORIIS, nullatenus mutarunt octavo Sæculo; quin etiam multo poſt ſimilem rationem privatarum Eccleſiarum, quæ propriis tantum uſibus ſacris reſervatæ eſſent, conſervaverunt. Hinc cum nihil nobis occurrat ſingulari animadverſione dignum ex Sæc. VIII., quæ diximus de VI. & VII., etiam illi applicanda eadem fore arbitramur. Unum poſſet hoc loco addi, quod & ad octavum Sæculum pertinet, & uſum Monachorum Italicorum prohibendi Fæminis acceſſum ad proprias Eccleſias confirmat, ut propter hujuſcemodi prohibitionem habeamus fundamentum computandi inter privata Oratoria eaſdem Monaſticas Eccleſias. Extat apud Baronium ad annum 713. ex Actis publicis ea ætate confectis de Miraculis S. Anaſtaſii ad

ad Monaſterium prope Urbis mænia ad Aquas Salvias tranſlati. Narratur etenim, quod ad curandam ab obſidente dæmone Sacram Virginem S. Martyris Reliquiæ extra Eccleſiam fuerint delatæ, quia *in ipſum Monaſterium Mulier non ingreditur*. Intra Monaſterii clauſtra Mulieribus inacceſſa erat exſtructa S. Martyris Baſilica; e qua prius extrahere oportuit Sacras Reliquias, quam arreptitiæ applicarentur. Quapropter ex Loco ipſo, in quo Monachorum Baſilicæ exſtruebantur, ſatis colligitur eas merito tanquam privatas & nuncupari, & haberi debuiſſe.

II. Singulare fuit Monaſterium Altonis (Floruit VIII. Sæc.) in Baoaria, cujus Oratorium commune erat, ut legitur in illius Vita Sæc. IV. Bened. At ſingulari diſpenſatione cum illo actum eſt a Bonifacio Moguntino Epiſcopo, qui tamen prius deſideraverat Oratorium conſecrare *more ſolito*, *ut Mulier nulla deberet illud* ingredi. Hinc nemo poteſt Altonis exemplo obſtrepere, unde potius contraria convincitur generalis cæterorum Monachorum conſuetudo; quam non diſcedendo a Sæculo, aut Regione Sanctiſs. Viri ſuadet Synodus Bavarica anni 772., cujus verba, ſicut Cap. VI. num. 6. retulimus ad probanda privata Epiſcoporum Oratoria, ita huc revocare poſſumus ad privata Cœnobiorum ſimilia Oratoria confirmanda; cum æque ad Monachos, ac ad Epiſcopos referantur.

III. Habeo aliud ejuſdem ævi illuſtre monumentum, quod Solitarios Orientes reſpicit, & retentam apud illos diſciplinam celebrandi in privato Sacello demonſtrat. Reperitur in Vita S. Stephani Sabaitæ Tom. III. Jul. Bollandiani ad Diem XIII. pag. 532. auctore Leontio diſcipulo. Vitam ille ſolitariam ducebat in Laura S. Sabæ prope Hieroſolymam; ac poſtquam fuerat ordinatus Presbyter, *in heſychaſterio ſuo* celebrabat teſte Leontio cap. 1., & quidem in ſuo *Oratorio*; quod *totum ſplendore infinito replevit Sanctus Spiritus in illud deſcendens* ante tempus Communionis. Hinc apparet, quod ille, qui in Heſychaſterio, ſive in loco arctiſſimæ Solitudinis morabatur, proprium habebat Oratorium, ubi quilibet Solitarius Presbyterio initiatus celebrare conſueverat. Ita plane inſinuat Leontius laud. num. 145., nobis inde præbens occaſionem valde opportunam dilatandi hæc Privata Oratoria, pro ut valde diffuſi erant Sanctiſſimi illi Viri, qui a Fratrum conſortio ſecreti Soli penitus in Heſychaſteriis habitabant.

IV. Venio ad tempora Carolina, quæ ſuppeditant clara teſtimonia privatorum Monaſticorum Oratoriorum. Egregius autem ad rem præſentem eſt Canon XV. Concilii Francofordienſis pœne Carolini Imperii initiis celebrati, quo ſtatuitur *de Monaſterio*, *ubi Corpora Sanctorum ſunt*, *ut habeat Oratorium INTRA CLAUSTRA*, *ubi peculiare Officium*, *& diuturnum fiat*. Similem Legem invenimus Capit. VII. ex his, quæ adduntur in appendice Capitularis Aquiſgranenſis Caroli M. Anno 789., nempe *ut ubi Corpora Sanctorum requieſcebant*, *aliud Oratorium habeatur*, *ubi Fratres ſecrete poſſint orare*. Non eſt difficile finem repetitæ iſtius Sanctionis detegere, quem verba ipſa ſubindicant. Jam multas Sanctorum Reliquias ſervabant Monachi vel ex Principum, & Epiſcoporum liberalitate tantis ditati ſacris theſauris, vel propriorum Patrum ſanctitate celeberrimorum fideliſſimi cuſtodes. Qui ergo fieri poterat, ut Fidelium contineretur devotio, ne illuc accederent ſua vota facturi, ubi tam eximii quieſcebant Patroni? Currebant igitur continuo turmæ piorum Hominum ad Monaſticas Eccleſias; & tanta impedimenti frequentia, non poterant Monachi quiete, prolixiuſque orare: Imo popularis concurſus non modicum ipſorum ſolitudini oberat. Quare ut liberius Monachi, remotiuſque a ſtrepitu Turbarum preces

ces ſuas funderent, diſtinctum, ſecretiuſque *intra Clauſtra* ædificari Oratorium neceſſitas poſtulabat. In aliis vero Monaſteriis, in quibus tam ſingulares Sanctorum Reliquiæ non ſervabantur, non erat neceſſe diſtinctum aliud extrui Oratorium; quia ceſſante cauſſa Laicos excitante ad Monaſteria viſitanda, ceſſabat quoque periculum, quo quies, & ſilentium monaſticum turbaretur.

V. Dum igitur attente Leges iſtas advertimus, non poſſumus non inde decerpere evidentia teſtimonia pro Oratoriis Monachorum, pro quibus tantum Eccleſiæ intra Clauſtri ambitum extruebantur. Certe qui Vitam S. Meginrandi Aſcetiſmum profeſſi a Bernone Augienſi Sæculo IX. ſcriptam, & in Sæculis Bened. inſertam legerit, apertiſſime inveniet privatum fuiſſe illud Oratorium, in quo Solemnia celebravit, dum maligni homines ipſum invaſerunt. Præter majorem Eccleſiam fuiſſe privata quædam alia Oratoria, in quibus privatæ Miſſæ fierent, non obſcure etiam ſignificat Auctor coævus Vitæ B. Alcuini in Majo Bolland. ad diem XIX. cap. 4. num. 26., cum inquit: *Dominico die cum Sigulfo Presbytero Miſſarum colebat ſolemnia ſpecialium uſque horam tertiam; & tunc nimia cum reverentia publicam intrabat ad Miſſam*.

VI. Cæterum fuerint licet Eccleſiæ Monaſticæ Sæculo IX. Laicis perviæ cauſſa SS. Reliquiarum venerandarum: imo licet fuerit tunc pœne generaliter conceſſus aditus omnibus Laicis in Oratoria Monachorum, ad quos tum in Oriente, cum in Occidente turmatim currebant Fideles ſuorum abſolutionem peccatorum accepturi, ut ex Concilio Pariſienſi anni 829. cap. 42., & Joanne Antiocheno Patriarcha in Monaſ. Donat. 7. apud Cotelerium Tom. 1. Monumen. Eccl. Græc. novimus: Attamen eædem ipſæ Eccleſiæ publicæ dicendæ non erant, cum ſemper in poteſtate Monachorum libera adeſſet facultas, quos vellent, admittere, alioſque excludere. Cum enim Baſilicæ illæ intra Monaſteria ipſa exiſterent, nullatenus publico uſui patere vera, propriaque ratione dici poterant. Parum quippe refert, quod gratia Confeſſionis Sacramentalis, vel Orationis faciendæ admitterentur Exteri in Oratoria, ut hæc publica fuiſſe dicamus; quia publicum nihil eſt, ut Cap. III. admonuimus, quod publici juris non fuerit, aditumque liberum, & loco publico apertum non habuerit.

VII. Evidentius adhuc ſuadetur, Monachorum Eccleſias Sæculo IX. publicas proprie nondum fuiſſe ex eo, quod tunc quoque diſciplina excludendi ab illis qualeſcunque Fœminas perſeveraret. Noſtra intereſt hoc demonſtrare, unde Oratorii Privati conditio perſeverans in iiſdem Monaſticis Baſilicis confirmetur. Patiatur itaque Lector benevolus aliquot ſaltem ex pluribus erudite collectis a Martenio comment. in cap. 4. Reg. S. Benedicti, & a Mabillonio in Annalium Libris, & Præfationibus in Sæc. I. II. III. Bened. hic a me indicari. In Monaſterio Luxovienſi B. Petri retentum illum rigorem Benedictus P. III. Epiſtola ad Epiſcopos in Caroli Calvi Regno conſtitutos anno 856. ſcripta adverſus Hucbertum Clericum indicat. (Mabil. Lib. 35. An. num. 2.) In Monaſterium Andegavenſe *quibuſque Secularibus* raro permittebatur ingredi, *nulluſque ingrediendi aditus* patebat *Fœminis*, niſi in annuali Feſto S. Hucberti; ita ut ægerrime Anno 838. eo ingredi cauſſa ſolemnis ſupplicationis faciendæ ad pluviarum immoderantiam precibus S. Hucberti cohibendam conceſſum fuerit. (Mabillon. Lib. 32. num. 10.) de Monaſterio Centullenſi ſcribit Anonymus Auctor Lib. I. de Miracul. S. Richarii Abbat. Centullenſ., quod *inſtituente præclaro Abbate Elizachar* circa annum 822. Fœminis erat vetitum *limina Monaſterii tangere*. (Mabill. 39. num. 29.) In Monaſterio Novæ-Cellæ ineunte Sæculo IX. contigit Mu-

Mulieres ingreſſas Oratorium *tornu-tionibus* vexari, ut tradit ex Ardone n. 38. Mabillon. Lib. 26. cap. 96. Idem celeberrimus Annaliſta Lib. 31. n. 64. refert ad annum 836. translationem SS. Reliquiarum S. Filiberti ex Herenſi Inſula Deas, ubi ædificata Baſilica aditum Fœminis non præbebat, niſi tantum die 21. Auguſti recurrente Solemnitate ejuſdem Sancti: Imo Crucem perenniter manentem conſtituerant Monachi veluti terminum, ultra quem Fœminis progredi non liceret; eo ferme modo, quo nunc quoque a ſuis Eremis Camaldulenſes Eremitæ Mulieres arcere ſolent.

VIII. Multo plura hic adunari poſſent exempla, quæ ob nimiam copiam ſatius prætermittuntur; cum obſervante Mabillonio Lib.4. num. 6. omnium pœne Monaſteriorum Occidentalium eſſet diſciplina expellendi Fœminas ab Eccleſiis propriis, quas nemo petere poterat, niſi Clauſtrum ſubeundo Mulieribus penitus inacceſſum. Duo exempla ſuppeditat Vir doctiſſimus Lib. 4. num. 6. prohibitarum Fœminarum Sæc. IX. a Baſilicis Monaſticis, quæ ſilentio injuria ſupprimerentur. Horum primum ſumitur ex Actis Boſonis Abbatis Floriacenſis Monaſterii, cujus laudatus Scriptor meminit etiam ad annum 828. Lib. 30. Annal. num. 17., & Præfat. in Sæc. I. num. 112. Detulerat Boſo SS. Dionyſii, & Sebaſtiani Reliquias in ſuam S. Mariæ Baſilicam XI. Kal. Junii; at cum, ut inquit Adrevaldus Monachus Lib. I. Miracul. Sancti Benedicti cap. 28., *ex antiqua auctoritate, nec intra exteriores portas Monaſterii* admitterentur Fœminæ, non aliter votis nobilium Fœminarum, quæ ſacram Translationem devote comitabantur, ſatisfactum fuit, quam extenſo *extra Portam Monaſterii* tentorio, ſub quo collocata Sacra Pignora a vigilia Dominicæ ad veſperas uſque ſequentis diei, indè in Baſilicam translata fuerunt. Quorſum autem id fieri debuiſſet, ſi in Loco exteriori Eccleſia Floriacenſis, & non potius intra ſepta intima Monaſterii fuiſſet extructa?

IX. Alterum exemplum ſumitur ex Aimoino Lib. 2. de Transl. S. Vincentii cap. 4. de Monaſterio Pratenſi S. Germani, quo cum inferrentur Reliquiæ S. Vincentii M., prius collocatæ fuerunt in Eccleſia B. Mariæ *ante ipſius Cœnobii portam*, ut ità Mulieres devotæ Sacrarum Reliquiarum venerandarum cauſſa poſſent accedere, quibus Monaſterii Baſilicæ aditus *ex antiqua Patrum ejuſdem Loci conſuetudine* prohibebatur. Placet multo plus iſtud exemplum, quanto clarius oſtendit interiores Baſilicas Monaſteriorum etiam Loci deſignatione inter Privata Oratoria fuiſſe accenſendas; firmiuſque confirmat intra Monaſterii Clauſtra eaſdem conſtrui conſueviſſe, quod ſolum nobis ad demonſtrandum in Monaſteriis uſum privatorum Oratoriorum ſufficeret. Hinc addit Aimoinus Monachos decreviſſe *novam Baſilicam in ejus* (S. Vincentii) *honorem Monaſterio vicinam exſtruere, ad quam utriuſque Sexus Perſonis devotis liber ſit* acceſſus. Conſimilia exempla dabit eruditiſs. Martenius citat., qui per variarum Regionum Monaſteria excurrens generalem pœne fuiſſe Monachorum conſuetudinem expellendi Fœminas a propriis Baſilicis demonſtrat. Jam vero ex his copioſiſſimis monumentis illud concludere poſſumus, quod inquiſivimus, videlicet Monaſticas Baſilicas ſive conſiderata occaſione, ob quam Laici in illis admittebantur, ſive attenta earumdem ſtructura, & Loco; ſive inſpecta differentia Perſonarum, quibus vel permittebatur, vel vetabatur ingreſſus, proprie fuiſſe privatas, vel ſaltem ad claſſem privatarum Capellarum, aliqua ratione reduci.

X. Quæ diu viguerat diſciplina excludendi a Monaſticis Eccleſiis Fœminas, Sæculo X. turbatis maxime per varias irruptiones Barbarorum, ac temporum calamitates Monaſteriis fuit relaxata; atque ideo data facul-

tate

tate omnibus promiſcue eaſdem Baſilicas ingrediendi ex privatis magna ex parte publicæ quadatenus evaſerunt. Ad iſtam mutationem plurimum contuliſse arbitror modicum in nonnullis Provinciis idoneorum Clericorum numerum; atque etiam in quibuſdam illorum ſegnitiem, laxatamque vivendi rationem; ut proinde cogerentur Epiſcopi multarum Parochiarum onera Monachis committere, unde neceſſitas publicas ipſorum reddendi Eccleſias conſequebatur.

XI. Verum non defuerunt tum Sæculo X., cum deinceps Monachi antiquæ obſervantiæ vindices, qui Fœminas a ſuis Monaſteriis, atque ab Eccleſiis intra Monaſterii ambitus exſtructis arcerent. In Sitivenſi Monaſterio anno 938. pia Comitiſſa Flandriæ Adala facultatem obtinuerat ab Epiſcopis Tarvanenſi, & Cameracenſi, ut Eccleſiam S. Bertini ingredi valeret; ſed *non ſine tremore maximo* ingreſſa eſt, *quoniam hoc illa PRIMA facere præſumpſerat, quod antea Reginarum nulla concupiſcere audebat*, ut ex Auctore Lib. II. Miracul. S. Bertini narrat Mabillonius Lib. 43. Ann. num. 92., & Præfat. I. in Sæc. III. addens ex Joanne Iperio eandem viguiſſe Legem in illo Monaſterio uſque ad Sæculum XIV. In Monaſterio Fuldenſi ſimilem cautelam adhibitam uſque ad tempora Friderici Ænobarbi imperatoris probat idem doctus Monachus ex eo, quod Imperator illam Baſilicam ingredi recuſaverit, *quia Regina in Comitatu ejus erat*: & Chriſtophorus Brovverus Lib. 1. Fuldenſ. Antiquit. ibi laudatum morem uſque ad exitum Sæculi XIV. perſeveraſſe ſignificat. A Monaſterio Tornajenſi in Anglia, ac proinde etiam ab illius Eccleſia magno rigore fuiſſe prohibitas Fœminas Sæculo XI. tradit Ordericus Lib. XI. apud Mabillonium Lib. 71. Annal. num. 63.

XII. Sed quid moror ſingula percurrendo Monaſteria Veteris Diſciplinæ tenacia, maxime Cluniacenſium? Certe quæ Sæculo XI. Reformatæ Monachorum Congregationes florere cœperunt, ſeveriſſime eandem cautelam tenuere, tum ut Baſilicæ intra Clauſtra ædificarentur, tum ut penitus ab illis Mulieres prohiberentur. Loquor de Camaldulenſibus, Grandimontenſibus, Chartuſianis, & Ciſtercienſibus. Equidem iſtorum Cænobia, quæ ſtrictius retinuerunt priſtinum Inſtitutum, adhuc ſuorum Patrum bene conſtitutas Leges cuſtodiunt, nec ipſis Ciſtercienſibus exceptis, apud quos alicubi, ut Ciſtercii, & in Monaſterio Caræ-Vallis prope Mediolanum adhuc viget ſimilis Diſciplina; & ſolum certis Feſtivitatibus ad interiorem Eccleſiam Fæminæ admittuntur, reliquo anni tempore juſſæ conſiſtere ad aliam minorem Eccleſiam prope, ſed extra Clauſuræ limites ædificatam. Servant optimi Monachi adhuc aliqua ex parte, quod in Antiquis Ordinis Conſtitutionibus Sæc. XI. Diſt. 3. cap. 5. ſtabilitum fuerat, his ſeveriſſimis verbis: *Ingreſſus Mulierum intra ſepta Abbatiarum ... interdicitur ... excepto quod cum Major Eccleſia noviter dedicatur per novem dies cauſſa devotionis Eccleſiam viſitare poterunt ... Sicubi contra præſumtum fuerit, diſcooperiantur Altaria, & divinum Officium minime in Eccleſia celebretur, quamdiu ibidem fuerint Mulieres*. A Grandimontenſibus autem olim vel ipſi Laici nonniſi raro divinis adeſſe myſteriis permittebantur, ita præcipiente Stephano Ordinis Inſtitutore cap. 5. Regulæ: *Dominicis etiam, & feſtis diebus, quibus eis* (Secularibus) *convenit in Eccleſiis divinis intereſſe officiis, ſi ad audienda Miſſarum ſolemnia apud Vos frequenter venerint, eos ne recipiatis*. Diu etiam in Monaſterio Caſinenſi retenta eſt vetus Diſciplina; nam Rogerius Archiepiſc. Beneventan. Card. S. Euſebii ita loquitur in Regeſto Petri Diaconi n. 171. *De collata nobis auctoritate ſtatuimus. ut Peregrini devote Caſinenſe Monaſterium viſitantes, ſive ſint Mares, qui*

qui Monaſterium intrent; ſive Mulieres, quibus non eſt licitum introire, ſe gaudeant unius anni indulgentiam de injuncta ſibi pœnitentia accepiſſe. Anno D. 1170. Saltem uſque ad tempora Angeli Nucei perſeveravit Caſiſini veſtigium veteris Diſciplinæ; nam in Adnot. ad Chronic. Caſinenſ. refert ſua ætate non niſi certis Anni Feſtivitatibus conceſſum Fœminis in eandem Baſilicam libere ingredi.

XIII. Nihil vero diſtincte loquor de illis Solitariis, qui Eremiticam Vitam colebant, quos ſcimus non ſolum in privato Sacello, ſed penitus ſolitarias Miſſas celebraſſe. Horum aliqui forte ſolitariam Miſſam faciebant tempore Ivonis Carnotenſis, qui floruit Sæculo XI.; unde non inutiliter Par.3. Decr. cap.70. recitavit Canonem 30. Nannetenſis Concilii dicentem illam ſolitariam celebrationem *maxime a Monaſteriis Monachorum exterminandam eſſe*; ac providendum, *ut Presbyteri in Cœnobiis cooperatores habeant in celebratione Miſſarum*. Mitius Odo Cameracenſis indulſit Eremitis ſolitariam Miſſam facientibus; atque ſi bene attendantur, quæ ſcribit in Expoſit. Canonis Diſt.2. ad verba: *Memento* &c., apparebit ipſum ſupponere morem *Solitarias, & maxime in Cœnobiis* faciendi *Miſſas* tunc adhuc quoſdam retinuiſſe: *Sic Solitarii*, ait, *hunc locum intelligunt*. Obiit Odo anno 1113. Non ita clare oſtendit Stephanus Eduenſis Lib. de Sacr. Altar. cap.13., quod ſua ætate aliqui Solitariam Miſſam facerent, licet non valde poſt Odonem deceſſerit, & quantum ad veterem uſum Miſſarum Solitariarum in Monaſteriis celebratarum Odoni concinat. Cæterum teſtatur Card.Bona Lib.1.Rer.Liturgic.cap.13. num.6. ſe alicubi legiſſe nonnullis Eremitis datam hanc a RR. Pontificibus facultatem.

XIV. Addere inſuper oportet, quod etſi plura Monaſteria declinaſſent a priſtino rigore Privatarum Baſilicarum, tamen Sæculo XI. jam alius optimus inductus fuerat uſus in bene moratis Monaſteriis, ut ſaltem interius aliquod haberent Oratorium, ubi ſecrete poſſent ſoli Monachi congregari, & non ſolum Mulierum verum etiam Laicorum vitare præſentiam. Cæpiſſe, imo potius imperatam fuiſſe Sæculo octavo Monachis hujuſcemodi ſecretam Oratoriorum clauſtralium conſtructionem jam vidimus ſupra num.4., & pluſquam veroſimile eſt ſimilem conſuetudinem multum antea viguiſſe, ut præter communem omnibus Monachis Capellam, in qua ſolemnius Divina peragebantur Officia, eſſent aliquot Oratoriola ad quorumdam commodum reſervata, ac præcipue Infirmorum, Senum, aliornmque, a quibus ſpeciales, ſeu privatæ Miſſæ celebrarentur. Sicut enim in cubiculis ipſis, quando infirmitas urgebat, non hæſitabant Sancti Monachi Miſſas facere, ut in ſequenti Opuſculo *de Aris Portatilibus* demonſtrabimus; multo magis idem facilius, ac decentius agere poterant in privatis aliis, ſecretioribuſque Sacellis.

XV. Hæc ſecretiora Oratoria commemorantur in Hiſtoria Translationis S.Ebrulſi, quæ contigit medio Sæculo X., in qua num.7. Sæc.V. Bened. pag.228. Ed. Par. Oratoria *Privata* Monachorum in Normannia indicantur. Alios plures Monachos in privato Oratorio ſeorſim a communi, ſeu majore Monaſterii Baſilica celebraſſe compertum facit Vita S. Oſualdi Archiepiſcopi Eboracenſis, qui floruit exeunte Sæculo X. Nam de illo in Vita ſcripta ab antiquo Auctore, & edita a Bollando ad diem 29.Februar. narratur cap.4. num.21., quod in ſua Juventute Floriaci in Monaſterio celebrabat ſolo Miniſtro præſente; ita ut cum aliquando iſte fugiſſet territus ſpeciali cœleſti viſione, qua devotiſſimus Sacerdos fuerat recreatus, Angelus reſponderit. Hic locum habere poſſunt, quæ in Chronico Monaſterienſi in Pago Verdunenſi Sæculi XI. narrantur Tomo 2. Analect.Mabil-

billon. pag. 381. Edit. Pariſ., nempe quod Comes Wolfandus anno XIV. Childeberti Regis præter Eccleſiam communem, & Monaſterium, *deinde ne Secularium frequentatio Deo vacantes* (Monachos) *poſtmodum inquietaret, haud longe ab ipſo Monaſterio a latere meridiano Eccleſiam in honorem B. Petri Apoſtoli exſtruxit, in qua ſibi, ſuiſque divina celebrarentur*. Poteſt hæc Eccleſia ad claſſem privatorum Oratoriorum revocari, in qua ſeorſim a communi Eccleſia Monachi orationi vacarent. Accedit una ex Chartis Vindocinenſis Monaſterii apud Mabillonium Lib. 63. Annal n. 59. ad annum 1070., in qua legitur recepta communiter a Monachis conſuetudo privatarum hujuſmodi Cappellarum his verbis: *Ut moris eſt in ordinatis Monaſteriis Profeſſionis noſtræ, Capellam quamdam cœpimus infra murum Monaſterii facere*.

XVI. Denique hoc aliud advertere opportunum cenſeo, quod etſi multæ Monaſteriorum Eccleſiæ poſt Sæculum IX. paterent omnibus, ac publicæ quadantenus evaſerint; adhuc tamen magna ex parte in conditione privatarum Capellarum relictæ fuerant prohibita Sacramentorum adminiſtratione, prædicatione Verbi Divini, cæteriſque Eccleſiaſticis Functionibus, quæ proprie in Eccleſiis Parochialibus, ac omnino publicis peragendæ erant. Alanus Le Large Diſq. 3. de Ord. Can. Reg. cap. 1. plura ſimul congregat e Sæculis XI., & XII. Pontificum Conciliorumque Decreta, quibus vetabatur Monachis Prædicationis officium, Baptiſmus, Reconciliationis miniſterium, & ſimilia, quæ a Clericis explebantur. Non pauca etiam ad eam rem ſpectantia legi poſſunt apud Tomaſinum doctiſſimum Par. 1. Diſcip. Lib. 3. cap. 22. Cum enim non Monachorum, ſed Clericorum munus eſſet Sacramenta Populis miniſtrare, curabant etiam Epiſcopi, quantum eorumdem Clericorum copia ferebat, ut ab ipſis omnia Parochialia jura peragerentur. En vero cauſam, (Semel ſaltem indicare oportet, ob quam nihil de privatis Canonicorum Regularium Oratoriis diximus hactenus, cum tamen tam multa dixerimus de Oratoriis Monaſticis, Enimvero Clerici communem & Apoſtolicam Vitæ rationem tenentes, qui poſtea *Regulares Canonici* appellari conſueverunt; & ex proprio Inſtituto Sacramentorum adminiſtrationi, ſpiritualique curæ Populorum ſemper addicti patentes omnibus, publicaſque Eccleſias habere debuerunt.

XVII. Ex illa vero diligentia, quæ adhibebatur, ne Monachis gravamen ullum inferretur ab ipſorum Inſtitutione non exactum, neque iiſdem, quando neceſſitas non poſtulabat, cura tribueretur publice Fidelibus deſerviendi Sacramentorum miniſterio, mihi videtur conſequi pœne uſque ad Sæculum XIII. multas Monachorum, quamvis ampliſſimas, magnificentiſſimaſque Baſilicas in numero privatarum Capellarum retentas fuiſſe. Etenim nullæ publicæ Eccleſiæ tunc habebantur, in quibus non miniſtrarentur Sacramenta vel Jure Parochiali, vel in ſupplementum, & ſubſidium Parochiarum. Hinc non raræ ea tempeſtate Capellæ *Succurſales*, ſive ad ſuccurrendum. Excipimus tamen aliqua Oratoria, quæ publica erant, licet penitus à Parochiis diſcreta: illa nempe, quæ publicis connectebantur Eccleſiis velut iſtarum appendices; ſicut erant Oratoria Baſilicæ Lateranenſis verſus Occidentem, & prope Baptiſterium ædificatæ. Quare ſi Monachorum plurimæ Baſilicæ tunc Parochiali Jure carebant, neque ibi Populo Sacramenta diſtribuebantur, credibile videtur, eas adhuc privatas potius, quam publicas permanſiſſe, quamvis devotis Fidelibus non negarent acceſſum tanto rigore, quemadmodum retroactis temporibus.

XVIII. Multo facilius id mihi perſuadeo, quod Caliſtus II. P. in Concilio Lateranenſi anni 1112. inter alia expreſſe prohibuerit Monachis *Miſſas publi-*

publicas cantare. *Interdicimus*, ait cap. 17., *Abbatibus*, *& Monachis publicas pœnitentias dare*; *& infirmos viſitare*, *& unctiones facere*, *& publicas Miſſas facere*. Appoſite autem obſervat pius, doctiſſimuſque Cardin. Bona Lib. 1. Rer. Liturgicar. cap. 13. num. 3. non aliter publicas in Monaſteriis Miſſas a Caliſto P. prohiberi, niſi quia iſtorum Eccleſiæ publicæ non erant, nec ad eas liberum erat cuicumque accedere. Quamobrem, quod ſupra ex ſimilibus ætate M. Gregorii editis Sanctionibus eruimus, ob eaſdem in Caliſto phraſes idem erui poſſe, arbitramur, quantum ſaltem ſpeſtat ad prohibitionem publicos conventus in Eccleſiis Monaſticis celebrandi. Etiam Innocentius III. P. Lib. 2. Epiſ. 18. Caroſenſi Monaſterio Diœceſis Pictavienſis antiqua confirmans Privilegia Anno 1210. prohibuit Epiſcopo tum illuc accedere ad *Miſſas publicas* celebrandas, *niſi ab Abbate invitatus* fuiſſet; cum ibi Stationes indiceret. Idem pariter prohibuit Innocentius III. fieri in Monaſterio Averſano, ut apparet ex privilegio inſerto in Bullar. Caſin. Par. 1. pag. 24. Ed. Tuder. *Miſſas autem publicas ab aliquo Epiſcopo tam in Cœnobio, quam in adjacentibus ejus Eccleſiis celebrari*, *Stationes fieri*, *Proceſſiones deduci abſque licentia Abbatis*, *& Priorum*, *ſeu Rectorum Locorum voluntate omnimode prohibemus*, *ne in Servorum Dei receſſibus Secularibus occaſio præbeatur ulla Conventibus*. Aliis Monaſteriis olim collatam eandem exemptionem jam abunde ſuperius advertimus; addique potuiſſet, quod de Majori Monaſterio tradit S. Ivo Epiſt. 108., quæ Monaſterio S. Petri Peruſii conceſſit Gregorius IV. P. To. 1. Bull. Caſin. pag. 6.; quæ Monaſterio Caſinenſi alii ſæpe Pontifices ab Angelo Nuceo identidem in Adnot. ad Chron. Caſinenſ. indicati conceſſerunt; ſimiliaque nonnulla.

XIX. Ne vero exiſtimemus ex prohibitione Miſſarum Publicarum in Monaſteriis Divina Myſteria ſemper celebrata fuiſſe ſine ſolemnitate, ſacroque magnifico apparatu, quæ Clariſ. Martenius Libris de Antiqu. Monach. Ritibus exponit de ſplendore, quo ſacra Officia a Monachis explebantur, nos cohibent. Publicæ etenim Miſſæ non tam illæ dicuntur, quæ Miniſtrorum comitatu, ceremoniarum uberiore apparatu, cantuſque modulatione; quam illæ, quæ in publico Populi conventu celebrabantur. Hinc veroſimile videtur publicas nonnumquam appellatas fuiſſe Miſſas, quæ in Monaſteriis conveniente omni Monachorum cœtu habebantur, ut diſcernerentur ab aliis Miſſis, quæ dicebantur in privatis Sacellulis, ſicut de Alcuino num. 5. conjectabamus; quamvis tamen etiam ad illas Miſſas publicas ſenſu expoſito Laicis non daretur acceſſus. Hoc plane modo exponendum reor, quod in Vita SS. Joannis Abbatis Gorzienſis, & Anſtæi Abbatis Metenſis Sæculo V. Bened. lego: *omnibus* nempe *Dominicis*, *& Feſtivitatibus Sanctorum celebrioribus Miſſas publice* dixiſſe, *unaquaque quarta feria privatim*. Hoc etiam ſenſu intelligo verba illa Leonis Oſtienſis Lib. 3. Chron. Caſin. cap. 22., quibus narratur decretum fuiſſe ad flagellum fulminum arcendum *omnibus per Annum cotidianis diebus pro fulgore* (orationem) *ad Miſſam publicam*, *& ad Pſalmos ſpeciales edici*. Certe hæc quotidiana Miſſa *publica* alia non erat, niſi quæ ſimul congregatis Monachis in communi Baſilica ſolemniter celebrabatur.

XX. Quidam exiſtimant uſque ad Gregorium IX., qui in Cathedra Petri ſedere cæpit Anno 1227., generatim Eccleſias Monachorum privatas permanſiſſe, cum Libri III. Decretalium Titulum XXXVII. inſcripſerit *De Cappellis Monachorum*; quaſi quod vocabulo Capellæ utens privata tantum Monachis fuiſſe Oratoria oſtenderit. Verum ne huic adhæream expoſitioni illud prohibet, quod Capellæ cit. Titulo recenſitæ ad Parochiales Eccleſias pertinerent.

Agi-

Agitur quippe ibi de Capellis Parochialibus, quarum proventus Parochi Monaſteriis ceſſerant; Ut autem Parocho defuncto eorumdem reddituum jus ſibi Monachi reſervarent; eaſdem Eccleſias numerata pecunia ab Epiſcopo redimebant; & *Altaria*, ſeu *Capellas* appellabant; atque ad ipſas regendas Monachi ipſi Seculares Preſbyteros deputabant. Legat Lector Gonzalez in hunc Titulum, & Boſquetum adnotat. ad Lib. I. Epiſ. 24. Innocentii III. P.; & ſi cupiat alia de hac Altarium Redemptione addiſcere, adeat Cangium in Gloſſario *V. Altare*. Cæterum jam ante Gregorium IX. non tantus vigebat rigor, ut ad ſolas Parochiales Eccleſias liceret Laicis libere accedere: Potius ſervatis Parochorum juribus admittebantur Fideles in Eccleſiis Virorum Religioſorum, ut ſatis indicat, nec in hac parte Concilium Lateranenſe III. Anni 1179. can. 9. reprobat.

XXI. Hinc cum primum ſacer Ordo Prædicatorum fuiſſet inſtitutus, publicas habere Eccleſias, atque in illis Verbum Dei Fidelibus annunciare ab Honorio Gregorii IX. Prædeceſſore conceſſum fuit. Imo idem Honorius anno 1219. Eccleſiam S. Sixti de Urbe S. Dominico, & Sociis tradidit, ubi *miniſtraturi eſſent eſurientibus animabus*, ut loquitur in Bulla edita à docto P. Bremont Tom. I. Bull. Ord. Præd. pag. 8. Conceſſit inſuper Eccleſiam S. Sabinæ *ad celebrandum*, quæ utique publica erat. Parochiales alias regendas Eccleſias ab ipſis primordiis habuiſſe inclyti Ordinis Fratres idem Bullarium recenter illuſtratum oſtendit; ac præcipue Honorius ipſe in Bulla Anni 1216. 22. Decemb. (ibid. pag. 2.) dicens: *in Parochialibus Eccleſiis, quas habetis*.

XXII. Etiam Minoritæ tunc feliciter, & ad magnam utilitatem Fidelium inſtituti publicas habuerunt Eccleſias. Prima, quam Sanctus Franciſcus obtinuit ædem Portiunculæ, publica erat; ſicut colligitur ex his, quæ refert diligens Annaliſta Vadinghus in Annal. Min. ad annum 1210. num. 26. &c., quamvis ob illius anguſtiam vix ullos, præter paucos eximii Patriarchæ Socios capere poſſet. Alia pariter, quæ tunc à Sanctis Minoritis alibi extruebantur Oratoria, & Eccleſiolæ, eodem modo publicas fuiſſe non diffiteor, quatenus ſine præjudicio Jurium Parochialium poſſent libere Fideles ad illas accedere. Quare ſicut Gregorius IX. Anno 1228. 9. Aprilis apud Bremontium Tom. I. Bull. pag. 26. Eccleſias Prædicatorum; ita Innocentius IV. apud Vadingum ad An. 1252. num. 25. Eccleſias Minorum *Conventuales* eſſe voluit ad inſtar aliarum Eccleſiarum Collegiatarum, quæ dubio procul æque nunc ſunt publicæ, quam illa ætate fuerint. Eandem rationem deinceps obtinuerunt Eccleſiæ cæterorum Ordinum Regularium, quæ Sæculo XIII. publicæ erant, paucis exceptis, illorum nempe, qui Eremiticam Vitam colebant, aut veterem Monaſticam Diſciplinam cuſtodiebant. In illas itaque libere Fideles ingrediebantur; nulloque excepto Sexu omnibus publicus patebat aditus, imo etiam ſæpe iiſdem Parochiæ Titulus conjungebatur.

XXII. Id ſolum vetitum erat Regularibus, nempe in propriis Eccleſiis alienos Parochianos diebus feſtis admittere. Quare Bonifacius IX. Conſt. 209. *Super Gregem* Tom. II. Bullar. Ordin. Prædic. pag. 437. confirmavit Conſtitutiones Alexandri IV., & Innocentii IV. qui *univerſis Religioſis cujuſcunque Profeſſionis, vel Ordinis in virtute S. Obedientiæ injunxerant, ne Parochianos alienos Diebus Dominicis, & Feſtivis in ſuis Eccleſiis, ſeu Oratoriis de cætera reciperent ad Divina*. Hæc prohibitio non tam afficiebat Viros Regulares, quam alios quoſcunque; Etenim valde tunc expedire videbatur, ut unuſquiſque diebus feſtivis in propria Parochia Miſſæ intereſſet. Ad hunc finem aliquot, in Galliis præcipue, Sæculis XIII., & XIV. collecta Concilia pœnas eccleſiaſticas inflixerant Paro-

chianis; qui ſuas Diebus Dominicis non frequentabant Parochiales Eccleſias. Demum id ipſum inſinuandum fore Populo opportunum duxit Concilium Tridentinum ſeſs. 22. Nec tamen ullum Fidelem ſub præcepto coegit ad audiendam Miſſam potius in una, quam in altera Eccleſia; cum etiam antea Leo X. anno 1517. die 13. Novemb. Conſtit. *Intelleximus* aperte declaraverat licite ab unoquoque adiri poſſe Diebus Dominicis, cæteriſque omnibus Feſtis Regularium Eccleſias, & in illis præceptum de Miſſa audienda adimpleri. Verum hæc raptim indicaſſe ſufficiat.

XXIV. Quamvis Sæculo XIII. pene omnes Eccleſiæ Ordinum Religioſorum evaſerint publicæ, non tamen privatis Oratoriis caruerunt Monaſteria; & quæ antea vigebat in bene ordinatis Cœnobiis conſuetudo ſecretiora quædam Sacella exſtruendi, non interiit inferioribus Sæculis, in quibus non minus neceſſaria erant ad privatam quorumdam devotionem explendam, quam olim fuerint. Ego equidem ad manus non habeo certa monumenta, quæ extructa in Monaſteriis privata Oratoria omnino juxta normam aliorum veterum Monaſticorum Oratoriorum confirment. Imo libentius credo ad ſummum rariſſima in infima ætate fuiſſe Oratoria privata Regularibus, quæ cum Oratoriis privatis Veterum æquiparentur in omnibus; & maxime in eo, quod illa conſecrabantur ab Epiſcopo, a quibus vix unquam deinceps aliquorum privatorum Oratoriorum facta conſecratio legitur, ſicut cap. 12. fuſius exponemus. Verum ut ut caruerint Cœnobia, cæteræque Domus Religioſæ conſecratis hujuſmodi privatis Oratoriis, adhuc ſemper ſecretas haſce Capellas in propriis Monaſteriis habuiſſe, in quibus ſtabilitis Aris Divina Myſteria, cum opus eſſet, celebrarent, exploratiſſimum faciunt plurima illa Privilegia, quibus ab Apoſtolica Sede frequenter inſtructi fuerunt Ordines Regulares quocunque loco honeſto Aras portatiles erigendi, ut in illis liberrime Sacrificium offerrent. Non debeo hic ſeriem eorumdem Privilegiorum contexere, quam oportunius rejicio in aliud Opuſculum *de Aris Portatilibus*: Neque tamen nunc præterimus advertere ipſamet Privilegia ſpecialiter reſpexiſſe ad commodam Miſſarum celebrationem faciendam a Viris Religioſis in ipſorum Domibus, & Conventibus. Cum enim iſti præcipue ex claſſe Mendicantium in omnes pene Orbis partes diffunderentur prædicationis officium exercentes, ac bonum Chriſti odorem ſpargentes; nec illico poſſent idonea reperire loca ad publicas Eccleſias ædificandas, neceſſe ipſis erat in propria Domo parva quædam Oratoria componere, ubi Divina Officia peragerent, ne ad publicas alias Eccleſias accedere cogerentur. Inſuper etiam ubi jam publicas obtinuerant, fundaverantque Baſilicas, non raro ipſis expediebat ſive tempore infirmitatis, ſive ex ſimilibus impedimentis habere privatum quoddam Oratorium, in quo legitime impediti Fratres deſcendere ad Eccleſiam, facilius aut celebrare, aut celebrando Sacrificio aſſiſtere valerent. His igitur, aliiſque cauſſis moti RR. Pontifices, dum uſum Altaris Portatilis Religioſis Hominibus conceſſerunt, præcipue in illud intenderunt, ut ipſi eaſdem Aras pro libito in domeſticis Oratoriis erigerent.

XXV. Ad hæc Oratoria Privata reſpexiſſe non dubito Honorium III., cum licentiam Altaris Portatilis conceſſit Ordini Prædicatorum Anno 1221. die 6. Maii his verbis Tom. I. Bullar. Præd. pag. 16. *N. E. Poſtulaſtis a Nobis, ut cum extra Civitates, & Villas frequentius exiſtatis, nec Vobis expediat per hujuſmodi Loca diſcurrere pro Divinis Officiis audiendis, celebrandi Vobis, ubi Conventus de Ordine veſtro fuerint, ſuper Altare portatile licentiam præberemus. Nos autem id veſtris poſtulationibus inclinati concedimus ſine juris præjudicio alieni,*

ni. Similes gratias ab aliis Pontificibus ſuo Ordini collatas innuit laud. Bremontius Tract. de Conſenſu Bullarum Tit. 7. quæſ. 7., ex quibus hic illas conſidero, quæ uſum geſtatoriæ Aræ in Oratoriis privatis Domorum Religioſarum reſpiciunt; ac proinde adverto ſingulariter Sixtum IV. Conſtitut. 53. *dicti Ordinis Profeſſoribus* conceſſiſſe *in Oratoriis*, *& Locis*, *in quibus degunt*, facultatem celebrandi ſuper Altare Portatile. Etenim plurimum hæ, & ſimiles locutiones nobis ſuffragantur, quia manifeſtant Oratoria privata Regularibus conceſſa præter Eccleſiam publicam; cui non Aræ portatiles, ſed fixæ, & ſtabiles adaptantur, conſecranturque.

XXVI. Conſimilia Privilegia data fuerunt Minoritis; & ne quid loquar de Privilegio inſerto a Gregorio IX. in Corpore Juris Lib. 5. Tit. 33. cap. *In his*, quod æque reſpicit uſum Altaris portatilis in Privatis Oratoriis, ac aliis Locis; attendo ad privilegium ipſis elargitum a Sixto IV. An. 1474. Pridie Kal. Septem., in quo eorumdem Oratoriorum fit mentio; & velut frequentia in Domibus Religioſis indicantur: Indulget etenim facultatem Altaris Portatilis *non ſolum in Oratoriis*, *& Locis*, *in quibus degunt &c.* Etiam Carmelitis conſimilem uſum indulſit pro Locis, & Oratoriis propriis Clemens IV. Anno 1265., die 2. Jun., quem poſtea Urbanus V. Anno 1363. die 17. Febr. *extra Loca*, *& Oratoria* ipſorum ampliavit. Extant in Bullario Carmelit; ubi primo loco editur Conſt. *Ut vivendi* Honorii III. An. 1226. die 30. Januar. Regulam ipſorum confirmans, in cujus cap. 8. Privatum Oratorium extruendum jubetur, his verbis: *Oratorium pro ut commodius fieri poterit*, *conſtruatur in medio cellularum*, *ubi mane per ſingulos dies ad audienda Miſſarum ſolemnia convenire debeatis*, *ubi hoc commode fieri poterit*. Similiter Eremitæ S. Auguſtini ab Alexandro IV. An. 1257., & Clemente IV. An. 1266. Bullas ejuſdem pene tenoris obtinuerunt, celebrandi videlicet cum Altari Viatico, *in Domibus*, *Locis*, *& Oratoriis* propriis. Extant in ipſorum Bullario. Suum quoque obtinuerunt Privilegium Carthuſienſes ab Urbano V. anno 1363. 7. Kal. Maii Conſtit., quæ incipit *Sinceræ*. habendi Altaria portatilia, *ſuper quibus in Domibus*, *ac Grangiis*, *& Cellariis poſſent Miſſam*, *& alia Divina Officia celebrare*, *& in præſentia ipſorum facere celebrare*. Cæteros Ordines prætermitto, pro quibus ſi non ſpecialis hæc facultas conceſſa, ſaltem in generali communicatione Privilegiorum elargita fuit. Addam tamen poſtremo Privilegium conceſſum ampliſſimæ Societati Jeſu a Paulo III. P., ut narrationem noſtram de Oratoriis Privatis Religioſorum perducam uſque ad tempora Concilii Tridentini. Ita vero Paulus III. in Conſtitut. *Licet debitum* anni 1549. loquitur: *Liceat Præpoſitis*, *& de eorum etiam facultate univerſis Fratribus*, *& Sociis Societatis hujuſmodi in Presbyteratus Ordine conſtitutis in Locis*, *in quibus degunt*, *& pro tempore morari contigerit habere Oratoria*, *& in eis*, *& quocunque alio Loco in Altari portatili cum debitis reverentia*, *& honore etiam tempore Interdicti... Miſſas*, *& alia Divina Officia celebrare*.

XXVII. Facile RR. Pontifices ſpirituali conſolationi Religioſorum annuerunt, ut liberrime poſſent in propriis maxime Domibus aras geſtatorias collocare ad celebranda privatim Sacrificia, cum illis aut commoda non foret Miſſarum actio in Eccleſiis, aut magis expediret aliquando eam extra iſtas perficere. In tanta igitur facilitate collocandi Altaria intra proprias Domos quam familiaria eſſe debuerant privata Oratoria, quæ cum non poſcerent Conſecrationem, eo promptius componi poterant; atque ita præbere honeſtum, ac decentem Locum domeſticæ, privatæque Miſſarum celebrationi? Hanc conſuetudinem celebrandi in privatis Sacellis

Monaſteriorum tenuiſſe Religioſorum Ordinum Sacerdotes nemo, ut puto, in dubium revocabit, cum ſtante libera facultate conceſſa a RR. Pontificibur erectionis Aræ Portatilis ſæpe hoc pietatis officium ſaltem Infirmi exquirerent, in quorum valetudinariis Oratoria extitiſſe non diffiteor. Expreſſe uſum Altaris Portatilis *in Infirmariis* conceſſum fuiſſe Monachis Valliſoletanis Opuſc. ſeq. Cap. VIII. num. 8. dicemus. Quanta vero frequentia ſolerent Religioſi Viri in privatis hiſce Sacellis celebrare, diſcimus ex P. Oliverio Manareo, qui in Vita S. Ignatii Lojolæ hæc ſcribit: *Per multos menſes fui ſolitus FERE QUOTIDIE coram ipſo celebrare IN SACELLO PRIVATO*.

XXVIII. Ex illa porro illimitata facultate Viris Religioſis data erigendi Altaria in omnibus Domibus propriis ortam arbitror conſuetudinem privata Oratoria ædificandi in Grangiis, ſeu Domibus Ruralibus Monaſteriorum, in quibus aliquis Religioſus morabatur æconomicis negotiis intentus. Permiſſa Monachis Oratoria in Grangiis ſupponebat Gregorius IX. P. Lib. 3. Decret. Tit. 39. *de Cenſibus* cap. ult., dum ea a Procurationibus ſolvendis immunia eſſe decrevit dicens: *Auctoritate præſentium inhibemus, ne quis pro eo, quod in Oratoriis, quæ in Grangiis veſtris habetis, interdum aliqui veſtrum celebrant, procurationes, quæ ratione viſitationis debentur, a vobis exigere, vel extorquere præſumat*. Pariter Honorius III. P. ſcribens Abbati, & Monachis Aquinatenſibus ſupponit Monachos ſolitos celebrare in Grangiis; quamvis forte ibi ab Honorio Grangiæ cum parvis Monaſteriolis confundantur. Verba illius recitantur a Gonzalez in cap. ult. cit., in quem locum de Oratoriis Monaſticarum Grangiarum multa ſcribit Proſper Fagnanus celebris Canoniſta. Aperte tamen de meris, ac proprie dictis Grangiis Monaſteriorum locuti ſunt alii Pontifices, qui liberam in illis facultatem Miſſarum celebrandarum tribuerunt. Ita expreſſe in *Grangiis*, *& Cellariis* Miſſas vel per ſe, vel per alios facere conceſſit Monachis Carthuſienſibus Urbanus V. P. in ſuperius laud. Conſtitutione. Amplum quoque obtinuerunt Monachi Ciſtercienſes ab Alexandro VI. privilegium Conſtit. *Romanus Pontifex* habendi Oratoria in propriis Grangiis, his verbis: *Extendentes, & ampliantes eiſdem Abbatibus, quod in ipſis Grangiis, & Locis, in quibus non ſunt Capellæ, ſeu Eccleſiæ aliquas Eccleſias, ſeu Capellas, ſeu Altaria, in quibus, & ad quæ Miſſæ, & alia Divina Officia celebrari poſſint, ſine alicujus præjudicio conſtruendis, & ædificandis, Diæceſani Loci, & cujuslibet alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, auctoritate apoſtolica tenore præſentium licentiam, & etiam facultatem concedimus, & pariter indulgemus*. Extant in Bullar. Ciſtercienſi, & recitantur a Paſſarino de ſtatu Hominis Tom. III. quæſt. 189. num. 984. ex Rodriquez Par. 2. quæſt. 75. ar. 1. num. 14., apud quem Par. 2. fit mentio ex Eugenio IV. P. *Grangiarum Monaſteriorum Ciſtercienſium*.

XXIX. Obiter autem dignas laudes reddere non omitto Religioſiſſimis Monachis Ciſtercienſibus, qui cum aliquot Monaſteria impotentia ad alendum numerum Monachorum Rei Divinæ decore, ac exacte faciendæ neceſſarium in Grangias redegiſſent, omnia ſubverti altaria olim juſſerunt veriti, quod Monachis abſentibus forte aliquis minus digne ſuper eaſdem Aras Sacrificium offerre auderet. Edidit Martenius Tom. IV. Anecdot. pag. 1300. Conſtitutiones Capituli Generalis Ciſtercienſium Monachorum habiti Anno 1204., in quo ſtabilita fuit everſio Altarium in Grangiis de Buxeriis, & alibi, conſtituta pœna comedendi in pane, & aqua Feria IV. & VI. adverſus Abbates, Priores, & Cellerarios Monaſteriorum, quibus ſubjiciebantur illæ Grangiæ, ſi forte deſides fuiſſent in obſervatione

ne Statuti; & ſimiliter adverſus Converſos commorantes in Grangiis habentibus Altaria. Imo ulterius alteram Legem Patres illi addiderunt, ut *in nullis Grangiis Divina celebrarentur, niſi a Capitulo Generali fuerit Indultum ſub pœna ſuſpenſionis*; Utque cautius hoc Decretum ſervaretur, omnia ad Miſſam neceſſaria a Grangiis amoveri juſſerunt. Mirum videri poterit tanto rigore optimos Monachos prohibuiſſe Miſſarum celebrationem in propriis Grangiis. Verum, quia in illis ſoli Converſi morabantur, ſicut colligitur ex Statuto 12. Capituli Generalis Anni 1198: apud Martenium cit. pag. 1291., ſuperflua non erat iſta cautela arcendi omnia pericula irreverentiæ, quæ timeri poterant in Divinorum Myſteriorum conſecratione. Ubi autem ſimilia pericula non apparebant, neque Capitulum Generale Miſſas in Grangiis concedere recuſabat. At de privatis Monaſteriorum Oratoriis uſque ad tempora Concilii Tridentini alia addenda non habemus; & quæ ſuperſunt, reſervamus pertractanda, poſtquam latas a Tridentini Patribus Leges expoſuerimus.

CAPUT IX.

De Veteribus Privatis Oratoriis Sanctimonialium.

I. ORdo rerum exigit, ut peracto ſermone de Oratoriis Virorum Religioſorũ connectamus Oratoria, quæ diu poſt Sacræ quoque Virgines habere cæperunt. Etſi enim exeunte Sæculo IV. Religioſæ Virgines inter ſepta Monaſteriorum viverent; de quibus multa exempla adducit Jo: Baptiſta Thierſius in ſuo egregio opere de Clauſura Monialium Gallice ſcripto Par.I. cap. 1. Tamen quia nec remotæ ab Urbibus, nec in Solitudinibus commorabantur, propterea vigente tunc Diſciplina, ut ſimul omnes Fideles cum Clero, & Epiſcopo in una Eccleſia convenirent ad Synaxim, etiam illæ publicum cum reliquis conventum celebrabant. Hinc ex D. Ambroſio Epiſ. ad Virginem Lapſam, ex S.P. Auguſtino Epiſ. 211. Nov. Edit. (Nihil loquor de Regula inſerta huic Epiſtolæ; nam mallem obſervari, quæ ſcripſit Auctor Diſquiſitionum de Ord. Canon. Regul. pag. 204., & 212. Ed. Par.), & ex D. Hieronymo Epiſ. ad Demetriad. diſcimus Moniales ad Eccleſiam gregatim proceſſiſſe, ut Sacramenta ſumerent, & in loco prope Cancellos Altaris deſignato Sacrificiis intereſſent. *Die tantum Dominico*, ait S. Hieronymus in Epitaph. Paulæ, loquens de Virginibus ſub hujus cura degentibus, *ad Eccleſiam procedebant, ex cujus habitabant latere*. Solum proprium Monialibus in Monaſterio erat Oratorium, ubi Pſalmis, & Orationibus vacabant, quin tamen ibi Miſſæ peragerentur. In Oriente quoque etſi juxta S. Baſilium Serm. Aſcetico Tom.II. pag.324. N.Ed. Pariſ. nequaquam *è Monaſterio egredi* Sacris Virginibus liceret, niſi *neceſſarium* foret; adhuc tamen aliquando exibant, imo etiam eodem Baſilio teſte Epitim. in Canonicas num.17. Tom.II. p.531. *Synaxes* frequentabant. Similiter Palladius in Hiſtoria Lauſiaca cap.138. refert Moniales ſub Thaliſſa Abbatiſſa in Civitate Antinoi Die Dominico ad Eccleſias ire conſuevisſe. Sola Taccia in clauſtro commorabatur, ne forte nimia pulchritudine offendiculum aliis præberet.

II. An vero Virgines in Thebaide ſub S.Euphæmia Sæculo IV. ad Eccleſias

ſias ſaltem irent, ignoro: Hoc unum ſcio, quod *nulla earum januas* (Monaſterii) *exibat*, ut illius Vitæ Scriptor apud Bolland. ad Diem XIII. Martii teſtatur. Forte neque ad Eccleſiam multa frequentia accedebant ad vitanda pericula, quibus obnoxiæ erant pedem extra Clauſtra efferentes. Ob hunc certe finem aliæ Sanctæ Virgines Diebus Solemnibus egredi è Monaſtrio renuebant teſte S. Hieronymo Epiſ. ad Demetriad. dicente: *Scio ego Sanctas Virgines, quæ Diebus Feſtis propter frequentiam Populorum pedem Domi cohibent, nec tunc egrediuntur, quando major eſt adhibenda cuſtodia, & Publicum penitus devitandum*. Hinc. Epiſ. ad Marcellam laudat S. Aſellam quia non exibat è Cella, ut in publicum prodiret.

III. Quando igitur primum cæperit Monialibus peculiaris deputari Presbyter, qui illarum Clauſtra ſubiret ad Sacrificium celebrandum, mihi non omnino liquet. Veſtigium hujus moris fuiſse Sæc. V. exeunte reperi. Nam licet ea ætate eſsent Sanctimoniales, quæ Clauſtri legem non tenerent; in Monaſterio tamen Arelate a S. Cæſario exſtructo perpetuo tenebantur incluſæ, ut de iſtis loquitur Scriptor Vitæ Sancti Cæſarii Arelaten. Epiſcopi: *Erant autem illo Loco adeo incluſæ, ut uſque ad ſupremum Vitæ diem nulli earum fas eſſet extra Monaſterii oſtium progredi*. Utrum alibi ante Sæculum VI. invenirentur Virgines tam rigide Clauſtri Legem tenentes, expreſse nondum didici; quamvis plura, quæ profert Thierſius Par. I. cap. 1., & 2. commendent Sacrarum Virginum clauſuram, quæ ſaltem vetabat *paſſim vagari*, ut loquitur Concilium Carthaginenſe III. Can. 33. Anni 397., & ex eo Codex Eccleſiæ Africanæ cap. 44. Probabiliter autem coniicio in Sardinia jam extitiſse hujuſcemodi Diſciplinam. Enimvero M. Gregorius Lib. IV. Epiſ. 12. redarguit Januarium Calaratinum Epiſcopum, quod ſollicitus non eſset ſervare ſuorum Deceſſorum ſtatuta, quibus præcipiebatur deſtinari *probatos Viros de Clero*, ad quos cura ſpectaret omnibus privatis, & publicis Sacrarum Virginum neceſſitatibus conſulere, ne cogerentur iſtæ è Monaſterio exire. *Pervenit ſiquidem ad Nos*, inquit, *minus te Monaſteriis Ancillarum Dei in Sardinia ſitis tuitionis impendere; & cum diſpoſitum a TUIS prudenter fuiſſet Deceſſoribus, ut quidem de Clero probati Viri curam gerentes earum ſe neceſſitatibus adhiberent, nunc ita funditus eſt neglectum* &c. Hinc Januario mandavit, ut unum probatum Virum ſollicite pro iiſdem Monaſteriis deputaret; *quatenus ulterius eis* (Monialibus) *pro quibuslibet cauſſis privatis, vel publicis extra venerabilia Loca CONTRA REGULAM vagari non liceat*. Quando eam ſtabiliverint Clauſtri Legem Sardiniæ Epiſcopi non conſtat; longe tamen ante Januarium eam conditam fuiſse M. Gregorii verba demonſtrant, ita ut ſaltem ad V. Sæculi exitum eam referre magis probabiliter valeamus. Fateor autem, quod recitata verba proprie reducuntur ad vetitam diſcurſationem Monialium ob temporalia negotia, de quibus ibi præcipue agitur. At quid pronius, ac veroſimilius videtur, quam ſimul fuiſse vetitum iiſdem Virginibus acceſsum ad Eccleſiam pro ſuſcipiendis Sacramentis, cum ſublato iſto prætextu, diſcurſationum occaſio penitus ſubmoveretur?

IV. Non negavero porro, quin valde propenderent Patres, & S. Gregorius præcipue in arctam Monialium Clauſuram; ſed an in pluribus Regionibus eam obtinuerint Sæculo V. affirmare nequeo. Interim vero in illis ſaltem Locis, in quibus tanta diligentia cuſtodiebantur intra Clauſtra ſacræ Virgines, non obſcure ſequitur iiſdem fuiſſe conceſſa Oratoria, in quibus Sacrificia offerrentur a Presbyteris deputatis. De Baſilica conjuncta Monaſterio perpetuæ Clauſuræ expreſſe loquitur S. Cæſarius in Regula ad Virgines (*Prima hæc*, inquit cla-

clariſs. Mabillon. Lib. 1. Annal. n: 52., *ni fallor*, *Monaſtica Regula in gratiam Sanctimonialium ſcripta eſt*.) cap. 1. dicens: *Uſque ad mortem ſuam de Monaſterio non egrediatur*, *nec de Baſilica*, *ubi oſtium eſſe videtur*. Mihi autem dubium nullum eſt has Baſilicas ſolis tantummodo Monialium ſacris uſibus erectas fuiſſe, atque vero, proprioque ſenſu privatas extitiſſe; cum ea tempeſtate plurimum limitatus eſſet numerus Eccleſiarum, ad quas Populo ob Sacrificium accedere liceret.

V. Non ſinit de hac re ambigere idem S. Cæſarius, ac qui ex illo plurima Monialium monita exſcripſit Donatus Epiſcopus Veſuntionenſis circa Annum 520., cujus Regula ad Virgines extat Tom. III. Codicis Regularum ab Holſtenio editarum. Ita enim Cæſarius in Reg. cap. 33., & Donatus cap. 55. ſtatuunt. *Nullus Virorum in ſecreta parte in Monaſterio*, *& in Oratoriis introeat exceptis Epiſcopis*, *Proviſore*, *& Presbytero*, *Diacono*, *& Subdiacono*, *& uno*, *vel duobus Lectoribus*, *quos & ætas*, *& vita commendet*, *qui aliquoties Miſſas facere debeant*. Nihil equidem proferri poteſt evidentius pro privatis Monialium Oratoriis, in quæ tam ſevere omnibus prohibebatur introitus, & ſolum concedebatur Sacris Miniſtris ob Sacrificium coram Virginibus offerendum, quæ ut alio ſe conferre nequibant; ita intra propria Clauſtra Miſſæ intereſſe, & de Sacramentis participare debebant. Fuerint itaque pauca Monaſteria hujuſmodi; tamen ubi perpetua Clauſura obſervabatur, etiam privata ad rem divinam faciendam Oratoria concedebantur. Appoſite autem ad hunc Cæſarii locum obſervat Thierſius Par. 2. cap. 2. Oratorium illud fuiſſe diſtinctum *a ſecreta parte Monaſterii*. Adderem vero idem Oratorium extitiſſe intra ambitum, & Clauſtra Monaſterii: Sin autem, quare tanto rigore omnes quoſcunque ab illo arcere oportebat, ſi extra Clauſuram erectum fuerat? Cauſam enim, ob quam inacceſſa penitus erant Laicis hujuſcemodi Oratoria, non aliam veriorem exiſtimo, quia nempe nullus in illa ingredi poterat, niſi Clauſtrum ſubeundo, quamvis aliæ adhuc eſſent remotiores, & ſecretiores partes Monaſterii, in quas vel ipſe Epiſcopus, aut Presbyter rarius introire permittebantur.

VI. Latius Sæculo VI., & VII. effuſa eſt diſciplina perpetuæ Clauſuræ, intra quam plures Virgines Deo Sacræ detinebantur. In Oriente quidem ſub Juſtiniani Imperio diverſæ prodierunt Leges Monialium Clauſuram reſtringentes, eaſque tum Trullana Synodus evulgavit, cum Imperialis auctoritas roboravit. Adeat Lector Canonem 46. Concilii Trullani, quo Monialibus præcipitur numquam Clauſtra egredi ſine graviſſima neceſſitate; & Novellas Juſtiniani 43., & 143., in quibus penitus aboletur mos tum Monachos intra Clauſtra Monialium, cum Moniales intra Clauſtra Monachorum ſepeliendi, ne hac ipſa occaſione vel illæ a Monaſterio exirent, vel alii ipſarum Clauſtra ſubirent. In tanta ſeveritate Clauſuræ, ob quam etiam ab aliis videri vetabantur Sanctimoniales, neceſſarium profecto erat, ut intra ſepta ſuorum Monaſteriorum Sacrificium perageretur, & Sacramenta diſtribuerentur. Hoc quoque Juſtiniani Lex 43. innuit; quæ ne prætextu divinæ actionis diſſonum quidpiam gliſceret, juſſit *ad divinas peragendas Liturgias*, *& ſanctam Communionem participandam unum Presbyterum*, *& unum Diaconum honeſtæ vitæ dari*, *qui hæc ſola ſupradicta agere debeant*, *non etiam conveſci*, *& converſari*, *aut cohabitare cum ipſis*.

VII. Eandem Clauſuræ legem tenebant quædam Virgines in Gallia, quas Concilium Arelatenſe V. Can. 19. Anno 549. celebratum diſcernit a cæteris, quæ *non perpetuo tenentur incluſæ*. Ex claſſe illarum erant quædam aliæ, de quibus Concilium Epaonenſe Anni 517. Can. 38. decrevit, ut pro-

propterea intra ipſarum Monaſteria ingrederentur idonei Miniſtri ad Sacrificium peragendum : *Monaſteria Puellarum ... ad faciendas Miſſas, qui ingreſſi fuerint ſtatim exacto miniſterio regredi feſtinabunt*. Præ ceteris Gallicanis Monaſteriis illud Parthenonis S.Crucis Pictavienſis à S.Radegunda Regina extructum, in quo vigebat Regula Sancti Cæſarii, Clauſuram perpetuo ſervabat; uti apparet ex Teſtamento Reginæ Sanctiſſimæ relato a S. Gregorio Turonenſi Lib.IX. Hiſ. Fran. cap. 43., & ex decreto, quod ſeptem Epiſcopi Anno 567. apud eundem Gregorium Lib.IX. Hiſt. cap. 39. pro cuſtodienda ejuſdem Monaſterii clauſura, *ſicut continet Regula S. Cæſarii*, condiderunt. Similiter clauſuræ rigor ſervabatur ab illis Virginibus, ad quas Regulam ſuam S. Donatus Veſuntionenſis Epiſc. direxit. Alias Moniales clauſuram ſtricte cuſtodientes ex Concilio Matiſconenſi I. Anni 581. Can. 2., & Lugdunenſi III. Anni 583. Can. 3. commemorat Thierſius cit. cap. 3. Jam vero quod de primis Monialibus perpetuam clauſuram ſervantibus inferebamus; idem de iſtis concludendum erit. Par quippe de omnibus ratio eſt; ut ſicut illis ſuus dabatur Presbyter ad Sacrificium coram illis intra Clauſtra offerendum; reliquis quoque neceſſario concedendus erat, ne cauſſa Eccleſiarum adeundarum Clauſuræ regulas effringerent.

VIII. Verum etiam alias Moniales, de quibus certo nobis non conſtat habuiſſe perpetuam Clauſuram, privata habuiſſe Oratoria in propriis Monaſteriis M. Gregorius Lib. VII. Epiſ. 12. ad Reſpectam Abbatiſſam Monaſterii S. Caſſiani Maſſiliæ oſtendit. Volebat Pontifex ſapientiſſimus Virginum quietem, ac tranquillitatem ab omni Populorum ſtrepitu immunem conſervari; nec tamen debita privari ſolemnitate Feſtum Anniverſarium tam Titularis, quam Dedicationis Oratorii illius, in quo S. Caſſiani Reliquiæ colebantur. Ita ergo rem ordinari ſtatuit, ut integro Anni curſu non aliæ ibidem Miſſæ celebrarentur, quam privatæ, & cæterorum Fidelium prohibito interventu. Solum diem Natalis, & Dedicationem Eccleſiæ ſolemnius peragi permiſit; atque ad Populorum fovendam devotionem Miſſas illis diebus ſinebat ſplendide ab Epiſcopo celebrari ſub hac conditione, quod peractis ſolemniis ſtatim cathedram auferret, ut ea ſublata privatum tantummodo, & ad merum Monialium uſum relinqueretur Oratorium. *Die*, inquit, *Natalis, vel Dedicationis ſupradicti Monaſterii Epiſcopus illic Miſſarum Sacra conveniat Solemnia celebrare; a quo tamen ita eſt hoc officium exſolvendum, ut Cathedra ejus niſi prædictis diebus, dum illic Miſſarum Solemnia celebrat, non ponatur. Quo diſcedente ſimiliter etiam Cathedra illius de eodem* Oratorio *auferatur. Cæteris vero diebus per Presbyterum, qui ab eodem Epiſcopo fuerit deputatus, Miſſarum officia peragantur*. Duobus tantummodo diebus Monaſterii Maſſilienſis Oratorium publicum dici poterat; quod reliquo anni tempore privatum remanebat; atque in eo propter ſolas Sacras Virgines quotidie a Presbytero Sacrificium offerebatur. Plurimum inquiſitioni noſtræ prodeſt hæc M. Gregorii Epiſtola, cum proprium proponens Monaſterii Maſſilienſis Oratorium, nihil, quod rem ſapiat inſolitam, tradit. At vero, ſi cæteris Sanctimonialibus ſpecialis tunc non fuiſſet communiter conceſſa Baſilicula, vel Oratorium; aliquo modo hic profecto innuere opportunum erat.

IX. Etiam in Germania vigebat Sæculo VI. mos privatas Miſſas in Oratoriis Clauſtralibus Monialium celebrandi. Agit Rudolphus Monachus Fuldenſis (Obiit anno 865. die 6. Martii) in Vita S. Liobæ Abbatiſsæ inſerta Par. II. Sæculi III. Bened. de Monaſterio Virginum in loco *Vinbrunno* nuncupato, & ad rem noſtram narrat, quod *nunquam .... Virginum*

contubernia quiſquam Virorum intrare permittebatur exceptis ſolummodo Presbyteris, qui in Eccleſias earum ad agenda Miſſarum Officia tantum ingredi ſolebant, & conſummata Oratione ſtatim ad ſua redire. Refert deinde cap. 2. S. Tettam ejuſdem Monaſterii Abbatiſsam nemini permiſiſse ingreſsum, neque Epiſcopo, *excepto Altaris Officio.* In hoc Monaſterio ſervabatur perpetua Clauſura; unde idem Monachus inquit: *Quæcunque Sæculo renuncians earum Collegio ſociari voluerat, nunquam exitura intrabat, niſi cauſsa rationabilis, vel magnæ cujuslibet utilitatis exiſtens eam cum conſilio emitteret.*

X. Ago jam de Monaſteriis Italiæ illarum Monialium, quæ in ſancta converſatione ſimul morabantur extra paterna domos, cum rariſſime tunc ſanctimoniales in privatis domibus viverent; licet adhuc nonnullæ hujus generis eſsent, quarum meminit S. Gregorius P. Lib. IV. Dialog. cap. 15., & alibi. Sæpe loquitur idem ſanctiſſimus Pontifex de Monaſteriis Ancillarum Dei;& conſtanter præcipit ſine Miſſis publicis ipſarum Oratoria dedicari; atque ex Epiſcoporum vigilantia eo mitti idoneum Presbyterum Miſsas coram illis celebraturum. Plures extant Epiſtolæ hoc de argumento, ſignanter Lib.III. Epiſ. 63. ad Fortunatum Neapol. & Lib. VIII. Epiſ. 4. ad Venantium Lunenſem. Quid porrò indicarent hujuſcemodi præcepta facile intelligimus; videlicet in Monialium Monaſteriis extrui debuiſse Oratoria, quæ ideo Miſſis publicis carerent, quia publico uſui non patebant; & viciſſim ideo privatas admitterent Miſsas, quia Sacræ Virgines propter Sacrificium egredì è Monaſteriis non poterant. Non abnego autem, aliquando in Italia tunc temporis ſacras Virgines egreſsas fuiſſe; Unde S. Gregorius Turonicus Lib. X. Hiſ. Francor. de publicis ſupplicationibus in Urbe Roma inſtitutis loquens ait: *Omnes Abbatiſſę cum Congregationibus ſuis egrediantur ab Eccleſia Sanctorum MM. Marcellini, & Petri cum Presbytero Regionis Primæ.* Hic tamen egreſsus rariſſimus erat, gravibuſque tantum cauſſis poſcentibus permittebatur.

XI. Ex Africa unum occurit exemplum, quod omittens indebiti ſilentii reus eſsem. In Concilio Cartaginenſi habito anno 525. recitatum fuit Privilegium a Bonifacio Primate Anno 517. Virginibus in Monaſterio ſimul viventibus conceſso, ubi illa leguntur. *Per hanc Vos authoritatem duximus commonendas, ut licentiam habeatis, unde volueritis, ſpiritualem ſumere cibum liberam in omnibus facultatem habentes. Si quis autem contra hoc ſalubre venire voluerit præceptum, rigorem illicò ſentiat eccleſiaſticum. Ergo ut ſuperius connexuimus, hanc vobis attribuimus licentiam, ut QUEM VELITIS, vobis corrogetis Presbyterum, qui vobis in MONASTERIO peragat Sacroſancta, & illa, quæ ad normam pertinent unitatis celebranda uſque in perpetuum. Et ſi quis Presbyterorum ibidem in Monaſterio Divina celebraverit Myſteria &c.* Libera hæc facultas facta Monialibus Carthaginenſibus, *unde vellent*, Sacramenta ſumendi, plena erat exemptio a neceſſitate adeundi publicas Eccleſias, Parochiaſve; ſimulque illis permittebat quemcumque Presbyterum advocare, qui *in Monaſterio* Sacrificium offerret. Quid illuſtrius pro privatis Monialium Oratoriis tam amplo privilegio deſiderari poteſt?

XII. Et ecce propemodum ubique dilatatum Sæculo VI. uſum Oratoriorum privatorum in Sacrarum Virginum Monaſteriis, quem ſubſequens ætas ſaltem per tria ſequentia Sæcula non mutavit. Unum autem hoc loco ſubjicio privilegium ex Sæculo VII. a Joanne IV. P. conceſsum Monialibus S. Mariæ in Gallia, quo etiam in Epiſcopo facultas ingrediendi clauſtrum reſtringitur ad ſolam occaſionem Sacerdotalis Miniſterii. Ita ſe habet. *Nec ullus Epiſcopus eo acce-*

dat, niſi quem Mater ſpiritualis, Paterve Monaſterii; vel cuncta Congregatio voluerit ad celebranda Miſſarum ſolemnia in conſecratione Abbatiſſæ, vel etiam Reliquarum Juniorum, ſacrandi etiam tabulas Altaris, in quibus Miſſæ debeant celebrari, habeat facundiam in eodem Monaſterio ingrediendi, ad officium ſcilicet Sacerdotalis Miniſterii, & tales ſecum ipſe Pontifex introducat, quales Vita, & Religio ſancta commendat, quo peracto officio ... ad propria mox egredi non moretur. Edidit Mabillonius Sæc. IV. Bened. Append. ad Par. I., & in Append. Tom. I. Annal. num. 17., cui ſubnectit ſimile aliud Privilegium ejuſdem Pontificis favore Monachorum Luxovienſium.

XIII. Servabatur adhuc diſciplina celebrandi ſacrificium in Monialium privatis Oratoriis Sæculo VIII., e quo habemus Capitulare Pipini Regis Anni 755. vulgatum poſt Synodum Vernenſem; ubi num. 7. renovantur Leges Clauſuræ, quas nullatenus violare licebat Monialibus; *Nulla Abbatiſſa licentiam habeat exire, niſi hoſtilitate cogente &c. Nec Monachæ extrà Monaſterium exire debeant.* Addi poteſt Canon VI. Concilii Vernenſis ſimilia decernens. Accedit Capitulare Teodulphi Aurelianenſis Anni 797., ubi jubet omnibus Parochiali Miſſæ aſſiſtere, *exceptis Deo Sacris Fœminis, quibus mos eſt ad publicum non egredi, ſed clauſtris Monaſterii contineri.* At verò qua ratione ſacræ Virgines ab acceſſu ad publicas Eccleſias cauſâ Sacrificii diſpenſabantur, niſi intrà propria Clauſtra corâm illis Divina Myſteria fuiſſent peracta? Extrà Galliam tunc viguiſſe pariter eandem conſuetudinem facilè credimus; quæ procul dubio talis perſeverabat in Monaſterio Monialium in Bajoaria, cujus fit mentio in Sæcul. Benedict. ad annum 770. in Vitâ S. Altonis. Vigebat etiam in Moguntino Epiſcopatu illa Clauſuræ diſciplina Sæculo VIII., in quo S. Lullus Epiſc. Mogun. epiſtolâ 47. denunciant Oſuvitham Abbatiſſam *excommunicatam eſſe*, quia duas Monachas ſine ſuâ licentia emiſerat. In Italia ſimiliter perpetuam Clauſuram tunc ſervabant ſacræ Virgines in Monaſterio ædificato à S. Valfrido Abb. Palatioli in Thuſcia, de quibus in Vita iſtius Par. II. Sæcul. III. Bened. hæc leguntur: *Sic clauſæ manent Sorores hactenus, ut nec una ex illis poſtquam intraverint, poſſit exire: ſed illic in Clauſtro ſui Monaſterii, ut defuncta fuerit, ſepelitur.* Eodem Sæculo plures alias in Italia fuiſſe *Recluſas, quæ ab infantia, & pubertatis tempore pro Dei amore ſeſe Clauſuræ tradiderunt.* Stephanus IV. P. Epiſ. ad Pipinum Militum Aiſtulphi ſcelera deſcribens teſtatur. Opus ergo erat, ut illarum Clauſtra ingrederetur Sacerdos, qui in privato Monaſterii Oratorio Sacrificium offerret. Reverà id ex Charta Monaſterii Monialium S. Mariæ in Civitate Lucenſi Anni 722. edita à Muratorio Tom. IV. Antiq. Med. Ævi diſſer. 66. pag. 503. non obſcurè eruitur his verbis: *Nec ullus Sacerdos ibidem habitare præſumat, niſi quem ipſæ Ancillæ Dei invitare voluerint Miſſarum ſolemnia celebrando.* Aliud monumentum illius ævi pro Oratoriis intrà ambitum Monaſterii Sanctimonialium mihi videtur apparere in altera charta Anni 744. apud laud. Muratorium Tom. V. Antiq. pag. 529., ubi narratur Fundatio Monaſterii Monialium Vero næ ab Auctunda, & Natalia Sororibus facta in ipſarum domo, in qua, ut ibidem legitur, erat *Oratorium ſemper Virginis, & Dei Genitricis Mariæ, quæ INTRA DOMUM Cella noſtra Veronenſe ſito in Civitate conſtruere viſi ſumus.*

XIV. Pergo denique ad Sacrarum Virginum Collegia ſub Caroli M. imperio, cum eo tempore propria privata Oratoria, de quibus diſſerimus, ob rem divinam à Sacerdote corâm illis faciendam haberent. Reſonant paſſim Concilia, & Capitularia illius ævi circa ſimilem diſciplinam; graviterque monent, ut ab Epiſcopis probatus Presbyter ad Monaſteria

Vir-

Virginum mitteretur, qui peracto Sacrificio inde ſine morâ diſcederet. Inter Statuta Caroli M. An. IV. ſui imperii condita Tom. IV. Conc. Harduini p.961. Ed.Par.ita ſe habet quintum: *Nullus in Monaſterio Puellarum vel Ancillarum Dei intrare præſumat, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Subdiaconus, vel Clericus, aut Laicus, niſi TANTUM PRESBYTER adMiſſam celebrandam tempore opportuno ingrediatur . . . Presbyter autem Miſſa celebrata ſtatim exeat.* Concilium Moguntinum Anni 813. can. 16. juſſit, *ut Presbyteris per Monaſteria Puellarum opportuno tempore liceat Miſſarum ſolemnia celebrare, & iterum ad proprias Eccleſias redire.* Turonenſe III. Anni ejuſdem can. 29. prædictam Legem confirmavit his verbis: *Presbyteris, Diaconibus, cæteriſque Clericis infra Clauſtra Monaſteriorum Puellarum non ſit conceſſum habitare. Neque enim intrent Monaſteria, niſi tempore, quo Miſſarum ſolemnia celebranda ſunt, vel alia quælibet Eccleſiaſtica Officia peragenda: quibus peractis ſtatim egrediantur; nec ibi poſtea aliquam moram faciant.* Similia leguntur in Conciliis Arelatenſi VI. Anni 813. Can. 7., Cabillonenſi II. Can. 60. & Aquiſgranenſi An. 816. in Regula Canonicarum cap. 27., cujus verba non ſunt omittenda, cum diſtinguant Eccleſiam pro Clero Sanctimonialium, ab interiore iſtarum Oratorio, quod unicè Sacri Miniſtri ingrediebantur, quando Miſſæ coràm Monialibus erant celebrandæ. *Presbyteris*, inquit, *qui in Monaſteriis Puellaribus Miſſarum ſolemnia celebrare debent, extra Monaſterium ſit locus, & Eccleſia, ubi cum miniſtris ſuis habitent, & divinæ ſervitutis obſequium expleant, & nonniſi ſtatuto tempore Monaſterium ingrediantur Puellarum, & cum eis Diaconus tantum, & Subdiaconus, qui ſcilicet, & vitæ honeſtate clareſcant, & non ſe, ſed Chriſtum amare cupiant, nec ſua quærant, ſed quæ Jeſu Chriſti, & non amplius ibi immorentur, niſi in Miſſarum celebrationibus ad Sanctimoniales publice faciendis; quibus rite, ac devote celebratis illico foras egrediuntur. Sanctimoniales namque velo antepoſito, ut moris eſt, Horas Canonicas, & Miſſarum ſolemnia celebrent.*

XV. Penè hæc omnia Sæculi IV. teſtimonia produxit, licèt in alium finem, eruditiſſimus Tomaſinus Par. I. Diſcip. Lib. II. cap. 95 num. 1., & 2., & poſt recitatam AquiſgranenſemSanctionem prudentèr conjecit exindè Sanctimonialium Eccleſias publicas evaſiſſe; quatenùs ex Oratorio intrà ſepta Clauſtri erecto translata fuerit celebratio Myſteriorum Sacrorum in exteriorem illam Eccleſiam, quæ primitus Clero earumdem Monialium fuerat concredita. Qua in re, de publica videlicet Monialium Eccleſiâ non eſt prætereundum pulchrum illud teſtimonium, quod in Vita S. Symeonis Eremitæ Par. 1. Sæcul. VI. Bened. narratur de Monaſterio Monialium, (nunc eſt Monachorum) S. Sixti Placentiæ: Circa noctis medium cum ſanctus Vir ante fores Monaſterii illius ſtaret laudes Dei concinens; his *laudibus una ex ancillis Dei, Maria nomine, Sacriſta ejuſdem Eccleſiæ vehementer exterrita ad Baſilicæ januas cucurrit, & quas vectibus, & ſeris obfirmaverat, quia apertas invenit mirata obſtupuit.* Ad Sæculi XI. initium iſta pertinent; & ſatis indicant ante jam publicas Eccleſias fuiſſe Monialibus, quas alicubi etiam Moniales ipſæ cuſtodiebant. Quandò autem primum cœperit introduci hic mos, ut pro Monialibus in pulcrâ Monaſterii Eccleſiâ Miſſæ fierent non declaravit Tomaſinus doctiſſimus: Quantò minùs ego determinare potero? Suſpicor autem non diù poſt Caroli M. imperium eam variationem contigiſſe: Etenim de ingreſſu Sacerdotis ad Moniales infirmas cauſâ Confeſſionis nonnumquam Canones poſt Carolum conditi loquuntur, quos Lector reperit in erudito Thierſii Opere de Clauſurâ Monialium Par. 2. At de ingreſſu Sacerdotis ad Miſſam intrà Monaſterium

faciendam vel tacent, vel ſaltèm oculos meos fugerunt, ſi qui Canones adſunt. Potiùs undequaque reſonat rigor non permittendi ingreſſum in Clauſtra Monialium, niſi ex cauſâ *neceſſaria*, *& in magna neceſſitate*; quæ aliquandò etiam expreſsè exigitur, ut vel ipſe Confeſſarius ingrediatur. Ita Conſtitutiones Joannis Archiepiſ. Nicoſienſis editæ Anno 1321. num. 1. monent omnes, *ne intra Clauſtra, ſeù Septa Monaſteriorum Monialium intrare debeant* ſine licentiâ Epiſcopi *exceptis Confeſſariis ipſarum* ab Epiſcopo *deputatis*, *quibus intrare liceat tempore neceſſitatis*.

XVI. Imò nec ullum reperi hactenus monumentum, quo pateret Epiſcopos antè tempora Concilii Tridentini, quando adhuc liberè in privatis domibus concedebant uſum Altaris portatilis, & Miſſas domeſticas, permiſiſſe Sacrificia in monaſteriis Monialium. Videtur vel ipſis Epiſcopis propter rigorem Clauſuræ vetitus ingreſſus ad Miſſas celebrandas, niſi ſpeciali quodam Apoſtolicæ Sedis Indulto muniti eſſent; Id planè ſignificant verba iſta, quæ in Regulâ Monialium cap. 11. adhibuit Sanctiſſimus Patriarcha Franciſcus. *Si aliquis Epiſcopus habet facultatem ingrediendi, ſive ad Miſſam celebrandam*. Similia habentur in alterâ Regulâ pro Recluſis S. Claræ data ab Urbano IV. Anno 1263., ubi hæc poteſtas reſervatur ſoli Generali Ordinis; & aliis Prælatis de licentia Sedis Apoſtolicæ, aut Cardinalis Protectoris: *Liceat quoque*, ita cap. 18. *Generali Miniſtro Ordinis Fratrum Minorum, quandò ibidem celebrare voluerit, intra Clauſuram ingredi Monaſterii, ſi quando ei videbitur expedire. Alius autem Prælatus, cui aliquandò fortè de licentiâ Sedis Apoſtolicæ, vel dicti Cardinalis* (Protectoris) *intrare licuerit &c. Quod ſi forte pro benedictione, vel Conſecratione Sororum vel alio modo conceſſum fuerit Epiſcopo alicui Miſſam interiùs celebrare aliquandò*. Plurimæ inſuper Conſtitutiones, ac Regulæ Monaſteriorum Monialium Ordinis Ciſtercienſis, S. Dominici Minimarùm, & aliarum, permittebant ingreſſum Sacerdotis pro ſpiritualibus neceſſitatibus Infirmarum; At de Miſſa coràm illis celebranda, ne verbum quidem addiderunt; quod profectò prætermittendum non videbatur, ſi ad earum ſolamen Miſſæ intrà Oratoria Valetudinarii, aut Chori celebrari potuiſſent. Tanto rigore Patres Prædicatores abſtinebant ab ingreſſu intrà Septa Sacrarum Virginum ut quia in Statutis Monialium ipſorum Regimini ſubjectarum *nulla habetur mentio de ingreſſu Confeſſoris pro Confeſſione Infirmarum*; *ſed dumtaxat pro Communione, & Extremâ Unctione*; protereà, ut tuto *pro Ægrotantium Confeſſione* ingredi poſſent, a Clemente VII. P. An. 1532. die 5. Januar. impetraverunt ſingulare Indultum relatum in Bullar. Ord. Prædic. Tom. IV. pag. 499. Rigidiſſimus quoque fuerat S. Franciſcus à Paula, qui in Regula Monialium Minimarum cap. 5. num. 17., & 18. prohibuit Sacerdotem ingredi ad illarum valetudinarium, ſed solùm ad illius cratem accedere permiſit, quotiès ſacram Eucariſtiam Infirmis præbere oportebat. Allegat Rodriquez Tom. I. Quæſ. Regular. q. 47. Ar. 4. Privilegium a Leone X. P. conceſſum Monialibus S. Claræ, ut coràm illis infirmitate laborantibus intra Clauſtra Miſſæ peragerentur, ne diutius Sacrificio carerent. Hinc obiter colligitur tunc nullatenus potuiſſe ſuffragari, quæ ex prima Regula earumdem Monialium cap. 3. idem Rodriquez recitat, nempè quod *pro communicandis infirmis Sororibus Capellanis intùs liceat celebrare*. Revera in altera Regula Urbani IV. P. cap. 7. pro Infirmis iiſdem Monialibus non conceditur Sacerdotum ingreſſus ad Clauſtra, niſi ad Sacramentorum adminiſtrationem; ita ut *auditâ Confeſſione, vel alio tradito Sacramento, ſicut ingreſſi fuerint, ſic egrediantur induti* (Alba, Stola, & Manipulo,) *nec moram ibi faciant longiorem*. Non negavero tamen, quin alicubi intrà Septa

Mo-

Monaſteriorum Monialium nonnihil laxato rigore diſciplinæ in Choro, aut in aliis Oratoriis Miſſæ celebrarentur: Certè hos abuſus adhuc poſt Concilium Trid. vigentes ſuppreſſit Cameracenſis Synodus Anni 1586., imò & antea Synodus Tridentina. Sed de his alibi opportunè.

XVII. Interim ſufficiat concludere poſt Sæculum IX. aut raro, aut non niſi ex ſpeciali diſpenſatione in Monaſteriis Sacrarum Virginum Clauſuram cuſtodientium fuiſſe permiſſam Miſſarum celebrationem. De aliis autem Monialibus, quæ vel difficilè ad Clauſuræ Leges coarctari potuerunt, quamvis ſimul *Collegaliter* viverent, vel in privatis Domibus commorabantur; non dubito, quod ante tempora Concilii aliquando illis fuerit conceſſum in privato Oratorio Miſſas audire. Imò cum viderim plura privilegia Pontificum RR. ante Concilium Tridentinum plurimis Regularium Mendicantium Ordinibus conceſſa pro uſu Altaris Viatici, quocumque loco erigendi, obſervo ſimul iiſdem Indultum fuiſſe, ut tempora Interdicti poſſent *Tertiarias* admittere ad Miſſarum Officia. Nihil ergo proniùs exiſtimari poterit, quàm quod eadem Privilegia nonnumquam a Privilegiatis Regularibus etiam ad privata domicilia Suarum Tertiariarum traherentur.

CAPUT X.

De Oratoriis, ſeu Capellis Palatinis Magnorum Principum.

I. DIGNITAS, & præcellentia Principum requirit, ſeorſim à reliquis Laicorum domeſticis Oratoriis de illorum Palatinis Capellis diſſeramus, quarum veſtigia deprehendimus in Aula Conſtantini M. Duo commemorat Euſebius Cæſarienſis Conſtantiniani Palatii Oratoria; unum Lib. III. de Vita Conſt. cap.49., quod erat *in totius Palatii eminentiſſimo cubiculo*, ubi *ſignum Dominicæ Paſſionis ex auro, pretioſiſque lapidibus elaboratum* infixerat: (Cum enim cubiculum iſtud ſingulariter Crucis ſigno nobilitatum fuerit, non aliis, quàm ſacris uſibus deputatum fuiſſe inferimus.) Alterum Oratorium Lib. IV. cap.17. exhibet dicens: Conſtantinum *in Palatio quamdam velut Eccleſiam* conſtituiſſe, in qua ipſe *præibat cunctis, qui in Eccleſia illa erant adſcripti; Et ſacros Codices in manus ſumens, Oracula à Deo edita attento animo meditabatur. Poſthac ſolemnes preces cum univerſo Aulicorum cætu recitabat*. Tanto flagrabat deſiderio vacandi ſacris Operibus piiſſimus Imperator, ut non ſatis ei videretur in Urbibus frequentes, ſplendidaſque Baſilicas erigere, niſi ſimul in proprio Palatio Eccleſiam conſtituiſſet, in qua faciliùs cum Aulicis, Proceribuſque Divinæ Pſalmodiæ, Lectioni, aliiſque precibus incumberet.

II. Fortè cupient aliqui ſingillatim de Oratoriis Conſtantini legere, quod in illis etiam Sacrificia offerrentur. Hoc enim quibuſdam incredibile videbitur, qui dilatum a Conſtantino uſque in finem Vitæ Baptiſmum arbitrantes, nec potuiſſe Divinorum Myſteriorum celebrationem fieri in ipſius Palatio exiſtimabunt. Attamen nihil intereſt, quod Euſebius expreſsè non loquatur de Sacrificio in Aula Chriſtiani Principis peracto, cum alia indicia habeantur ad idem affirmandum; nec vetat ab opinione quorumdam deprompta difficultas. Nam in primis idem Euſebius Lib. IV. de Vita Conſt. c. 56. de Eccleſia portatili in Caſtris Con-

Conſtantini delata agens ſatis indicat in illa ſimul peracta fuiſſe Sacrificia. Eccur igitur ex his, quæ de Eccleſia in Regio Palatio Conſtantini erecta ab eodem Hiſtorico dicuntur, non ſatis colligi idem poteſt; quod etiam in Eccleſia Palatina aliquandò Sacrificia peragerentur? Profectò qua ratione non dedecebat in Caſtris Principis, quantumvis fuiſſet Cathecumenus, Miſſas facere; nec dedecebat in illius Palatio eaſdem complere. Enimverò non propter ſe tantummodo ſive in Palatio ſtabilem, ſive in Campis geſtatoriam habebat Eccleſiã Optimus Imperator, quam etiam propter Aulicos, propter Milites, propter omnes, qui ad Principem veniebant. Fuerit ergo ipſe adhuc Cathecumenus, ut quidam exiſtimant, nec Divinorum Myſteriorum particeps; Sanè tot alii Proceres, Militeſque jam baptizati peractis ſacris Lectionibus adhuc in Eccleſia Palatina conſiſtere poterant, & Sacrificio aſſiſtere; et ſi qui Baptizati nondum eſſent ante donorum oblationem ex vetere Eccleſiaſtico Ritu ab Ecclaſia diſcedere juberentur. Porrò neque deerant ſacri Miniſtri in Aula M. Principis, per quos Divina Myſteria in Eccleſia Regia peragerentur; cum *Diaconos, & Deo conſecratos Miniſtros Vitæ gravitate, & reliquis virtutibus ornatos* Conſtantinus teſte Euſebio L. IV. cit. cap. 18. *totius domus Cuſtodes* conſtituiſſet. Clarius autem Sozomenus Lib. I. Hiſt. Eccl. cap. 8. Sacrificia in Palatio Imperatorio peracta tradit, dum de Sacerdotibus excubantibus ad cultum Eccleſiæ *in Palatio* à Conſtantino extructæ, & Eccleſiæ Portatilis in Caſtris loquens apertè ſignificat ab illis celebrata fuiſſe *Sacra Myſteria*. Verba hoc loco non inſerimus, quæ integra recitabimus in ſequenti Opuſculo.

III. Semel a Conſtantino introductam conſuetudinem Palatinorum Oratoriorum conſtanter ipſius Filii maxima retinuerunt religione: Nam de illis addit Euſebius Lib. IV. de Vita Conſtan. cap. 52. quod *non tam paternis monitis, quam ſua ſponte incitati præcepta Parentis ſui alacritate animi ſuperarunt, quippe qui Divinæ Religionis obſervantiam ſemper præ oculis haberent, & ſanctos Eccleſiæ Ritus in ipſo Palatio cum univerſis Domeſticis cuſtodirent*. Hanc ipſam conſuetudinem conſervaſſe alios poſt Conſtantini Prolem electos Chriſtianos Imperatores inſinuat Palladius, cum de perſecutionibus adversùs S. Joannem Chryſoſtomum motis diſſerens *Preſbyterum Palatii* occaſione illorum tutumultuum oppreſſum jacuiſſe tradat. Arduum non eſt inveſtigare quare extinctum Presbyterum eo Titulo inſigniverit, quoniam inferius alios multos Palatii Presbyteros proferemus, qui Clero Palatini Oratorii adſcripti erant. Simile Oratorium habuiſſe Theodoſium juniorem mihi inſinuare videtur Socrates Lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 22. inter ipſius virtutes illud præcipuè commendans, quod *Palatium ſuum ſic inſtituit, ut à Monaſterio non multum diſcreparet. Matutino tempore ipſe una cum Sororibus ſuis hymnos in Dei laudem alternis recitare conſueverat*. Certè non alibi potuiſſe Auguſtum, Auguſtaſque convenire ad tàm pia pietatis Officia exercenda, quam in benè compoſito Oratorio, ipſamet decoris ratio ſuadet.

IV. Pariter non ambigimus Sæculo V. fuiſſe hujuſmodi Oraroria in Palatiis Principum, cum illorum aliqua, quæ Sæculo VI. & VII. ab Anaſtaſio commemorantur, non tàm recenter, quàm anteà exſtructa fuerint. Imò quia Imperialibus Fæminis Palatia diſtincta ædificabantur, pro ipſis quoque ædificata Domeſtica Oratoria facilè credimus. Reverà refert Theophanes pag. 374. Edit. Rom. Pulcheriam exſtruxiſſe Oratorium S. Stephani in Palatio, & in eo collocaſſe S. Protho-Martyris Reliquias. Hoc idem teſtatus eſt Cedrenus ad Annum 19., & 20. Theodoſii Junioris: & ſæpè in illo Imperatores, & Imperatorum Filios fuiſſe coronatos adjunxit. Suum quoque in propriâ Domo Oratorium

torium Placidia Auguſta habebat;nam illius Altare ſubvertere auſus eſt Paulus Pſeudo-Patriarcha Conſtantin., ut injuriam irrogaret Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ. Direptionem hujuſmodi Altaris *Sanctæ noſtræ Sedis*, *quod erat in Domo Placidiæ ſacratum in Venerabili Oraculo* refert Anaſtaſius in Vitâ Martini P. ſect. 130., eique affinia Ado Viennenſis, Abbas Urſpergenſis, & Marianus Scottus apud Cangium in Conſtantin.Chriſt.Lib.II.cap. 6. tradunt. Placuit Anaſtaſio poſt D. Gregorium Lib. II. Dial. c. 8. nomen *Oraculi* pro *Oratorio* tùm hìc, cùm alibi uſurpare, quia nempè duo hæc nomina idem ſignificant, & locum Orationi deputatum exibent: Hinc de Propitiatorio, & Sanctuario dixit Dominus Levit. 16. *In nube apparebo ſuper Oraculum*. Dicitur autem Oratorium Placidianum *Altare S. Sedis*, quia in Domo Placidiæ Apoſtolicæ Sedis Legati recipiebantur; imò Vigilius P. Epiſ. Encyclicâ ad Eccleſ.Univerſ. ſe *in Placidiana Domo* habitaſſe ſcribit.

V. Uberiora adhuc extant Palatinarum Capellarum Principum monumenta in ſequentibus Sæculis. Splendidum Oratorium, nondum Cæſar, Juſtinianus in ſuo Palatio erexerat, cujus ipſe meminit Epiſt. ad Hormiſdam P. ita ſcribens; *Præſumentes autem de Beatitud. Veſtræ benevolentiâ paternam dilectionem nimiùm petimus*, *quatenus Reliquiis Sanctorum Apoſtolorum tam Nos quam Baſilicam eorum HIC IN DOMO NOSTRA ſub nomine Prædictorum Venerabilium conſtructam illuſtrare*, *& illuminare largè dignemini*. Palatium Juſtiniani poſtea Palatium Hormiſdæ appellari cœpit ex eo, quod factus Cæſar Regio Palatio teſte Procopio Lib. I. de Ædific. cap.4. ſuum adjunxerit. Hinc Baſilica illa *in Hormiſda* à Veteribus appellatur; & à Vigilio P. ſignanter, qui Epiſt.encyclicâ in Baſilicam *S. Petri in Hormiſdâ fundatam* ſe fugiſſe affirmat. An Oratorium Palatii, in quo recepti fuerunt Legati Agathonis P., uti tradit Anaſtaſius Bibliothec. in Agath. Sect.141., idem ſit cum Oratorio S. Petri, penitus mihi exploratum non eſt: Attamen etiam illud erat S.Petro dicatum. *Suſcepti ſunt*, ait Anaſtaſ. *a Principe in Oraculo Sancti Petri INTRA PALATIUM*, Et infrà: *Intra Oraculum S. Petri INTRA PALATIUM extante &c.*

VI. Aliud Oratorium in Palatio exſtruxit in honorem S. Pauli Mauritius Imper., pro quo Conſtantina Auguſta caput Apoſtoli poſtulabat tranſmitti: *Serenitas veſtræ pietatis*, inquit M. Gregorius Lib.IV. Epiſt.30., *propter eam*, *quæ in honorem S. Pauli Apoſt. IN PALATIO ædificatur Eccleſiam Caput . . . a me præcipit debere tranſmitti*. Pariter in Domibus Fœminarum Auguſtarum ſua extitiſſe Oratoria demonſtrat Sacramentum Matrimonii identidem in illis celebratum. Sic Theophanes Ann. 5. in Domo Marinæ celebratas nuptias Dementiæ Filiæ Phocæ cum Priſco Patritio narrat.

VII. Non minoris pietatis fuerunt alii Reges, poſtquam Chriſtianam Fidem ſuſceperunt; ſed Rei Divinæ amatores peculiaria ſibi extruere Oratoria ſatagebant: Hinc S. Gregorius Turonicus Lib. 8. Hiſt. Franc. cap. 44. Oratorii Guntramni Regis; & Lib. 10. cap. 1. alterius Oratorii Childeberti Regis meminit. Allegat etiam Peyratus Lib. 1. de Capell.Reg. cap. 44. Chartam MS. de Geſtis Aigilberti Cenomanenſis Epiſcopi ſcriptam tempore Childeberti Regis Francorum, & Ultrogotthæ Uxoris; in qua Aigilbertus velut occupatus *in ſervitio regali* exhibetur. Ab ævo uſque Clodovei ad Chriſtum converſi Galliarum Reges ſemper habuiſſe ſuos peculiares Clericos, quorum primatum tenebat unus ex Epiſcopis, teſtis eſt Hincmarus Epiſt. III. ad Epiſcopos Franciæ cap. 14. Credidit quidam Hincmarum ex moribus ſuæ ætatis de tempore Clodovei fuiſſe locutum: At non ita ruditer in ſuis ſcriptis ſe geſſit doctus ille Epiſcopus. Accedit

cedit Monachus Inculiſmenſis de Clodoveo narrans, quod Incoliſmanum Epiſcopatum Aptonio *Capellano ſuo* dederit. Hujus Monachi meminit Tomaſinus de Benef. Par. I. Lib. 2. cap. 109. num. 9.: atque ad illum ſpectaſſe puto veterem Codicem de Geſtis Pontificum, & Comitum Engoliſmenſium viſum a Coppino, ut refert Turturetus de Capella Reg. Hiſpan. cap. 2. num. 5. Demum extrà dubium eſt Clodoveum Regem fuiſſe à S. Remigio monitum, ut ad conſilia Sacerdotum ſemper confugeret, undè feliciter Regni negotia expediret. Quid ergo veroſimilius, quàm ut ſecum ſemper aliquem Sacerdotem in Aulâ haberet, qui ſimul Regii Capellani munera expleret? Equidem reor, quod ſi Principes Magni Conſtantini fidem, ac pietatem imitantes ſecum in Palatiis habere Sacerdotes geſtiverunt, hos non tantùm tanquàm Regios Conſiliarios adſciverint; quam & præcipuè, ut ipſis celebrantibus, & miniſtrantibus Divina participarent Sacramenta, eò faciliùs, commodiùſque, quantò intrà Aulæ fines conſecrabantur.

VIII. Fortè diſtinctum, & peculiarem Clerum tunc Reginæ in Galliâ habebant; Nam S. Gregorius Turonen. Lib. VIII. Hiſt. cap. 29. loquitur de Clericis Fredegundæ Reginæ; & M. Gregorius Lib. IX. Epiſt. 120. Siagrium Auguſtudin. Epiſcopum fuiſſe Presbyterum Reginæ Brunechildis indicat his verbis: *Curam Synodi... Syagrio; quem VESTRUM PROPRIUM novimus, delegare curavimus*, Demum ſe tanquàm Presbyterum Radegundis Reginæ manifeſtat Venantius Fortunatus Lib. VIII. Poem. canens.

Martinum cupiens voto Radegundis adhæſi,
Quam genuit Cælo Terra Turinga ſacro.

Non ſunt iſta nimis obſcura indicia Palatinarum Capellarum, & Clericorum in Occidente; Attamen licèt ſubobſcura forent, adhuc, ut benè ponderat acutiſſimus Tomaſinus laudatus num. 11., *in tantâ Temporum intercapedine, Scriptorumque penuriâ ſubiniquum fuerit plura exigere, ut credatur jam tùm Capellam fuiſſe in Palatio Regio, cui proprius, & peculiaris ſuus eſſet Clerus.*

IX. Ubi autem uberiora ad nos venerunt Veterum monumenta, ſimul clariora Occidentalium Palatinarum Capellarum, & Palatini Cleri lumina eluceſcunt. Hinc Sæc. VII., & deinceps reperiuntur, qui in Principum Gallicanorum Aulis *Archicapellani* munus, amplamque dignitatem gerebant, & quibus reliqui Palatini Clerici ſubdebantur. Talis erat Ruſticus Frater Sancti Deſiderii Cadurcenſis Epiſcopi, quem in illius Vitâ apud Cointium in Annal. Francor. ad Annum 617. num. 7. legimus ſub Regibus Clotario II., & Dagoberto *Abbatium Palatini Palatij* geſſiſſe, Talis erat S. Sulpitius Pius Epiſcopus Bituricenſis, quem, ut legitur in illius Vitã num. 10., Clotarius Galliarum Rex Capellæ Regiæ præpoſuit. *Illicò Epiſcopum poſcit, ut pro ſalute ſuâ, & exercitûs ſui licentia daretur, ut Vir Beatus in ſuis Caſtris Abbatis officio potiretur.* Qui enim Palatinis Capellis præficiebantur, olim *Abbates* appellabantur; eoque Titulo Hadrianus P. Epiſ. ad Carolum M. vocat Angilbertum: *Directus nobis eſt à veſtrâ peæcelsâ Regali Potentiâ fidelis familiaris veſter Angilbertus Abbas, & Miniſter Capellæ.* Alios duos recenſet Cangius in Gloſſario V. *Capellanus* Tom. II. Edit. Ven. pag. 215., nempe Bertharium ſub eodem Clotario, & Riculphum ſub Dagoberto Sacelli Regii Archicapellanos. Launum Capellanum Pipini Regis exibent Monachus Engoliſmenſis ad Ann. 769. in Vitâ Caroli M. Fulradus Pipini *Summus Capellanus* dicitur in Capitulari Caroli Calvi Tit. 23. cap. 7., & de eo canit Alcuinus carm. 123.

Inclytus ille ſacræ fuerat, Paſtorquæ Capellæ.

Idem Alcuinus Epiſ. 42. S. Angilbertum

tum vocat *Primicerium Palatii Pipini Regis*. Ad idem Sæculum VII. pertinet quod refert Paulus Diaconus de Liutprando Langobardorum Rege Lib. 6. de Geſtis Langobard. cap. 58. dicens: *Intra ſuum quoque Palatium Domini Salvatoris Oraculum ædificavit; & quod nulli alii Reges habuerant, Sacerdotes & Clericos inſtituit, qui ei quotidie Divina Officia decantarent*. Hæc Pauli verba Viro clariſſ. Muratorio Tom. IV. Antiq. Italic. Diſſert. 56. pag. 777. occaſionem præbuerunt non altiùs retrahendi originem Palatinarum Capellarum, quàm ad Regnum Liutprandi. Nos pariter in eandem ſententiam traxiſſent; niſi hactenùs recenſita Antiquiorum teſtimonia multò remotiorem originem repetere juberent. Sanè ante Liutprandum ſua Imperialibus Palatiis erant Oracula. Ut igitur Pauli Diaconi dicta ad ſolos Reges coarctare eſt opus, ita fortè ad ſolos Reges Langobardicos illa ſunt reſtringenda; quatenùs Liutprandus primùm Palatina Oracula in Aulâ ſuâ extruxerit, quæ ipſius Deceſſores nondum erigere cogitaverant. Quanquàm ne id quidem Paulus requirit; cum ejus ſenſus obvius, ac ſincerus nihil amplius indicare videatur, niſi quod Liutprandus *quotidianam* Divinorum Officiorum decantationem per Sacerdotes, & Clericos in ſuo Palatio fieri primus curaverit; cum nondum alii Reges tàm frequentem, ac ſolemnem in Palatinis Oratoriis introduxiſſent Sacrorum Officiorum celebritatem, quæ in ſolis Imperialibus Orientis, Capellis ſive ſub Conſtantino, ſive ſub ejus Succeſſoribus, ut ſuperiùs diximus, peragebatur.

X. Jam verò ex illis, quos indicavimus Regiis Capellanis emicat, quanto in honore haberentur Palatinæ Capellæ, ad quas regendas, excolendaſque ſolebant à Regibus Viri eximii præfici, & deputari. Hinc legimus apud Stephanum Leodienſem in Vitâ S. Modaldi Epiſcopi Trevirenſis Lib. II. cap. 9. apud Surium, & Bollandian. Socios ad Diem XII. Maii plures Sacerdotes ab Aulis Regiis emerſiſſe inſignes Epiſcopos his: *Quale, quam Sanctum erat illud Palatium, ex quo tam claros, tamque illuſtres ſuſcipiebat Eccleſia Sacerdotes .... Non ipſi honores per ambitionem appeterent; ſed magis oblatos per humilitatem refugerent. Ex quorum numero, erant enim plurimi, fuit Arnulphus Metenſis, Cunibertus Colonienſis, Tongrenſis Remaclus, Trevirenſis noſter Modaldus* &c. In Oriente ſimiliter nobiliores Sacerdotes miniſtraſſe Regiis Oratoriis ex eo perſpicimus, quod refertur a Thomaſino laudato cap. 93. num. 6. ex Theophane; nempè Sergium ipſum Patriarcham CPanum advocatum fuiſſe in Capellâ Palatii, ut ibi Imperiale Diadema Heraclio, ejuſque Conjugi imponeret. Ad hæc ſaltem tempora revocanda eſt Regiæ Capellæ Hiſpanicæ antiquitas, de qua fusè diſſerit Turturetus cap. 2. de Capella Reg. Hiſpan. In ea Viros optimos fuiſſe adſcitos, ſicut convenientiſſimum erat, nullus inficiabitur. Certè S. Hildephonſus Lib. de Viris Illuſ. cap. 14. affirmat S. Eugenium Toletanum Epiſcopum *Eccleſiæ Regiæ Clericum egregium extitiſſe*.

XI. Crevit potiùs, quam fuerit imminutus ſplendor Palatinarum Capellarum ſub Carolo M. & ejus Stirpe. De Capella Regii Aquiſgranenſis Palatii, deque illius ornamentis loquuntur Eginardus, & Turpinus Archiepiſcopus Remenſis in Vita Caroli M. Eam poſteà Gaufredus Lib. 2. de Vita S. Bernardi cap. 6. *ex toto Orbe famoſiſſimam* dixit. Inſtar Aquiſgranenſis aliam Capellam inchoavit Ludovicus Pius Imperator in Theodonis-Villa, cujus meminit Continuator Reginonis ad Ann. 939. Quanti autem haberetur in toto Regno Principis Capella ex eo conjici poteſt, quod ubi Leo III. P. Anno 811. expoſceret, ut intermitteretur in Gallicanis Eccleſiis Symboli recitatio intra Miſſarùm Solemnia, quia nondum hunc morem adoptaverat Ritus Eccleſiæ Romanæ; hor-

tari primùm ſtuduit, ne in Regio Palatio amplius Symbolum cantaretur. Ad hujus quippe exemplum facilè ſperabat, morem cantandi Symboli ceteræ Gallicanæ Eccleſiæ defererent. Igitur Legatos Caroli hortabatur Leo P., *ut paulatim in Palatio, quia in Sancta noſtra Eccleſia non cantatur, cantandi conſuetudo ejuſdem Symboli intermittatur: Si dimittatur à Vobis, dimittetur ab omnibus.* Atque hinc apparet quanta magnificentia, quantoque honore Divina Officia, ac Sacrificia in Regiis Capellis celebrarentur.

XII. Reverà non quicunque tunc idonei erant gerendæ Dignitati Archicapellani; ſed ut plurimum, qui ceteris Palatinis præerat Clericis Epiſcopali Ordine fulgebat eminentior ceteris; imo cum Regia aliquandò Familia ſanguine conjungebatur. Sub Pipino Rege forſitan Capellæ Præſes erat Epiſcopus; Nam in Epiſtola Pauli I. P. ad Pipinum video conceſſum Regi *Georgium Epiſcopum, ut in ſuo permaneret ſervitio*. At certè ſub Carolo M. Epiſcopus ſolebat præſidere Clero Palatino. Engelramnus Epiſcopus Metenſis *Sanctæ Capellæ Primicerius* ſub eodem Carolo ab Alcuino Epiſ. 79. dicitur. Hildibaldus, ſeu Hildeboldus Epiſcopus Colonienſis apud Anaſtaſium in Leone III. *Archicapellanus Sacri Palatii* vocatur. De Utriſque agit Synodus Francofordienſis Anni 794. cap. 55. Ludovicus Pius laudatum Hildibaldum teſte Hincmaro de Ordin. Palat. cap. 15., & Drogonem Epiſcopum Metenſem *Summæ Sacræ Dignitatis Palatinæ Præſulem* habuit ut in Vita S. Anſcharii n. 19. habetur. De Gunthario Epiſcopo Colonienſi Archicapellano Lotharii Imperat.; Ebronio Epiſcopo Pictavienſi Archicapellano Caroli Calvi; Joſepho Epiſcopo Eporedienſi Archicapellano Ludovici filii Lotharii; Theotmaro Archiepiſcop. *Summoque Capellano* Carolimanni; (de hoc extat charta Anni 877. apud Murator. Differ. 66. Tom. V. pag. 502.) deque aliis videri poſſunt Cangius in Gloſſario, Peyratus Lib. I. cap. 18., & Turturetus de Sacello Regio cap. 3. 4. & 6. Ab iſtis recenſentur plura nomina aliorum Archicapellanorum in Palatiis Principum Hiſpaniarum, Burgundiæ, Lotharingiæ, Bajoariæ &c.; & licèt non omnes fuerint Epiſcopali Dignitate illuſtres, ſaltèm in Clero ſpectabiles erant. Differunt etiam laudati Scriptores, ac clariſs. Thomaſinus Par. I. Lib. II. cap. 110. & 111. de dignitate, & ampliſſimis provinciis, quas Principes ſuis olim Archicapellanis gerendas tradiderunt; à quibus abſtinendum duxi, ne nimis extrà argumentum vagari viderer.

XIII. Summo Capellano, ſeu Archicapellano ſuberant alii Clerici, ac inferiores Capellani ad Regiæ Capellæ officia peragenda electi; ſimulque omnes amplum Palatinum Clerum conſtituebant. Ita apud Hincmarum Epiſ. 3. ad Epiſcopos Franciæ de Ordine Palatii cap. 16. legitur. *Apocriſarius autem, quem Noſtrates Capellanum, aut Palatii cuſtodem appellant, omnem CLERUM PALATII ſub cura, & diſpoſitione ſua regebat*. Pergit deinde Hincmarus deſcribere munus ejuſdem Capellani in cognoſcendis cauſis aliorum Clericorum; atque hoc ipſum poſteà etiam Walfridus Strabo Lib. de Reb. Eccleſ. cap. ult. tradidit. Concilium Moguntinum Anno 813. congregatum can. 22. in tres claſſes diſtinxit univerſos Clericos: Alios videlicèt ſub Epiſcopi cura degentes; Alios Abbatibus ſubjectos; Alios *in ſervitio Domini Regis* conſtitutos. Non pauci igitur Clerici Regiis Capellis deputati erant, qui ad ſolemnem Divinorum Myſteriorum, ceterorumque Eccleſiaſticorum Officiorum celebrationem in Palatiis peragendam miniſtrarent. Imò plurimi honoris gratia, in numero Palatinorum Clericorum deſcribi ſatagebant. vel ſpe illecti ad ampliores Eccleſiæ gradus aſcendendi; vel quæſtus deſiderio, vel ſaltem ut ea ſpeciali prærogativa a ceteris Clericis diſcernerentur. Hinc aliquando, imò non

rarò

rarò contingebat, ut creſcente Clero Palatino, creſcerent etiam multorum vitia.

XIV. Certè adverſus Regios nonnullos Clericos vehementer invexerat Wala Abbas Corbejenſis apud Paſchaſium Ratpertum in ejus Epitaphio Lib. II. cap. 5 his verbis: *Præſertim & militiam Clericorum in Palatio, quos Capellanos vulgò vocant, quia nullus Ordo Eccleſiaſticus denotabat plurimum, qui non ob aliud ſerviunt niſi ad honores Eccleſiarum, & quæſtus Sæculi ad lucri gratiam, ſine probatione magiſterii, atque ambitiones Mundi*. Eoſdem Clericos acriter reprehendit Walfridus in Viſione Vetini Monachi Sæc. IV. Bened. Par. 1. pag. 279. Edit. Pariſ.

Magna Sacerdotum numero pars, Angelus inquit,
Lucra petunt terrena, quibuſque inhiantur, adhærent,
Atque Palatinis pereuntia præmia quærunt
Obſequiis; ornantque magis ſe veſte polita
Quam radiis Vitæ, pompoſis fercula menſis
Glorificare parant, animarum lucra relinquunt,
Deliciis ducti per ſcorta ruendo volutant.

Nec mitius loquitur Lupus Ferrarienſis Epiſt. 25. dicens: *Fama verſatur inter nos Clericos Palatii diverſorum ſibi dominium optare, atque poſcere, quibus nulla ſit alia cura, niſi ut ſuæ avaritiæ oppreſſione Servorum Dei ſatisfaciant*. Iſtas accuſationes Clericorum Palatinorum à Cangio, & Peyrato recitatas in hunc locum maluimus inſerere, non quidem ut injuriam ulli inferremus, quod abſit à nobis, maximè cum ſciamus vitia hæc fuiſſe aliquorum, qui exemplum tot Capellanorum Regiorum reſpuerant, à quibus Sanctitatis, & Doctrinæ eximia ſumere potuiſſent documenta; ſed ut faciliorem nobis redderemus aditum ad ſequentia Conciliorum Statuta retegenda.

XV. Itaque cum plurimùm expediret probatos Clericos Sacellis Principum deputari, non vagos, non ignotos, non legitimo teſtimonio propriæ honeſtatis deſtitutos; propterea his præcavendis periculis, quibus dehoneſtata fuiſſet Regiarum Capellarum dignitas, juſſit primò Concilium Francofordienſe can. 38., ne Presbyteros a proprio Epiſcopo excommunicatos ſuſciperent Palatini Clerici. *De Preſbyteris, qui contumaces fuerint contra Epiſcopos ſuos, ut nequaquam communicent cum Clericis, qui in Capella Regis habitant, niſi reconciliati fuerint ab Epiſcopo ſuo; ne forte Canonica Excommunicatio ſuper eos exinde recidat*. Non ſufficiebat id ad dignitatem probatorum Clericorum Palatii; quare Concilium Meldenſe Anni 845. can. 58. deſiderabat, ut nullum Clericum Dignitas Regalis dignaretur recipere, niſi de conſenſu Epiſcopi, ad cujus officium pertinebat diligenter inquirere de conditionibus eligendi Palatini Capellani. Ità ergo ait: *Cum quilibet Canonicorum ad Regiam venerit Majeſtatem, & ſuo ſe voluerit mancipare ſervitio, CONSENSU Epiſcopi, ad cujus Diœceſim pertinere dignoſcetur; eum recipiat. Et ſi in Ordine Clericali eum promoveri voluerit . . . . ſi dignus fuerit, conſecretur . . . . Alioqui hæc ſtatuta tranſgredientes Canonicæ ſubigantur Sententiæ*. Canonici illi ex Concilio Meldenſi erant Clerici in Parochiis eruditi: quare autem Canonici dicerentur, non eſt inquiſitio ad hunc locum pertinens. De hac enim voce ſatis multa tradiderunt Reverendiſs. P. Abbas Generalis Ord. Noſt. D. Cæſar Benvenuti in Sæculis Canon. Regular. Inquiſ. I., & Deſnojus Lib. I. de Canonicis in geere. Eandem Epiſcopi approbationnm in eligendis Capellanis poſtulavit Concilium Aquiſgranenſe II. ſub Ludovico Pio Imperatore An. 836. congregatum; quia nempe contingere poterat, ut aliqui rei criminum ad declinandam pœnam ſceleribus debitam derelicto proprio Epiſ-

copo ad Aulam properarent; vel ut aliqui ſe ordinatos fingerent, & ſic indigniſſime ad Altare accederent. Ita ergo ſtatuitur Lib.II. cap. 3. num. 23. *Similiter eſt poſtulandum de Presbyteris, qui hinc inde de diverſis Parochiis veniunt, & in Palatio morantur, ut ſine proprii Epiſcopi conſenſu ibi locum conſiſtendi non habeant, nec recipiantur, quia fieri poteſt, ut intrà Parochiam metu perpetrati criminis, ne id palam juxta Canonum ſanctiones ulciſcatur, Palatinas Ædes frequentent: Aut certè licèt non ſit ordinatus, ipſe tamen abſque Litteris ordinatum ſe atteſtetur.* Cum tamen difficilè potuiſſent Palatinorum Clericorum mores reformari, ſi fortè in vitia dilapſi fuiſſent: hinc ut majori dignitati, ac honori Regiæ Capellæ proſpiceretur, non indiſcriminatim omnes ad illius ſervitium aſſumebantur, ſed quos teſtimonium Epiſcopi idoneos probaverat.

XVI. Verùm quia fortè in nonnullorum Capellanorum electione fraudes contigerant; & aliqui ad tantum honorem abſque neceſſariis conditionibus provecti fuerant: Ad hæc proinde mala cavenda Synodus Pariſienſis Anni 829. Lib. III. cap. 19. hortabatur Ludovicum Pium, & Lotharium, ne ſinerent indignos Presbyteros in Regiis Capellis miniſtrare. Imò rogabat eoſdem Principes, ut omnes Proceres, & Palatinos Miniſtros ſaltèm Diebus Dominicis Miſſarum celebrationi adeſſe compellerent, ne ampliùs ullus ipſorum debitum Deo ſervitutis obſequium Diebus Feſtis exhibere negligeret. *De Presbyteris,* inquiunt Patres Pariſienſes, *& Capellis Palatinis contra canonicam auctoritatem, & Eccleſiaſticam honeſtatem inconſultè habitis Veſtram monemus Solertiam, ut à Veſtrà Poteſtate inhibeantur. Quoniam propter hoc & honor Eccleſiaſticus vilior efficitur, & veſtri Proceres, Palatini Miniſtri in Diebus Solemnibus, ſicut decet Vobiſcum ad Miſſarum celebrationes non procedunt. Nam & obnixè deprecamur, ut in obſervatione Diei Dominici... debitam adhibeatis curam; & Veſtros ſacro veſtro exemplo & doceatis, & agere compellatis.* Ad hos fortè Canones reſpexit Joannes Gerſonius, cum deflens ſuorum temporum relaxatos mores Tom. I. pag. 205. diceret: *Ubi eſt, quod nullus Principum Laicorum Capellanum habeat, niſi ab Epiſcopo datum, in caſu ab Epiſcopo deponendum, vel corrigendum?* Similem cautelam obſervatam fuiſſe etiam in Oratoriis Principum Orientalium video in Concilio Niceno II. can. 10., quo cavebatur, ne Presbyteri adſcriberentur *in qualibet Domo, vel Eccleſia,* nec exceptis Principum Oratoriis, ſine Epiſcopali approbatione. Sed id obiter indicaſſe ſufficiat, cum Canonem alia occaſione recitabimus. Redeo ad Capitulum Pariſienſis Concilii, quo agitur etiam de Capellis Palatinis *contra Canonicam auctoritatem* habitis.

XVII. Quid verò Canones poſtularent circa Capellas ipſas, non declaratur a Patribus Pariſienſibus. Cenſeo autem præter alia illud quoque fuiſſe decretum, ut ſicut ſine conſenſu Epiſcopi Presbyteri ad Capellas Palatinas aſſumi non poterant; ità Capellæ ipſæ ſine ſimili licentia ædificari nequirent. Id ſanè compertum habetur Lib.V. Capitularis Caroli M. cap.182., ubi pro iiſdem Palatinis Capellis erigendis EpiſcopalisConſenſus expoſcitur, his verbis: *Ne Capellæ in noſtro Palatio, vel alibi ſine permiſſu Epiſcopi, in cujus Parochia ſunt, fiant.* Quare maximè laudanda eſt Chriſtianiſſimorum Principum pietas, qui ut ſartam Epiſcopalem Juriſdictionem tuerentur, ne proprias quidem Capellas ab Epiſcopis penitus exemptas voluerunt; atque ita ſuo exemplo aliorum Laicorum Capellas, non niſi de Epiſcopi Diœceſani licentia ædificari poſſe ſtatuerunt.

XVIII. Hactenus abundè de Occidentalibus Principum Capellis, ſeu Oratoriis privatis locuti fuimus; nunc convertimur ad Conſtantinopolitanos Imperatores, qui licèt Sæculo Nono ab unitate Catholicæ Fidei

ſeſe

ſeſe diſruperint, attamen Anteceſſorum ſuorum Orthodoxorum Imperatorum morem retinuerunt, imò potius eum in reparandis, vel augendis Oratoriis intra Palatii ambitus conſtitutis auxerunt. Cum enim valdè amplum eſſet Regium Palatium, imò cum plura eſſent in unum conjuncta Palatia, nil mirum, quod diverſa in diverſis illius partibus extruerent Oratoria, quorum amplitudinem, & cuſtodita in illis Sanctorum Corpora ſi conſideremus, Baſilicas, ac Templa nuncupabimus; tamen ſi uſum eorumdem, & ſitum advertimus, propriè Oratoria Domeſtica appellanda erunt; maximè cum Palatinæ Baſilicæ teſte Vuillelmo Tyrio Lib. X. cap. 25. *vulgaribus inacceſſæ* fuerint. Ad multitudinem Oratoriorum Palatinorum in Aulâ CPanâ faciebat paritèr diverſitas Palatiorum pro Imperatoribus, pro Filiis, ac Filiabus Auguſtis, Regiæque Stirpis: Singulis enim illorum ſingulare ſæpè erat Palatium; ac proindè multiplicatis Auguſtorum domibus, Palatina quoque Oratoria multiplicabantur. Hinc eſt, quod non tantùm ſuum ſpecialem Clerum á Clero Eccleſiæ diſtinctum habebat Imperator, quàm ſuum etiam proprium haberet Imperatrix. Non raro Scriptores Græci de diſtinctione illius Cleri loquuntur, ut Curopalates, & Codinus de Offic. CP. Aulæ cap. 17.; quamvis rariſſimè loquantur illi de omnibus Palatinis Clericis, quorum ſolùm obiter mentionem faciunt, cum occaſio incidit vel de Exarcho, vel de Protopſalte, vel de Protopapâ, vel de Lampadario Clerico differendi. Præpoſitum Cleri Imperialis nomine *Protopſaltis* illi inſigniunt; ſed Georgius Cedrenus Compend. Hiſtor. Par. II. p. 480. rec. edit. Ven. *Palatii primarium Sacerdotem* appellat *Protopapam*; & nonnumquam alii *Primicerium* vocaverunt. Etſi verò iidem Scriptores plura non referant de òrdine, numero, ac prærogativis Palatinorum Clericorum, ſatis, quid de illorum dignitate, ac copiâ cogitare debeamus, indicant. Etiam ſuos Clericos habuiſſe Auguſtas, Regiaſque Fæminas ſub Stirpe Caroli M. indè colligitur, quod Monach. San-Gallenſis Lib. 1. de Geſt. Caroli cap. 4. dicat de Hildegalde Uxore Caroli habuiſſe *Clericos ſuos*. Eginardus ſimiliter Epiſt. 59. ſcribit *Honorando, atque præcipuo CAPELLANO Dominæ Imperatricis*, apud Cheſnium Tom. II. Script. Hiſtoriæ Francor.

XIX. Non piget hìc recenſere aliquot Oratoria Palatina Conſtantinopolitanæ Aulæ, de quibus magno labore multa erudititiſſimè collegit Vir Cl. Cangius in CPoli Criſtianâ Lib. 4., ad quem benevolum Lectorem mitto, ſi a me ſubjiciendis ex Sæculo IX. ſibi fortè non ſatisfiat. Præter alia ab Orientis Imperatoribus, ac Auguſtis Fœminis anteà extructa Oratoria, quorum ſuperius meminimus, unum occurrit, quod in Magno Palatio à Theophilo Imper. ædificatum tradit Continuator Theophanis Lib. 3. cap. 43. Aliud dictum *Deiparæ Phari* ædificavit hujus Succeſſor Mich. juxtà Leonem Gramm. in illius Vitâ, & Simeonem Logothetam num. 45. Situm ejuſdem deſignat Theophanes Lib. IV. num. 35. fuiſſe propè Triclinium Palatii, atque in eo Imperialia Sponſalia aliquando celebrata aſſeverat. Multò plura, & quidem ſplendidiſſimè exſtruxit Baſilius Macedo renovationi, aut ædificationi Sacrarum Ædium maximè deditus, ut in illius Vitâ Porphyrogenitus, & Zonaras referunt. In ſolo Palatio regio quinque Oratoria ab eodem excitata, vel reparata enumerat Porphyrogenitus. De Oratorio S. Pauli diſſerit C. 57. dicens: *In aliis quoque Palatii partibus reliqua cernuntur* (Oratoria). *Interea ſacri Præconis Pauli venerandum Oratorium eſt eundem Auctorem* (Baſilium) *agnoſcens, illius largiſſimâ liberalitate excitatum, namque illius pavimenti marmora argento circumligantur; & ſumptuum immanitate, ac decore à nullo ſuperatur.* De ſitu Oratorii in honorem S. Pauli in Palatio exſtructi loquitur idem Por-

Porphyorgenitus Cap. 59. Vitæ Baſilii Imperat. Hoc Oratorium antea jam ſub Mauritio ædificatum fuiſſe ſupra ex Epiſt. M. Gregorii ad Conſtantinam advertimus; unde illud non recenter exſtruxit Baſilius, ſed ſolum dilatavit, inſtauravitque. Agit præterea Scriptor laudatus de Oratorio juxta Triclinium excitato ſub Titulo Deiparæ. Ad hoc reſpexiſſe videtur Anna Comnena Lib. XII. Alexiad. dicens: *Conclave, in quo tunc Imperatores cubabant, adhærebat ſiniſtro lateri Ædi Sacræ in nomine Dei Matris intra Palatium extructæ*. Noluit Baſilius Imperator Regium Palatium carere Oratorio in honorem Virginis ædificato, cum tanta etiam tunc veneratione coleretur BB. Virgo Maria, ut vere Anonymus Scriptor antiquus *de depoſitione Veſtis Deiparæ* dixerit: *Nec ullus quiſquam invenerit Locum publicum, ac DOMUM REGIAM, vel Sacrum Monaſterium, aut Procerum aliquorum domicilium, in quibus non ſit aliquod Deiparæ Sacrum Templum, aut Oratorium*.

XX. Commemorat deinde Porphyrogenitus cap. 56. Oratorium S. Clementis Mar. a Baſilio in Palatio ædificatum. Addit cap. 57. Oratorium in honorem S. Petri Apoſtoli exſtructum ab eodem Imperatore intra Palatium; quod tamen ſolum a Baſilio renovatum, reparatumque exiſtimo, cum ex ſuperioribus conſtet *intra Palatium* fuiſſe *Oraculum* S. Petro dedicatum. Idem Oratorium S. Petri *in Palatio* locum habuiſſe expreſſe tradit Theophanes Cerameus hom. 55., licet indicet S. Petro, & S. Paulo ſimul fuiſſe dicatum: Denique cap. 55. idem Conſtantinus Porphyrogenitus accenſet Baſilio in Palatio Sacram S. Michaelis Ædem, quam poſtea mutaſſe titulum in nomina S. Gabrielis, Eliæ Thesbitæ, Deiparæ, & Nicolai enarrat. De S. Michaelis Oratorii ſitu dicit Luitprandus Lib. I. cap. 11. fuiſſe *juxta Palatium*, illudque a Photio Pſeudo-Patriarcha conſecratum Simeon Logotheta num. 11., & 16. teſtatur.

XXI. Non ſibi ſatisfecerunt Orientales Imperatores copioſo hoc numero Palatinorum Oratoriorum; ſed pene ſinguli ſingulare aliquod erexere, pro ut ſingulari cultu ſe erga aliquem Sanctum affectos eſſe ſentiebant. Inter hos commemorandus Leo Sapiens, qui exeunte IX. Sæculo conſtruxit Oratorium S. Annæ in Palatio, ut refert Theophanis Continuator Lib. 3. num. 43., Similiter Iſaacus Comnenus Sæculo XI. in Blancherniano Palatio exſtruxit Eccleſiam in honorem S. Theclæ, ut habetur apud Annam Comnenam Lib. III. Alexiad. Hujus Oratorii in Palatio ſiti meminit Continuator Theophanis cit. num. 44. At de Oratoriis Palatinis Orientalium Imperatorum adeat Lector laudatum Opus Cangii de Conſtantinopoli Chriſtiana Lib. 4; ubi uſque ad exitum Orientalis Imperii conſuetudinem celebrandi in Capellis Regiis conſtanter obſervatam fuiſſe intelliget. An vero Turcarum Bizantini Imperatores, ut Chriſtianis Principibus aſſimilarentur in Religione habendi domeſticos Sacerdotes, & Oratoria; ſimiles Palatinos Sacerdotes in propriis Palatiis ad preces quotidianas retinuerint, ſicut refert Turturetus capit. 4. num. 20., ignoro. Certum tamen eſt, quod etiam à Chriſto alieni Reges in ſuis Domibus ſacras quaſdam ædiculas, quæ & *Lararia* dicebantur, habere ſoliti fuerunt. De Larariis Imperatorum, in quibus cultus gratia collocabantur Heroum imagines, Ælius Lampridius in Alexandro Severo loquitur.

XXII. Regredimur ad Occidentales Principes, ut ex inferioribus Sæculis raptim delibemus quædam ad eorumdem Palatinas Capellas pertinentia, maxime cum nullatenus ceſſerint Orientis Chriſtianis Imperatoribus in conſervatione inveteratæ hujuſmodi conſuetudinis; eoſque bene imitati fuerint in eo, quod ultra Oratoria antea exſtructa adhuc identidem alia in propriis Palatiis exſtrui curarent; neque ſibi umquam nova Palatia niſi ſimul conjunctis Capellis ędificabant. In

Vita

Vita Roberti Francorum Regis [Obiit Anno 1033.) refert Helgaldus Conſtantiam Reginam in Civitate Stampis *Palatium conſtruxiſſe nobile ſimul cum Oratorio*; aliudque in honorem S. Nicolai eundem Robertum in Palatio Pariſienſi exſtruxiſſe tradit. Lodovicum VI., S. Ludovicum IX., alioſque Gallicanos Reges peculiaria in Palatiis ędificaſſe Oratoria ex Veterum ſcriptis Lib. II. cap. 4. Hiſtor. Capell. Reg. Guillelmus Peyratus oſtendit. Illis omnibus præponendus eſt ordine temporum ſervato Carolus Simplex, qui in Galliis regnavit Sæculo X. ineunte, Hic enim B. Valburgis reliquias deferri voluit *ad Attiniacum Palatium*, *&* *Capellā conſtructā, ſeu dicatā ſubejuſdem Virginis memoriá* duodecim Eccleſiaſticis Viris ad Divina Officia exercenda deputatis collocavit, ut illius Chartâ apud Cangium in Gloſſar. V. *Capella* reperitur.

XXIII. A priſtinâ dignitate, & ſplendore, quo in Clero fruebantur Summi Capellani in Palatinis Capellis ſub Carolo M., ejuſque Stirpe, nullatenùs poſteà deciderunt; cum ſemper Viri illuſtres, & ſæpiſſmè Epiſcopi *Regiæ* Capellæ præficerentur. Recenſet Brovverus Lib. IX, Annal. Trevirenſ. num. 62. Rathbodum Archiepiſcopum Trevirenſem ſub Carolo Simplici Archicapellanum fuiſſe. Engoliſmenſes Epiſcopi ſemper eligi conſueverant ad Capellam Regiam, ſicut in Hiſtoria Epiſcoporum, & comitum Engoliſmenſium cap. 37. narratur. Etenim *cum Ludovicus (VII.) Rex ad Aquitanicas partes veniret, Lambertus Epiſcopus* [Engoliſmenſ.], *ut accepimus, dixit Regi, quod Engoliſmenſes Epiſco-Capellani Regum Franciæ fuerunt, ex quo Ligerim ad Partes Aquitanicas tranſirent: quod Ludovicus non contradixit*. Archiepiſcopum Compoſtellanum ſub Alphonſo VI. Hiſpaniarum Rege Sæculo XI. munus Archicapellani geſſiſſe ex Alphonſinis Legibus, quæ de Regiorum Capellanórum prærogativis multa ſtatuunt, laud. Turturetus cap. 2. n. 19. & cap. 3. oſtendit. Landulphum Cremonenſem Epiſcopum Capellanum ſuum nominat Henricus II. Imperat. in diplomate edito Tom. I. Antiquit. Italic. medii ævi pag. 901. à Cl. Muratorio. Demum plures Epiſcopos miniſtraſſe in Capellâ Regum Neapolitanorum colligit Turturetus cap. 4. nu. 27. ex regeſtis MSS. Petri Vincentii de Eccleſ. Siculâ.

XXIV. Alii verò Palatini Clerici paſſim Epiſcopalibus Infulis ornabantur; ita ut non tàm ſub Carolina Stirpe, quàm etiam in medio, infimoque Ævo Principum Capellæ Epiſcoporum veluti Seminaria viderentur. Qui voluerit plures è Regiis, Imperialibuſque Capellis ad ampliſſimos Epiſcopatus promotos noſſe, præ ceteris Peyratum Lib. I. cap. 38. conſulere poterit. Paucos hìc ſubjiciam, ne penitus jejunum dimittam Lectorem meum. Hermannus Contractus ad Annum 1047. ſub Henrico III. Imperat. tres Capellanos factos Epiſcopos commemorat. S. Otto ex Clerico Palatino electus fuit Epiſcopus Bambergenſis ſub Henrico IV.; ejuſque Acta referuntur ab Hagiographis ad Diem II. Julii. Sebaſtianus Monſter Lib. 3. Coſmograph. Univerſ. meminit Conradi prius Capellani Henrici V., poſteà Epiſcopi Salisburgenſis. Addit Thomaſinus Par. 1. Lib. 2. cap. 111. num. 13. S. Dunſtanum ex Palatino Clerico Cantuarienſem Archiep. creatum; S. Meimuercum ex Regio Capellano Paderbonenſem Epiſcopum conſtitutum; & S. Bernardum Hildeſimenſem Epiſcopum factum, qui priùs in Palatinâ Capellâ Ottonis III. adſcriptus fuerat. Non opus eſt alios addere, quia quod ſcripſit Guillelmus Tyrius Lib. I. de Bello Sacro cap. 13., nempe conſuetudinem invaluiſſe, ut Capellani Imperii ad Majores Eccleſias promoverentur, etiam in ceteris Regiis Palatinis Capellanis impletum fuit. Adnotare potiùs opportunum reor, etſi obitèr, non raró Principes inter ſuos Capellanos adſciviſſe Viros Ordinum Regularium. De Fulrado,

do, & Hilduino Abbatibus ſuperius diximus: Alios Monachos indicat Thomaſinus nuper laudatus Cap. 111. num. 9., & 11. Pariter Wadingus in Annalibus, & Bremontius Tom. 8. Bullarii Prædic. nonnullos ex ipſorum Ordinibus Capellanos Regios recenſent.

XXV. Magnis illuſtratæ fuerunt privilegiis aliquæ Regiæ Capellæ, & Capellani; ac præcipue Exemptionis ab Epiſcoporum Diœceſanorum juriſdictione, a quibus nullo modo pendebant, niſi in illis eventibus, qui Epiſcoporum inquiſitionem, & judicium, tanquam a Delegatis Apoſtolicæ Sedis, exquirerent. Vigebat alicubi Sæculo XII. hujuſmodi exemptio; nam in Chronico S. Petri Vivi ad Annum 1110. legitur Regem indignatum eſſe eo, quod Epiſcopus *Locum Mauriaci, qui Capella Regum Francorum eſt, inquietabat*. Refert etiam Guillelmus Nangius in Chronico ad Annum 1285., quod cum Gilo Archiepiſ. Senonenſis non pateretur Mariam Philippi Regis Conjugem a Petro Rhemenſi Archiepiſcopo in Reginam ſacro oleo Pariſiis inungi; quatenus *ad Archiepiſcopum Sedis Belgicæ quæ eſt Rhemis, non pertineret extra ſuam Provinciam* Regum inunctio, tamen allegatum fuit *ex parte Regis, quod non erat, undè poſſet conqueri Senonenſis Archiepiſcopus, quoniam Capella Regis Pariſiis exempta erat; & ideò ratione Loci ad ipſum inunctio non ſpectabat*. Eadem exemptio a juriſdictione Epiſcoporum ſervabatur in Regiis Capellis Anglicanis, quæ proinde paſſim apud Prynnæum in Opere de Libertatibus Eccleſię Anglicanę appellantur *Liberę Capellę*. A Prynnæo nonnulla Gloſſarium Cangianum derivat. De exemptionibus Anglicanarum Capellarum Thomaſinus Par. I. de Benef. Lib. 2. cap. 112. num. 6. & Lib. 3. cap. 36. num. 8. egit.

XXVI. Tenacius autem vetus ſubjectio Regiarum Capellarum Epiſcopis in Norvegia cuſtodita fuit; ad quas ſine Regum aſſenſu ſolâ preſentatione Epiſcopi Clerici idonei deputabantur. Apud Rainaldum ad Annum 1273. num. 20. recitatur Conventio facta inter Magnum Norvegiæ Regem, & Joannem Archiepiſcopum Nidroſienſem, in qua *conceſſit Rex, quod a Prædeceſſoribus ſuis eſt conceſſum, ut licitum ſit ſemper Archiepiſcopis & Epiſcopis in Capellis a Regibus fundatis, vel dotatis, ſicut & in aliis Capellis ſuæ Provinciæ inſtituere idoneas ſine ipſorum, & aliorum Laicorum aſſenſu, vel prȩſentatione Perſonas*.

XXVII. De exemptione verò Capellanorum Regiorum ab ordinaria juriſdictione Epiſcoporum extat Epiſtola Innocentii III. P. ad Epiſcopum Lingonienſem, quæ admittit tale Privilegium, quo Capella Ducis Burgundiæ gaudere dicebatur. Duo autem ex Epiſtola Innocentii inſerta Lib. V. Decret. Tit. 33. de Privileg. Cap. *Cum Capella* colliguntur. Illam nempe Capellanorum exemptionem intra certos limites coarctatam fuiſſe, atque ad ea, quæ Regiam Capellam pertinebat: Et deinde non generatim eadem prerogativa fuiſſe quoslibet Palatinos Clericos inſtructos; ſed illos tantummodo, ad quos ſpeciale privilegium exemptionis conceſſum fuerat. Hinc eſt, quod ubi alii Principes ab Epiſcoporum juriſdictione proprios Palatinos Clericos actu ipſorum Capellæ deſervientes (Qui enim actuale non præbent ſervitutis obſequium, & quidem per ſe ipſos, Privilegiis conceſſis Titulo hujuſmodi ſervitutis non gaudent, ut bene Riccius in Praxi Rerum Eccleſiaſt. Fori de Capellanis Regiis Reſolut. 495. probat.) eximere optaverunt, ſingularia ab Apoſtolica Sede exemptionis privilegia obtinere ſtuduerunt; cum pro certo haberent ſine ſpeciali Apoſtolica Diſpenſatione unumquemque Clericum propriæ diœceſis Epiſcopo ſubjacere. Similia exemptionis Privilegia ad normam decretorum Concilii Tridentini Seſſ. 24. de Reformat. cap. 11. renovantis Conſtitutionem Innocentii III. conceſſa Hiſpanicæ Luſitanicæ, Neapolitanæ, & aliis Regiis Capellis

innuit Turturetus tum cap. 4., cum in calce ſui Operis. De hoc argumento plura etiam habent Moſtazo Lib.V. de Cauſis Piis cap. 7., & ne alios commemorem, Peyratus L. II., qui ſimul plurima RR. Pontificum diplomata in ampliationem privilegiorum Gallicanæ Regiæ Capellæ colligit.

XXVIII. Mei muneris partes non ferunt iſta referre, nec amplius in hoc argumento Palatinarum Capellarum morari, quæ non tanquam privata Oratoria, ſed velut publicæ Eccleſiæ, & ad inſtar Aulicæ Parochiæ conſiderantur; in quibus conceſſa fuit Sacramentorum libera adminiſtratio etiam in Paſchate, & publicæ prædicationis exercitia permiſſa etiam cum erogatione ſacrarum Indulgentiarum iis, qui concioni aſſiſtunt. In illis omnia Eccleſiaſtica Officia ſolemniter peraguntur; & quamvis intra Palatii ambitum comprehenſa, tamen ab aliis publicis Eccleſiis vix poſſunt diſcerni. Diu jam invaluiſſe hujuſmodi ſolemnitatem in Divinis celebrandis Officiis intra Regias Capellas abunde demonſtrant ſuperius dicta de Palatino Clero. Quod ſi recentiora deſiderantur exempla ſolemnis celebrationis Miſſarum, & aliorum Sacrorum Officiorum in Capellis Regalibus, legi poterit Gauffridus de Bello Loco in Vitâ S. Ludovici, cujus confeſſiones excipiebat; apud quem cap. 3. apparet nec fuiſſe limitatum numerum quotidianorum Sacrificiorum in iiſdem offerendorum. Legi etiam poterunt Acta S. Eliſabeth Reginæ Luſitaniæ, quæ paullo ante medium Sæculum XIV. obiit, de qua traditur, quod ubicumque reperiebatur, ſecum volebat habere Sacerdotes, qui in Capella ſaltem portatili omnes Divinas, & Eccleſiaſticas Functiones peragerent. Extant hæc Acta in Julio Bollandiano ad Diem IV. ex MS. Codice antiquo Monaſterii S. Claræ Conimbricæ Luſitanica Lingua exarato; atque ex illis fragmentum extrahemus alia occaſione quando de Portatilibus Aris ſermonem habebimus. Perpetuo perſeverarunt hæ Palatinæ Capellæ in Aulis Magnorum Principum, quas a Concilio Tridentino vetitas non fuiſſe inferius dicemus; dum ejuſdem Concilii decretum de Loco celebrandarum Miſſarum exponemus.

XXIX. Addere autem hìc debeo talia Oratoria etiam in domibus aliquorum Comitum, aut ſaltem Principum minoris authoritatis, ac dignitatis præ Regibus extitiſſe. De Juſtiniani nondum Imperatoris Oratorio num. 5. jam teſtimonia dedimus; & de S. Giraldo Comite Auriliacenſi tradit S.Odo in illius Vita Lib.1.c.12. *Cum deinceps latifundia ipſius ſibi ſuccederent, ut uſque ad montem Magnum Geonem poſſet in eundo, & redeundo ſemper in propriis manſitare Capellis*. Similiter reperio Capellanos Comitiſſæ Mathildis, qui ſatis indicant illius Capellam. Extat Tom. I. Antiq. Medii Ævi pag. 313. Charta Anni 1113., cui ſubſcribit *Joannes Mathildis Comitiſſæ Capellanus*. Porrò non modico ſplendore Divina Myſteria peragi conſueviſſe etiam in Palatiis Comitum, ſimiliumve Magnatum indicat Donizo Lib. I. cap. 14. in Vita Mathildis, ubi de ipſius Patre Bonifacio Duce, ac Marchione Thuſciæ ait:

Pſallebant ſemper Capellani reverentèr
Horas nocturnas ſibi, quotidieque diurnas:
Nemo Capella ſuper ipſum Præſul habebat.

De Marchionum, & Comitum Oratoriis alia, ſi quæ occurrent, ad ſequens Capitulum rejicio: Nam licet magna eſſet tunc illorum dignitas, ut declarat Muratorius Par. I. Antiq. Eſtenſ. cap 1., Adhuc tanta non erat, quanta eſſet Regum dignitas, de quorum Palatinis Capellis hactenus diſſeruimus.

CAPUT XI.

De Veteribus Domeſticis Oratoriis Laicorum uſque ad tempora Tridentini Concilii.

I. SATIS me præmonuiſſe Cap. IV. num. 7. recordor Miſſarum domeſticam celebrationem poſt ſopitas perſecutionum commotiones rariorem evaſiſſe; ac propterea Sæculo IV. difficiliorem reddi inquiſitionem Oratoriorum in privatis Laicorum Domibus erectorum, ut in illis Divina fierent Sacrificia. Verum quæ eo loco deinceps in medium protulimus, ut nobis ſubminiſtrarunt tùm Sacerdotes, qui in privatis Sacellis offerre commodè poterant, tùm quædam indicia privatorum Sacrificiorum; Ita pariter probabiles ſuppeditant conjecturas, ne audacter, nec ſine fundamento affirmemus, quod quarto, quintoque Sæculo in Laicorum domeſticis Oratoriis nonnumquam Miſſæ celebrarentur; Imo neque deſunt penitùs teſtimonia Miſſarum tunc temporis in privatis domibus celebratarum. Canon VIII. ex Arabicis Concilii Nicæni ita ſtatuit; *Non celebrent Monachi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium in Sacellis, quæ ſiunt in Domibus Laicorum*. Canonem hunc Nicænis Patribus adſcribere me vetant eruditi Viri, qui Arabicam collectionem tanquàm genuinam non ſuſcipiunt. Attamen ne omninò illorum ſententiæ cedatur, prohibet doctus Apologiſta illorum Canonum Nicænorum, P. Joannes Chryſoſtomus a S. Joſeph Scholar. Piarum in eruditâ Diſſertatione nuper editâ de numero Nicænor. Canon. cap. 16. Veſtigium aliquod domeſtici Oratorii penè mihi apparuit in S. Gregorio Nazianzeno Orat. in Laudibus S. Gorgoniæ Sororis; ubi commemorat altare domeſticum, in quo Sacramenta pretioſi Corporis, & Sanguinis Domini collocata erant; ante quæ cum aliquandò procubuiſſet, ſanitatem Corporis recuperaverat. Nam ſi non ſolum in illo Altari Divina Myſteria aſſervata, verùm etiam conſecrata fuiſſent, certè Oratorii privati ad Miſſam celebrandam apertum emicat teſtimonium; Sed ſi illud Altare non aliud munus præbuiſſet, quàm digni Sacrarii ad ſervandum Euchariſtiam domum delatam pro communione domeſtica, quæ in Oriente teſte S. Baſilio Epiſ. 383. adhuc permittebatur; nihil ad intentùm noſtrum prodeſſet. At fortè nobis prodeſſe videtur; quia vigente etiam conſuetudine domeſticæ communionis, rariſſimè delata domum leguntur utraque Euchariſtica Symbola, quemadmodùm in Altari S. Gorgoniæ conſervabantur.

II. Alia habeo certiora monumenta Miſſæ tunc peractæ in privatis Domibus, ex quibus non omninò inſolita deprehenduntur domeſtica Sacrificia, & proinde fundamentum præbent etiam eo tempore exiſtentium domeſticorum Oratoriorum, penè ad inſtar eorum, quæ noſtrâ ætate ex Pontificiâ Indulgentiâ quibuſdam Nobilibus permittuntur. Primum reperitur in Vitâ S. Ambroſii, de quo num. 10. refert Paulinus Diaconus, quod *trans Tyberim apud quamdam Clariſſimam invitatus Sacrificium in Domo* obtulerit. Alterum Acta Concilii Epheſini Par. I. cap. 12. ſuggerunt; dum narrant Neſtorium occaſionem ſumpſiſſe ſententiam excommunicationis ferendi adverſus Philippum Presbyterum etiam ex eo, quia *oblationem fecerit in ſuis Ædibus*; Non caruit legitima apologiâ bonus Presbyter per invidiam depulſus; nam Clerus ipſum

ſum defendit dicendo *Quiſque Noſtrum id in tempore, & pro neceſſitate facit*. Utraque hæc exempla cum manifeſtant domeſticas Miſſas, ſimul tamen perhibent earumdem raritatem; ut vel penè tantùm Epiſcopis liceret in Domibus ſacrificare: vel id pro Laicis gravis poſceret neceſſitas.

III. Tertium occurrit monumentum è Concilio Carthaginenſi An. 390. can. 9. erutum, quo inſtruimur ſæpiùs in Africà domeſtica Sacrificia fuiſſe peracta. Nimiam facilitatem hujuſmodi Miſſarum ex ignorantia, aut temeritate quorumdam Presbyterorum introductam non permiſerunt Africani Præſules; verum nec penitùs prohibuerunt *in Domiciliis* Miſſas facere, ſi Epiſcopi eas permiſiſſent: En verba Capituli: *Numidius Epiſcopus Maxulitanus dixit: In quibuſdam Locis ſunt Presbyteri, qui aut ignorantes ſimpliciciter, aut diſſimulantes audacter præſente, & in conſulto Epiſcopo complurimis in Domiciliis agunt Agenda, quod diſciplinæ incongruum cognoſcit eſſe Sanctitas Veſtra. Geneclius Epiſcopus dixit: Fratris, & Coepiſcopi noſtri dignæ ſuggeſtioni reſpondere non immoremur. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Quiſquis Presbyter inconſulto Epiſcopo AGENDAM in quolibet Loco voluerit celebrare, ipſe bonori ſuo contrarius exiſtat*. Fateor autem hæc teſtimonia non penitùs ſuadere Domeſticorum Oratoriorum exiſtentiam, maximè ſi Oratoria juxtà antiquiorum temporum conſuetudinem conſideremus, qua ſolebant conſecrari. Equidem benè adverti in his textibus præcipuè *ad neceſſitatem* reſpici, ob quam ut domeſticas Miſſas IV. & V. Sæculo non ægrè permittebant, aut celebrabant Epiſcopi; ita *quolibet Loco* fieri non repugnabant, nec limitabant illarum celebrationem ad Domorum Oratoria. Etſi vero iſta adverterim, non omninò aliena à ſcopo judicavi recitata teſtimonia; cum ſaltèm valdè congruenter credere debeamus, quod cum in Domibus urgente neceſſitate Divina Myſteria peragerentur, ſaltèm eligeretur Locus magis mundus, atque a prophanis exercitiis ſecretus; ut ita màjore, quo poterat, decore Divinum Sacrificium expleretur. Id planè inſinuatum reperi à Theodoro Studita Lib. I. Epiſ. 40. ad Neucratium dicente; quod *ex neceſſitate* celebrari poteſt *in communi Domo, delecto quopiam mundiore Loco*. Certè non minorem Religionem cogito apud Fideles IV. & V. Sæculo, quàm Sæculo IX. ineunte, quo florebat Theodorus. Porro ubi in Domibus electus fuiſſet Locus mundior, atque decentior, is quadantenùs cum Oratoriis, quæ noſtra ætate in Domibus approbantur ſine prævia conſecratione poteſt confundi; ac propterea ex illis teſtimoniis non penitus inveroſimiliter ſumere valemus aliqua indicia domeſticorum Oratoriorum.

IV. Frequentia evaſerunt in privatis Ædibus Oratoria ad Sacrificium offerendum deputata Sæculo VI., in Oriente præcipuè; ubi omnes penè Nobiles, ac Divites ſua propria habere deſiderabant Oratoria: An verò ex ſpeciali potiùs devotione, vel ex deſidia, ac negligentia publicas adeundi Eccleſias ignoro? In tanta domeſticorum Oratoriorum copia penitus deſtitutæ remanſiſſent Eccleſiæ, plurimaque alia incommoda irrepſiſſent, niſi ad certos limites, ac leges coercita fuiſſet facultas Myſteria Divina in illis peragendi. Cautum itaque fuit, ne in domeſticis Oratoriis nemo ullus Sacerdos, niſi de licentia, Epiſcopi, Victimam incruentam immolaret. Sub pæna depoſitionis prohibuerunt Trullani Patres can. 31. quibuſcunque Clericis *in Oratoriis, quæ ſunt INTRA DOMOS ſacra facere, vel baptizare*: Sed *hoc* tantùm *ex illius Loci Epiſcopi ſententia* fieri poſſe decreverunt. Chriſtianus Lupus Vir celebris Scholio in hunc Canonem cenſuit Severianos Hæreticos occaſionem præbuiſſe huic Legi edendæ; quia adverſus illos Archimandritæ, & Monachi Orientales libellum obtulerant Agapi-

to P., lectum deinde in Synodo CPana ſub Menna Patriarcha Anno 536. Act. I., in quo querebantur Monachi, quod Severiani *in multas Domos eorum, qui in excellentia ſunt, intrant, & indecentia faciunt ... Etiam in propriis Domibus, & Suburbiis Altaria, & Baptiſteria erigunt in oppoſitum veri Altaris, & ſacri Fontis; & omnia ſimul contempſerunt propter attributum eis patrocinium ab his, qui in Domo Domini, & aliquo alio modo potentes ſunt*. Non reſpuo docti Scriptoris ſententiam; nam ex hoc, quod Trullanus Canon exigat Epiſcoporum conceſſionem in privatis Sacrificiis, ſatis cavit præſumptioni Hæreticorum, qui ut Sectam facerent, & ab Epiſcoporum ſocietate ſe divellerent, privata conventicula celebrabant.

V. Ad normam Epiſcopalis ſententiæ ſimiliter Juſtinianus Novel. 58. interdixit *omnibus* CPanæ Urbis *habitatoribus, magis autem totius reliquæ Ditionis in Domibus ſuis habere quaſdam quaſi Orationum Domos, & in his ſacra celebrare Myſteria; & hinc fieri quædam catholicæ, & apoſtolicæ traditioni extranea*; quemadmodum Schiſmatici faciebant. Non repugnabat autem Juſtinianus, ut Laici in ſuis domibus, prædiiſque haberent Oratoria, *Orationis videlicet ſolius gratia, & nullo celebrando penitus horum, quæ ſacri ſunt Myſterii*. Hoc eis libenter permittebat Cæſar: *Invidia enim nulla eſt, ſi volunt*. Imo permiſit ad illa *invitare Clericos* ad Sacrificium peragendum, *hic quidem*, ideſt CPoli, *voluntate, ac approbatione Sanctiſſimi Archiepiſcopi ad hoc deputatos; in Provincia verò amabilium Epiſcoporum*. Non multò poſt hanc Imperialem Conſtitutionem receptam fuiſſe ſuſpicor in Oriente conſuetudinem, ut Oratoriorum Fundatores præſentarent Clericos ordinandos ab Epiſcopis ad illorum cultum; ita tamen ut neceſſaria ad eoſdem alendos præberent, & *meliores* offerrent. Iſta ex Novella 123. Juſtiniani cap. 18. eruuntur. *Si quis*, ait, *Domum Oratorii fabricaverit, & voluerit in ea Clericos ordinare, aut ipſe, aut ejus hæredes, ſi expenſas, ipſis Clericis miniſtrant, & dignos denominant, denominatos ordinari: Si verò qui ab eis eliguntur, tanquàm indignos prohibent Sacræ Regulæ ordinari, tunc Epiſcopus quoſcumque voluerit, meliores ordinari procuret*. Non reſtringitur Juſtinianæa hæc Sanctio ad privata Oratoria, cum poſteà expreſsè moneantur Clerici *in ſuis Eccleſiis ... omnes eis competens miniſterium adimplere*. Verùm neque etiam excludere videtur ceteras Orationum Domos, quas Fidelium pietas ædificare & in eis Clericos ordinare voluiſſet. Hinc ſicut in propriis Domorum, Prædiorumque Oratoriis concedebantur Sacrificia annuentibus Epiſcopis; ita facilè potuerunt ſimul pro illis ordinari Sacerdotes, quos Epiſcopi probaſſent; cum hujuſmodi approbatio Epiſcopalis concineret; vel ſaltem non repugnaret approbationi, quæ in altera Novella fuerat requiſita.

VI. Etiam in Occidente, & in Galliis maximè, atque in Italia Sæculo VI. frequentia extiterunt Oratoria ſaltèm Villaria Laicorum, ut abſque fatigatione propriæ Familiæ Miſſas tenerent. Ineunte eo Sæculo hanc facultatem conceſſerat Agathenſis Synodus can. 21. dicens: *Si quis extra Parochias, in quibus legitimus eſt ordinariuſque Conventus, Oratorium in agro habere voluerit .... ut ibi Miſſas teneat propter fatigationem Familiæ, juſta ordinatione* (exceptis quibuſdam *Feſtivitatibus*) *permittimus*. Citò ad alias Gallicanas Provincias ſimilis conceſſio dilatata colligitur ex Concilio Arvernenſi Ann. 535., quod can 15. ſuppoſuit hujuſmodi Oratoria *in Villiculis* erecta; & tantum excepit, ſicut ante exceperat Concil. Agathenſe, quaſdam Anni Solemnitates, in quibus alibi vetabantur Miſſæ celebrari, quam in publicis Eccleſiis ad communem Fidelium congregationem erectis. Ita verò amplificata tunc fuerat facultas erigendi Oratoria in propriis

Agris,ut etiam nonnullis Viris Potentibus intrà ipſorum Domos Parochias habere permitteretur, ſi tamen ſufficientem dotem alendis Clericis ad dignè cuſtodienda, & excolenda Sacrata Loca deſignatis contuliſſent. De iſtis Domeſticis Parochiis apertè loquitur Concilium Aurelianenſe IV. Anni 541. can. 26., & 33. quod ſimul can. 7. oſtendit ad Laicos ipſos pertinuiſſe Electionem Presbyteri deſervientis proprio Oratorio, dummodò peregrinus Clericus non eligeretur. En verba canonis 7., quæ nobis reſerant, quàm latè tunc jam dilatata fuerint in Gallis Villica Oratoria. *In Oratoriis Domini Prædiorum minimè contra votum Epiſcopi, ad quem Territorii ipſius privilegium noſcitur pertinere, peregrinos Clericos intromittant, niſi forſitan, quos probatos ibidem diſtrictio Pontificis obſervare præceperit.*

VII. Perſeveravit Sæculo VII. apud Gallos eadem expedita facultas in privatis Oratoriis celebrandi; quinimò eam adhuc magis extendere tentaverant nonnulli Potentes, *nec ipſos Clericos, qui ad ipſa Oratoria* deſerviebant, *ab Archidiacono coerceri* permittentes contra Statuta Synodi Aurelianenſis IV. Hos abuſus correxit; Epiſcoporumque juriſdictionem vindicavit Concilium Cabilonenſe coactum Anno 650. juxta Harduinum, vel 654. ex ſententià Cointii; & can. 14. ratam quidem habuit licentiam, ut per electos Clericos in Oratoriis prædictis jam longo tempore prius conſtructis Sacrificia, ceteraque Divina Officia implerentur: Sed *ita dumtaxat, ut in poteſtate ſit Epiſcopi & de ordinatione Clericorum, & de facultate ibidem collata, qualiter ad ipſa Oratoria, & Officium Divinum poſſit impleri, & ſacra libamina conſecrari.*

VIII. Tantam amplitudinem facultatis non habuerunt Itali, quibus Sæculo VI. ferè ſemper concedebatur Oratorium ſub conditione poſtulandi ab Epiſcopo Presbyterum, quoties Miſſas in illis fieri deſideraſſent. Diſpenſaverat hac in parte M. Gregorius pro Oratorio Comitis Aprutienſis, ut multitudini Villicorum ſuorum conſuleretur faciliore celebratione Sacrificii per conſtitutum Presbyterum Cardinalem, ſicut cap. 1. num. 4. adnotavimus. Similia diſpenſationum beneficia conceſſiſſe Apoſtolicam Sedem aliquibus Laicis non dubito, cum Liber Diurnus RR. Pontificum c. 5. Tit. 2. formulam referat, qua in hunc modum ad Epiſcopum ſcribebatur pro ordinando Presbytero in Oratorio ad beneplacitum Fundatoris miniſtraturo. *Filius noſter Ill. poſtulavit in Oratorio inſtantia ſua conſecrato debere ſibi ordinari Presbyterum: & ideo ſi Fraternitas Tua videt expedire &c. præſenti præceptione cenſemus, ut in eodem Loco ordinare tempore competenti Caritas tua debeat Presbyterum, qui ſit dignis moribus, & fide perfectus.* Ceterùm communiter in aliis Laicorum Oratoriis Miſſas facere prohibuit M. Gregorius, niſi ab Epiſcopo Sacerdos celebraturus mitteretur. Inter alias Epiſtolas legi poſſunt, quæ cap. 1. n. 6. de Oratoriis conceſſis Julianæ, & Timotheæ Fæminis Nobilibus protulimus, in quibus expreſsè injungitur ab Epiſcopo Presbyterum poſtulare, ut ibi Sacrificium licitè offerretur. *Si Miſſas* inquit, *ibi fieri ſupradicta Conditrix fortè maluerit, à Dilectione Tuà Presbyterum noverit poſtulandum, quatenus nihil a quolibet alio Sacerdote ullatenus præſumatur.* Imò (quod magis mirum videtur, neque hic ſaltem tacendum:) eandem cautionem appoſuit M. Gregorius Lib. X. Epiſ. 2. ad Fortunatum Neapolit. pro Monaſterio exſtruendo juxta arbitrium ultimæ voluntatis Romani.

IX. Ad R. Pontificem frequenter confugere ſolebant Viri Nobiles, quoties ſibi ipſis in proprio fundo, atque Ædibus aliquod Oratorium cupiebant exſtrui, in quo Divina pro ipſis Oblatio fieret. Inter formulas adhiberi ſolitas à RR. Pontificibus juxtà diverſitatem petitionum una in Libro Diurno

cap.

cap. 5. Tit. 4. reſpiciens Oratoria in gratiam Laicorum conceſſa reperitur. Eam ſi conferamus cum formula à M. Gregorio adhibita in conſimilibus licentiis Lib. 2. Epiſt. 12. ad Caſtorium Ariminen. Lib. 9. Ep. 85. ad Fortunatum Neapolit. Lib. 10. Ep. 66. ad Decium Lilibellitan. Lib. 13. Epiſ. 16. ad Paſſivum Firman. &c., patebit penitùs inter ſe concinere, ut vel à S. Gregorio illam ſumpſerint alii Pontifices, vel ab Anteceſſoribus eandem acceperit Magnus ille Pontifex. Arbitror ſanè ante Gregorium RR. Pontifices formulam prædictam tenuiſſe in conceſſione Oratoriorum Domeſticorum, cum ſimilem reperiamus in Epiſtolà Pelagii I. P. ad Eleuterium Epiſcopum ſcriptà, & ex collectione Card. Deus dedit Lib. 3. cap. 10., & 108. ab Holſtenio primùm edita; & poſteà in Conciliorum Collectione Labbeana insertà Tom. IV. pag. 485. Ed. Ven. Hanc non piget exſcribere, ut quàm conſona ſit formula à Gregorio adhibita cum formulà multò antè à Pelagio uſurpata innoteſcat. *Maximus Diaconus Eccleſiæ Dilectionis Tuæ nobis ſuggeſſit, in Fundo, qui appellatur Paucellus Oratorium ſe pro ſua devotione fundaſſe, quod in honore Beatæ Cantianæ Martyris deſiderat conſecrare. Et ideo Frater Cariſſime, ſi in tua Diœceſi memorata conſtructio jure conſiſtit, & nullum corpus ibidem conſtat humatum percepta prius donatione legitima, vel poſſeſſione illa, & illa præſtantes liberos à fiſcalibus titulis ſolidos tot, geſtiſque municipalibus allegatis, prædictum Oratorium abſque Miſſis Publicis ſolemniter conſecrabis: ita tamen ut in eodem Loco nec futuris temporibus Baptiſterium conſtruatur, nec Presbyterum conſtituas Cardinalem, ſed quoties Miſſas ibi fieri fortè maluerit, à Dilectione tua Presbyterum noverit poſtulandum, quatenùs nihil tale a quolibet alio Sacerdote ullatenus præſumatur.*

X. Ex his apparet vetuſta conſuetudo ad Apoſtolicam Sedem confugiendi pro erectione privatorum Oratoriorum; qualia fuiſſe non dubito Oratoria in Pelagii, Gregoriique litteris commemorata, à quibus non tantùm deerant Parochialia jura propter defectum Baptiſterii, ac Presbyteri Cardinalis; verùm nec ipſa Miſſarum celebratio publicam commoditatem reſpiciebat, ſed ad meram, ac privatam devotionem Fundatoris reſtringebatur. Erant pariter meo judicio hujuſmodi Oratoria Domeſtica, ideſt in Domibus, Prædiiſque poteſtati ac dominio Privatorum Hominum ſubjectis ædificata. Hinc identidem dicuntur *in Domibus*, *intrà Domum* exſtructa; quibus ſanè nihil clariùs deſiderandum videtur. Binæ mihi occurrerunt M. Gregorii litteræ, quarum altera eſt Lib. IV. Epiſ. 43. ad Venantium Patricium, alia eſt 44. ad Joannem Syracuſanum Epiſcopum, iiſdem formulis reſperſæ; quæque non ſinunt dubitare, quod in Oratoriis *Domeſticis* Miſſæ peragerentur. *Arbitramur*, ait Epiſ. 44., *quatenus .... & in Domo ipſius* (Venantii) *Miſſarum peragi Myſteria permittatis, ut ſicut ſcripſimus, ſi fortè voluerit, per Vos debeatis accedere, & celebrando apud eum Miſſas, priorem gratiam reformare.*

XI. Modus anteà ſervatus circa Oratoria Domeſtica Laicorum nullam novitatem, ac variationem habuit Sæculo octavo, hoc uno excepto, quod in Galliis quoque juxtà præſcriptum Gregorianarum Litterarum ab Epiſcopo poſtularetur Presbyter, qui in iiſdem privatis Laicorum Oratoriis offerre poſſet. Ita declaravit Zacharias P. Epiſt. ad Pipinum num. 16. jubens prædicta Oratoria abſque Miſſis publicis conſecrari ſine Baptiſterio, & ſine Presbytero Cardinali; ac addens eadem verba, quæ ſolebat adnectere M. Gregorius, videlicet: *Sed etſi Miſſas ibidem facere* (Fundator) *maluerit, ab Epiſcopo noverit Presbyterum poſtulandum; quatenus nihil à quolibet Sacerdote ullatenus præſumatur, niſi ab Epiſcopo fuerit ordinatum.* Fortè plus æquo videbantur tunc ſeſe Ora-

Oratoriorum Fundatores extuliſſe, ut proindè intra ordinem contineri ſublata facultate eligendi proprium Presbyterum meruerint. Ob hunc finem fortè generali lege Concilium Vernenſe Anno 755. ſub Pipino Rege celebratum can.8.cavit, ne ullus Presbyter *Miſſas celebrare* auderet, *ſine juſſione Epiſcopi. in cujus Parochia* (ideſt Diœceſi) *eſt*. In Oriente quid non abſimile ſtabilitum fuit in Concilio Nicæno II. can. 10., quo ſeveriſſimè prohibebaturPresbyteris *in qualibet Domo*, vel Eccleſia celebrare Sacrificium ſine Epiſcopali approbatione. En Canonis verba: *Quoniam quidam Clericorum parvipendentes Canonicam Conſtitutionem relinquunt Parochiam propriam, & ad alias Parochias convolunt, & maximè in hac Deo ſervanda Regia Urbe ſeſe apud Principes locant in eorum Oratoriis Miſſas facientes: Hos abſque proprio Epiſcopo, & Conſtantinopolitano Antiſtite non licet ſuſcipere in QUALIBET DOMO, vel Eccleſia; quod ſi hoc fecerit, & ità perſeveraverit, deponatur.*

XII. Aliquam mutationem accepit Sæculo IX. diſciplina celebrandi in Domeſticis Oratoriis; ita ut & in Oriente Epiſcopalis juriſdictio vulnerata, & in Occidente à pluribus dilatata fuerit facultas etiam extrà non conſecrata Oratoria Sacrificium in Domibus offerendi, quod eo uſquè non niſi rarò Eccleſiaſtica Diſciplina permiſerat. At loquamur primum de varietate inducta inter Orientales. Ne paſſim ab omnibus domeſtica exſtruerentur Oratoria, neque nimis frequenter extrà publicas, communeſque Eccleſias fierent Miſſæ, aliquam moderationem Juſtiniani Leges, Trullani, ac Nicæni Canones adinvenerant; liberam facultatem qualeſcunque Sacerdotes in propriis Oratoriis celebraturos advocandi impediverant; & Epiſcoporum tantummodò arbitrio reſervaverant approbare Presbyterum, quem aſſignato ſufficienti ſtipendio pro ſuo Oratorio Laicus eligere voluiſſet. Attamen quia ſemel conceſſa facultate Laicis, ut ſibi erigerent privata Oratoria, difficile ſeſe continuerunt Homines licet tenuis fortunæ, quin etiam ipſi Ditioribus cedere nolentes ſuas extruerent Orationis Ædiculas; facile quoque contigit, ut dum pene omnes Laici nobiles eas ædificarunt, multæ Capellæ Domeſticæ ſufficienti dote carerent; nec congrua ſuſtentationi ſubſidia Presbytero Capellæ deputato miniſtrarentur. Ut ergo his incommodis provideretur, Leo Philoſophus Imperator Novella 4. & 16. cupiens liberam cuicunque Sacerdoti relinqui facultatem ad eadem Oratoria accedendi cauſſa Sacrificii, rigorem Canonum relaxavit. Prætexebat ipſe paupertatem plurimorum Laicorum, qui neceſſarios ſumptus Sacerdotibus erogare non poterant. *Cum Divina gratia in omnibus non modò potentiorum, verùm etiam tenuiorum Domibus Sacraria Deo erecta ſint, & verò ſumptus, reliquaque ad rem familiarem neceſſaria Sacerdotibus non poſſint ſimiliter ab omnibus ſubminiſtrari.* Addebat, quod niſi permitteretur cuicunque Sacerdoti in illis ſacrificare, plurima Oratoria Sacrificio, ac proindè etiam Defunctorum Animæ ſuffragiis caruiſſent: *Perſæpè Divinorum Myſteriorum expertes manent, & Sacra Delubra Sacrificiis defraudantur. Quin veriſimile etiam eſt nonnumquam Defunctorum memoria inſtante, ob defectum Sacerdotis præſentem memoriæ diem nullo Sacrificio facto elabi.* Ex hac pietatis erga Defunctos, & reverentiæ ſpecie ergà Loca Deo dicata inferebat Imperator remittendum eſſe priſtinum rigorem, maximè cum, ut ipſe ajebat, non jam periculum ſuberat, quod anteà timebatur, admittendi aliquem Sacerdotem hæreticum ſacrificaturum: *Cum nunc divina gratia omnes perverſæ opiniones ſint profligatæ.*

XIII. In hanc amplitudinem dilatata diſciplina Græcorum multum deperiit auctoritatis Epiſcoporum in concedendis, vel negandis Sacrificiis

intrà

intrà Oratoria domeſtica. Retinuit Epiſcopus liberam poteſtatem prohibendi huic, alterive Sacerdoti Miſſarum celebrationem; Sed antiqua jura ſingillatim approbandi quem voluiſſet, ad Sacrificium in iiſdem Oratoriis offerendum, amiſit. Quarè Balſamon in Can. 31. Trullan. hoc ſolùm monet, nempe abdicandum fore illum Sacerdotem, qui contra voluntatem Epiſcopi auſus fuiſſet illic Miſſas facere. *Si quis*, aît, *à Regionis Antiſtite ſacrificare, vel baptizare in Oratorio prohibitus fuerit, is verò, qui tale quid fecerit, nec ei Novellæ proderunt. Is autem qui non eſt expreſſè prohibitus, videtur etiam tacitè ex Epiſcopi ſententiâ hoc facere. Propterea enim, ut eſt veriſimile, excogitata ſunt Antimenſia, & fiunt ab Antiſtite Regionis, ut ponantur ſuprà Sacras Menſas Oratoriorum; & ſufficiant, ut oſtendatur ex Epiſcopi permiſſione fieri Sacrificium*. Conatur his Balſamon umbram aliquam jurisdictionis ſuperſtitem in Orientalibus Epiſcopis quo ad privata Oratoria tueri. Attamen hæc ipſa Antimenſiorum conſecratorum copia & mutavit priſtinam conſuetudinem etiam domeſtica Oratoria conſecrandi; & latam aperuit viam, ut liberius Græci multiplicarent Oratoria ſine ſpeciali Epiſcopi licentiâ. In tantas ſæpè propriæ poteſtatis jacturas ruitur, dum primùm propriæ dignitatis jura non defenduntur. At ad Occidentales Epiſcopos veniamus.

XIV. In Occidente integra quidem manſit Epiſcoporum jurisdictio, qua anteà gaudebant in concedendis Miſſis domeſticis; ſed adhuc apud plures in Galliâ præcipuè, imo & in Angliâ tentata fuerat variatio Ritus Eccleſiaſtici circa approbationem domeſticorum Oratoriorum; quæ cum priùs ab Epiſcopo conſecrarentur, poſteà neceſſe fuit eadem approbare velut idonea ad Rem Divinam de licentiâ Epiſcopi faciendam, etiamſi conſecratione carerent. De hac variatione diſciplinæ cenſui opportuniùs differere in ſequenti Capitulo, ut quæ pertinent ad illud argumentum, ſimul comprehendamus, & ſingulari examine ponderemus. Hoc ergò in loco per continuatam ſeriem decurram quæ ad celebrationem in domeſticis Capellis pertinent, ſivè eſſent conſecratæ, ſivè pro temporum, & novæ diſciplinæ varietate Epiſcopalem Conſecrationem non obtinuiſſent. Dubium autem non eſt ſub Carolo M., eiuſque Stirpe permanſiſſe Laicis propria Oratoria, licèt in ipſis erigendis, atque ad Miſſas in illis celebrandas Epiſcopalis indulgentia deſideraretur. Habemus in Capitularibus Caroli Aquiſgrani conſtitutis num. 15. apud Harduin. To. IV. Concil. p. 954. Ed. Par. hanc legem: *ut qui Oratorium conſecratum habet, vel habere voluerit per conſilium Epiſcopi de ſuis propriis rebus largiatur*. Illimitata, & ſine ullâ exceptione Perſonarum erat facultas proprium erigendi Oratorium; neque aut Nobilitas, aut ſingularis Dignitas in Fundatore poſcebatur; ſed unicè requirebant Capitularia, ut qui Oratoria ædificare voluiſſent, ea de ſufficienti dote providerent, & ab Epiſcopo licentiam in illis peragendi Divina Miſſarum Myſteria impetrarent. Adhuc tamen prudenti Epiſcoporum diſcretioni fuiſſe relictum exiſtimo, ut qualitatem Perſonarum attentâ ſuum præberent, vel denegarent conſenſum. Etenim parùm profuiſſet limitare facultates erigendi Oratoria ad nutum Epiſcopi, niſi ipſe perpenſis omnibus Perſonarum conditionibus uni licentiam concedere, alteri denegare juxta æquitatis, & prudentiæ regulas valuiſſet. Similes recitato Capitulari Leges renovatæ in Libris Capitularium à Baluzio editis juxtà Collectionem Anſegiſi Abbatis, & Benedicti Levitæ leguntur. Talis eſt Lex illa Lib. I. cap. 182. ſupra à nobis indicata cap. 9. num. 17., & altera Lib. V. cap. 384. ita ſtatuens: *Qui in domo ſuâ Oratorium habuerit, orare ibi poteſt; tamen non poteſt in*

eo

eo Sacros facere Miſſas ſine permiſſu Epiſcopi. Similia habentur Lib. VI. cap. 102., & in Capitulari Ingilenheimenſi Anni 826. cap. 26., & demùm in Capitulari Iſaaci Lingonienſis cap. 15.

XV. Propriæ auctoritatis cuſtos diligentiſſimus fuit Hincmarus Rhemenſis nulli penitus proprias habere permittens Capellas ſine expreſſâ ſui licentiâ. Hoc ergo modo anno 874. Capitulo VIII. ad Archidiaconos, & Presbyt. decreverat. *Nemo veſtrum Capellam alicui in Domo ſuâ habere concedat ſine meâ licentiâ; neque in Domo ſua Miſſas celebrari concedat ſine meâ licentiâ: & unuſquiſque veſtrum deſcribat per ſuum Miniſterium, quicunque Capellam extra Eccleſiam principalem habet à tempore Ebbonis, uſque ad tempus meum; & à tempore meo vel mea, vel alterius licentia factam, & in cujuſque Presbyteri Parochiâ quæcunque, vel cujuſcunque Capella ſit facta.* Oriri poteſt dubium quales eſſent iſtæ Capellæ juſſione Hincmari deſcribendæ; an videlicet diſtinctæ à Capellis in Domibus, quas ſine ſuâ licentiâ erigi prohibebat? Ego non ambigò Hincmarum hic loqui de domeſticis Capellis, quarum initio Capituli VIII. meminerat. Etenim de alio genere Capellarum, quæ nempe Eccleſiis Parochialibus tanquàm illarum membra ſubjiciebantur, ſatis ſuprà cap. 7. egerat, præcipiens, ne ullus Eccleſias, quæ Presbyteros habere ſolitæ fuerant, eaſdem quaſi loco Capellarum aliis Eccleſiis ſubjiceret: aut Capellas uni Eccleſiæ Parochiali, antiquitùs ſubjectas alteri, ſupponere auderet. Juſſerat etiam de iiſdem Capellis, quæ membra Eccleſiarum erant, catalogum deſcribi, & ad ſe deferri. Superfluum igitur erat, ut de illis iiſdem Capellis eandem deſcriptionem faciendam cap. 8. præciperet, quam in præcedenti Capitulo poſtulaverat.

XVI. Erant itaquè etiam tunc duplicis generis Capellæ; Aliæ nempe privatæ, quæ in privatis domibus, Prædiiſque erectæ propter privatos homines tantummodò ædificatæ fuerant. Aliæ Publicæ, quæ à Parochiis diſtinguebantur quidem; ſed tamen velut partes, ac appendices illarum habebantur; in quibus aliquando Sacramenta diſpenſabantur ab eodem Presbytero, qui Parochiam regebat. De hiſce Capellis ſubjectis ad inſtar membri adjacentis expreſſum habemus Canonem tertium Concilii Metenſis Anni 888. *Unuſquiſque Presbyter unam ſolummodò habeat Eccleſiam, niſi fortè antiquitus habuerit Capellam, vel membrum adjacens ſibi, quod non expedit ſeparari*. De iiſdem Capellis loquitur Carolus M. Lege Longobard. 61. jubens, ut Epiſcopi provideant, *quatenus Eccleſiæ, & Capellæ, quæ in veſtra Parochia* (ideſt Diœceſi) *ſunt, emendentur*. Burchardus Lib. 3. cap. 22. ex quodam Concilio Aquiſgranenſi allegat hæc verba, quæ ad eaſdem pertinent: *Plures Baptiſmales Eccleſiæ in una terminatione eſſe non poſſunt; ſed una tantummodò cum ſubditis Capellis*. Sæpiùs in Chartis editis à Cl. Muratorio in Antiq. Med. Ævi reperi mentionem harum Capellarum *ſubjectarum* Plebi; præcipuè Diſſertat. 74. pag. 408. 416. & p. 368. & alibi. Dabantur illæ in Titulum Beneficiarium unde dolet Donizo Lib. I. Vitæ Mathildis cap. 16. quod *Plebes CAPELLAS pretio Clericis tribuebant*. Hujuſmodi autem Capellas profectò diſtinguere debemus à Capellis domeſticis; cum illæ vere publicæ eſſent, omnibuſque paterent. Quocirca ne Diebus Feſtivis Populus ad Sacrum in illis audiendum accedens Eccleſias majores relinqueret, & ad prædicationem Divini Verbi in ſolis Parochiis habitam non properaret, Theodulphus Aurelian. Epiſcopus in ſuo Capitulari num. 46. præcepit Populo Diebus Dominicis ad Matricem Eccleſiam ob prædicationem, & Miſſarum Solemnia convenire una cum omnibus Sacerdotibus: Imò his ipſis imperavit num 45., & 46. *Per Oratoria nequa-*

quam Miſſas, niſi tam caute ante horam ſecundam celebrare; *ut Populus a publicis Solemnitatibus non abſtrabatur*. Neminem in iſtis Theodulphi Statutis non advertere exiſtimo Oratoria, ſeu Capellas publicas; quoniam in privatis Capellis a Populi acceſſu per ſe ſecretis inutile fuiſſet talia decernere ob eum finem, ne idem Populus a publicis Miſſarum Solemnibus abſtraheretur.

XVII. Ad pleniorem excuſſionem VIII. Capituli Hincmari nolo eam diſſimulare, quæ animum meum pulſavit difficultas: quorſum ſcilicet tanquam res diſtinctas ſeparet conceſſionem Capellæ in Domo; & Miſſas in Domo celebrari? Cur enim expoſcitur Epiſcopi licentia ad domeſticam Capellam extruendam, ſi illâ extructâ adhuc ad Miſſam celebrandam nova Epiſcopi deſideratur licentia? Certè non propter aliud requiritur Epiſcopalis Conſenſus in erigendis privatis Oratoriis, quam ut in illis Miſſæ Sacrificium offerri poſſit; cum unicuique cauſâ ſolius orationis Oratorium in propriâ domo componere, & ædificare ſemper licuerit. Ab hac ambage forſitan quis evadet, dicendo Capellam iſtam domeſticam, pro cujus conceſſione neceſſaria Epiſcopi licentia exigitur, fuiſſe fixùm, ac ſtabile, licet privatum Oratorium; ita ut poſtquàm ex licentiâ Epiſcopi illud fuiſſet erectum, etiam in illo Sacrificii Oblatio fieri potuiſſet, quin ad hunc finem nova Epiſcopalis Conceſſio requireretur. Attamen quia aliquando contingebat, ut Laici aliqui non habentes in propriis Domibus fixas haſce privatas Capellas adhuc cuperent Miſſarum celebrationem, ideo diſtinctè voluit Hincmarus, ut licentia ſingularis ad Miſſas faciendas extra hæc ſtabilia Oratoria ab Epiſcopo expoſceretur. At verò nolo ego ad illuſtrandum Hincmari Capitulum viam iſtam tenere alioquin optimam: Potius dicam, quod cum valdè tunc eſſent multiplicatæ in Domibus Laicorum Capellæ, multumque expediret tam frequentem celebrationem Sacrificii in privatis Domibus impedire, duo inter ſe diſtincta decernere opus fuit: primo ut Capellæ domeſticæ nemini concederentur ſine licentia Epiſcopi; ſecundò ut etiam illis conceſſis quoties celebrandum foret, toties licentia ab Epiſcopo poſceretur. Ita quippe & dignitati Sacrificii providebatur, ne extra Capellas offerretur; & immoderatæ frequentiæ celebrationis domeſticæ reſiſtebatur, dum cogebantur Laici ſpecialem pro Sacrificio licentiam ab Epiſcopo impetrare. Sic planè factum fuerat in Italia ſub M. Gregorio, uti ſuperius diximus. Quod autem neceſſe foret ab Epiſcopo licentiam obtinere ad Capellam domeſticam, nihil impediebat, quin etiam neceſſitas obſtringeret eundem adeundi, quoties eſſet in illa celebrandum: Nam prior facultas conſtituebat Locum idoneum pro Miſſarum celebratione; qui alias ſine illa licentia numquam ad id munus aptus extitiſſet: ſed non liberum arbitrio Patris Familias relinquebat poſt conceſſam domeſticam Capellam in illa Sacerdotes celebraturos advocare.

XVIII. Non miramur tot ſollicitudines, ac decreta Hincmari; cum ea tempeſtate non pietatis fervore, ſed ambitionis æſtu plurimi Domeſticas Capellas ſibi erigerent quibus Presbyteros ordinari curabant etiam de infimâ plebecula; ut hinc publicas Eccleſias liberiùs delererent, & ab illis faciliùs obtinerent ſervitutis officia, quæ vix ab ultimæ ſortis famulis præbentur. In quantam arrogantiam aliqui Nobiles veniſſent Sæculo IX., dum Epiſcopis Clericos ordinandos in Domeſticos ipſorum Sacerdotes exhiberent, atris coloribus depinxit Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis, qui obiit Anno 840. Præſtat illum audire Epiſ. ad Bernardum de Jur. & Privil. Sacerdotii n. 11. in edit. Baluzii: *Hæc pauca colligimus, in quibus quaſi in ſpeculo contueri valeamus fœditatem noſtri temporis omni lacry-*

lacrymarum fonte plorandam; quando increvit conſuetudo impia, ut penè nullus inveniatur anhelans, & quantulùmcunque proficiens ad honores, & gloriam temporalem, qui non domeſticum habeat Sacerdotem, non cui obediat; ſed à quo inceſſanter exigat licitam, atque illicitam obedientiam, non ſolum in Divinis Officiis, verùm etiam in humanis. Ita ut plerique inveniantur, qui aut ad menſas miniſtrent, aut vina miſceant, aut Canes ducant, aut Caballos, quibus Fœminæ ſedent, regant, aut agellos provideant &c. Quando illos volunt ordinari Presbyteros, rogant Nos, aut jubent dicentes: Habeo unum Clericionem, quem mihi nutrivi de Servis meis propriis, aut Beneficiariis, aut Pagenſibus, volo, ut ordines eum mihi Presbyterum. Demum concludit: *Hæc curant tantùm, ut habeant Presbyteros, quorum occaſione deſerant Eccleſias ſeniores, & officia publica, quod autem non habeant eos propter Religionis honorem, apparet ex eo, quod non habeant eos in honore.* Forte longiuſculum hoc teſtimonium ante oculos proponit, ac pulſat ſimilem abuſum noſtrorum temporum; cum aliquos Sacerdotes magno Sacerdotalis Dignitatis dedecore in Domibus Nobilium vilibus exercitiis vacare cernamus, licèt ad unicum finem offerendi Sacrificium in ipſorum Oratoriis inter Familiares adſcripti videantur.

XIX. Occaſione iſtius Agobardi Epiſtolæ diſcimus morem Sæculo IX. in Galliâ frequentiſſimum non ſolùm habendi domeſticas Capellas, quàm pro illis aliquem Presbyterum nominandi, qui ob aſſignatam à Fundatore dotem, ſufficientem habebat Titulum ſuæ ordinationis. Enim vero non ſolùm eâ ætate Laici Fundatores, Dotatoreſve Parochialium Eccleſiarum fruebantur jure preſentandi Presbyterum, ſicut multa tunc collecta in Galliis Concilia â Clar. Tomaſino Par. II. de Benef. Eccl. Lib. 1. cap. 31. laudata demonſtrant; ſed etiam pro Oratoriis privatis jus erat Laicis in Galliâ Presbyteros privatis Oratoriis famulaturos deligere. Non diſplicebat Gallicanis Epiſcopis eo jure gaudere Capellarum Fundatores; At vehementer, & merito dolebant, quod audacter, ac velut imperitando Laici ineptos, rudeſque homines in Presbyteros domeſticos ordinandos præſentarent.

XX. Modeſtiores fuerunt tunc Itali; nam licèt inter ipſos frequentes eſſent domeſticæ Capellæ, *Seculareſque Viri* in ſuis domibus Divina celebrari Myſteria curarent: tamen indè apparebat eos ob ſolam devotionem domeſtica cupere Sacrificia, quòd ab Epiſcopis, ſicut olim ſub M. Gregorio fieri conſueverat, poſtularent Sacerdotes, quorum operâ in Sacrificiis offerendis uterentur. Quarè laudabilis videbatur iſta conſuetudo, cum nullum præſeferret aut faſtûs, aut arrogantiæ tumorem; ac propterea Synodus Ticinenſis Anni 850 Can. 18. contenta fuerat docere Seculares Viros, *ut ſi in domibus ſuis Myſteria Divina jugiter exerceri debeant, quod valdè laudabile eſt; ab his tamen tractentur, qui ab Epiſcopis examinati*, ideſt approbati, *fuerint; & ab Ordinatoribus ſuis commendatitiis litteris comitati probantur.*

XXI. Jugiter perſeveravit eadem diſciplina habendi Domeſtica Oratoria ad privatam Divinorum Donorum oblationem ſequentibus Sæculis. Viris Nobilibus ut plurimùm conceſſa fuiſſe hujuſmodi Oratoria Nos apertè docet Odo Cluniacenſis Lib. de Miracul. S. Mauri c. 2., loquens de ſimili *Oratoriolo compendiosè extructo* in domo, quæ *Boſcus* dicebatur, & ubi *Vener. Comes* Rorigo *poſt matutinos reſidens hymnos Divinis* intendebat *Theoriis*, hæc verba inſerit; *ut nobilioribus mos eſt*. Attamen ſicut anteà, ita etiam deinceps conſervaverant Epiſcopi propriæ authoritatis jura circà hæc privata Laicorum Oratoria; in quibus Miſſarum celebrationem ſine ipſorum licentia fieri repugnabant. Ad hanc rem habemus Sy-

nodum Claromantanam magna Epiſcoporum frequentia, & præſente Urbano II. P. celebratam Anno 1095., quæ non prohibuit Laicis proprios habere Capellanos, quando ab Epiſcopis eos obtinuiſſent. *Nullus Presbyter*, inquit Canon. 18. *Capellanus alicujus Laici eſſe poſſit niſi conceſſione ſui Epiſcopi*. Paſſim incurrimus in Synodalia Statuta, quæ dum Epiſcopis reſervabant conceſſionem Sacrificii in Domibus, ac Oratoriis privatis; ſimul manifeſtant ab iiſdem Epiſcopis frequenter in gratiam quorumdam Laicorum, & maximè Nobilium domeſtica Sacrificia fuiſſe conceſſa. Aggregabo hìc plurima ex Tomo IV: Analectorum Martenii præcipuè collecta, quæ hanc Diſciplinam illuſtrent. In illis cernere poterimus alios Epiſcopos aliis faciliores, vel difficiliores in ſimilibus Indultis elargiendis. Videbimus inſuper, quod dum identidem Epiſcopi antea traditas facultates aut ſuſpendebant, aut temperabant, & nonniſi certis ſub conditionibus largiebantur; eo collimabant I. ut non ſine aliquo Perſonarum, Locorum, & Temporum diſcrimine licentia ſacrificandi extrà publicas Eccleſias non concederetur: II. ut ab arbitrio proprii Epiſcopi aſſiduè dependerent ſingulæ gratiarum elargitiones; III. ut liberrimè poſſent ſupprimi, ac deleri, ubi id expedire videbatur. IV. demum ut per hanc ipſam facultatum confirmationem, & renovationem impedirentur pericula, quæ fluxu temporis irrepebant tàm adverſus decorem neceſſario ſervandum in celebratione Sacrificii, quàm contrà rectos mòres eorum, qui occaſione domeſtici Oratorii ignorare affectabant plurima, quæ in publica Eccleſia in notitiam Fidelium de Feſtis, Jejuniiſque obſervandis, de Excommunicatis devitandis, & ſimilibus deferebantur. Propter hos, cæteroſque hujus generis fines facultatem concedendi privata in domeſticis Oratoriis Sacrificia ſub pœna ſuſpenſionis, vel Excommunicationis, vel etiam mulctæ pecuniariæ adverſus inobedientes, & mandatorum tranſgreſſores, ſibi tantummodò Epiſcopi reſervabant.

XXII. Emanarunt hujuſcemodi Statuta frequentius ab Gallicanis, & Anglicanis Epiſcopis rariuſque ex aliis Provinciis mihi occurrerunt, quia fortè ibi plurimi Laicorum, & Sacerdotum extrà debitos limites evagarentur; quemadmodum illi profecto aberrabant, qui ubique Sacrificium offerentes ſæpè à Conciliis, & Epiſcopis Galliarum, & Angliæ vigilantiſſimis reprehenſi fuerunt; ut in ſequenti Capitulo enarrabimus. Claritatis gratiâ ſingularum Provinciarum ſtatuta referam; atque à Galliis incipiam, unde uberiori copià mihi ſubminiſtrantur. Occurrunt itaque primum Statuta Eccleſiæ Treccorenſis Sæculi XIII. cap. 37., quæ vetant, *ne quis Capellanus in Capellis Militum, aut aliorum quorumcunque celebrare audeat quoquomodo ſine Domini Epiſcopi licentia ſpeciali*. In illa Regione plus æquo forte multiplicata fuerant domeſtica, ac privata Oratoria: Hinc frequenter Treccorenſes Epiſcopia ſuis Prædeceſſoribus, imo nonnumquam à ſe ipſis conceſſas licentias abolebant; quas iterum concedebant vel ipſimet, qui aboleverant, vel ipſorum Succeſſores. Emicat autem in hac veterum licentiarum caſſatione, & novarum elargitione ſapientis conſilii ratio, ut iterum cauſſis recognitis Poſtulantium dignoſceretur, quibus opportunum jam foret iterum ſimiles largiri facultates. Iſtam revocationem licentiarum factam ab Alano in Synodo Treccorenſi Anni 1334. cap. 34. reperimus his verbis: *Revocamus omnes gratias, & licentias à Nobis, & à Prędeceſſoribus noſtris quibuſcumque conceſſas de celebrando in Capellis, Oppidis, ſeu Caſtris, probibentes omnibus Capellanis nobis ſubditis, ne in eiſdem audeant celebrare.* Iterum conceſſerunt Succeſſores Alani ſimiles licentias, ac præ cæteris Joannes in Synodo Treccor.

Anni

Anni 1371. cap. 5. Statuit, ut *nullus Capellanus* celebraret *in dictis Capellis, aut in domibus privatis, niſi cum licentia* ab ipſo obtenta ſub pœna Excommunicationis. Quæ a Treccorenſibus Epiſcopis datæ deinceps fuerunt facultates, Petrus in Synodo Anni 1431. cap. 1. revocavit *quibuſcunque Perſonis, & ſub quacumque verborum forma quo ad celebrandum Miſſas in Capellis non dotatis, & non benedictis, ſive Locis, & Oratoriis privatis*. Prædeceſſorum ſublatis gratiis ſuas tamen conceſſit Petrus, caſdemque ſimili modo revocavit Radulphus Epiſc. in Synodis Ann. 1435., & 1439. cap. 2., & in Synodo anni 1440. cap. 4. ubi ſub pœna Suſpenſionis *à Divinis*, & *XL. Solidorum* Miſſas celebrare prohibuit *in Capellis non benedictis alicujus Domini Temporalis, quacunque dignitate præfulgeat, ſine ſua licentia expreſſa*. Demum Joannes Epiſc. Treccorenſis Anno 1456. cap. 2. in ſua Synodo Provinciali caſſavit *omnes & ſingulas gratias, licentias, & diſpenſationes* per ipſum conceſſas *hactenus quibuſcunque Perſonis Eccleſiaſticis, aut Secularibus de celebrando, & audienda Miſſam in Locis non ſacris*.

XXIII. Poſt tot decreta è ſola Eccleſia Treccorenſi recitata duo addam, unum ex Eccleſia Aurelianenſi, alterum ex Eccleſia Æduenſi. Milo Aurelian. Antiſtes in ſuis Statutis An. 1314. cap. 9. [Extant Tom. 7. Collect. Martenianæ] prohibuit ſub *pœna Suſpenſionis, & Excommunicationis, ne quis Sacerdos, & cujuſque conditionis, & ſtatus exiſtat, in Oratoriis, ſeu Capellis, in quibus non eſt Capellanus perpetuus conſtitutus, nec dos ſufficientium redditūum aſſignata, Divina audeat celebrare abſque ſua licentia ſpeciali*. Huc ſanè etiam ſpectat præſens Statutum, quod æquè complectitur Oratoria domeſtica, in quibus *perpetuus* ſaltem communiter tunc non deſignabatur Capellanus. Bartholomæus Æduenſis ante Milonem in Synodo Provinciali An. 1301. cap. 7. prohibuerat, *ne aliquis in locis privatis abſque licentia Prælati, vel Curati Loci illius præſumat Divina celebrare*. Videtur ampla nimis conceſſio in ipſa reſtrictione, cum celebrationem Sacrificii in privatis Locis ſolius Curati arbitrio ſubjecerit. Fortè tamen non eſt disjunctivè ſumenda particula *Vel*, ſed copulativè; ſicut nonnumquàm apud Latinæ Linguæ peritos uſurpata legitur. Si res ita ſe habuit, anguſtior certè limes conceſſionis erat.

XXIV. Exeunte Sæculo XIII. prodierunt Statuta Eccleſiarum Cadurcenſis, Ruthenenſis, & Tutelenſis, quæ cap. 16. jubent, ut *extra Eccleſiam in privato Oratorio, vel in Domo nullus Miſſam celebret ſine noſtra licentia ſpeciali*. His generalibus Sanctionibus non acquievit Girbertus Ruthen. Epiſcopus; ſed *cum nonnulli Nobiles, & alii, quibus per Nos*, ait in ſua Synodo Anni 1341. cap. 2., *ſeu Prædeceſſores noſtros; vel auctoritate noſtra, ſeu Prædeceſſorum prædictorum eſt data licentia Miſſas, ſeu alia Divina Officia in eorum Domibus in Loco mundo, & honeſto celebrandi, ſeu coram ſe facere celebrari*; frequenter ſe excuſarent de ignorantia Excommunicatorum, qui vitandi denunciabantur in Parochialibus Eccleſiis; eoſque proindè in ipſorum Oratoriis admittebant: *Idcircò omnes prædictas licentias ſub quacunque forma, ſeu expreſſione verborum conceſſas tenore præſentium revocamus omninò, quas ſub alia forma nova ... concedemus ... ideſt ut non admittantur Excommunicati; & quod ſingulis Diebus Dominicis aliquem Diſcretum, & Fidelem mittere teneantur, mandata in Eccleſia facienda auditurum, & eis fideliter relaturum*. Egregia ſanè cautio ne quidquam in notitiam omnium à Parochis delatum ab ullo Privilegiato ignoraretur.

XXV. De Turonenſi Eccleſia, aliiſque Comprovincialibus habemus, quæ ſtatuit Simon Turonenſis Archiep. in Concilio Andegavenſi Anno 1365. cap. 33. (Extat in Collect. Lab-

Labbei Tom. 15. pag. 810. Ed.Ven., & Harduini Tom. 7. p. 1184. Ed.Pa.) Hæc autem ſtatuit, nempè *quod quotieſcumque per aliquem Epiſcopum alicui Nobili, vel Perſonæ Seculari celebrandi Divina Officia in Domibus ſuis, vel Capellis licentiam contingeret impertiri, quod illæ ſex dies, ſcilicet Prima Dies Dominica in Adventu D., Dominica poſt Epiphaniam, Prima Dominica in Quadrageſima; Dominica in Paſſione D., Dominica poſt Pentecoſten D., Dominica poſt Feſtum Aſſumptionis B. M. V. ab conceſſione generali ſint exceptæ, in quibus ſex Diebus per nullum poterit in dictis Domibus, ſeu Capellis celebrari, niſi per Rectorem Parochialis Eccleſiæ, vel ejus Capellanum, vel alium de mandato ipſius Rectoris.* Hos omnes Dies excepit Simon, quoniam Capitula in Synodo conſtituta perpetuo illis diebus cuicumque promulgari juſſerat. Non arriſit poſteà Amelio Turonenſi Epiſcopo, ut aliqui è propria Parochia abeſſent Diebus Feſtis; Undè in Synodo Turonenſi Anni 1396. cap. 22. *Dominicis, Feſtiſque ad Miſſam Parochialem accedere per ſe* præcepit. Penitus tamen, & omnibus nullo excepto ſublatam ab Amelio fuiſſe facultatem privatorum Oratoriorum hæc verba non convincunt. Singulare aliquid advertit Martenius Lib. I. de Antiqu. Eccleſ. Ritib. cap. 3. art. 5. num 12. in Regeſt. Capituli Turonenſis ad Annum 1487. datam nempè facultatem à Capitulo celebrandi in Domo infirmi Canonici.

XXVI. Pro Eccleſiâ Andegavenſi, & Nannetenſi aliqua ſpecialitèr obſervanda habemus. De illâ quidem extat Tom. XI. Spicil. Acheriani decretum Guillelmi Majoris Sæculo XIII. exeunte editum; quo excommunicationem Sacerdotibus celebrantibus Miſſas in locis privatis ſine ſpeciali Epiſcopi licentiâ intentat. Uberiora occurrunt ex Epiſcopis Nañetenſis Eccleſiæ, qui ſæpè conceſſas à Prædeceſſoribus facultates domeſticæ celebrationis irritabant Videri poſſunt Statuta Henrici Epiſcopi An. 1408., 1409., & 1410. revocantia *licentias omnes, & ſingulis datas tàm Eccleſiaſticis, quam Secularibus* quo ad Miſſas celebrãdas *in Capellis, Oratoriis, Maneriis,* (Ita nuncupabantur ruſtica habitacula:) *& aliis Locis non benedictis.* Pariter Guillelmus in Synodis An. 1445. & 1446. caſſavit licentias *de celebrando Miſſas, aut alia Divina Officia in Domibus, ſeu Oratoriis Nobilium, aut aliarum quarumlibet Perſonarum, Lociſque aliis non benedictis.* Similia ſtatuit Joannes de Eſpinay cap. 1. ſuæ Synodi Nannetenſis Anni 1449.

XXVII. Accedo ad Eccleſiæ Nemauſenſis Statuta Synodalia An. 1484. quæ Tit. de Celebr. Miſſar. n. 1. decreverunt, ut Sacerdos *nec extra Eccleſiam in Oratorio privato, vel in Domo Miſſam celebret ſine noſtra,* ideſt Epiſcopi, *licentia.* Addo denique Synodales Conſtitutiones Concilii Senonenſis Anni 1528. ſub Antonio Card. A Pratis celebrati paullò antè Concilium Tridentinum; in quibus ad auferenda vitia ſubreptionis, & obreptionis cap. 14. ſtatuitur *non licere in Oratoriis privatis, quæ in Domibus Privatorum interdum habentur, Miſſas celebrare prætextu diſpenſationis Sedis Apoſtolicæ, niſi prius viſis, recognitis, & approbatis dictis litteris diſpenſationis.* Abſtulit etiam prudentiſſimus Cardinalis licentias celebrandi in Capellis, quæ in Diverſoriis, & Hoſpitiis erectæ fuerant ad itinerantium commoditatem; atque *ut magis, ac magis tollatur occaſio, celebrandi Miſſas in Locis, ac Oratoriis privatis,* juſſit Suffraganeis ſuis cap. 15., *ut non eſſent faciles ad conſecrandum Altaria portatilia;* & ut *per ſuos Decanos rurales, alioſve Officiarios* providerent, *ne prædicta Altaria prout alia retinerentur, in Domibus Privatorum.* Extant Tom. IX. Conc. Hard. pag. 1953.

XXVIII. Debet Demum de Eccleſia Pariſienſi mentio fieri, in qua certe domeſtica fuiſſe conceſſa Ora-

toria dubitari nequit; cum hæc ipſa *privata Oratoria* ſupponat Concilium Pariſienſe Anni 1429. num. 32. dum in illis vetat Matrimonia celebrari. (Hoc ipſum prohibuit Concilium Senonenſe An. 1485. art. 3. cap. 4. fieri *ſine urgenti, & neceſſaria cauſſa ſub pœna Interdicti, & ingreſſus Eccleſiæ per unum menſem.*) Habemus etiam de Eccleſiâ Pariſienſi generalem prohibitionem in Synodo Pariſienſi Anni 1314. cap. 9. editam, *ne fiant Oratoria, aut Capellæ in Locis non exemptis ſine licentia Epiſcoporum.*

XXIX. Poſtquàm varias Galliarum Eccleſias percurrimus, in Angliam transeamus, ut quæ ibi conſtituta fuerunt, diſtincte proponantur: Quorumdam Sacerdotum impudentia Sacrificium *in privatis Oratoriis, ſeu Capellis pro Divinorum celebratione non deputatis* in illo Regno celebrabantur *nulla neceſſitate cogente*. Non *Seculares* tantum, ſed etiam *Regulares* aliqui Presbyteri *Sanctiones Canonicas*, quæ id ſine licentia epiſcopali fieri prohibuerant; *Secularium-que traditiones Principum*, qui in Canonum defenſionem bene ſe moverant, *nequiter* contemnebant. Hinc *varia Crimina* in Populis emergebant cum relictis Parochialibus Eccleſiis tam iſtorum honori detrahebatur, quam illorum inſtructiones impediebantur. Hæc mala conſiderans Synodus Londinenſis Anno 1321. à Vualtero Archiepiſcopo congregata cap. 6. decrevit *quemcumque in Oratoriis, Capellis, aut Domibus, ſeu in Loco minime dedicato Miſſarum ſolemnia Diœceſani non obtenta licentia contra Canonum prohibitionem de cetero celebrantem, ſuſpenſionem a Divinorum celebratione per menſem incurrere ipſo facto*. Ut vero integram reliquit Londinenſis Synodus Epiſcopi poteſtatem in concedenda licentia domeſticæ celebrationis in Oratoriis, atque Capellis: Ita viciſſim eâ, qua par erat, veneratione proſecuta eſt diſpenſationes, quas ab Apoſtolicâ Sede aliqui obtinuiſſent, id tantummodò, & meritò poſtulans, ut Pontificia Diplomata oſtenderentur, ne unuſquiſque hæc falsò prætexeret, aut fingeret privilegia. Hinc ſubdit Concilium: *Niſi forte Locus, in quo Divina taliter celebrantur, aut illius Loci Dominus Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ſeu ſpeciali privilegio ſuper hoc fortè prætenduntur muniti: quo caſu in Locis illis hujuſmodi Celebrantes auctoritates, vel privilegia, & eorum tenores Locorum ipſorum Diœceſanis infra duos menſes in publicatione præſentis Statuti exhibere efficaciter teneantur*. Voluit etiam ab omni pœna immunes eſſe illos Sacerdotes, *quos in Oratoriis, vel Capellis Regum, ſeu Reginarum Angliæ, ſeù Liberorum ſuorum erectis, vel erigendis Miſſas celebrare* contigiſſet. Demum ne Epiſcopi facultate propria abuterentur, eos ad cauſſæ gravitatem, & ad Perſonarum neceſſitates reſpicere debere monuit in hunc modum. *Cæterum quia Diœceſani in concedendis ſuper iis licentiis exhibentes ſe nimis faciles ex ſua lenitate cum Eccleſiarum Parochialium injuria jacturam inferunt Animabus; omnes, & ſingulos noſtros Suffraganeos exhortamur, ut ad celebrandum Divina in Locis hujuſmodi nonniſi Perſonis indigentibus, & ex cauſis magnis & probatis licentiam de cætero non concedant*.

XXX. Tam gravia Statuta iterum repetenda neceſſarium duxit altera Synodus Londinenſis habita die 10. Octobris Anni 1342. ſub Joanne Stretfort Archiepiſc. Cantuarienſi, atque Perſonarum conditiones, quibus ab Epiſcopis conceſſa diſpenſatio ſubſiſteret, determinavit *Licentiam autem*, inquit cap. 1. *ab Epiſcopis noſtræ Provinciæ Miſſas in Locis hujuſmodi non conſecratis celebrandi conceſſam, & in poſterum concedendam Perſonis aliis, quam Magnatibus, Nobilibus, moram facientibus in Locis ab Eccleſiis Parochialibus notabiliter diſtantibus, aut notorie debilibus, vel infirmis irritam declaravimus,*

mus, & inanem. Per hoc tamen Eccleſiarum Prælatis, & Rectoribus, & Eccleſiarum Canonicis Cathedralium, vel Religioſis non intendimus derogare, quo minus ipſi in Oratoriis ſuis ab antiquo conſtructis Miſſas poſſint licito celebrare, ſeu facere celebrari, ſicuti fieri conſuevit.

XXXI. In Germaniam, Belgiumque regredior, ubi ad ſolum Epiſcoporum arbitrium coarctata fuerat facultas celebrandi Sacrificium in privatis Capellis. Id vero ex Provinciali Leodienſi Concilio Anni 1387. Titul. V. num. 51. iſta decernente colligitur. *In Capellis Magnatum, vel aliorum de novo conſtructis, niſi ex licentia noſtra nullus audeat celebrare, quod ſub pœna excommunicationis fieri prohibemus* Anteà quidem frequentius, ut ad Sæculum IX. obſervavimus, ab Epiſcopis mittebantur Sacerdotes, qui in Oratoriis Laicorum ſacrificarent: Poſtèa tamen etſi ex indulgentiâ conceſſum eſſet Laicis hos Sacerdotes eligere, adhuc Epiſcoporum dignitas id ſibi voluit merito reſervare, ut nonniſi de ipſorum licentia in iiſdem Oratoriis Sacerdos Miſſas faceret. Ne vero Parochis gravamen ullum inferretur, ſtudebant quoque diligenter Epiſcopi in conceſſione Miſſarum Domeſticarum Integra Parochialium Eccleſiarum jura ſervare. Ita plane reſpondit Nicolaus V. Anno 1447. ad Conſulta Saxonum, ut refert Rainaldus ad illum Annum n. 28. Interrogatus fuerat Pontifex: *An liceat Laicis ſervare unum, vel plures Capellanos propter Deum in Domo ſua bonæ vitæ recomendatos, qui ſibi poſſint legere, vel cantare Miſſas in aliqua Eccleſia, ſive Capella ſine præjudicio Parochialis Eccleſiæ?* Reſpondit Nicolaus, *quod Presbyteri de licentia Epiſcopi Diœceſani hoc poſſint facere: eſt tamen decentius habitare extra muros Laicorum.* Hos Capellanos maximè in Caſtris, & Prædiis habebant Nobiles Viri, ut eorum operâ uterentur in re divina. Attamen, ne quidquam ſine debita Epiſcoporum licentia moliretur, conſtanter cavebatur. Hoc ipſum iterum inſinuavit Synodus Moguntina Anno 1549. Can. 95. talibus verbis *Sacellani Nobilium in Sacellis Caſtrorum Miſſas celebrare, aut alia Sacramenta conferre, aut etiam prædicare non præſumant; niſi ſuper eo auctoritatem, & conſenſum Ordinariorum obtinuerint.* Doluit autem (idque noſtrà ætate Boni dolent) Synodus Colonienſis Anni 1536. Par. II. cap. 27., quod plures Capellani Nobilium *magna Cleri Ignominia* ſordidiſſimis quibuſque negotiis alligarentur.

XXXII. Ut autem aliqua de Italia attexam, occurrit teſtimonium Hugonis II. Guidardii in ſua Provinciali Synodo Beneventana Anni 1374. Tit. 12. cap. 8. quod manifeſtat inter Italos frequentem fuiſſe Oratoriorum privatorum uſum; licèt non niſi ex auctoritate Epiſcopi in illis celebrari Sacrificium potuiſſet. *Permittitur,* inquit, *cuilibet Privato habere Oratorium privatum in domo ſua & ibi orare, ſicut habet communis harum Partium obſervantia: Sed multum cavere deberent ſic facientes, ne in cameris ſuis, aut locis, ubi tenent, & faciunt Oratoria, quidquam inboneſtum, aut turpe exercerent. In talibus autem Oratoriis privatorum Fidelium non debet Miſſa celebrari ſine auctoritate Epiſcopi, & propter neceſſitatem, & tunc ſine præjudicio juris Parochialis Eccleſiæ; nec in Feſtis præcipuis, ſed aliis diebus, & hoc debet continere licentia, quando conceditur à Diœceſano.*

XXXIII. Denique ex Hiſpania unum ſaltem habeo monumentum, ex quo pateat, quod etiam in illis Regionibus Miſſarum Sacrificia in Domeſticis Capellis permitterentur. Id reperitur in Concilio Derthuſæ coacto Anno 1429., dum cap. 7. decrevit *quod nemini ſano per privatas Domos, vel Capellas Sacramentum Euchariſtiæ miniſtretur*; quodque *neque Miſſa pro Nuptiis, vel Sepulturis,*

vel

vel Novinuptis in domibus celebretur. Hæc mihi occurrerunt monumenta, quæ ad illuſtrandam Veterum diſciplinam de celebratione Sacrificii in Oratoriis Domeſticis colligenda ſtudui.

XXXIV. Hic interim penitus non prætereamus Orientales Regiones, quæ licet in media, aut infima ætate extremam pene cladem in Rebus Eccleſiaſticis paſſæ fuerint; adhuc tamen antea introductam conſuetudinem Antimenſiorum, & privatarum Capellarum in Laicalibus Domibus cauſſa Sacrificii retinuerunt. Laudabilis autem multum fuit providentia Alexii Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui inter alia ſua Decreta medio circiter Sæculo XI. edita, & Lib. IV. Juris Græco-Romani contenta prohibuit, ne in Magnatum Oratoriis Hominum multitudo admitteretur; aut Baptiſma, cæteraque Divina Officia excepto privato Sacrificio peragerentur; atque ita nulla Populis occaſio deſerendi Eccleſias Parochiales præberetur. Etſi vero Domeſtica, ac privata Oratoria haberent Laici, adhuc indecorum dignitati Epiſcoporum in Oratoriis hujuſmodi celebrare Græcis videbatur. Ita teſtatus eſt Theodorus Balſamon Scriptor XII. Sæculi in Can. 17. Synodi VI. dicens; *Cæterum Antiſtites Sacra non faciunt in Oratoriis, quæ non ſunt dedicata, quoniam Antiſtitis auctoritas, dignitaſque deprimitur, ſi non ſit Templum, in quo Apoſtolicè collocatur*. Majeſtas etenim Supremi Sacerdotii etiam Majeſtatem Templi deſiderabat, in quo libere Fideles omnes celebranti Epiſcopo aſſiſtere poſſent. Imo tam vehementer aliquando hæc prohibitio ſacrificandi in privatis Oratoriis Epiſcopos urgebat, ut etiam ſtabilita fuerit pœna depoſitionis in Tranſgreſſores, quaſi quod ſui gradus eminentiam contemnerent, & deſpectui oſtenderent. Iſtam pœnam mitigandam cenſuit Lucas Patriarcha CP. Sæculo XII. ſeneſcente, *alio modo talem* Epiſcopum tranſgreſſorem *puniendum* ſtatuens, *ſed non per depoſitionem*. Addo denique circa Orientales Decretum Concilii Nimoſienſis in Cypro coacti Anno 1298., cap. 15. *Quoniam ſecundum Canonicas Sanctiones non alibi, quam in Locis Deo dicatis Miſſa debet aliquatenus celebrari, niſi ſumma neceſſitas hoc expoſcat, ſacri approbatione Concilii ſub pœna Suſpenſionis, quam in contra facientes ferimus in his ſcriptis, prohibemus, quod ubi habetur Eccleſia, nullus alibi Miſſam audeat celebrare, niſi a Sede Apoſtolica, aut ab Epiſcopo Loci habuerit licentiam ſpecialem*. Poterat Decretum iſtud ad ſequens Opuſcolum referri; ſed quia Sæculo XIII. etiam in Oriente non amplius conſueverant Oratoria Domeſtica conſecrari, propterea ad hunc quoque Locum pertinere judicavimus; cum a Nimoſienſis Concilii Epiſcopis vetita fuerint Sacrificia etiam in Oratoriis privatis non prius impetrata debita facultate vel a Diœceſano Epiſcopo, vel a R. Pontifice.

XXXV. In his diverſarum Regionum, Eccleſiarumque Synodalibus Sanctionibus quamquam plura Nobis enituerint, ea tamen breviter contrahere poſſumus. I. Semper deſideratum fuit, ut Sacrificium in publicis, conſecratiſque Eccleſiis offerretur, cui Populus aſſiſteret. II. Semper aliquibus fuerunt permiſſa privata Oratoria ſive in Domibus, ſive in prædiis propriis exſtructa non tantum ad preces fundendas, quam ad immolationem incruentæ Victimæ. III. Non promiſcue omnibus hæc facultas erigendi Domeſtica Oratoria ad celebrationem Miſſarum concedebatur. Solum Magnatibus, Nobilioribus, aut aliis Viris Potentibus, atque Ditioribus frequenter illam licentiam tradebant Epiſcopi; quia ut major in illis neceſſitas eſſe poterat, ne ad publicas Eccleſias aliquando accedere valerent; Ita minora incommoda adverſus dignita-

tem, & reverentiam Divini Sacrificii timebantur eventura apud illos, quam ſi promiſcue cum omnibus etiam infimæ ſortis hominibus fuiſſet diſpenſatum. IV. Nemini unquam licuit in Domeſtico Oratorio offerre, niſi de licentia Epiſcopi. Hinc quæ in privatis domibus digne, ac licite Sacrificia offerrebantur, ea peracta ſunt vel ab Epiſcopis ipſis, vel a Sacerdote, quem Epiſcopus prius elegerat, & approbaverat; vel ab iis, qui ſingulari privilegio muniti fuerant. Si vero aliquando Sacerdotes nondum approbati, inſcioque Epiſcopo id audebant, tum pœnis graviſſimis corrigebantur, atque iiſdem pœnis vel ipſi Laici ſubjecti erant, in quorum Oratoriis Miſſæ invito, inconſultoque Epiſcopo habebantur. Porro Epiſcoporum auctoritas in approbandis, vel negandis facultatibus Domeſtici Oratorii, ac Sacrificii in proprio Epiſcopali Munere fundabatur; cum ſingularitèr à R. Pontifice non reperiatur tradita ſimilis juriſdictio. Imò Honorius III. P. relatus cap. *in his* Tit. *de Privilegiis* benè noverat adeſſe in Epiſcopis talem facultatem ergà ſibi ſubjectos Populos, ac Sacerdotes; neque tamen ullâ ratione eam aut labefactare, aut reſtringere voluit.

XXXVI. Semper inſuper fuit Epiſcopis neceſſaria cautela in licentiis concedendis, ne paſſim, & ſine legitimis cauſſis, iiſdemque graviſſimis privilegia hujus generis largirentur. Extiterunt quidem aliquot Epiſcopi aliis indulgentiores, quod utcunque tolerari poterat juxta Locorum diverſitatem, ac peculiares circumſtantias rerum, temporumque: Attamen omnes communiter Epiſcopi illud ſatagere debuerant, ne ſcandala, & Animarum damna in nimis frequenti diſpenſatione ab acceſſu ad publicas Eccleſias orirentur VI. Ad omnia præcavenda pericula, & illud maximè, ne penitùs Eccleſiæ deſtituerentur, ſoliti fuerant Epiſcopi quaſdã Feſtivitates excipere, in quibus nulli in privato Oratorio offerre liceret. Hoc ex Concilio Agathenſi, & aliis nonullis poſterioribus Synodis alibi uberiùs declarabimus. VII. Ad eadem incommoda eliminanda multùm proderat illa conſuetudo, quam ſæpè Epiſcopi retinuerunt, videlicèt retractandi, caſſandique conceſſas licentias, vel novo examini eàs ſubjiciendi, & nonniſi ſub certis limitationibus iterum elargiendi. Certè hujuſmodi rigor Privilegiatos intrà ordinem continebat, ne fortè mererentur impetratis gratiis deſpoliari, ſi negligentes in decorâ Oratorii conſervatione; vel temerarii in exceſſu ſuorum privilegiorum evaſiſſent. VIII. Sæpè licentias diſtincto Chyrographo expediebant Epiſcopi. Id mihi perſuaſerunt ſuperius allegata Statuta, quæ ſupponunt *ſpeciales*, ſeu *expreſſas* fuiſſe licentias domeſtici Sacrificii. Profecto hæ phraſes aptiùs indicant ſingulares ſyngraphas, quibus ab Epiſcopis prædictæ licentiæ tradebantur. Quomodo enim manifeſto conſtare potuiſſet, an alicui ab Epiſcopo, vel ab iſtius Prædeceſſore conceſſa fuiſſet facultas Sacrificii in privato Oratorio, niſi manente Chyrographo, quo omnes fraudes, ac falſitates ſubmoverentur? Talia Diplomata ſine dubio dabantur in Eccleſia Ruthenenſi, cujus ſupra n. 24. meminimus; quæ etiam determinatas *verborum formulas* in privilegii conceſſione adhibebat. Similiter Andegavenſe Concilium Anni 1365. volebat aperte *exprimi* in licentiis, quod Privilegiatis in quibuſdam Anni Dominicis nequaquam facultate domeſtici Sacrificii uti liceret. Etiam R. Pontifex tales licentias in ſcriptis Chyrographis, Litteriſque elargiebatur. Hinc laudatæ Synodi Colonienſis, & Londinenſis juſſerunt exhiberi Epiſcopis Apoſtolicæ Sedis privilegia, quatenus inde cognoſcerent, an vere, & ſine ulla obreptione Oratores a R. Pontifice gratias prætenſas obtinuiſſent.

XXXVII. Denique ex præcedentibus

tibus Statutis Conciliaribus conſtat liberrimè quarumcunque Regionum Fideles ad Apoſtolicam Sedem confugiſſe, ut ab illa facultatem Domeſticarum Miſſarum, & Capellarum impetrarent. Hæc apoſtolica privilegia ſine gravi injuriâ Apoſtolicæ Juriſdictionis in omnes Chriſtiani Orbis partes non poterant ſuo exercitio privari, quando de veritate eorumdem prudenter non dubitabatur. Hinc Honorius III. P. conqueſtus eſt, quod conſimiles gratiarum elargitiones à ſe ipſo Fratribus Minoritis conceſſas quidam Epiſcopi vanis tergiverſationibus eludere pertentaſſent; Unde ne in poſterum id fieret, Pariſienſem Epiſcopum per Litteras monuit. Has Litteras recitat Gonzalez in Lib. V. Decretal. Tit. 33. *de Privil.* cap. *In his*; ubi quod de Minoritis ab Honorio dicebatur, etiam ad Prædicatores Gregorius IX. extendit. Non ita vero alii Epiſcopi ſe geſſerant contenti oſtenſione Pontificiorum Diplomatum, quæ ſicut cum ſuſpicionem falſitatis ingerebant, executione privabantur; ita cum de eorum authentiâ conſtabat, promptè ſuum obtinebant effectum. Hoc modo ſe geſſiſſe Gallicanos, & Anglicanos Epiſcopos ſuperiora Statuta nos docuerunt. Fateri tamen neceſſe eſt, quod cum antè Concilium Tridentinum ſinguli Epiſcopi poſſent ergà ſuos Subditos liberè licentiam concedere domeſtici Sacrificii, tunc minus frequens erat ad Apoſtolicam Sedem ob eam rem recurſus, quàm poſt Tridentinum evaſerit. Inter privilegia privatæ Capellæ à RR. Pontificibus conceſſa ante Concilium Tridentinum fuit illud conceſſum à Sixto IV. Anno 1478. 3. Idus Januar. Collegio Abbreviatorum Apoſtolicorum; cujus verba ita ſe habent §. 16. *Et quia ſine Divinâ Gratiâ nihil feliciter procedere poteſt, ad illam impetrandam* conceditur, *quod omnes Abbreviatores de numero ſeptuaginta duorum hujuſmodi habeant unam Capellam, & Altare portatile, ſuper quo in Domo Vice-Cancellarii in loco ad hoc congruo, & honeſto Miſſam omnibus Diebus, quibus ipſa Cancellaria tenebitur...., celebrari faciant*. Extat in Libro eruditi Præſulis Jo: Ciampini de Origine Abbreviat. pag. 37. Aliis ampliſſimis Viris R. Curiæ Præſulibus, nempè Sac. Rotæ Auditoribus, & Prothonotariis Apoſtolicis conſimilia Privilegia data fuiſſe antè Concilii Tridentini decretum Seſſ. 22. legi; ſed quia non fit mentio Capellæ, ſed tantum Altaris Portatilis, in ſequenti Opuſculo reponenda exiſtimavi.

CAPUT XII.

De Tempore, & Cauſis variatæ Veteris Diſciplinæ, ſecundum quam Domeſtica Oratoria conſecrabantur.

I. CONTINUA Sæculorum ſerie ſemper ſive rarius, ſive frequentius fuiſſe conceſſa in privatis, domeſticiſque Oratoriis Sacrificia, quantum tenuitas noſtra ferebat exponere curavimus; undè pateſceret nihil inſolitum noſtra ætate eccleſiaſticam conſuetudinem moliri in conceſſione Domeſticorum Sacrificiorum, quod antea Majores, ac Antiqui Patres non permiſerint. Verum licèt præſens diſciplina circa Domeſtica Oratoria plurimum cum Veteri concinat; in eo tamen valdè ab illâ differt, quod nullam expoſcat privatorum Oratoriorum conſecrationem, quemadmodum olim deſiderabatur. In hanc diverſitatem intendere parumper opus eſt, tempus, cauſſaſque mutationis quærendo, ut cum ſua veteri diſciplinæ debita laus aſſeritur, nullatenus præſens reprehendatur. Eſt autem maximè perſpectum, (Neque enim ullus inficiabitur) non potuiſſe primis Eccleſiæ Sæculis ſemper in Locis Conſecratis Divina peragi Myſteria; imò etiam ſedatis perſecutionibus, cum aliquandò ex ſpeciali Epiſcoporum indulgentiâ permittebantur in privatis Domibus Sacrificia; non poterant ſemper prius conſecrari cubicula, in quibus eadem conſummarentur. Hinc etiam illis primis temporibus non raro ad Rem Divinam faciendam contenti eſſe debuerant Sacerdotes aliquo modeſto cubiculo, quod licèt, pro ut fieri poterat, & reverentia ergà Chriſtum poſtulabat, a prophanis uſibus ſegregaretur, & Oratorii formam nonnullam præſeferret; non tamen prius ſpeciali precum, ſacrarumque cæremoniarum apparatu perpetuò Divinis tantum Cultibus eſſet conſecratum.

II. Verum notiſſimum quoque eſt, atque à nobis Cap. IV. animadverſum, Apoſtolos nonnumquam Chriſtianorum Ædes in Dei Domos conſecraſſe, quo dignius, & acceptius ibi Deo Sacrificia offerrentur. Hanc ipſam regulam alii deinceps tenuerunt; ita ut Loca illa, ſeu Oratoria, quæ primis Eccleſiæ Sæculis, & maximè poſt conciliatam Chriſtianis pacem ad Divinorum Myſteriorum celebrationem deſtinata erant, quamvis in privatis Domibus, in Epiſcopiis, in Palatiis Principum ædificata, ut plurimum conſecrarentur. Vigebant etenim etiam IV. & V. Sæculo, rigideque obſervabantur Eccleſiaſticæ Leges jubentes Sacrificia in Locis Sacris celebrari; ita ut neceſſaria fuerit ſpecialis defenſio Philippi Presbyteri Epheſini, ut Cap. præceden. num. 2. diximus, eo quod extra Loca Sacra aliquando Sacrificium obtulerit. Etiam S. Athanaſius eguit validâ Apologiâ, qua ſeſe adverſus ſuos crudeles hoſtes Arianos eum acriter accuſantes de celebrato Sacrificio in Eccleſiâ nondum conſecratâ defenderet. Reverà multum valuiſſet Arianorum accuſatio, niſi cauſſas neceſſarias in ſui defenſionem SS. Antiſtes Apol. ad Conſtantium protuliſſet.

III. Non debeo hic ſimul omnia congerere, quæ ad Eccleſiarum, Ora-

ratoriorumque apud Antiquos maximâ ſollicitudine obſervatam conſecrationem pertinent. Sufficit mihi in ſolis OratoriisDomeſticis conſiſtere, de quibus manifeſto conſtat peracta conſecratio. Imò neque de his multa hoc loco colligere oportet, cum ſuperiora Capitula identidem, nec infrequenter aperta ſigna hujuſmodi conſecrationis exhibeant. Et quidem quod attinet ad Oratoria Epiſcoporum, recoli poſſunt tum verba S. Paulini ad Severum, tum formula Libri Diurni RR. Pontificum, unde emicat diligenter fuiſſe conquiſitas, & obtentas Sanctorum Reliquias, ut eorumdem Oratoriorum fieret conſecratio. Quapropter plura illa, quæ de Reliquiis collocatis, aut collocandis in Oratoriis Juſtiniani, Conſtantinæ Auguſtæ, aliorumque Principum obiter dicta ſunt cap. 10., imo & cap. 2., ubi de Capellâ Regum Francorum raptim aliqua indicavimus; tot ſunt teſtimonia conſecratarum Imperialium, Regiarumque Capellarum. Sed quid clarius teſtimonio Eginardi in Vitâ Caroli M. ſcribentis à Leone III. P. Aquiſgranenſem Palatinam Capellam fuiſſe conſecratam? De Monaſticis Oratoriis ſive Virorum, ſive Fæminarum ſuperfluum eſt oſtendere, quod ab Epiſcopis conſecrarentur. Enimverò multæ extant S. Gregorii Litteræ plurimis Epiſcopis ſcriptæ, quibus ſine Miſſis publicis conſecranda *Monaſteria*, ideſt Monaſteriorum Oratoria, jubebantur. Non dabo quidem me vadem in aſſerendâ conſecratione omninò Monaſticorum Oratoriorum, quæ ſeorſim à majori Baſilicâ ad magis ſecretum uſum Monachorum exſtruebantur. De hac quippe conſecratione ſilent monumenta ſuperius c. 9. pro ſecretioribus Sacellis Monaſticis allegata. Attamen nec negabo ſaltem aliqua illorum fuiſſe conſecrata; cum apud Mabillonium Lib. 63. Annal. num. 59. inveniam Inſtrumentum Sæculi XI. Monaſterii Vindocinenſis, in quo adnotatur à Carnotenſi Epiſcopo Araldo conſecrata Capella, *quæ maximè propter pauperes, & Familiam Monaſterii Sanctæ Trinitatis in ejus Cæmeterio condita fuerat*. Si enim parva hæc Capella paucorum uſibus addicta conſecrata fuerat; quid vetabat etiam alias conſimiles in Monaſteriis conſecrari?

IV. Pariter privata Laicorum Oratoria conſueviſſe prius ab Epiſcopo conſecrari, antequam in illis liceret Miſſas facere, apertè demonſtrant tum Litteræ M. Gregorii ad Caſtorium, & Fortunatum ſcriptæ pro conſecratione Oratoriorum Timotheæ, & Julianæ, quas deſcripſimus Cap. I. num. 6.; tum Pelagii P. Epiſtola, & Formula Libri Diurni Cap. præceden. num. 9. recitatæ. Imò nec propter aliud à R. Pontifice hujuſmodi litteræ pro Oratoriis privatis expediebantur, niſi quia juxtà illorum temporum conſuetudinem non licebat Epiſcopis conſecrationem Eccleſiæ, aut Oratorii ſuſcipere, ſine prævià Apoſtolicæ Sedis conceſſione. Aperta ſunt pariter teſtimonia conſecrationis Oratorii privati & ſuperius cap. 11. num. 13. allegatumCapitulum XV. Caroli M.: *qui Oratorium conſecratum habet, vel habere voluerit &c.*; & Novellæ Leonis Sapientis, qui propterea cenſuit permittendum omnibus Sacerdotibus in Laicorum Oratoriis ſacrificare, ne *SACRA delubra* Sacrificio deſtituerentur. Alia multa ſuprà indicavimus, quæ diligenter retentam uſque ad octavum Sæculum hujuſcemodi optimam conſuetudinem planè demonſtrant. Hinc emicat Veterum privata Oratoria multum diſcrepaſſe ab hodiernis privatis, ac domeſticis Laicorum Oratoriis; etſi illa quoque privata eſſent, quatenus ad privatum Familiæ commodum, uſumque reſtringebantur. Tunc enim à fundamentis exſtrui ſolebant, & penè à reliquo Domûs ædificio ſecreta; Cumque Rei Divinæ

tan-

tantummodò deputarentur, propterea Epiſcopus illuc veniens Crucem in deſignato Loco figebat, Sacra Pignora Sanctorum collocabat, & Oratorium abſque Miſſis publicis conſecrabat. At privata Laicorum hodierna Oratoria potius *Cubicularia* ſunt, ac nonniſi privatum aliquod domûs cubiculum, quod obtenta facultate domeſtici Sacrificii in formam parvi Sacelli componitur non multo poſt in prophanos uſus convertendum, cum vel ceſſaverit conceſſa facultas, vel lubuerit in aliâ domûs parte ſimile Sacellum componere. Habemus noſtrâ ætate Oratoria plurima in Loco publico, & præcipuè in Villis ob commodum Divitum, & Nobilium excitata, que melius aſſimilantur Veterum privatis Oratoriis, ſi eadem ſecundum ædificii, & ſtructuræ rationem conſideremus; quamvis ab Veteribus differant propter uſum publicum, quem iſta obtinent. Publica quippe hæc Oratoria Nobilium a fundamentis excitantur, & auctoritate Epiſcopi prius benedicuntur, quam in illis Sacrificia celebrentur; nec in poteſtate Fundatorum remanent, ut pro ipſorum arbitrio deſtrui, vel in alios prophanos uſus converti valeant.

V. Diù cuſtodita diſciplina conſecrandi Oratoria in privatis Ædibus erecta aliquam mutationem accepiſſe exeunte Sæculo VIII., aut ſaltem ineunte IX. nobis ſuadent plurima Conciliorum Statuta, quæ tunc edita huic variationi *recenter* exortæ vehementer reſiſtebant. Etenim quantum veroſimiliter colligitur ex Patribus, & Epiſcopis, qui ea ætate floruerunt, tum primum induci cæperat ab aliquibus conſuetudo, ut celebraretur non quidem in domeſticis conſecratis Oratoriis, ſed in quibuſdam parvis *Ædiculis*, quæ licet Oratorii formam præſeferrent; (Imo Oratoria vocabantur lib. V. Capitular. cap. 384. his verbis: *Qui Oratorium in domo ſua habere voluerit, orare ibi poteſt*:) tamen conſecratione carebant. Hanc novam domeſticarum Miſſarum extrà Conſecrata Oratoria celebrationem ægrè tulerunt Epiſcopi: atque ut huic novitati fortè in Angliam irrepenti reſiſteret Ecbertus Eboracenſis Epiſcopus, opportunè in Excerptis circà Annum 750. promulgatis ſtatuit num. 9. *Ut nullus Sacerdos in domibus, vel aliis Locis, niſi in Eccleſiis dedicatis celebrare Miſſas audeat.* Magis autem in Galliis dilatatus fuerat mos Sacrificium peragendi in Locis, Oratoriiſque non conſecratis. Quarè nullatenus ego dubito, quin ob illius moris everſionem Concilium Cabilonenſe II. Anni 813. Can. 49. & Aquiſgranenſe An. 816. cap. 84. expreſſe confirmaverint Canonem LXXIV. Concilii Laodiceni, quo ſtabilitum fuerat *non oportere* in domibus Miſſas facere. Acrius, vehementiuſque Concilium Pariſienſe VI. Anni 829. adverſus magis creſcentes abuſus reſtitit; cumque cerneret nihil obtinuiſſe præcedentes Canones; ſed potius *pleroſque* Sacerdotum, ac Laicorum pro ipſorum libitu, atque contemptâ Epoſcopali auctoritate in domibus, & hortis, aut in Ædiculis juxtà domos conſtructis Miſſas vel facere, vel audire; ſeveriori prohibitione animadvertit indictâ pœnâ Suſpenſionis, & Depoſitionis adverſus Presbyteros in Locis non conſecratis ſine licentiâ Epiſcopi celebrantes; Laicis vero deterritis recordatione pœnæ, quam ob ſuam temeritatem Ozias ſuſtinuit.

VI. Longiuſculum Capit. XLVII. Par. I. Concilii Pariſienſis hic inſero, ne præclarum monumentum Lectores alibi requirere cogantur. *Conſuetudines ad quorumdam libitum repertæ, licet contra Auctoritatem Eccleſiaſticam exiſtant, non facilem tamen correctionem accipiunt. E quibus eſt illud, quod plerique Presbyteri neglectis Baſilicis Deo Dicatis in domibus, & hortis Miſſarum celebrationes contra divinam auctoritatem*,

tem, & canonicam inſtitutionem facere præſumunt. Et hoc ſimiliter ad Epiſcoporum culpam pertinere perſpicuum eſt. Proinde neceſſe eſt, ut unuſquiſque Epiſcoporum hujuſcemodi temerariam conſuetudinem à Parochiâ ſuâ penitùs amoveat. Quia nempè ex Divinâ Auctoritate dedicandarum Eccleſiarum, Oratoriorumque diſciplina defluxerat, dum in Lege Vetere imperatum fuerat, ut in eo tantùm loco offerretur Sacrificium, quem Dominus ipſe elegiſſet; ſive quem ſibi peculiariter conſecratum acceptaſſet: Inſuper quia Eccleſiaſtici Canones ſæpè præceperant in Locis conſecratis Miſſarum peragi Myſteria: Propterea Pariſienſis Concilii Epiſcopi Presbyteros celebrantes in Domibus, & Ædiculis non conſecratis ſine Epiſcoporum licentiâ tamquàm reos violati præcepti divini, & eccleſiaſtici accuſabant. Pergunt deindè Patres, exceptis quibuſdam caſibus, in quibus Miſſæ extrà Loca Sacra permittebantur, ita decernere: *Si quis Presbyterorum ab hinc..... Miſſarum celebrationes in hujuſcemodi illicitis Locis poſt tot, tantaſque prohibitiones facere attentaverit, dignum eſt, ut gradûs ſui periculum incurrat. Laicos namque pleroſque meminiſſe oportet pœnæ Regis Oziæ, qui pro eo quod contra fas Sacerdotale Miniſterium arripuit, lepræ immunditiâ illicò mulctari meruit. Et diligenter perpendant non eſſe ſui officii, ut relictis Baſilicis Deo dicatis, & Epiſcopali Auctoritate contemptâ AD LIBITUM SUUM IN HORTIS, & DOMIBUS, vel certè ÆDICULIS, quas juxta domos ſuas conſtruunt, & paliis exornant in quibus Altaria erigi faciunt, Miſſarum celebrationes Presbyteros facere compellant. Satiùs igitur illis eſt Miſſam non audire, quàm eam, ubi non licet, nec oportet, audire. Sed & Presbyteri, ſi tamen Presbyteri vocandi ſunt, qui inconſultis Epiſcopis ſuis Altaria in talibus locis erigere præſumunt, juxtà cenſuram canonicam gradûs ſui periculum incurrere merentur.* Ecce his verbis adumbrata cubicularia noſtra Oratoria, quæ licèt repræſentent formam Oratorii, tamen carent conſecratione.

VII. Jam verò oſtendit Concilium Pariſienſe novitatem hujus diſciplinæ, eamque velut alienam ab inſtitutionibus divinis, & eccleſiaſticis ita eliminat. *Recenti quippe tempore de celebrandis in talibus Locis Miſſis emerſit contra auctoritatem eccleſiaſticam hæc, ut quibuſdam videtur, religioſa conſuetudo, quæ quia apertè eccleſiaſticæ antiquæ traditioni videtur reniti, non debet nova adinventione, & qualibet pertinaci intentione defendi.... Quando in domibus, & hortis abſque præmiſſa neceſſitate fit* (Miſſarum celebratio) *apertè humana præſumptio & præcepto divino, & auctoritati canonicæ contraire comprobatur. Ubi autem Deo Sacrificium offerendum ſit Lex Divina docet Domino dicente Deuter. 11. Non offeras Holocauſtum tuum in omni Loco, ſed in Loco, quem elegerit Dominus tuus, ibi offeras Holocauſtum tuum: Et in Concilio* (Laodiceno) *legitur: Non oportet, inquit, in domibus Oblationes fieri. Quando ergo, quod Dominus prohibet, facere humana præſumptio non metuit, procul dubio præceptum Dei transgredi non pertimeſcit. Quapropter neceſſe eſt, ut conſuetudines pravæ poſtponantur, & Juſſionibus Divinis obtemperando Eccleſiaſtica Auctoritas amplectatur.* Hactenus Concilium Pariſienſe, quod tamen, dum inculcat præceptum Divinum pro celebrando Divino Sacrificio in Locis conſecratis, eo ſenſu, ut notum eſt, intelligitur, quando vel nulla neceſſitas aliter perſuadeat; vel prudens Eccleſiaſtici Regiminis adminiſtratio cum aliquibus diſpenſare non permittat. Etenim neque Lex Deuteronomii ſecundum illum ſenſum, quo à Domino Moyſi data fuerat, nunc obligat; neque ulla Eccle-

cle-

cleſiaſtica alia Lex tantam ſeveritatem inducit, ut ab illâ recedere non ſit licitum Eccleſiarum Paſtoribus, quando aliter diſciplinæ ratio utilior, aut ſaltem tempori congruentior videtur.

VIII. Juxta hæc Conciliorum decreta Patres Gallicani neceſſitatem offerendi Sacrificium in Locis conſecratis, divinoque tantum cultui dedicatis inculcare non ceſſabant. Ex iſtis profero Jonam Aurelianenſem Epiſcopum Lib. I. de Inſtitut. Laicali cap. 11. qui confirmat Canonem Laodicenum, & inquit: *Non igitur ſicut ſe habet quorumdam repræbendenda, & emendanda conſuetudo, propter Ædiculas, quas ſibi ad votum ſuum conſtruunt, ibique Deo Sacrificium offerri poſſe, & debere contendunt, Templa... ſunt relinquenda*. Niſi me meæ fallant conjecturæ, arbitror Ædiculas illas, quarum meminit Jonas, privatas fuiſſe Capellas conſecratione carentes. Etenim eo modo mihi interpretandæ videntur, quo ſimiles Ædiculas Concilium Pariſien. VI. commemoravit; quæque dubio procul in numero Domeſticarum computabantur, & conſecratione carebant. Fortè ergo jam proſerpſerat in Aurelianenſem Provinciam mos celebrandi in Ædiculis domeſticis non conſecratis; cumque inde facilior occurreret Laicis modus habendi domeſticum Sacrificium, quàm ubi Oratoriorum conſecratio exigebatur: (Ad hanc enim neceſſaria erat convenientis dotis aſſignatio.) Ideo *contendebant* in eiſdem Ædiculis *poſſe*, & *debere offerri*; nec patiebantur novitatem ab Epiſcopis reprobari. Nondum altas radices fixerat nova hæc diſciplina, quæ multo magis aperiebat aditum ad Templa deſerenda: Hinc illam enixè emendare ſatagebat Jonas antiquæ conſuetudinis reparator.

IX. Severius novitati hujuſmodi reſtiterunt alii Epiſcopi, qui vel generatim prohibuerunt celebrationem domeſticam extra Loca conſecrata, vel ad ſummum propter infirmos illam conceſſerunt. Ex his habemus Thodulphum pariter Aurelianenſem Epiſcopum in Capitulari ad Presbyteros ſuos cap. 11., ita loquentem: *Miſſarum ſolemnia nequaquàm alibi, niſi in Eccleſia celebranda ſunt, non in quibuslibet Domibus, & vilibus Locis; ſed in Loco, quem elegerit Dominus, juxta illud quod ſcriptum eſt Deuter. 11. Ne Offeras &c.* Habemus Herardum Turonenſem Epiſcopum in Capitulari An. 856. cap. 34., qui generatim præcepit, *ut in domibus ab Epiſcopo non conſecratis nemo Miſſam quacunque neceſſitate celebret*. Addi poteſt Capitulare Aythonis Baſileenſis Epiſcopi cap. 14. Tom. VI. Spicil. Acher. Edit. Pariſ. An. 1664., qui Miſſas *in Eccleſiis non conſecratis, vel in Domibus, niſi fortè viſitandi gratia in infirmitate detentos*, non conceſſit degradationis pœnâ *propter inobedientiam* tranſgreſſoribus interminatâ.

X. Idem rigor prohibens Miſſarum celebrationem in Locis non conſecratis reperitur in Italia ſervatus Sæculo X., ingeritque fundamentum credendi ex Galliâ in Italiam paulatim pertranſiſſe conſuetudinem aptandi in Domibus quædam cubicula, quæ veterum Domeſticarum Capellarum conſecratarum vices gererent. Suſpenſionis pœnam inflictam in Synodo R. Sacerdotibus celebrantibus extra Loca conſecrata teſtatur Atto Vercellenſ. Epiſcopus in ſuo Capitulari cap. 8. T. 8. Spicil. Acher. Edit. Par. pag. 4. dicens, quod *In Romana Synodo conſtitutum fuit omnium cum conſenſu Synodi, ut nullus Presbyter Miſſas, niſi ſacratis ab Epiſcopo Locis, celebrare præſumat, qui particeps de cætero ſui voluerit eſſe Sacerdotii*. Similiter Ratherius Veronenſis Epiſcopus in ſua Synodicâ ad Parochos jubebat, ut *nullus extra Eccleſiam per Domos, aut in Locis non conſecratis Miſſam cantet*.

XI. His,

XI. His, quæ protulimus, Statutis plura ſunt addenda ex Libris Capitularium, ut evidentius appareat Sæculo IX. iteratis Epiſcoporum, & Principum Sanctionibus gliſcentem conſuetudinem celebrandi in privatis Domibus non conſecratis comprimi oportuiſſe. Seligo nonnulla, quæ magis generaliter illam prohibere videntur. Ita Lib. V. cap. 178. inquit Anſegiſus Abbas: *Statutum eſt, ut nullus Presbyterorum in Domibus ab Epiſcopo non conſecratis oblationem offerre quoquomodo præſumat*. Et Lib. VI. cap. 201. præcipitur, *ut nullus Presbyter Sacra Myſteria, niſi in Locis ab Epiſcopo conſecratis agere præſumat*. Nullibi tamen vehementius, quam Lib. 9. c. 431. repellitur auſus illorum Presbyterorum, qui in Locis non conſecratis Miſſas faciebant. Patiantur Lectores aliqua hinc decerpere, unde eniteat, quanto fervore Epiſcopi, ac Reges novitati reſiſtere ſtuduerint. Omitto autem priora verba, quæ penitus concinunt jam recitatis Pariſienſis Concilii Sanctionibus; & ſequentia exſcribo. *Quamquàm Deum vera fide ubique orare liceat; Sacrificia verò offerre, aut Corpus Domini confici nullo modo legimus, aut veraciter ſcimus in aliis Locis juſtè fieri, niſi in Locis Deo ab Epiſcopo dicatis, niſi cauſa hoſtilitatis, aut ſummæ neceſſitatis... Ab antiquis autem Patribus, & Prædeceſſoribus noſtris nulla alia ex occaſione, aut pigritia ſeu præſumptione; ſed propter dictam neceſſitatem hoc conceſſum eſſe legimus. Aliter quoque, niſi ut præfixum eſt, in Locis non conſecratis Miſſarum ſolemnia agere non licet; & hoc nonniſi ex ſummis, & pro prædictis neceſſitatibus fieri ullo modo licet, quoniam Lex Divina admodum præcipiens ait: Caveat quiſque, ne offerat holocauſta &c. Si quis ergo poſt tot Prohibitiones hæc Decreta Apoſtolica, & Synodalia, atque imperiali auctoritate renovata, & maxime omnium Imperii noſtri Populorum, ac Procerum noſtrorum conſenſu, & hortatu conſcripta, atque firmata temerare præſumpſerit, ſi Clericus fuerit, gradûs ſui periculo ſubjacebit: Si verò Monachus, aut Laicus fuerit, à liminibus Eccleſiæ, uſque ad ſatisfactionem, extorris fiat: Si autem, quod abſit, ſuo Epiſcopo, vel reliquis Sacerdotibus inobediens, vel contumax extiterit, à Comitibus, vel Miſſis noſtris comprehenſus in carcerem uſque ad noſtram, & proprii Epiſcopi, atque Eccleſiæ ſatisfactionem ſub magna ærumna retruſus maneat*. Ad hoc forte Capitulum reſpexit Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus Epiſt. 36. ad Guidonem Epiſcopum cum dixit: *Legitur in quodam Capitulo Statutum ſæpiſſime, & inhibitum, ut Miſſarum celebrationes in Locis incongruentibus omninò non fiant.... Quia... Non eſt licitum, ut in aliis Domibus, vel Altaribus, aut* Locis *Miſſas celebrare præſumant; quàm ab Epiſcopis conſecratis*.

XII. Graviſſima hæc omnia Patrum, Conciliorum, & Principum Statuta edita Sæculo IX., & X. in eum finem directa, ut eliminarent abuſum recenter inductum celebrandi in privatis domibus, certè demonſtrant tunc temporis adhuc viguiſſe Diſciplinam conſecrandi Domeſtica Oratoria; quæ tamen Viris Nobilibus non negabantur, quoties requiſitæ conditiones dotis Capellæ, & neceſſarii ſtipendii ad Sacerdotis ſuſtentationem aderant. Verùm circà hæc tempora, & occaſione iſtius citiùs diffuſæ novitatis introduci cæpiſſe non dubito morem permittendi Sacrificia in quorumdam Nobilium domibus nondùm conſecratis, atque privatis in Ædiculis Oratorii ſpeciem præſeferentibus, quamquàm à veteribus Oratoriis plurimùm diſcreparent. Vix etenim, quantùm attentè conſideratis omnibus recitatis Canonibus exiſtimo, novitas illa celebrandi Sacrificium in privatis do-

mibus non conſecratis penitùs aboleri, ac ubique ſupprimi potuit. Nitebantur quidem totis viribus Epiſcopi eandem eliminare: Attamen illorum plures benè conſiderantes, quod ad arcendos abuſus, qui indè oriri poterant, ſufficiebat omnibus ſubditis præcipere, ne unquàm fieret in Domibus, & Locis non conſecratis Miſſarum oblatio ſine expreſſâ licentiâ Epiſcopi; ita rigorem Canonum contemperarunt, ut ex Epiſcoporum conſenſu, & permiſſione Sacrificia extrà Loca conſecrata immolari poſſent. Ardenter igitur Epiſcopi deſiderabant, ut priſtinæ conſuetudines celebrandi tantummodò in conſecratis Oratoriis, excepto magnæ neceſſitatis eventu, ſanctè cuſtodirentur: Sed quia non omnes, ac ubique id ſemper obtinere poterant; contenti fuerunt, ut ſervatâ Epiſcopali Juriſdictione à ſolo Epiſcopo facultas in iiſdem Locis non conſecratis ſacrificandi concederetur. Expreſſe id oſtendunt duo Concilia adulto Sæculo IX. collecta, quæ dum prohibebant in Domibus non conſecratis offerre; ſimul integram Epiſcoporum authoritatem conſiſtere declarabant, qua domeſticam Sacrificii oblationem permittere valerent. Sic Concilium Pontigonenſe Anni 876. cap. 7. ſtatuit, *ut nullus latibuloſa in ſuis domibus officia celebrare præſumat, ſine ſui rationabili licentiâ Epiſcopi*. Pariter Moguntiacum Concilium An. 888. can. 9. in hunc modum decernebat: *Miſſarum ſolemnia non ubique, ſed in Locis ab Epiſcopo conſecratis, vel ubi permiſerit, celebranda cenſemus*. Quin imò potior ratio, ob quam Concilium Pariſienſe reprobaverat novitatem illius Diſciplinæ, in eo maximè fundabatur, quod *inconſultis Epiſcopis* Sacerdotes in Domibus, Ædiculiſque non conſecratis ſacrificarent.

XIII. Fatemur itaque reprobatum tunc fuiſſe vix ortum modum celebrandi in Ædiculis domeſticis non conſecratis, quia penitùs alienum erat à ſanctiore priſtinâ conſuetudine: ſed etiam credimus occaſione illius novitatis cepiſſe de licentiâ Epiſcoporum quibuſdam Sacrificia Domeſtica in cubiculis non conſecratis permitti. Raró autem Sæculo IX. illa indulgebantur. Imò quibuſdam in Locis, atque Provinciis, nec ſemel in gratiam infirmorum opportuna videbatur hujuſmodi conceſſio. Verùm ubi primùm vel numquàm, vel raró permittebantur Sacrificia in domibus non ſacratis; paullatim deindè indulgentibus Epiſcopis multiplicata fuerunt; ita ut Sæculo XI. rariſſima omninò fuerint Oratoria privata in domibus privatis conſecrata; licèt valdè frequenter in Nobilium Domibus eſſent conceſſa privata Sacrificia. Mihi equidèm inter illas conceſſiones Miſſarum celebrandarum in privatis Domibus, quas poſt prædictum tempus conceſſas novi, nulla hactenus apparuit, ex qua neceſſariò præmittenda conſecratio Oratorii Domeſtici videretur. Quin potiùs ſaltèm in ſæculis infimis adverti, quod ubi Capellæ erant benedictæ, ſeù conſecratæ non repugnabant Epiſcopi, quòd in illis nullâ prius ipſorum petitâ veniâ Miſſæ peragerentur. Aliqua exempla Cap. præcedenti poſita ſunt, & quæ num. 27. recitavimus, cæteris ſunt clariora. Hujuſmodi Capellas conſecratas ſuperfuiſſe etiam poſt Sæculum XI., vel alias quandòque recenter extſtructas, ſpecialibus Eccleſiaſticis Ritibus Divino tantùm cultui dedicatas fuiſſe ego negare non poſſum, cum adhuc hujus generis aliquæ ſupereſſent elapſo Sæculò XVII. in Titulum Beneficii erectæ; quarum Nos c. 3. num. 6. mentionem fecimus. Verùm ſi talia Oratoria comparemus cum aliis Oratoriis Domeſticis non conſecracratis, adeò iſtorum numerus excedit, ut nulla ſit cum illis tentanda comparatio. Cæterùm aliud eſt dicere

etiam poſt Sæculum XI. ædificata nonnumquàm, ac conſecrata fuiſſe aliqua Oratoria Domeſtica: Aliud verò affirmare etiam poſt Sæculum XI. priſtinam fuiſſe retentam conſuetudinem ut ad permittendam in Domibus Laicorum, & maximè Nobilium privatam Miſſarum celebrationem exigerentur conſecrata Domeſtica Oratoria: Primum nequaquàm negamus, imò lubentes approbamus: Sed ſecundo reſiſtimus nullo hactenus noto teſtimonio ad illud concedendum moti.

XIV. Quando ergo facultatem intrà certum tempus duraturam largiebantur Epiſcopi, ut celebrari poſſent Sacrificia in domibus Laicorum non conſecratis, quod, ut jam diximus, cæpit Sæculo IX., ac deinceps magis invaluit, nihil veriſimiliùs eſt, quàm quod ſaltem exigeretur, ut in aliquo honeſto domûs cubiculo magis à prophanis actionibus ſemoto celebrarentur; ac proindè licèt locus ipſe conſecratione careret, aliquam tamen parvi Sacelli decenter compoſiti formam exhiberet. Quid enim minus deſiderari poterat ad reverentiam Sacrificio exhibendam? Certè etiam cum novus ille modus ſacrificandi in domibus tentari cæpit inconſultis Epiſcopis, parvæ *Æediculæ* ſpeciem Oratorii præſeferentes habebantur. Ex dictis apparet qua ratione variatio Diſciplinæ in omittendâ conſecratione Domeſticorum Oratoriorum irrepſiſſe videatur. Cum nimia frequentia Sacrificiorum, quæ in Locis non conſecratis paſſim inconſultis Epiſcopis celebrabantur, cohiberi nequiret; graviora ſaltèm incommoda arcere ſtuduerunt Epiſcopi. Hinc faciliùs licentiam Miſſas celebrandi in Domeſticis Æediculis conceſſerunt, ut ita ſaltem, dum ſuæ authoritati, ac arbitrio reſervabant facultatem peragendi in domibus Sacrificium, auferrent illam immoderatam præſumptionem multiformis irreverentiæ originem, qua paſſim ad libitum Sacerdotes in privatis domibus offerre non verebantur. Intelligo equidem indè laxatam veterem Diſciplinam: ſed mirum non eſt, quod in remediis parandis adversùs latè graſſantes graviores abuſus nonnihil de priſtino rigore Diſciplinæ remittatur.

XV. Acceſſit altera cauſſa, quæ magis ſuaderet prætermittendam Conſecrationem Domeſticorum Oratoriorum; quia nempè licentia in domibus celebrandi ſolebat ab Epiſcopis ad certum tempus limitari, & non raró ſuſpendebatur, caſſabaturque; ſicut cap. præcedenti plurimarum Synodorum teſtimonio demonſtravimus. Nam quid indecentius fuiſſet, quàm ea Oratoria conſecrare, in quibus perenniter non erat duratura poteſtas ſacrificandi? Quando florebat mos domeſtica Laicorum Oratoria conſecrandi, ſimul etiam conſuetudo vigebat, ut numquam auferretur facultas in illis peragendi Sacrificium, niſi ſingulari quadam ex cauſſâ Interdicto ſubijcerentur. At ſublatâ ſequentibus ætatibus perpetuitate illius facultatis à privatæ domûs Oratoriis, quæ ſolùm ad tempus; & propter certas Perſonas concedi cæpit; neceſſarium quoque fuit negare talibus Oratoriis Conſecrationem, ne locus ad divinum tantùm cultum cònſecratus poſt breve tempus careret Sacrificio, per quod præcipuus Deo cultus exhibetur. At dicet aliquis rem meliùs ita ordinari potuiſſe non obſtante temporanea conceſſione domeſtici Sacrificii; videlicet quod ob reverentiam huic debitam Domeſtica conſecrarentur Oratoria; ac deindè in morte Privilegiati, vel aliter ſpirante epiſcopali licentiâ ſtatim deſtruerentur; ne aut Oratorium conſecratum perſiſteret ſine Sacrificio, aut propter Oratorium conſecratum perenniter duratura foret facultas in privatâ domo celebrandi. Dicat iſta qui voluerit: ego talia numquam dixerim, non mentis figmenta ſequens,

quens,

quens, ſed eccleſiaſticos mores, ſicut æquum eſt, reverenter ſuſcipiens. Etenim ſi modus ille opportunior foret, neque nunc Oratoria Domeſtica ſine Conſecratione permitterentur. Profectò qui alitèr ſentiret, neſciret quantâ curâ ſervanda ſint Loca ſemel Deo conſecrata, quæ nonniſi aut urgente neceſſitate, aut ad illorum venuſtatem novâ ſtructurâ amplificandam ſubverti poſſunt, nec in uſus prophanos transferri. Hinc monent Canones à Gratiano collecti Diſt. 1. de Conſecr. Cap. *Altaris*, & ſqq. nihil eorum, quod Deo conſecratum fuerit, etiam ligna, etiam lapides in uſus prophanos poſſe converti: Unde Bonifacius VIII. P. Regulam LI. in VI. poſuit: *Semel Deo dicatum non eſt ad uſus humanos transferendum*.

XVI. Tertia demum cauſſa, cur ſatisfacientes votis multorum Nobilium non ampliùs ſolliciti fuerunt Epiſcopi, ut Oratoria Domeſtica conſecrarentur, ex dignitate Conſecrationis, ſicut arbitror, ſumebatur. Novi quidem apud Veteres magnâ ſollicitudine fuiſſe etiam parva Oratoria conſecrata; ita ut narret S.Gregorius Turon.Lib.de Glor. Confeſſ. cap. 28. de B. Euphronio Turonenſi Epiſcopo, quod in ſomnis admonitus à ſanctis Virginibus Maura, & Britta anguſtum ſub ipſarum invocatione erectum Oratorium conſecraverit. Verum hæc ipſa Oratoria, vel ob inſignes Reliquias, vel ob alias quaſdam circumſtantias, cauſaſque ſpeciales digna prorſus erant, ut ſolemnitas Conſecrationis in illis perageretur. At qui Ritus omnes, ac ſplendidum ſacrarum cæremoniarum apparatum perſpectos habuerit, quibus Conſecratio Eccleſiarum Oratoriorumque perficienda præſcribitur in veteribus, recentioribuſque Sacramentariis, ac Pontificalibus Libris; Quique ad ſacram magnificentiam iſtius ſolemnitatis attenderit; facilè etiam cognoſcet non ita opportunum fuiſſe, ut etiam in omnibus parvis, privatiſque Oratoriolis eadem ſolemnitas perageretur; Sed è contrà aptiùs pro illis tantùm Eccleſiis reſervaretur, in quibus Divina Officia ſolemniùs, ac majore Populorum frequentiâ expleri ſolent. Hanc cauſſam mihi ſuggerit Hincmarus in Capitulis Anno XII: editis cap. 3. ubi de aliquibus Oratoriis dicebat, quod propter ipſorum anguſtiam *Conſecrationem non merebantur*.

XVII. Accedebat inſuper magna copia Eccleſiarum, publicorumque Oratoriorum, ſeù Capellarum, propter quam difficilè valdè fuiſſet Epiſcopis in paſtorali munere, ac labore occupatiſſimis, atque gravatis omnia Domeſtica conſecrare Oratoria. Hinc cum quoſdam negligentes in conſecrandis Eccleſiis redargueret Synodus Londinenſis Anni 1237. cap. 1., eos tantùm ad majores Eccleſias conſecrandas, Cathedrales videlicèt, Conventuales, & Parochiales movere, & excitare voluit. Nihil ampliùs Concilium Mediolanenſe IV. Par. I. de Eccleſiarum, & Altarium Conſecr., ac noviſſimè Benedictus XIII. P. M. antiquorum Rituum cuſtos obſervantiſſimus in Synodo Rom. Anni 1725. Tit. 16. cap. 1. deſideraverunt. Hæc omnia dicta ſint ad detegendam variationem Diſciplinæ veteris, quæ primùm Domeſtica Oratoria ad Sacrificium deputata conſecrari jubebat. Etiam inter Orientales mutatam poſt Sæculum X. veterem conſimilem Diſciplinam ſatis demonſtrat Balſamon, cujus meminimus Cap. præced. num. 13., dum de introducto uſu Antimenſiorum defectum Conſecrationis ſupplentium in privatis Oratoriis diſſerit.

XVIII. Hiſce igitur de cauſis adhuc obſervatur, ut reor, conſuetudo abſtinendi à Conſecratione Domeſticorum privatorum Oratoriorum; quoniam nec convenit illic Oratorium conſecrari, a quo per mortem Privilegiati ceſſabit

pri-

privilegium Sacrificii; nec expedit in privatâ domo ſolemnitatem Conſecrationis celebrari. Hæc tantùm permitteretur in aliquâ Religioſâ Domo, vel in majori Principum magnorum Capellâ, vel demùm in Epiſcopio, ſi aliquod Oratorium illic erigeretur, in quo ut perpetuò durat facultas ſacrificandi, ita ſingulares adeſſent prærogativæ, ob quas ſolemnem Conſecrationem mereretur. At ſanè rara ſunt hujuſmodi Oratoria etiam in Monaſteriis, & Epiſcopiis erecta, quæ ritè poſſint conſecrari; quibus aliundè ſimplex *Benedictio* ſufficit. Imo ſi Oratoria in prædictis Religioſis Domibus extructa non diù in eodem loco perſeveratura probabiliter judicarentur, imprudenter priùs benedicerentur; quoniam *Benedictio*, quæ Locum aliquem ſingulariter, & perpetuò ſolis Dei obſequiis dedicat, indebitè tribuitur ædificio, quod facilè, & quamprimò deſtruendum prævidetur. Non ita res ſe habet, ubi Oratoria in Monaſteriis, ac Epiſcopiis ædificata perenniorem ſtabilitatem habitura fuerint: Nam cum in illis facultas celebrandi Sacram Agendam per ſe in perpetuùm ſit duratura, jam nihil non conforme venerationi Sacrificii peragitur, ſi priùs illa Oratoria præſcriptis ab Eccleſiâ Ritibus Deo dedicantur. Utrùm inter Regulares nimis ſit communis conſuetudo ſtabile aliquod in proprio Monaſterio Oratorium dedicandi, priuſquàm ibi Miſſæ fiant, non benè exploratum habeo. Id autem mihi certum eſt, quod ſine culpâ in nondum dedicatis ipſorum Oratoriis privatis poſſint Sacrificia peragi. Etenim ubi Canones expreſſè poſtulant Oratorii Dedicationem, non unicè reſpiciunt Locum, in quo perpetuò duratura eſt facultas celebrandi, quouſquè non evertatur; ſed directè proprièque ad publica Oratoria referuntur. Laudandi autem maximè ſunt illarum Religioſarum Domorum Patres, qui Oratorium privatum ſtabiliter divino tantùm cultui dedicant, ut majori reverentiæ ergà Sacrificium conſulant.

XIX. Modus porrò dedicandi ſive in Domibus Religioſis, ſive in Epiſcopiis privata Oratoria non eſt ille ſolemnior, quem Liber Pontificalis pro Conſecratione Eccleſiæ ab Epiſcopis tantùm facienda præſcribit: (Rariſſimè enim tanta ſolemnitas poteſt congruere privatis Oratoriis, ut paullò ante innuimus.) Sed eſt alter minùs ſolemnis, qui in Rituali Romano præſcribitur ſub Titulo *Benedictionis novæ Eccleſiæ, ſeù Oratorii faciendæ a Sacerdote de licentiâ Epiſcopi, ut ibi ſanctiſſimum Miſſæ Sacrificium celebrari poſſit*: Ritus hujus Benedictionis nihil continet, quod apprimè non conveniat vetuſtiſſimis Ritibus in Eccleſiæ Conſecratione ſervatis; in eoque tantùm differt à Ritu Conſecrationis, quod in iſtâ majores cæremoniæ, majoreque ſolemnitate adhibeantur. Quare, quantùm attinet ad effectum perenniter dedicandi Oratorium divino tantùm cultui, uterque hic Ritus idem operatur; ita ut non minùs perpetuo devota Deo remaneant Oratoria poſt illam Benedictionem, ut converti non amplius poſſint in humanos uſus, dum per Conſecrationem unicè eccleſiaſticis officiis, diviniſque obſequiis mancipantur. Quando introducta fuerit diſtinctio Benedictionis à Conſecratione meum non eſt hìc inquirere. Attamen licèt fortè non ſit tantæ antiquitatis, ſapienter nihilominùs poſt nimiam Eccleſiarum multiplicationem conſultum fuit, ne, cum graviſſimum foret Epiſcopis omnia Oratoria conſecrare, vetuſtus ille, ac Apoſtolicus Ritus ſanctificandi, Deoque dicandi certis precum formulis, ſacriſque cæremoniis Loca perpetuò deſtinata ad celebrationem divinorum myſteriorum omitteretur. Hac ratione quædam emicat differentia inter majores, minoreſ-

reſque Eccleſias, dum pro majoribus precipuè deſideratur ſolemnis *Conſecratio*, minoribus autem ſufficit *Benedictio*. Hinc etiam patet, quare aptiùs Oratoria privata Domorum Religioſarum tanquàm minores Capellæ tantummodò per Ritum Benedictionis Dei cultui perpetuò dedicari valeant; ut nempè diſcrimen etiam in hac parte inter publicam Eccleſiam, privatumque Oratorium ſervetur.

XX. Pauca iſta de Benedictione novi Oratorii privati obiter indicavimus etiam eo fine, ut negativè reſpondeamus interroganti; an ſaltem præſcriptis in Rituali precibus, ac ritibus priùs benedici debeant Oratoria in domibus privatis, quàm Indultum Miſſarum domeſticarum executioni à Privilegiatis demandetur? Hoc opportunè à nobis nunc indicatur, ne propter iſtam quæſtiunculam iterum deinceps de eodem argumento alibi pertractare cogamur. Aliquis forſan exiſtimaverit propter differentiam inter Benedictionem, & Conſecrationem rectè benedici privata Laicorum Oratoria, in quibus vivente privilegiato Miſſæ celebrari poſſunt. Verùm non ita nobis faciendum ſuadet & praxis continua, & fundamentum, undè praxis ipſa innititur. Enimverò non minùs per ſolemnem Conſecrationem perpetuo Deo devoventur Loca conſecrata, quàm per ſimplicem Benedictionem Dei tantùm cultibus Loca Benedicta dedicentur. Quanta ergo deformitas foret Oratorium Deo in perpetuùm dedicare, quod vel ad libitum Privilegiati poteſt in uſus communes converti alibi transferendo executionem Privilegii domeſticarum Miſſarum, vel ſaltem per illius mortem ineptum redditur Sacrificio, in quo potior divini cultûs ratio conſiſtit? Imò neque conveniens apparet, ut privatæ domûs Oratoria paſſim illâ prerogativâ decorentur, quæ præcipuè pro publicis Oratoriis, aliiſque nonullis intrà Religioſas Domos ædificatis reſervatur. Ut enim inter majores Eccleſias, & minora Oratoria licèt publica penè ſemper diſcrimen obſervatur circà Ritum Conſecrationis, quæ in illis tantummodò adhiberi ſolet: Ità par eſſe videtur ſuam quoque differentiam inter privata, ac publica Oratoria cuſtodiri circà Ritum Benedictionis, quæ in Rituali aſſignatur pro novis Eccleſiis, Oratoriiſve; ut videlicèt illa tantùm pro publicis adhibeatur, vel ſaltem pro iis, quæ in Religioſis Domibus exſtructa perpetuò ſunt permanſura. Sufficiet itaque Oratoriâ privatarum domorum aquâ luſtrali adſpergere, & ſuper illa recitare communem, ac generalem formulam precum, quam pro novâ benedicendâ Domo Rituale Romanum proponit.

CAPUT XIII.

De probibitione factâ à Concilio Tridentino Miſſarum intrà Oratoria Privatarum Domorum.

I. INTER alias ſollicitudines, in quibus diù ſeſe exercuerunt Patres Concilii Tridentini, ut ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium omni Religionis cultu, ac veneratione celebraretur, ea fuit, quæ Locum Divinorum Myſteriorum offerendorum reſpicit. Fuerat quidem anteà multorum Epiſcoporum vigilantiâ, ſicut ſuperius advertimus, ſtabilitum, atque eccleſiaſticarum pænarum rigore vetitum, ne ullus ſine neceſſariâ epiſcopali licentia extra Loca conſecrata celebrare Miſſam auderet. Attamen non ubique idem rigor ſervabatur, neque prompta ubique obedientia tam gravibus decretis deferebatur: Etenim multi ab Apoſtolica Sede falſis prætextibus facultatem quocumque Loco Sacrificium offerendi impetraverant; imò obtentis privilegiis abutebantur: Alii autem ſimiles licentias extorquebant ab Epiſcopis, qui cum nonnumquam ſe nimis faciles præberent Laicorum Votis multo animarum damno ſacra Loca deſerebantur; & alia paſſim mala cum dedecore, ac irreverentia erga Sacroſanctam Victimam contingebant. Nihil ergo opportunius, nihil convenientius fuit illa generali ſanctione edita ab univerſo Concilio Seſſione 22. habita die 17. Septemb. Anni 1562., qua *Decreto de obſervandis, & evitandis in Celebratione Miſſæ* ſtabilitum fuit: *Ne patiantur* (Locorum Ordinarii) *privatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda ſanctum hoc Sacrificium à Secularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi.* Quoniam verò quidam opponere poterant privilegia, conſuetudines, aut exemptiones ab Ordinariorum juriſdictione; propterea ne hæc, aliæque propter decorem cæleſtis Sacrificii à Concilio ſapienter ſtabilitæ Leges eluderentur, Epiſcopi *Delegati Sedis Apoſtolicæ* adverſus Tranſgreſſores *non obſtantibus Privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcunque* ſunt conſtituti.

II. Duo in recitatis Decreti verbis præcepit Concilium Ordinariis, illis videlicet, ad quos Rerum Eccleſiaſticarum cura, & juriſdictio pertinet, ſive Epiſcopalem Dignitatem gerant, ſive loco Epiſcoporum ſarcinam ſpiritualis regiminis ferant: 1. ne permittant Sacrificia offerri in *privatis domibus*; 2. ne pariter patiantur illa *extra Eccleſiam, & Oratorium divino tantum cultui dedicatum* celebrari. Utramque partem decreti ſimul conjunxerunt quidam Scriptores præcipue ineunte elapſo Seculo, quos recenſet Paſqualigus de Sacrif. N. Legis quæſ. 447. n. 1. & Diana Tom. IV. Oper. Coord. Tract. 2. de Orat. Priv. Reſol. 19. n. 1. atque ex hac conjunctione eò uſque progreſſi ſunt, ut Epiſcoporum Auctoritatem pro conceſſione Miſſarum celebrandarum in Oratoriis privatis, quamvis non conſecratis, nec benedictis; potiùs confirmari quàm minui, aut violari arbitraretur. Enimvero licèt fateantur, quod negare non poterant, vetitam fuiſſe Miſſarum celebrationem in privatis do-

domibus,quoties in iſtis nulla fuiſſent fixa, atque à profanis uſibus ſecreta Oratoria; adhuc tamen ubi iſta reperiebantur intra domorũ ambitus extructa, non minùs Epiſcopo integrũ fore exiſtimabant in illis Sacrificium concedere, quàm in reliquis Oratoriis Publicis ejus auctoritate fieri permittantur. Scripſerant autem aliqui hujus opinionis Patroni poſt Litteras juſſu Pauli P. V. ad omnes Epiſcopos à S. Congregatione Cardinalium Concilii Trident. Interpretum miſſas, & à nobis Cap. ſeq. recitandas, quibus nonnulli Locorum Ordinarii adhuc licentias Miſſarum in privatis Oratoriis concedentes corripiebantur; ac propterea licèt illi Scriptores faterentur nulli Epiſcoporum, ad quos Litteræ illæ pervenerant, amplius licere in Oratoriis prædictis Sacrificium permittere; tamen hanc prohibitionem non ad Concilii Tridentini Decretum, ſed unicè in novum Pontificis præceptum referebant.

III. Plurimum intereſt adversùs hujuſmodi abſonam interpretationem Tridentinæ Sanctionis inſurgere; quoniam ubi concederetur nihil deperiiſſe priſtinæ facultatis in Epiſcopis circà Oratoria in privatis domibus erecta, liberrimè poſſent etiam nunc Miſſas in iiſdem concedere, cum, ut deindè advertemus, Litteræ juſſu Pauli V. ſcriptæ Concilii decreto inniterentur, cujus executionem ſublatis falſis expoſitionibus injungebant. Semel igitur admiſsâ illorum Scriptorum opinione conſequens erit, ut Epiſcoporum priſtina auctoritas in concedendâ Miſſarum celebratione intrà Oratoria Domeſtica nullatenùs reſtricta fuerit; eamque in amplitudinem extendatur, quâ ante Concilium Tridentinum fruebatur. Quocircà vix ſuſpicari poſſum, quod Epiſcopi illi, qui reprehenduntur in Litteris juſſu Pauli P. V. ſcriptis, in tantam erroris abſurditatem devenerint, ut crederent ſibi, ſicut ante Concilium, licere in privatarum Domorum Oratoriis Miſſas concedere; quotiès apertè profeſſi eſſent Tridentinum Decretum aliquo modo reſpexiſſe ad Oratoria in privatis domibus exiſtentia. Reverà manifeſtè ſibi ipſis contradicerent, qui confitentes Tridentinis Patribus diſplicuiſſe, ut Epiſcopi permitterent ſine neceſſitate, graviſſimâque causſâ Miſſas in Oratoriis domeſticis, atque privatis, adhuc affirmarent poſt Concilium Tridentinum integram, plenamque ſuperfuiſſe priſtinam Epiſcoporum poteſtatem, qua anteà ex quacunque legitima, quamvis non omninò neceſſaria, aut graviſſimâ causſâ, in iiſdem Oratoriis licitè Sacrificium celebrari permittebant. Quamobrem valdè mirum videtur, quod aliqui priorem adoptaverint opinionem, & adhuc dixerint à Concilii Decreto fuiſſe ſalubri conſilio admonitos Epiſcopos, ne ſine causſâ legitimâ ſimiles ulli licentias Miſſarum domeſticarum, etſi in Oratoriis privatis faciendarum, concederent. Cujuſdam Anonymi Scriptiunculam Lib. 38. *Poſition.* fol. 236. legi, quæ illud inſinuare ſtudebat S. Congregationi Concilii, dum ab iſta diligenter expendebantur remedia ad auferendos abuſus, qui contrà Tridentinum Decretum excreverant. Certè ubi monitum hujuſmodi in verbis Concilii agnoſcitur, nullo modo negari poteſt ibi ſimul mentionem fieri de Miſſis, quæ intrà Domeſtica Oratoria peragebantur. Hinc ne apertè inter ſe contraria dicerent Palaus Par. I. Tract. 22. Diſp. unica Punct. 8. num. 6., & Layman Theol. Mor. Lib. 5. Trac. 5. cap. 5. num. 4.; cum illi negabant in Tridentinâ prohibitione comprehendi Oratoria etiam in domibus privatis erecta, nihil penitùs de coarctata poſt Concilium Tridentinum facultate Epiſcopali circà eadem Oratoria addiderunt: Sufficeret igitur ad validam confutatio-

tationem opinionis excipientis à Concilii Decreto omnia Oratoria Domeſtica, quamvis non benedicta, aut conſecrata, ut limitatam Epiſcoporum poteſtatem in concedendis Miſſis intrà eadem privatarum domorum Oratoria oſtenderemus. Verùm ne omninò illam directe impetere negligamus, pauca quædam ex Concilio ipſo deprompta urgeamus non tàm ad verba ipſa, quàm ad ſcopum, & intentionem Patrum Tridentinorum attendentes, ex quibus ambiguitas diſſipatur, ac ſincera ſignificatio verborum cognoſcitur.

IV. In primis autem apparent in verbis Concilii comprehenſa Oratoria in privatis domibus exiſtentia. Etenim niſi diſtinctè duo iſta; nempè celebrare in privata domo, & celebrare extra Eccleſiam, ſeù Oratorium, vetita in ſuperiùs recitato Decreto dixerimus, nihil ſpeciale decreviſſent Tridentini Patres prohibendò celebrationem in Privata Domo, quod in alterà prohibitione celebrandi extra Oratorium non eſſet ſufficienter expreſſum. Reverà ſi abſque Tridentinæ Sanctionis violatione adhuc licuiſſet in Oratoriis privatarum domorum Miſſas facere, non priùs à Concilio prohiberi debuerat Miſſarum celebratio *in privatis domibus*; Sed ſufficiebat tantummodò prohibere Sacrificium extrà Eccleſiam, & Oratoria nulla facta mentione privatæ Domus, quæ per ſe non reputabatur incapax Sacrificii, niſi cum ei fixum, ac ſtabili formâ exſtructum Oratorium deeſſet. Inutilis igitur erat prior prohibitio, quæ per ſe nihil operabatur; ac proindè ubi ſummatim teſte Card. Pallavicino Lib. 18. Hiſt. Conc. Trid. cap. 6. multa complecti voluit Concilium, ne nimis ſe in ſingula effunderet; ibi planè ſuperfluitate verborum peccaſſet. Addamus Patribus Tridentinis duo valdè inter ſe diverſa diſplicuiſſe, quæ ſimul in Decreto illo comprehenderunt. Noverant ſagaciſſimi Patres, quod Epiſcopi Miſſarum celebrationem in illis præcipuè Laicorum domibus fieri concedebant, in quibus ad Rem Divinam ſua erant parata Oratoria. Noverant etiam nonnumquam conceſſa fuiſſe Sacrificia in eorumdem domibus extrà hujuſcemodi privata Oratoria quibus domus illæ carebant. Hoc quidem deformius videbatur, ut extrà Ædem ſpecialiter divinis tantum obſequiis deputatam cæleſtia peragerentur Myſteria: Verùm alterum quoque non benè congruebat ei obligationi, qua Fideles publicas, ac conſecratas Oratoriorum Domos frequentare tenentur. Imò illa conceſſio Miſſarum in privatis Oratoriis privatarum Domorum variis obnoxia erat periculis irreverenter Res Divinas tractandi. Utrumque igitur penitùs auferrendum curavit Concilium Tridentinum ſimul decernens, ne *in privatis Domibus atque omnino extra Eccleſiam &c.* Sacrificium perageretur.

V. Aliud adhuc habemus indicium, undè perſpicuè cognoſcamus à Tridentinis Patribus non approbatam fuiſſe Miſſarum celebrationem in privatæ domûs Oratoriis; quia nempè Concilium illa ſolùm approbavit Oratoria ad liberam Sacrificii Oblationem, quæ *ad Divinum tantùm Cultum dedicata* eſſent. Equidem privata Oratoria, quantumvis muro, tectoque à prophanis cubiculis penitùs ſeparata, non poſſunt tali denominatione inſigniri, ut Pignatellus Tom. I. Conſul. 93, num. 2., aliique plures obſervant, qui propteà iiſdem domeſticis Sacellis Immunitatis Privilegium negaverunt. Propriè autem de illis tantummodò Oratoriis affirmari poteſt, quod ſint ad Divinum tantùm Cultum dedicata, quæ ita firmiter ſunt addicta divinis obſequiis, ut illa deſtruere, ac in alios uſus convertere nullus privatus homo valeat. Etenim quouſquè privati hominis dominio ſubjiciuntur, etiam ab illius arbitratu

pendent, ut vel permaneant Divino Cultui aſſignata, vel prophanis uſibus deputentur. E contrà Oratoria omnibus pervia, & publica verè *Divino tantùm Cultui dedicata* dicuntur, quatenùs nullius privata auctoritate (niſi aliter Epiſcopus judicaverit juxtà ſibi convenientem Juriſdictionem, quam in Loca ſibi ſubjecta exercet:) dirui, ac in alios uſus converti poſſunt; Sed ſemper publicæ commoditati ad Deum ibidem colendum patent. Scio planè, clariùſque inferiùs oſtendam, Oratoria privata in Domibus Religioſis retineri ſine præjudicio hujus Tridentinæ Conſtitutionis: Verùm unà ſimul exploratum eſt ipſam Domum Religioſam, in qua Oratorium privatum exſtruitur, in prophanos uſus commutari non poſſe, cum univerſim ſtatuerit Urbanus III. relatus Lib. 3. Decret. Cap. *Ad hæc*. Tit. *De Religioſ. Domib.*, quod Domus Religioſa *non debet mundanis uſibus deputari*. Cæterum hæc ipſa Oratoria Religioſarum Domorum, quia deſtinata Divinis tantùm Cultibus, ſine gravi cauſſa deſtrui, & in alium locum transferri non debent; quod obiter hìc indicaſſe ſufficiat. Prætereà non oſcitanter prætereunda eſt illa particula *dedicata*, quam Concilium Tridentinum uſurpavit, dum, quæ ab ipſo approbabantur Oratoria pro Miſſarum celebratione, expreſſit; quoniam ea ſola excludit Oratoria privata intrà privatas domos ædificata. Enimverò quomodo hujuſmodi Oratoria Divinis tantùm Cultibus *dedicata* dicemus, in quibus juxta penè undequaque receptam ante Concilium Tridentinum conſuetudinem præcedenti Capitulo explanatam nulli Conſecrationis, aut Benedictionis Eccleſiaſtici Ritus adhibentur? Certè nulla propriè Deo *dedicata* Loca appellantur, quæ priùs ſpecialibus ritibus Deo devota non fuerint. Hinc appoſitè Nicolius Lib. 5. Lucub. Canonic Tit 33. num. 7. demonſtrabat Sacrificium in privatis Laicorum Oratoriis vetitum fuiſſe à Tridentino Concilio, quia cum carerent benedictione, non poterant vera, ac rigoroſa appellatione Divino Cultui *dedicata* vocari.

VI. Conſiderandum denique eſt illud requiſitum à Concilio Tridentino propoſitum, ut Oratoria Miſſarum celebrationi idonea evadant; videlicèt eadem priùs debere deſignari, & approbari ab Ordinario. Hinc quippè vetitum fuiſſe Sacrificium in Oratoriis intrâ privatæ domûs ambitum erectis dignoſcitur. Reverà viſitatio facienda ab Epiſcopo cum deſignatione Loci olim evidens indicium Publicæ Domûs orationis fuerat. Vetera, ac recentia Sacramentaria Lector adeat in Titulo *de erectione Eccleſiæ*, ſeu *de impoſitione primarii lapidis pro ædificatione Eccleſiæ*, ubi exigitur, quod Epiſcopus Locum, & Atrium *deſignet*, Crucemque in hujus deſignationis ſignum figat. Ut enim ad Epiſcopum pertinet diligenter attendere, an expediat novum aliquod erigi Oratorium, ſeu Eccleſiam, quò liberè Fideles ad Miſſarum Solemnia conveniant: Ita quoquè ad eundem ſpectat vel per ſe, vel per alium Sacerdotem ab ipſo delegatum Cruce affixâ Locum aptum Sacro Ædificio erigendo deſignare. Extant Juſtiniani Novellæ 67. cap. 2., & 131. cap. 7., & Caroli M. Leges Lib. 5. Capitul. cap. 382. id confirmantes, quas non eſt opus recitare; neque his alia adjungere, ne multus ſim in re non meâ tractandâ. At Oratoria, quæ in privatis domibus eriguntur, nullatenùs egent hac epiſcopali deſignatione, & à quocunque liberrimè erigi poſſunt. Nunc etiam in conceſſione Sacrificii celebrandi in domeſticis Oratoriis R. Pontifex ſervat hanc differentiam; nam licèt jubeat Oratorium domûs privatæ ab Epiſcopo *Viſitari*, *& approbari*, priuſquàm in illo Sacrificium offeratur; tamen reſervat Ordinario deſignationem Loci, li-

liberam relinquens Privilegiato facultatem quacunque in parte domûs erigendi, parandive Oratorium, ſervatis omnibus illis conditionibus, propter quas approbari mereatur.

VII. Verùm dicet aliquis, cur unico verbo non abſtulit Concilium tridentinum omnes ambages apertè exigendo Oratoria *publica*? Qui talia inquirit, benè advertat, quod infra Cap. XVI. exponemus, Concilium reprobaſſe quidem celebrationem extrà Oratoria, aut in Oratoriis privatarum domorum; non tamen reprobaſſe Miſſas fieri in Oratoriis Religioſarum Domorum, multòque minus Epiſcopiorum, quamvis privata forent. Ne ergo iſta excluderet, opportunè, quantùm reor, à verbo limitante penitus Miſſarum celebrationem in Oratoriis publicis abſtinuit. Unum porrò ſubjicio videlicèt priùs Concilium excluſiſſe celebrationem in privatis Domibus; poſteà poſtulaſſe publica Oratoria ad legitimam, ac convenientem Sacrificii Actionem, quia priùs abuſus ſunt evertendi, antequàm recta morum norma præſcribatur: Unde prius omne irreverentiæ periculum prohibitis Miſſis domeſticis auferre, poſtea diſciplinam celebrandi in idoneis Oratoriis ſtabilire oportuit. Non excluſit autem Concilium illa Oratoria intra ambitum privatarum domorum exſtructa, quibus annexi erant Beneficiorum Tituli. Etenim hæc & diu poſt liberè retenta ſunt, & alicubi aliqua adhuc retinentur; quæ prohibitioni Concilii non ſunt obnoxia, quia propter Beneficiarium Titulum perpetuò dedicantur Divino Cultui, benedicuntur, & ubi adhuc tolerantur, publici Oratorii conditiones obtinent. De hujuſmodi Oratoriis aliqua diximus Cap. 3., neque hìc alia addere opus eſt, niſi S. Congregationis Cardinalium Concil. Trid. Interpretum unicum Decretum aperiens, quouſque facultas permittendi Oratoria privata in Titulum Beneficiarium erecta extendatur. Supplici Libello, qui reperitur Lib. 38. *Poſition.* in Vaticano Archivio S. Congreg., Comitiſſa quædam Eugubina expoſuerat Ampliſſimis Patribus ipſam habere in proprii Palatii atrio Ruri Capellam ſatis decenter ornatam, ad quam Incolæ Oppidi *de Loreto* anteà per plures annos pro Miſſâ audiendâ confugerant ob nimiam diſtantiam ab Eccleſiis Parochialibus. Cum autem hæc Capella comprehenderetur Decreto edito ab eâdem S. Congregatione Anno 1615., cujus nos poſtea mentionem faciemus; dicta Oratrix, *ne ipſa 70. annis nata, ac valetudinaria, totaque ejus Familia, necnon dicti Incolæ* carerent priſtina commoditate, *Capellam hanc in Titulum erigere, & propriis bonis competenter dotare pro perpetuo Capellano* cogitabat. Petebat ergo *edi deciſionem, quod poſtquam dicta Capella, ut præfertur, in Titulum erecta, & dotata fuerit, non comprehendatur dicto Congregationis Decreto*. Huic poſtulationi die 23. Julii 1616. S. Congregatio reſpondit, quod *etſi ſæpius declaraverit Capellas, quæ in Titulum perpetui Beneficii conferuntur, non comprehendi Decreto à ſe edito de privatis Oratoriis, cenſuit tamen è re non eſſe, ut hoc extendatur ad Capellas in poſterum erigendas, ac propterea nihil eſſe concedendum Oratrici &c.*

VIII. At filum diſputationis noſtræ ad alteram utiliorem inquiſitionis partem trahamus, per quam ſicut rectam, plenioremque Tridentini Decreti intelligentiam comparabimus, ita uberiùs, ac vehementiùs reſiſtere poterimus falſæ interpretationi; quoniam omnia, quæ proferemus, manifeſtò illi opponuntur, eamque rejiciunt. Oſtendamus ergo coercitam fuiſſe intrà modicas anguſtias illam poteſtatem, qua Epiſcopi ante Concilium Tridentinum fruebantur, ut in Ora-

ratior iis non conſecratis, aut benedictis, & intrà privatas domos exiſtentibus Miſſarum celebrationem permitterent, quotiès legitima cauſſa ſuadebat, quamvis hæc ipſa cauſſa nec neceſſaria, nec valdè gravis videretur. Priuſquàm verò ex Concilio ipſo argumenta eruamus, quæ id oſtendant, operæ pretium judico præmonere in Concilii Decreto non ſimplicem adhortationem, merumque monitum contineri; ſed potiùs omni rigore, ac proprietate præcepti imperatum fuiſſe Epiſcopis ea adimplere, vel impedire, quæ ibi ſummatim proponebantur, ut debitus Sacrificio honor ſervaretur: Etenim verbis Legem, Præceptumque ſonantibus ſua decreta contexuit dicens: *Decernit Sancta Synodus, ut Ordinarii Locorum Epiſcopi ea omnia prohibere &c.* Hinc dubio procul, quod deinde inter alia ibi dicitur: *Ne patiantur* Epiſcopi privatis in Domibus, & extra Oratoria idonea Sacrificium peragi; iſtud, inquam, præcepti vim obtinet, & rigoroſa lege prohibetur; ut propterea reus negatæ obedientiæ habeatur, qui imperata facere negligit. Alterum adhuc præmonere oportet, ut omnis occaſio æquivocationibus ſubtrahatur, videlicet Poteſtatem aliquam, cujus exercitium, & auctoritas in eo tantùm conſiſtit, ut reddat licitam actionem, quæ aliàs non niſi illicitè perageretur, tunc coarctari, aut penitùs auferri; quando actio ipſa, in quam exerceatur, vel nunquam in poſterùm facienda permittitur; vel tantummodò in quibuſdam circumſtantiis velut licita conceditur ab eo qui majori Poteſtate, ac Juriſdictione gaudet. Certè ſi terminus, in quem tendere poteſt alicujus Jurisdictio, atque Facultas, univerſim prohibetur, vel ſolùm ad certos limites, & intrà certas conditiones reſtringitur, conſequens eſt, ut ſimul deleatur, aut coarctetur ad eaſdem circumſtantias Facultas ipſa, cujus amplitudo menſurari debet juxtà majorem, vel minorem frequentiam effectùs, in quem prodire poteſt; cum nequeat prohiberi opus, niſi ſimul intelligatur impedita Facultas, quæ idem opus permittere poterat; quæque in ejuſdem Operis conceſſionem omnem ſuam virtutem exercebat. Quid enim Poteſtatis poſt prohibitionem Operis factam ab Habente Superiorem Juriſdictionem remanet in eo, qui antea opus ipſum liberè poterat permittere? Nam ubi actio à Superiore prohibetur, illicita omnino erit, etſi concederetur ab altero, qui minore gaudeat auctoritate; quoniam iſtius licentia non redderet licitam actionem, quam Superior prohibendo illicitam reddidit. Ex hoc autem, quod actio illicita foret; etiamſi conſentiente Inferiore perageretur, clarè apparet, quod in iſto priſtina non perſeverat Poteſtas, cujus virtute ac conceſſione anteà honeſta, ac licita actio reddebatur. Id porrò plurimùm illuſtrabit ſequentia; quoniam ſi ex Tridentinâ Lege inferamus vetitum fuiſſe Epiſcopis concedere Miſſarum celebrationem in privatis Oratoriis ſine graviſſimis, vel neceſſariis cauſſis; ſimul etiam inferre oportebit poteſtatem ipſam Epiſcoporum limitatam fuiſſe intrà anguſtiores limites, quàm foret antè Concilium, antè cujus Decretum benè poterant eâdem poteſtate uti, quoties rationabilis, quamvis non valdè gravis cauſſa ad exercitium propriæ facultatis moviſſet. His præmiſſis proferam limitatæ Poteſtatis Epiſcoporum argumenta, quæ ponderato fine, ac ſcopo Decreti Tridentini eruuntur.

IX. Atque in primis ſi ſolùm Tridentini Patres abuſum epiſcopalis poteſtatis in frequenti conceſſione Miſſarum domeſticarum ſine rationabili cauſsâ coercere ſtuduerint, nihil novi profectò decreviſſent, quod vel Divini Sacrificii ratio per

ſe

ſe ipſam abundè non ſuaderet, vel ſæpiùs non juſſiſſent diverſis in Conciliis repetitæ, & perenni inter cordatos Epiſcopos obſervatione firmatæ Leges non alibi ſine legitimâ cauſsâ permittendi Sacrificium, quàm in Locis Deo Sacris; ac ubi ſimul Populus liberè convenire poſſet. Eccur enim neceſſarium erat in Concilio Tridentino generatim prohibere Epiſcopis omnibus, ne ullum Sacerdotem paterentur in domibus privatis extrà Oratoria ad Divinum tantùm Cultum dedicata celebrare Sacrificium; ſi nulla ex parte illorum poteſtas in eodem concedendo reſtringebatur? Sollicitè quippè etiam anteà Epiſcopi impediebant Miſſarum celebrationem in ſimilibus Oratoriis, pro quibus aut manifeſtum non extabat Apoſtolicæ Sedis Privilegium, aut epiſcopalis licentia data non fuerat. Vigebant tunc quoque generales Sanctiones incorpore Juris inſertæ, quibus nimis faciles, & ſine legitimâ cauſsâ ab Epiſcopis impetratæ diſpenſationes Miſſarum celebrandarum extrà Loca Sacra reprobabantur. Ad eas igitur legendas, ſequendaſque ſufficiebat Epiſcopos propria facultate abutentes ablegare; non vero novum Decretum, Legemve condere opus erat. Si aliud Patres Tridentini non deſiderabant, quàm quoſdam Ordinarios de nimiâ indulgentiâ corrigere, eorumque exceſſus emendare, non ad omnes Epiſcopos ſermonem convertere oportebat; cum non tàm frequenter inveniretur, cui talis correctionis medela applicanda foret. Saltem aliquo verbo debuiſſet Concilium ſignificare, quod ſolam facilitatem, & immoderatam frequentiam domeſticarum Miſſarum reprobaret. At non ita Lex à ſapientiſſimis, providiſque Patribus dictata fuit: Nullum Epiſcoporum excipit: Omnes alloquitur: Ab omnibus expoſcit, *ne patiantur* quemquam non tàm in privatis domibus, quam extra Oratoria Divinis tantum Cultibus dedicata, ac ideò neque in Oratoriis Privatis eorumdem domorum celebrare. Quomodo ergo cohærere poterit obſervantia hujus novæ Legis integrâ ſuperſtite priore poteſtate epiſcopali?

X. Dicamus, Epiſcopos liberè, legitimâ tamen tantum ex cauſsâ, ſed nullâ verè urgente neceſſitate poſſe, ſicut ante Concilii tempora, diſpenſationes Miſſarum in privatis Oratoriis Laicorum concedere; id paterentur utique, quod, *ne patiantur*, prohibitum fuit: Unde cum impedire deberent, quod Concilium arceri juſſit; illi è contra priſtinâ poteſtate utentes promoviſſent, auxiſſentque. Certè dum aliquid fieri prohibetur, etiam impeditur poteſtas, ex cujus exercitio vetitum opus conſequitur; quoniam, ut ſuprà diximus, non poteſt non conſtringi poteſtas, quæ actionem permittat, quoties actio ipſa ut illicita prohibeatur a Superioris auctoritate. Ut enim illicite Epiſcopus toleraret domeſticam illam Miſsæ celebrationem; ita etiam non deſineret eſſe illicita, ac vetita eadem celebratio, quantumvis Epiſcopus ſuæ poteſtatis limites traſgrediendo illam concederet. Demùm, ne ſingula proſequar non ſine tædio Legentium, finis profectò fuit Concilii in eâ Lege concedendâ illicitæ celebrationis Miſſarum pericula auferre; & cum ex copiâ Privilegiorum anteà conceſſorum clare, certoque prænoſſet vix eadem deinceps impediri poſſe mala, niſi penitus conceſſæ gratiæ caſſarentur; propterea omnia Privilegia delevit, omnes conſuetudines evertit, omnes exemptiones diſſipavit; atque ad has evellendas Epiſcopos Apoſtolicæ Sedis auctoritate adversùs inobedientes munivit. Verum ò inutiles Concilii ſollicitudines! infirma remedia! Si permanere voluiſſet, ſicut anteà plenam, ac integram epiſcopalem poteſtatem in Privilegiis talibus concedendis, apertam adhuc relinquebat viam periculis illicitæ celebrationis, quibus obſtruendis laborare ſtuduit. Orta quidem fuerant aliquandò

quandò eadem incommoda ex Privilegiis a R. Pontifice obtentis, quibus ſocordes & ingrati Privilegiati abutebantur. Attamen multo frequentiùs oritura ex Privilegiis ab unoquoque Epiſcopo concedendis prudentiſſimè timeri, ac prævideri debuerant. Quanto enim plures ſunt Concedentes, tantò faciliùs irrepunt pericula illegitimæ conceſſionis. Ut ergo obviam irent majoribus malis; utque manifeſtis periculis irreverentiæ in Miſſarum celebratione aditum præcluderent, ſagaciſſimi Epiſcopi in Tridentino Concilio prædictam Conſtitutionem efformantes ſuæ poteſtatis amplitudinem ſpontè coarctare, ac deponere melius judicarunt.

XI. Uberiorem, clarioremque demonſtrationem coarctatæ à Concilio Triden. Epiſcopalis Juriſdictionis qua antea Miſſas in Oratoriis privatarum domorum paſſim, etſi legitimis ex cauſſis, non tamen ſemper omnino neceſſariis permittebant, nobis paravimus excurrendo Concilia, quæ Triden. perfecto, & Apoſtolica Auctoritate confirmato in pluribus Provinciis collecta fuerunt, ut quod generalis Synodus ſtabiliverat, in ſingulis Regionibus Epiſcopi leges Tridentinis Sanctionibus penitùs concordes ſtatuendo promulgarent. Dum enim evolverem Statuta hujuſmodi Provincialia, in multa incidi, quæ ſeveriſſimè, & univerſim prohibebant Sacrificium extrà Eccleſias, & Oratoria publica celebrare. Pauca autem occurrerunt, in quibus aliquod veſtigium concedendæ ab Epiſcopis licentiæ pro celebratione in privatis Oratoriis innoteſceret: Imò ubi id apparuit, ſimul vehementer inculcatum adverti, ne ſine *magnâ, & neceſſariâ cauſſâ* ab Epiſcopis concederetur. Duobus in Conciliis Mediolanenſibus meminit S. Carolus Oratorii privati auctoritate Epiſcopi permittendi: Attamen tantâ difficultate illud concedi poſſe declarat, ut præter neceſſitatem, aut graviſſimam aliam cauſſam illicitum eſſe ſignificet. Ita in I. Concilio Anni 1565. Par. 2. Tit. 5. primùm recitat Tridentinæ Legis verba, deindè ſubjungit: *Oratoriorum autem ædificationem, aut uſum ne facilè, ſed MAGNA DE CAUSSA permittant Epiſcopi*. In IV. Concilio anni 1576. iterum decernit Par. 2. Tit. 10. *Epiſcopus omnibus Miſſam in Oratorio Privato celebrandi facultatibus hactenus conceſſis certos limites, modumque præfiniat; ita ut præter cauſſas, quas MAGNAS, ET URGENTES is judicaverit, in ipſis privatis Oratoriis Miſſam celebrari ex facultatibus illis deinceps non liceat, niſi hoc fuerit à Sede Apoſtolicâ indultum. Quam moderationem diligenter adhibeat, ſi quandò in poſterùm ejuſmodi facultatem concedendam cenſuerit*. Nictitat profectò, qui in his Provinciæ Mediolanenſis Decretis non intelligit ex Concili Tridentini Decreto, prod proptereà præmiſſum fuit, derivaſſe illam coarctationem factam, ut Epiſcopi non niſi *magnâ urgenteque ex cauſſâ in poſterùm* facultatem celebrandi in Oratoriis privatis concederent. Nictitat pariter, qui non advertit quantum diſcrimen S. Carolus inter diſpenſationes ab Apoſtolicâ Sede indulgendas, ſeu indultas, & diſpenſationes Epiſcoporum fecerit. Eas quippè ad tantas anguſtias coarctandas non eſſe profitebatur, intrà quas ex præmiſſâ Lege Tridentinâ noverat contineri ſuperſtitem Epiſcoporum facultatem. Hinc ignoro, qua ratione Jo: Giuſſanus diligens ceteroquin Scriptor Vitæ S. Caroli ſcripſerit Lib. 8. cap. 4. tàm rigidè S. Præſulem prohibuiſſe Miſſas in Domeſticis Capellis; ut eas neque Urbis Gubernatori permittere voluerit, quamvis pro ipſarum celebratione ab Apoſtolicà Sede Privilegium obtinuiſſet. Tantus rigor, qui in dedecus Pontificiæ Diſpenſationis redundaſſet, congruere cum S. Caroli Provincialibus Statutis nequibat. Imò quæ Mediolani à Patribus Barnabitis in Collegio S. Alexandri diligentiſſimè cuſtoditur Epiſtola S. Caroli

roli Romam ad Cæſarem Speciani miſſa pro conſervatione Ambroſiani Ritûs, quæque edita fuit in Bibliothecâ PP. Barnabitarum Pariſienſium, Giuſſanum confutat his verbis, quæ Urbis Gubernatorem reſpiciunt: *Già ſua Santità gli aveva permeſſo di far dire* (la Meſſa) *nella ſua Capella, nè io mai hò contradetto à queſta licenza.*

XII. Non diſſimili modo ab eo, quem tenuit S. Carolus, juxta Tridentinum ſuos condere Canones profitebatur Concilium Toloſanum Anni 1590. Par. 2. cap. 6. dicens *Miſſæ in Eccleſiis tantùm publicè, non privatim in Ædium Oratoriis ab Epiſcopo non temerè unicuique concedendis, niſi PERNECESSARIUM ſit, accedatque Epiſcopi venia, celebrentur.* Non alio ſenſu exponendum puto Synodi Mexicanæ Anni 1585. Lib. III. Tit. 55 §. 11. decretum, quo recitatis Tridentini verbis ſtatuit: *Ex nunc verò facultates omnes ad id quovis modo conceſſæ revocantur*; *Epiſcopique admonentur, ut deinceps cautè ipſi per ſe, & ad tempus limitatum eas concedant.* Non alio, inquam, ſenſu formam hujus decreti interpretor: Etenim non erat opus hujus majoris cautelæ mentionem fieri, cum niſi apertè exorbitando à juſtâ moderatione etiam antè Synodum Tridentinam vetitum fuiſſe dixerim ſine legitimâ cauſsâ in privatis, domeſticiſque Oratoriis celebrationem Miſſarum concedere. Intellexit itaque Mexicana Synodus arctiorem redditam poteſtatem Epiſcoporum per Tridentinam Sanctionem; atque ut *cautè* deinceps, & nonniſi *ad tempus limitatum* in eâ largiendâ ſe gererent Epiſcopi, Mexicanæ Provinciæ Concilium imperavit.

XIII. Reliqua Concilia Provincialia in Galliis, in Italiâ, & alibi convocata vel nihil ſpeciale de Loco Miſſæ celebrandæ ſtatuerunt ſupponendo in Eccleſiis publicis fieri debere, ut Concilium Rothomagenſe Anni 1581. Titul *de Curatorum Officiis*; vel ſi de Loco Miſſæ celebrandæ diſtinctè meminerunt, unicè generalem prohibitionem factam in Synodo Tridentinâ promulgando, & innovando nihil penitùs addiderunt, unde liberè perſeverans in Epiſcopis facultas diſpenſandi circà domeſticam celebrationem colligi àquoquam poſſet. Ita ſe geſſerunt Concilia Anni 1583. Remenſe Tit. *de Euchariſt.* num 16. Burdigalenſe Tit. 5., & Turonenſe, quod cap. 8. *pœnam ſuſpenſionis celebrantibus in domibus privatis, etiam Nobilium, aut aliorum Potentum* addidit. Ita ſe geſſerunt Concilium Bituricenſe An. 1584. Tit. 23. Can. 5. 5, Beneventanum An. 1567. ſub Jacobo Card. Sabellio Tit. 5. cap. 1., & aliud Anni 1599. ſub Maximiliano de Palumbaria Tit. 16. c.4., (Extant in Synodico Benevent. edito operâ Benedicti P. XIII.) Aquilejenſe An. 1596. Tit.4., & Mechlinienſe An. 1607. Tit. 12. cap. 15. ſub Paulo V. à Sacrâ Congregatione Cardinalium recognitum, atque probatum. At verò nonne incredibile penitus eſt omnes Epiſcopos, qui in tot Conciliis Provincialibus adfuerunt, de Epiſcopali auctoritate, ac poteſtate, concedendi Miſſarum celebrationem in privatæ domûs Oratoriis omnino tacuiſſe, ſi per Concilium Tridentinum, cujus Leges ſequi, atque ex illis proprios excerpere Canones profitebantur, liberam ipſis fuiſſe relictam poteſtatem hujuſmodi novisſent? Imò potius valdè opportunè id agere debuisſent, ut ſubditos docerent, ad quem confugere oportebat, quoties ſimilem diſpenſationem impetrare deſiderasſent. Saltem ad propria tuenda jura neceſsarium erat ſuperſtitem in ipſis priſtinæ poteſtatis amplitudinem commemorare illâ ipsâ occaſione, in quâ de celebratione faciendâ tantummodò in Eccleſiis, publiciſque Oratoriis omnes monebant.

XIV. Addo libenter ſtatutum Synodale Anni 1577. Martini Rithovii Epiſcopi Iprenſis, qui Triden. Concilio adfuerat, ut ex illo illuſtretur, quàm

quàm verè dicatur ſingulis Epiſcopis à Tridentinis Patribus vetitum liberè domeſtici Sacrificii facultatem concedere. Recitat Martinus Tit. 15. cap. 4. verba ſuperiùs inſerta ex Seſſ. 22., ſtatimque ſubjungit: *Quæ quidem Ordinatio, ut pro rei gravitate fideliorem obſervationem habeat, mandamus omnibus Presbyteris Nobis ſubditis, ne quis prætextu antiquorum Statutorum, aut conſuetudinis extra Eccleſiam, aut hujuſmodi Oratoria* (de quibus loquitur Tridentinum) *deinceps Miſſam celebrare præſumat. Injungentes omnibus Paſtoribus, & Presbyteris, ne deinceps dictæ Ordinationi Concilii Tridentini contraveniant; & etiam Laicis quibuſcunque, ne per aliquos Presbyteros etiam exemptos in ſuis Ædibus Sacroſanctum Miſſæ Officium aliquâ ratione celebrari patiantur, aut petant, in pœnam arbitrariæ correctionis.* Hæc qui legit Rithovii Statuta illicitò intelligit edita eſſe, ut quod omnibus præceperat Epiſcopis Concilium Tridentinum, diligenter ipſe in ſubditis *obſervationem* Tridentinæ *Ordinationis* exequeretur. Præceptum ergò Tridentini præcipuè Epiſcopos affecit; quia non meliùs impediri poterant abuſus in domeſticis Sacrificiis, quàm Epiſcopis prohibendo, ne concederent Privilegia, quæ primùm liberè largiebantur. Cupiebat Van-Eſpen Par. 2. Tit. 5. cap. 8. Rithovii Synodum legi; quod etiam nos cupimus, credentes tamen nihil aliud indè erui, quàm ſtrictas anguſtias, in quas ſe Epiſcopi Tridentini Concilii Legibus conjectos fuiſſe noverant.

XV. In unicum nos incidimus Narbonenſe Concilium Anni 1609., quod levem aliquam ſuſpicionen primò ingerebat adverſus ea, quæ hactenùs de coàrctatione Epiſcopalis Poteſtatis in concedendis Miſſis domeſticis diximus. Videtur quippe Concilium illud cap. 19. ſupponere, quod ex merâ Epiſcoporum licentiâ in domibus privatis celebrari Sacrificia poſſint: *Nec* ait, *celebrentur Miſſæ in domibus privatis etiam Magnatum, & Potentum niſi eſſet Sacellum ad hoc ſpecialiter conſtructum, & per Epiſcopum, aut de ejus mandato benedictum*: Tum cap. 39. generatim ſtatuit, *ut Eccleſiæ, Capellæ, & Altaria de novo non coſtruantur publice, vel privatim in Domibus Regularium, Secularium, aut Laicorum ſine expreſsâ Ordinarii licentiâ in ſcriptis conceſſâ*. Joannes Valerus Monachus Carthuſienſis Hiſpanus de different. utriuſque Fori V. Miſſa, Differ. 2. allegat Concilium III. Tarraconæ factum poſt Concilium Tridentinum ſub Tit. de Celebr. Miſſar. Cap. Unico §. *Prohibet*, ubi decrevit, *ut ne dum in Sacellis eremiticis, & aliis Eccleſiis, ſed etiam in Capellis domorum privatarum, ſi decenter ornatæ, clauſæ, & ſeparatæ a cubiculis fuerint, poſſint Epiſcopi dare facultatem celebrandi poſt earum viſionem*. Tribuit Valerus hujuſmodi decretum *ignorantiæ* conditæ Legis à Concilio Triden., ac proindè monet, quod etiam in Cataloniâ multis ab hinc annis viget conſuetudo, ab Apoſtolicâ Sede poſtulandi privilegium Miſſarum celebrandarum in Oratoriis privatarum domorum, ut licitè ibidem peragantur. Mitiùs tamen ego; & quantùm ad Tarraconenſe Concilium, ſicut etiam ad cap. 19 Concilii Narbonenſis ſpectat, potiùs dicendum exiſtimo, illic videlicèt eſſe ſermonem de Capellis erectis in domibus privatis, ſed *Benedictis*; ac propterea de illis Oratoriis agi, quæ licèt intrà ambitum privatæ domûs exiſterent aliquam rationem publicitatis habebant.

XVI. Cæterùm ſi benè perpendantur Narbonenſia Statuta, aut tantum emendabant abuſum fortè apud nonnullos Magnates, & Potentes irrepentem extrà Oratorium celebrandi; aut præcavebant pericula celebrationis domeſticæ, ſingulos monendo, ut licentiam *in ſcriptis* peterent ab Ordinario, priùſquam in domibus Altaria erigerent. Quando autem

hanc

hanc licentiam poſſent elargiri Epiſcopi, non determinant. Crediderim ego etiam Narbonenſis Concilii Patribus iſtam fuiſſe ſententiam, quod graviſſimis tantùm ex cauſſis poſſent prædictam dare diſpenſationem. Nam ubi aliud inſinuaſſent ipſorum Statuta, procul dubio Cardinalibus S. Concil. Trident. Interpretibus diſplicuiſſent; nec in hac parte obtinuiſſent, ſicut arbitror, approbationem, quam tamen priuſquàm publicarentur, poſtulavit *de more*, & impetravit factâ aliquâ emendatione Narbonenſis Archiepiſcopus Anno 1611. Fagnano Congregationis Secretario, ut in Collect. Concil. Harduini Ed Par. Tom. ult. pag. 55. reperitur.

XVII. Adversùs falſas interpretationes Tridentini Decreti, & ad oſtendendam coarctationem Epiſcopalis Poteſtatis circà Miſſarum celebrationem in privatis Oratoriis; duo alia adhuc, eademque validiſſima argumenta opponuntur. Primum ſuppeditat ſtatim poſt Concilii Tridentini promulgationem communiter receptus mos, quo ad Apoſtolicam Sedem illi confugiebant, qui in propriis Oratoriis Miſſarum domeſticarum privilegio gaudere deſiderabant. Reverà ſi nihil aliud proferretur, adhuc abundè pateſceret ſincerus ſenſus Conciliaris Sanctionis, cum ad legum legitimam interpretationem praxis ipſa, & conſuetudo plurimùm valeat; ſæpiuſque obſcura legum verba ex communi obſervantiâ ſibi nitorem comparent. Alterum argumentum ſumitur ex declarationibus factis à Sacrâ Congregatione S. R, E. Cardinalium, qui ad interpretationem Triden. Concilii ſuper dubia oritura fuerunt delecti, ac conſtituti idonei interpretes. Profectò Pius IV. P. probans, atque confirmans univerſa Concilii Decreta Anno 1563. VII. Kalen Februar. *ad vitandam perverſionem, & confuſionem, quæ oriri poſſet, ſi unicuique liceret, pro ut ei luberet, in decreta Concilii Commentarios, & Interpretationes ſuas edere*, Apoſtolicâ Auctoritate omnibus prohibuit, *ullum omninò interpretationis genus ſuper ipſius Concilii decretis quocumque modo edere &c. Si cui verò aliquid obſcurius dictum, & ſtatutum fuiſſe, eamque ob cauſſam interpretatione, aut deciſione aliquâ egere viſum fuerit*; ad Sedem Apoſtolicam accedere juſſit, à qua *difficultates* declararentur, deciderenturque, *quemadmodùm ipſa quoque S. Synodus decrevit*. Ad hanc interpretationem Decretorum Tridentinorum Sixtus P. V. Anno 1588. Conſtitut. *Immenſa* inſtituit Ampliſſim. Cardinalium Congregationem, quos præfecit *interpretationi, & executioni Concilii Tridentini*, ac *interpretandi facultatem* illis contulit, Pontifice tamen conſulto *in his, quæ de morum reformatione, diſciplinâ &c. aliiſque hujuſmodi ſtatuta ſunt* à Concilio; & ſoli Pontifici reſervatis iis, quæ ad fidei dogmata pertinent.

XVIII. Undè igitur clariùs, undè ſecuriùs mentem Concilii in recitato Decreto aſſequemur, quam recurrendo ad declarationes ab eàdem Congregatione identidem emanatas? Ab hac proindè Archiepiſcopi, & Epiſcopi, quotquot poſt Concilium Tridentinum in propriis Provinciis Synodos collegerunt, approbari, aut ſi fortè minùs Concilio Tridentino concinerent, emendari poſtularunt Synodalia ſua Decreta, priuſquam promulgarentur. In recognoſcendis autem hujuſmodi Synodis, quam regulam tenuerit Sacra Congregatio, in Archivio ejuſdem Lib. 10. Litter. fol. 230. ſpecimen vidi occaſione Synodi Provincialis Anno 1625. ab Archiepiſc., & Cardinali Ampliſſimo de Surdis Burdigalæ celebratæ. Jam vero morem hunc mittendi ad ſacram illam Congregationem Decreta Synodalia retinuerant Epiſcopi

etiam ſub Gregorio XIII. Sixti V. Prædeceſſore: Nam ad eandem Congregationem Provincialia Concilia, Remenſe, Burdigalenſe, Turonenſe &c. pro confirmatione miſſa ſunt, & emendata, aut probata *ab Cardinalibus ſuper Rebus ad OEcumenici Concilii Decreta pertinentibus* à Gregorio *præfectis* uti loquitur idem Pontifex in Litteris ad Archiep. Turonenſem ſcriptis die 8. Octobris Anno 1584., quæ editæ ſunt ab Harduino Tom. X. Concil. pag. 1452. Ed. Par. Meritò itaque in has ſacræ Congregationis declarationes tanquàm in tutiſſimas regulas intendere debemus. At verò quæ fuerit praxis, quæve declarationes prodierint ad ſenſum manifeſtandum Tridentini Decreti, de quo agimus, fuſiùs exponamus.

CAPUT XIV.

De Obedientiâ præſtitâ Decreto Unico Seſſ. XXII. Concilii Trident., & de Declarationibus ejus Cauſsâ editis à S. Congregatione Concilii Interprete.

I. CUm primum promulgatum fuit Concil. Tridentinum impediviſſe Epiſcopos, paucis fortè exceptis, Miſſarum celebrationem in Oratoriis intra privatas domos exſtructis nullatenùs dubitare me ſinunt plurimæ Provinciales Synodi, quas Cap. præced. commemoravi. Imò licèt aliqui Epiſcopi opportunum exiſtimarent, ſaltem occaſione aut gravis infirmitatis, aut Viatici miniſtrandi, Infirmos ſpirituali conſolatione domeſticarum Miſſarum fovere, atque ad iſtas concedendas ſæpiùs multorum Ægrotorum precibus moverentur; adhuc tamen prudentiſſimi Præſules non auſi ſunt quidquam moliri, merito verentes indè violari Tridentinas Leges. Potius conſulere ſtuduerunt S. Congreg. Cardin., qui pro interpretandâ Concilii mente à RR. Pontificibus ſelecti fuerant. Ità planè ſe geſſerunt ampliſſimus Cardinalis Paleottus Archiep. Bononien. Anno 1566., & alter eximius Cardinalis Infans Portugalliæ in Regno illo Apoſtolicus Legatus Anno 1575., quorum literas ad S. Congregationem miſſas Cap. ſeq. recitabimus. Hinc quia, poſt promulgationem, executionemque Concilii Tridentini nulla ſpes eſſe poterat, ut ab aliis impetrarentur legitimæ licentiæ celebrandi in privatæ domûs Oratoriis; propterea qui hoc ſingulari privilegio frui deſiderabant, ex multis Orbis Chriſtiani Provinciis ad Apoſtolicam Sedem ſupplices libellos mittebant, vel ad Sacr. Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, à quibus R. Pontifex priùs examinari preces ipſi porrectas jubebat. In Regeſtis Secretariæ Brevium Apoſtolicorum recenſentur Litteræ in formâ Brevis, quibus Sanctus Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V., aliique deinceps RR. Pontifices multis Oratoribus ex quamplurimis etiam remotiſſimis Regnis ad ipſos convolantibus Privilegia Miſſarum intrà Oratoria privata celebrandarum conceſſerunt. In Archivio ſimiliter Congr. Concil. apud S. Petrum, in quo diligenter cuſtodiuntur Libri *Poſitionum*, ideſt Supplicationum, & Cauſſarum ab illâ deciſarum, extant Volumine ſignato num. 41. fol. 61., & ſeqq. mul-

ti ſupplices Libelli ad eam non ſolum ab Europæ Provinciis, verùm etiam ab Oris Americanis miſſi vivente Card. Alciato, qui ſub S. Pio V. Congregationis præfectus fuerat. At vero niſi Tridentinum Decretum anteà recitatum ſtatim vim ſuam exeruiſſet, ex remotiſſimis ſaltèm Regionibus tot ad R. Pontificem pro domeſticâ Miſſarum celebratione preces non perveniſſent.

II. Multò autem magis ex hac frequentiâ Oratorum ad Apoſtolicam Sedem confugientium præſtita tunc illi Triden. Sanctioni obedientia deprehenditur, quo advertimus ad cauſſas, quæ in ſupplicibus Libellis exprimebantur, ut Clementiſſimi Pontifices faciliùs ad deſideratam indulgentiam flecterentur. Vix ullus tunc audebat petere beneficium ſpirituale Sacrificii in Oratorio privatæ domûs celebrandi, qui præter nobilitatem ſæpè cum juriſdictione temporali in aliquibus Oppidis Caſtriſque conjunctam, ſimul non aperiret vel gravem infirmitatem, vel aliud ſimile impedimentum prohibens ad publicas Eccleſias accedere. Longus ero, ſi integrum hìc voluero catalogum texere eorum, qui primis illis poſt Concilium temporibus humiliter poſtulantes à R. Pontifice privilegium Miſſæ intrà Oratoria exprimebant cauſſas infirmitatis. Plurimos ſanè in prædictis Codicibus Oratores reperi, qui non ſolum Generis Nobilitatem, Dignitatem in Republicâ, Juriſdictionem in Feudis indicabant; ſed vel gravem ſenectam; vel podagram, vel nimiam corporis obeſitatem, vel oculorum, virium, ſimileſque infirmitates humiliter enarrabant; ut R. Pontifex ipſis, *& eorum infirmitatibus more pii Patris compatiens, durantibus ipſorum infirmitatibus* licentiam, & facultatem tribuere dignaretur, ut in Oratorio propriæ habitationis ab Ordinario viſitando, & approbando Miſſam celebrari facere poſſent.

III. Si qui verò non enarratâ infirmitate pro ſimili conceſſione Pontificem exorabant; alias ſanè valdè graves afferebant cauſſas, quæ ad favorem impetrandum ſufficerent. Hinc modò Virginum, & Puellarum Nobilium ſine variis periculis & gravibus incommodis domo egredi non valentium impedimenta proponebant, ut in lib. 41. *Poſitionum* fol. 111. & 138. in Melitenſi, & Aquilana legi. Modo aperiebant gravia, ac publica, quæ ab ipſis gerebantur munera, & difficilem aditum ad Eccleſias reddebant. Propter hunc finem S. Pius V. Anno 1567., & Anno 1568. Papale Indultum domeſtici Sacrificii in Oratorio celebrandi conceſſit duobus Secretariis Regiis Portugalliæ; atque Sixtus P. V. Anno 1586. idem conceſſit cuidam Auditori Regiæ Audientiæ Mexicanæ, ut in Regeſtis Secretariæ Brevium adverti. Modo nimiam diſtantiam ab Eccleſiis publicis, ac nimiam viarum difficultatem, ſimiliaque alia obſtacula manifeſtabant. Has cauſſas inter alios Nobilis quidam Barchinonenſis expreſſit in ſuo ſupplici Libello, qui reperitur in prædicto Tom. 41. fol. 68., his verbis: *Beatiſſime Pater. Cum devotus Sanctitatis V. Orator Nobilis NN. Dominus Caſtri de LLinas Diœc. Barchinonenſ. Caſtrum novum habeat, in quo propriam reſidentiam ſuæ habitationis facit plurimum diſtans a Parochiali Eccleſia ejuſdem Loci de LLinas, & in itinere ſit fluvius interpoſitus, ob cujus frequentes inundationes ſæpiſſime impediuntur, quominus ad divina officia, & Miſſas audiendas proficiſci poſſint, ac ideò ob ſingularem, & eximium ſinceræ devotionis affectum Miſſam Domi ſuæ celebrari facere poſſe, & ad hunc effectum unum ibi locum idoneum, & convenientem ſpecialiter deputare ſummopere deſideret, ſi ſibi ad id V. Sanctitatis licentia ſuffragetur. Supplicat igitur humiliter &c.* Similes cauſſas, atque diſtantiam per unam leucam à Civitate Cæſarauguſtanâ protulerant quidam Oratores Nobiles; quibus proinde Sacra Congre-

gatio die 6. Julii An. 1571. cenſuit *concedendum indultum pro Miſſa in Oratorio privato*.

IV. Ob meram nobilitatem pauciſſimi tunc ſperabant ab Apoſtolicâ Sede impetrare licentiam Miſſarum domeſticarum. Imò Tom. 26. *Poſitionum*, in quo continentur ea, quæ ſub Card. Mathæi Præfecto tempore Gregorii XIII., & deinceps in S. Congregatione fuerunt pertractata, reperio fol. 129., quod *relatis ad Sanctiſſimum ſupplicibus aliquorum libellis poſtulantium facultatem habendi Oratorium domi pro miſſis celebrandis; Sanctitas Sua injunxit Congregationi Concilii, ut ageret de præſcribendis Conditionibus, quibus expediret concedere. Congregatio Concilii cenſuit ſimiles facultates eſſe de cætero concedendas adhibitis infraſcriptis cautionibus; quibus ad Sanctiſſimum relatis Sanctitas Sua eas probavit, & Datario* (a quo tum Privil. hujuſmodi tradi ſolebant) *tranſmitti mandavit*. Inter quinque autem Conditiones ſecunda hæc erat; *ut Facultas hæc non concedatur niſi Viris, aut Fœminis primariis morbo, aut alia cauſſa impeditis, ne ad Eccleſiam accedant*. Solum cum iis, qui præcelsâ quadam dignitate fulgerent, multoque magis cum Magnis Principibus facilius diſpenſari poterat, maximè cum non poterant non gravia permiſceri incommoda in ſimilibus Principibus; ſi vel ipſi, vel ipſorum Aulici Miniſtri quotidiè ad publicas Eccleſias propter Sacrificium ire compellerentur. In eodem Lib. 41. *Poſitionum* fol. 50., & 53. exſtat inſtructio Luſitanico, & Italico ſermone deſcripta, quo Magna Portugaliæ Principiſſa Miniſtro ſuo in Urbe degenti iſta ſuggerebat: *Quel che domando à Sua Santitá, è la licentia per poter far celebrare Meſſa in Caſa mia in luogo decente per me, e tutte le mie ancille, e ſervitrici, perciocchè non hò uſcito mai à udirla fuori; ne il ſtato, qualita, e conſuetudine del Paeſe il permette, nè manco poſſono andar a udirla ſeſſanta Donne, che ſono in Caſa mia, alla Chieſa. E che udendola nel detto Luogo a Caſa mia così io, come le mie ſervitrici, e ſervitori nelli giorni delle Domeniche, & Feſtivi ſatisfariano all'obbligazione della Chieſa ſenza pregiudizio della Parochia*. Poſtulat deinde facultatem ingrediendi Clauſtra Monialium, & addit: *Non oſtante il Concilio Tridentino, perchè innanzi di eſſo io avevo già tutti queſti Privilegi conceſſi per li Papi, e Nuncii, e Generali Miniſtri dell'Ordine; e non vi parrà queſto difficile, perchè già in queſto Regno vi ſono le medeſime licentie*. Preces hujuſmodi fuerunt exauditæ; atque, ut adnotat ad oram Libelli Card. Alciatus, fuit privilegium *conceſſum cum clauſula in Oratorio ab Ordinario viſitando, & approbando*. Similia Privilegia Magnis aliis Principibus conceſſa in Regeſtis Secretariæ Brevium adverti; ac praecipue unum planè pulchrum An. 1575. conceſſum Regi Chriſtianiſſimo, cui inter alia plura ſimul facultas tribuitur celebrari faciendi in Oratorio domûs ſuæ habitationis etiam ante diem, & habendi Altare portatile. Alterum pariter illuſtre Privilegium reperi Anno 1574. conceſſum Magno Ferdinando Auſtriaco, qui poſtea in Imperatorem Romanorum electus fuit. Adornatum Operis hoc ipſum inſero, maximè cum unicè ad Oratoria domeſtica pertineat.

Dilectiſſimo Filio Noſtro
Ferdinando Archiduci Auſtriæ
GREGORIUS PP. XIII.

Dilectiſſime Fili noſter ſalutem &c. Honeſtis petitionibus tuis, præſertim quæ ad ſpiritualem tuam conſolationem tendere dignoſcuntur, paterne annuere volentes, Tibi, ut in domibus in quibus Te pro tempore habitare contigerit, in aliquo honeſto, & condecenti loco huic tantum uſui deſtinando, quibuſcunque Anni diebus quando volueris, per idoneos Presbyteros Seculares, vel cujuſvis Ordinis Regulares ab Ordinariis deputatos Miſſas celebrari facere, illiſque una

cum

cum Familiaribus tuis, & aliis Perſonis ibidem pro tempore exiſtentibus intereſſe, eaſque audire libere, & licite poſſis, & valeas Auctoritate Apoſtolica per præſentes concedimus pariter, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die ult. Apr. 1574. Pont. Noſ. An. 3.

V. Ex his conſequitur benè perſuaſos fuiſſe communiter eos, ad quos de venerant Statuta Tridentina obſervanda, non ab alio facultatem Miſſarum celebrandarum in Oratoriis privatarum domorum, quàm à R. Pontifice tribui poſſe; ſecus non jam ſolliciti fuiſſent ad illam impetrandam graviſſimas cauſſas exponere; ut illis ſaltem durantibus ſpirituali conſolatione domeſtici Sacrificii gauderent. Imò tàm ſtrictè attendebatur ad Concilii Tridentini Decretum, ut aliqui neque ſufficere judicarent Epiſcoporum facultatem ad obtinendam licentiam ædificandi publici Oratorii; quo ſublevaretur gravis moleſtia futura ex acceſſu ad Eccleſias parochiales, cum longius iſtæ abeſſent. Hinc cum quidam *de Nobili Genere procreatus, ac Loci de Marlot in temporalibus Dominus* (Diœceſis Trecorenſis) *fervore devotionis accenſus Oratorium prope dictum* Locum conſtruxiſſet, ornaſſetque, quia propter nimiam diſtantiam difficile ad Parochialem Eccleſiam ipſe, ſuique accedere poterant; ad R. Pontificem ſupplici Libello relato Tom. 41. *Poſitionum* fol. 143. confugit, cui S. Congregatio Concilii reſpondit *committendum eſſe Ordinario, qui dictum Oratorium viſitet, & ſi decenter ædificatum invenerit, approbet, & dotari curet, & ſine alicujus præjudicio*. Nondum itaque excitatæ fuerant illæ dubitationes de ſenſu Tridentini Decreti, quæ poſteà occupaverunt aliquorum animos; vel ſi alicubi eas aliqui moverant, pauciſſimi ſanè iis aures præbebant; nec tutò ſe poſſe ſine Apoſtol. Sedis conceſſione aliundè Miſſas in propriis privatis Oratoriis celebrari facere putabant, licèt gravi infirmitate laborarent. Potius teſte Martino Azpilcueta Navarro C.R. Lib. 1. Conſil. quæſt. 33. conſuetudo invaluerat, ut neque ex cauſsâ infirmitatis Epiſcopi in privatis domibus Sacrificia celebrari paterentur. Imò ità clarè videbatur vetita à Concilio Tridentino domeſtica Miſſarum celebratio; ut cum Neapoli in dubium aliqui revocarent Indultum Nobili infirmæ Mulieri à Pio IV. conceſſum, quia in Literis Apoſtolicis eidem Concilio expreſsè non fuerat derogatum; debuerit ad Card. Alciatum Oratrix ſcribere in hunc modum, ſicut reperitur Lib. 41. *Poſitionum* fol. 248.

Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Signore. La Conteſſa N. alli 18. d'Ag. 1564. ad preces del Cardinal Simonetta buona mem. ottenne Breve dalla felice mem. di Pio IV. di poterſi fare celebrare in Caſa per la ſua infermita, del qual Breve ſi è ſervita ſempre in Napoli, ... Adeſſo Monſignor Arciveſcovo di Napoli, o ſuo Vicario non vuole ſe ne poſſa ſervire con dire, che il Breve non dice: Non oſtante il Concilio di Trento: *per il che ſendo detta Signora travagliata dal ſuo male, oggi più che mai ſupplica V.S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima ſcrivere al detto Monſignor con declararle, che non oſtante nel Breve non ſia detta derogazione, che la ſudetta Signora conforme à quello ſe ne poſſa ſervire, che tutto le farà à grazia ſingolariſſima da V.S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima*. Fuit hæc dubitatio ſublata Decreto S. Congregationis die 16. Martii Anno 1580., quæ *cenſuit non opus fuiſſe hac ſpeciali derogatione Concilii*.

VI. Communiter igitur poſt Concilii Tridentini promulgationem credebatur facta reſtricto epiſcopalis poteſtatis in conceſſione Sacrificii intrà Oratoria privata. Hoc primis illis annis excitatum dubium reperi Tom. 38. *Poſitionum* fol. 282., quod nobiliſſimæ Mulieres S. Congregationi Concilii ſol-

ſolvendū propoſuerant: *An indultum audiendi Miſſas in propriá earum domo ſibi per Paulum III. conceſſum per Concilium fuerit ſublatum?* Sed, ut ibidem ſubditur, S. *Congregatio cenſuit eſſe ſublatum*, quia nempè Tridentinum Concilium privilegia à RR. Pontificibus conceſſa non exceperat. Paullò itaque ſerius ab aliquibus dubitari cæpit de Epiſcoporum poſt Concilium Tridentinum ſuperſtite integrâ poteſtate pro Sacrificiis intrà Domeſtica Oratoria celebrandis. Quoties autem hujuſmodi quæſtiones ad Sacram Congregationem Concilii delatæ fuerunt, reſponſum fuit ab Apoſtolicâ Sede ſimiles licentias petendas eſſe, ſicut jam recepta conſuetudo, quæ ſola debuiſſet ſufficere ad rectam intelligentiam Tridentinæ Prohibitionis, obſervaverat. Hac de re interrogaverat Cardinalem Alciatum Sacræ Congregationis Præfectum Epiſcopus Parmenſis litteris ad eum ſcriptis, & inſertis Lib. 41. *Poſitionum* fol. 61., in quibus ità ſcribebat, *Naſce un dubbio quì, come V. S. Illuſtriſſima potrà, ſe ſi degnerà, dì vedere ſopra al celebrare delle Meſſe nelle caſe, ò de Privati, ò de Feudatari ne' Luoghi loro. La ſupplico a favorirmi di farmi ſapere quello, che averò da eſſeguire, che non mancarò di quanto mi ſarà comandato; con che umiliſſimamente gli bacio le mani. Da Parma alli 12, Febraro del 1577.* Subnexuit deinde quatuor interrogationes, quorum prima quærebat: *Utrum Epiſcopus, attento Concilii Tridentini Decreto, in Oratoriis exiſtentibus in Domibus Privatorum celebrandi Miſſam licentiam ex cauſſa concedere poſſit?* Statim autem S. Congregatio die 9. Martii 1577. reſpondit, & *cenſuit non poſſe; ſed hanc licentiam petendam eſſe à Sede Apoſtolica præcipue poſt Concilii Tridentini communem obſervantiam*.

VII. Similem interrogationem propoſuit non multò poſt Epiſcopus Perusinus, cujus ſupplex Libellus continetur Lib. IX. *Poſitionum* fol. 181., & ita ſe habet: *Cum Sacrum Tridentinum Concilium Seſſ. 22. Decret. de Obſerv. & Evitand. &c. Locum celebrandi Eccleſias tantùm, & Oratoria conſtituat, quibus exceptis nullus alius huic Sacroſancto Myſterio locus relinquitur: Quæritur num hoc Decreto Oratorii nomine comprehendantur etiam Oratoria Privata, ita ut Epiſcopus licentiam celebrandi poſſit concedere in Oratoriis Privatis tàm in Domibus Privatorum exiſtentibus, quàm extrà Domos conſtitutis? In qua dubitatione ſupplicatur Illuſtriſs., & Reverendiſs. DD. Cardinalibus Trident Concilii interpretationi Præpoſitis, ut pro hac veritate enucleatiùs cognoſcendà dignentur aliquam edere declarationem, quæ quidem plurimis utilis erit, atque gratiſſima, in primis verò D. Epiſcopo Peruſino conſultum erit, qui ut multorum poſtulationibus ſatisfaciat, hanc declarationem devoto, reverentique animo expectat. Interim Illuſtriſs. unicuique Patrum bona cuncta à Deo Opt. Max. Precatur.* Petitionibus Peruſini Antiſtitis ſtatim ſatisfecit S. Congregatio decreto, quod ſupplici Libello ſubjungitur, dicendo ſe jam, *aliàs cenſuiſſe, non poſſe Epiſcopum concedere licentiam celebrandi in Oratoriis exiſtentibus in Domibus Privatis, ſed hanc licentiam petendam eſſe à Sede Apoſtolicà, prout hactenus obſervatum eſt*. Eodem Tomo IX. Poſit. fol. 193. ſervatur alius Libellus ad Cardinal. Mathei S. Congreg. Præfectum miſſus, in quo iſta leguntur. *Il Veſcovo di Caſtellaneta devotiſs. Servitor ſuo deſidera dalla Sacra Congreg. del Concilio Trident. la riſoluzione, e deciſione delli ſottoſcritti dubbj: Primieramente deſidera ſapere, ſe il Veſcovo oltre l' Oratorio, e Capella, che può fare nel Palazzo Veſcovile per ſuo uſo, poſſa farla anco in qualſivoglia altro Loco: e ſe può concedere queſt' Oratorio, e Capella al Barone della Città &c.* Etiam huic interrogationi idem reſponſum dedere

dere Ampliſſimi Patres; atque ut ibi fol. 167. traditur, *Congregatio Concilii cenſuit Epiſcopum non poſſe concedere licentiam celebrandi in Oratoriis Privatis; ſed banc licentiam petendam eſſe a Sede Apoſtolica*. Eandem inſtructionem optimi Cardinales pariter dederunt Venetiarum Patriarchæ, qui, ſicut colligitur ex Lib. 9. Poſition. fol. 177., eam enixè deſideraverat; quia videlicèt aliqui arbitrabantur in domeſticis privatorum Oratoriis Miſſæ Sacrificium celebrari poſſe, *abſque eo, quod licentia a Sede Apoſtolica obtenta fuerit*. Hinc Litteris ad ipſum ſcriptis Die 12. Junii 1592., quæ reperiuntur Lib. 8. Litter. fol. 179. ajebant: *Viſum eſt ipſis Patribus Amplitudinem Tuam bis Litteris eſſe certiorem faciendam, pluries Congregationem cenſuiſſe, licentiam, ut in Oratoriis privatis Miſſa celebrari poſſit, a Sede Apoſtolica impetrandam fore. Amplitudinis ergò Tuæ muneris erit non permittere, ut aliquid contra præmiſſa fiat. Quod reliquum eſt Deum illi Beneficentiſſimum in omnibus precamur*.

VIII. Si intra hos æquiſſimos reverentiæ limites Epiſcopi omnes ſe ſe cohibuiſſent, ut priùs à legitimis Concilii Tridentini Interpretibus explorarent ſententiam ad exortas ambiguitates diſſipandas, quæſtioneſque diſſolvendas; nullus certè ipſorum ſuis indulgendo opinationibus Tridentini Decreti Leges tranſgreſſus fuiſſet; ſed ex reſponſis prudentiſſimis S. Congregationis recenter excitatæ difficultates evanuiſſent. Verùm cum aliqui Epiſcopi ultrà progreſſi eſſent, atque facilè, imò nonnunquam abſque ullâ neceſſitate, & ſine Perſonarum diſcrimine Miſſarum celebrandarum in domeſticis Oratoriis licentias tribuerent; ideò multis malis, quæ ex Trident. Legis violatione gliſcebant, Cardinales S. Congregationis opportunam medelam applicare non neglexerunt. Extant in Archivio S. Cong. Concilii Lib. IX. Litter. fol. 176. Litteræ ad Luſitaniæ Collectorem ſcriptæ, quibus monetur caſſare plurimas licentias Miſſarum in Oratoriis Privatis, quæ datæ non fuerant ab Apoſtolicâ Sede; atque deinceps à ſimilibus concedendis abſtinere. En Litteras ipſas: *Conquæſtus eſt apud Sacram Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Archiepiſcopus Ulyxiponenſis*, (Iſtius ſupplex Libellus reperitur Lib. 35. Poſition. fol. 704.) *quod in ea Civitate, & Diœceſi plurimis Hominibus conceſſum fuerit, ut in Privatis Ædibus Oratoria babere, atque in eis Miſſas celebrare facere poſſint: quod cum valdè indecorum viſum fuerit Illuſtriſſimis Patribus, atque a Tridentini Concilii mente prorsùs alienum, ipſi cum Sanctiſs. Dom. Noſtro* (Paulo P. V.) *egerunt, ut tanto incommodo remedium adbiberetur. Itaque Sanctitas Sua mandavit Amplitudini Tuæ ſignificari; ut quæcunque Oratoria ab aliis, quam immediatè a Sede Apoſtolica conceſſa fuiſſe compererit, quibuſcunque Perſonis, quæ Comitis, Baronis, vel alio ſimili, aut majori Titulo inſignitæ non ſint, penitùs revocet; & ſi quæ Viris prædictis conceſſa fuerint, ipſa quidem relinquat, ſed adbuc ſingillatim perſcribat; ut manere, nec ne debeant, Sanctitas Sua deliberare poſſit; atque in univerſum Amplitudinem Tuam ab bis conceſſionibus, quod ſcilicèt ſponte pro tua moderatione facturam confiſi eſſemus, omninò abſtineat; & benè valeat in Domino. Romæ Die 27. Martii 1606*.

IX. His Litteris lubet ſubnectere alias aliquot, quas ad conſimiles ſiſtendos abuſus Sacra Congreg. Cardinalium, qui ſuper Negotia Epiſcoporum, & Regularium præfecti erant, circà illa tempora ſcripſit. Eas recitabimus, pro ut extant in Regeſtis ejuſdem S. Congregationis. Prima nobis occurrit ad annum 1601. die 8. Decembris fol. 252. ad Archiepiſcop. Bononienſem: *Quanto alle Capelle, conceſſe nelle Caſe particolari di fuori,*

ri, e dentro la Città, ordina a V. S., che ſi debba aſtenere per l'avvenire di concedere licenza a qualſiſia Perſona di fare celebrare in Caſe ſimili; e che mandi nota di tutte quelle, che ſono ſtate conceſſe dal Signor Cardinale Paleotto di buona mem, e da lei, ſignificando la condizione delle Perſone, e le qualità de' Luoghi per poter deliberare ſopra ciò, ſe ſi abbiano da tolerare, o da proibire. Paullo poſt ad eundem Archiepiſcopum novas ſcripſit Litteras eadem Sac. Congregatio die 15. Januar. Anni 1602. quæ reperiuntur in Regeſtis illius Anni fol. 6. tenoris ſequentis: *La Sagra Congregazione per non levare tutte in una volta le Capelle private, che ſono ſtate conceſſe altre volte in coteſta Città, e Dioceſi, ha riſoluto, che V. S. debba proibire, che non ſi debba celebrare Meſſa, ſe non in caſo d' Infermità; ed allora con licenza da concederſi da Lei* in ſcriptis, *e a tempo limitato, e così ſi conterra, e per l' avvenire ſi aſterra come le fù ſcritto, da concedere ſimili licenze di celebrarſi per qualſivoglia occaſione in Caſe de Privati, ancora che aveſſero gli Oratorj, e Capelle decentemente ornate.* Alteram reperi in Regeſtis Anni 1604. fol. 39. Die 31. Martii Epiſtolam ſciptam Vicario Neapolitano, quam præterire nolo, cum ſatis præſeferat & abuſum, qui quorumdam tunc mentes occupaverat, prætenſæ facultatis concedendi Miſſæ celebrationem in privatis Oratoriis; & ſimul gravem repugnantiam, qua novis his auſibus reſiſtebant Purpurati Patres, quibus Tridentini Concilii ſententia, & intentio erat perſpecta. Hoc ergo modo ſcripſerunt: *Giovanni N. ha moſtrato qua la licenza conceſſagli da V. S. ſotto li 24. del paſſato di potere fare celebrare in un ſuo Oratorio Privato, che ha in Caſa, e non ſapendo queſti miei Signori con che autorita Ella l'abbia fatto, non manchera di darne avviſo, ſcrivendo aſsieme la condizione di coſtui, e ſe ſia Perſona, che ſenza introdurre conſequenza di mal eſempio, ſe gli poſſa concedere di qua tale licenza, come egli ne ha fatto iſtanza.*

X. In his Sacrarum Congregationum reſponſis mihi ſpeciali laude dignum apparet, quod cum jam in aliquas Diœceſes pervaſiſſet opinio, qua ſibi licere exiſtimabant Epiſcopi in Laicorum privatis Oratoriis facultates tribuere Miſſarum celebrandarum; tamen prudentiſſimè non ſtatim omnes traditæ facultates hujuſmodi caſſatæ fuerunt; ſed aliquas ad tempus perſeverare permiſſum fuit; novas autem non ampliùs ab Epiſcopis concedi, niſi ad ſummum cauſsâ infirmitatis, idque ex ſpeciali Pontificis indulgentiâ, ſeu tolerantiâ, quouſque decerneretur, an deinceps iſta tolerari deberent. Hoc ſanè modo paullatim, ſuaviùſque diſpoſiti, præparatique fuerunt Epiſcopi quorundam Scriptorum falſis opinationibus occupati, ut promptè Apoſtolicæ Sedis emanandis Decretis parerent. Reverà hæ cautelæ multum, alicubi ſaltem, profuerunt; ac Boloniæ præcipuè, ubi cum priùs nonnihil laxatus fuiſſet rigor tridentinæ prohibitionis, tamen etiam antequàm prodirent nova Decreta, ſolùm ex ſpeciali Apoſtolicæ Sedis conceſſione ab Archiepiſcopo facultates Miſſarum in privatis Oratoriis tribuebantur. Hujus generis Privilegium ampliſſimo Card. Burgheſio Bononienſi Præſuli conceſſum feliciter occurrit mihi, quo hoc ipſum confirmarem; & hìc proferrem.

Dilecto Filio noſtro Scipioni Tit. S. Chryſogoni Presbytero Card Burgheſio ſecundùm carnem ex Sorore Germanâ Nepotem Eccleſiæ Bononienſis ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolicâ Præſuli.

P A U L U S P P. V.

Dilecte Fili Noſter Sal. Ut Chriſti Fidelium Animarum Eccleſiæ Bononienſis, cui ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica præeſſe dignoſceris tuæ curæ commiſſarum ſpirituali conſolationi conſulere valeas, ultra alias facultates Tibi hactenùs a Nobis, & Sede Apo-

Apoſtolicâ conceſſas . . . . Motu proprio , & ex certa ſcientia , deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine Tibi , ut utriuſque Sexus Chriſti Fidelibus tuarum Civitatis , & Diœceſis Bononienſis , quatenùs illi in Oratoriis in eorum Domibus tàm Urbanis , quàm Ruſticis , ſeù propè ipſas Domos decenter conſtructis , & ornatis , ſeu conſtruendis , & ornandis , ab omnibus domeſticis uſibus liberis , priùs tamen a Vicario tuo in Spiritualibus Generali viſitandis , & approbandis unam Miſſam pro unoquoque die per quemcumque Sacerdotem approbatum Secularem, vel de Superiorum ſuorum licentiâ Regularem , ſine tamen quorumcumque Jurium Parochialium præjudicio , ac Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes , & Nativit. D.N.J. C. , aliiſque Solemnioribus Anni Feſtis Diebus exceptis celebrari facere liberè , & licitè poſſint , & valeant Auctoritate Apoſtolicâ licentiam concedere valeas tenore præſentium facultatem concedimus , & impartimur. Non obſtantibus &c. Volumus autem , quod Familiares ſervitiis eorum , & earum , quibus hujuſmodi licentiam conceſſeris , non neceſſarii celebrationi Miſsæ in dictis Oratoriis intereſſentes non cenſeantur exempti , quò minus ad Eccleſias pro Miſſis , & aliis Divinis Officiis audiendis accedere valeant . Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Die 6. Auguſti 1611.

XI. Interim verò à S. Congreg. Concil. expendebantur graviora remedia ad corrigendos omnes exceſſus, qui in aliquibus Epiſcopis propriæ facultatis fines tranſgredientibus circa Miſſas Domeſticas adhuc perſeverabant , & alicubi creſcebant . Octo à Paulo V. P. Cardinales S. Congregationi Concilii deputati maturo examine rem totam perpenderunt ; & ſimul die 20. Decemb Anno 1614., & 10. Jan. 1615. convenientes *omnes Illuſtriſſimi ſenſerunt quaſcunque Litteras celebrandi in Oratoriis privatis ob Epiſcopis etiam extra* Italiam conceſſas , atque illas quoque , quas Nuncii ipſi conceſſerant , irritas eſſe decernendas ; ac proinde dandas eſſe Literas hac de re ad Nuncios , & Metropolitanos , ut ipſi Litterarum exemplum ad Comprovinciales Epiſcopos mitterent . Rurſus exiſtimarunt illud quoque in calce Litterarum adjiciendum eſſe , ut illarum exemplum ab Epiſcopis in Acta publica referretur , ne unquam Succeſſores , ob temporis diuturnitatem , latere poſſent ; & prædicta omnia eſſe ad Sanctiſſimum referenda : Factâ verò relatione Sanctiſſimus approbavit , & exequi *juſſit*. Ita legitur Lib. 209. *Poſitionum* fol. 15. Major igitur illa deliberatio , quæ pollicita fuerat Anno 1606. tandem prodiit , cum jubente Paulo V. P. Anno 1615. ab eàdem Sac. Congregatione ſcriptæ fuerunt Litteræ ad Nuncios , & Metropolitanos . Nos hìc eas recitamus ex Archivvo S. Congr. Conc. Lib. 10. Litter. fol. 183. , quæ ad Nuncium Hiſpaniarum miſſæ ſunt ; & ita ſe habent ,

Per illuſtris , & R.me Domine uti Frater ,

Tametſi S. Congregatio Cardinalium Concilii Trid. Interpretum optimis innixa rationibus ſæpiſſimè reſponderit licentias in Privatis Oratoriis non niſi a Sede Apoſtolica eſſe concedendas ; compertum eſt tamen per plures Antiſtites ejuſdem Concilii verba in alium ſenſum detorquentes paſſim illas , ac nullo propè delectu impertiri . Qua quidem facilitate nedum ipſi Pontificiam ſibi Auctoritatem adſciſcunt , aliarumque Eccleſiarum & frequentiam minuunt, & dignitatem ; verùm etiam , quod ſummè dolendum eſt , tremendum illud Myſterium , quo nullum aliud opus adeo Sanctum , atque Divinum a Chriſti Fidelibus tractari poteſt , intra domeſticos parietes plerumque cum tantâ irreverentiâ peragitur ; ut nihil ferè inter prophanam , & Divinam Rem demum intereſſe videatur . Quod ſanè teterrimum exemplum , ut de Chriſtiana Republi-

eâ evellant Illuſtriſſimi Patres, Amplitudini Tuæ, cæteriſque Nuntiis Apoſtolicis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis Sanctiſſimi Domini juſſu ſignificandum duxerunt facultatem hujuſmodi licentias dandi ipſius Concilii Decreto unicuique ademptam eſſe, ſolique Beatiſs. Romano Pontifici eſſe reſervatam, proindeque Amplitudini Tuæ abſtinendum eſſe ab illis utcunque tribuendis; ac ſi quas hactenùs vel à ſe ipſo, vel a ſuis Anteceſſoribus, vel alias quoquomodo, quam a prædictâ Sede conceſſas repererit, nullas atque irritas eſſe quamprimùm decernat; atque enixè curandum ne ulla illarum ratio in poſterùm habeatur. Quin imò, funditùs tollantur abuſus, qui hac in re plus nimiò inoluerunt, Sanctiſsimus illas quoque ab Amplitudine Tua ſuſpendi juſsit, quas in hunc uſque diem quiſque ab ipſa Sede Apoſtolica aſſecutus eſt. Huic igitur Sacræ Congregationi, atque adeo Sanctitatis Suæ voluntati æquo animo parebit Amplit. Tua; & benè valebit in Domino; a quo etiam illi proſpera, ac ſalutaria precamur. Romæ die 25. Octobris Anni 1615.

XII. Harum Litterarum meminerunt Fagnanus Lib. 3. Decret. Cap. *Auctoritate* Tit. *de Cenſibus* num. 18., qui tunc Congregationis Secretariusfuerat, Novarius in Summâ Bullar. Commen. 80. Nicolius Lib. 5. Lucub. Canon. Paſqualigus Quæſt. 447. Paſſarinus Tomus 3. de Stat. Hom. Quæſt. 179. num 979., & præcipuè Eminentiſs. Card. LAMBERTINI in ſuo egregio Opere de Sacr. Miſſæ ſect. 2. §. 44. ante Pontificatum evulgato: Sed eas deſcribunt, quæ ad Italiæ Epiſcopos Die 10. Martii Anni 1615. miſſæ fuerant. Nonnulla autem diverſitas inter has Litteras, & à nobis recitatas reperitur; in eo videlicet, quod apud Italos adhuc in ſuo robore permanere juberentur licentiæ *antea ab ipſo Summo Pontifice* conceſſæ; quæ tamen in Litteris ad Hiſpanos miſſis unà ſimul Auctoritate Apoſtolicâ caſſabantur. Enimverò nondum in Italiâ vel irrepſerant, vel in notitiam R. Pontificis devenerant illi abuſus, cum quibus alibi Papale Privilegium quidam exequebantur. Reperi Lib. 38. *Poſition*. fol. 260. Libellum pridie Nonas Maii Anni 1615. ad Paulum V. P. à pio Presbytero Hiſpano miſſum, in quo non modica enarrabat irreverentiæ vitia erga Sacrificium, & Oratorium domeſticum Miſſæ faciendæ deſtinatum, aliaque mala, quæ ab aliquibus patrabantur. Etiam in quibuſdam Italiæ Civitatibus opus fuit ad emendandos Privilegiatorum defectus ſimilem abrogationem decernere. Legi Notificationem Bononiæ editam Anno 1617. à L. Sonantio Vicario Generali, qua ſimul præcipiebat ſub pœnâ Suſpenſionis à Divinis ipſo facto incurrendâ à Sacerdotibus, & ſub aliis arbitrio ſuo infligendis pœnis executionem ſequentium Litterarum S. Congregationis, quas ipſe Româ acceperat. *Admodum Rever. Dom Dum Italiæ Epiſcopis Sacra Congregatio Tridentini Concilii Interpretes Sanctiſsimi D.N. auctoritate præſcripſit, ne Sacrum faciendi licentias in privatis Oratoriis cuiquam impertirentur, & quas tradiderunt, irritas decernerent, & inanes; Etſi nihil ſpeciale egerit de facultatibus a Sede Apoſtolica hac de re editis; variis tamen, adeoque juſtis ex cauſsis adducta Sanctitas Sua præcepit etiam Patribus, ut ſeriò diſcuterent, an è re eſſet circa has quoque facultates quicquam ſtatuere. Sed interim Patres, abuſus, qui plus nimiò irrepſerunt, æquaſque multorum expoſtulationes comprimere, ac ſedare aliqua ex parte cupientes te Sanct. Sua annuente, Tibi his Litteris injungunt, ut quæcunque Indulta intra domeſticos parietes celebrandi a Summis Pontificibus antè Kal. Martias Anni XV. ſupra milleſimumſexcenteſ prodiere hac deliberatione pendente ſuſpendas uſque ad Sanctitatis Suæ, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum. Mox enim, quid facto opus erit, Tibi ſignificabitur; & benè valebis in Domino. Romæ Die*

22. *Ju-*

22. *Junii* 1617. *Tuus in Domino Horat. Card. Lancellottus*.

XIII. Nihil novum in ſupra relatis Litteris condidere Opt. Cardinales; Undè qui merito ſe ab illis compulſo ſentiunt ad ſinceram confeſſionem coarctatæ priſtinæ poteſtatis epiſcopalis in conceſſione Domeſticorum Sacrificiorum; multò magis coguntur fateri, quod à Tridentino Decreto omnis illa reſtrictio ſuam originem duxit. Nam quicunque attentè ad ea Litteras advertit, ex *Decreto ipſius Concilii* vulnus fuiſſe illatum Epiſcopali priſtinæ Facultati circa Miſſarum celebrationem in privatæ Domûs Oratoriis ſtatim intelligit. Quarè qui prohibitionem factam Epiſcopis, ne concederent Sacrificia offerri in domibus privatis, & extra Oratoria ad divinum tantùm Cultum deſtinata, ſolum in Litteris S.Congregationis fundat, nec Litterarum verba conſiderat, nec ſenſum aſſequitur. Id autem ſpeciali obſervatione dignum duxi, non quidem velut ignarus, quod S. Congregationis declarationes juſſu R.Pontificis, ipſoque conſulto editæ per ſe ipſas magnâ fruantur auctoritate, & promptam poſtulent obdientiam; ſed ut clariùs pateſceret nihil in laudatis Litteris inſinuari, quod in Decreto Concilii ritè juxta vim verborum, & finem intentum perpenſo non traderetur. Si ad hæc diligentiùs advertiſſet Vaneſpen Par. 2. Tit. 5. de celeb. Miſſ. cap. 8. num. 13., profectò non inſerviſſet quædam nimis audacter prolata de interpretationibus, quæ *ſub hujus Congregationis Cardinalium nomine prodeunt*.

XIV. His Litteris promulgatis, quibus muniebantur Tridentinæ Leges adversùs falſas interpetrationes *in alium ſenſum detorquentes* Concilii verba, acquieviſſe communiter Epiſcopos Apoſtolicæ Sedis mandatis, uti par eſt, obſequentes non dubito; maximè cum *juſſu Pontificis* Pauli V. ſcriptæ, ac miſſæ fuerint; ut quod in illis ſignificabatur, *Univerſi* Epiſcopi promptè exequerentur. Hinc egregiè Paſqualigus, & Paſſarinus loc. cit. dixerunt eaſdem Litteras *ſine dubio vim legis obligantis ad executionem* habuiſſe, quia ſingulis Epiſcopis ſimul præceptum R. Pontificis denunciabatur. Accuratè adeò aliqui Apoſtolicæ Sedis juſſa adimplere, & omnia in recitatis Litteris contenta exequi ſtuduerunt; ut etiam vererentur tranſgredi propriæ facultatis limites, ſi quædam Oratoria à Laicis extructa in Prædiis, Villiſque, & à Domibus ſeparata, atque in publica via oſtium apertum habentia tolerarent. Quarè non infrequentes tunc temporis ad S.Congregationem Concilii Supplices Libelli pervenerunt, in quibus illarum quæſtionum reſolutio poſcebatur. Extant aliquot hujuſmodi Libelli Tom. XXXVIII. *Poſitionum*; atque illis ſubjungitur negativa reſponſio facta ab Ampliſſimis Cardinalibus Interpretibus; ſi videlicet Oratoria extra privata Ædes exiſterent, & Dominus Soli publico, validoque inſtrumento renunciaſſet efficaciter Loco, quo itur ad Capellam, ut proinde iſtius Oſtium immediate in publicam viam reſponderet. Ità decreverunt, & declararunt in Florentina Die 23. Maii 1615. in Eugubina Die 17. Septemb. 1616. in Senenſi Die 24. Aug. 1619., & alias ſæpè, dum de peculiaribus quibuſdam Laicorum Capellis dubia excitabantur: Non tamen approbaverunt, ut ab Epiſcopis permitteretur privatus ingreſſus è domo privatâ in Oratorium publicum; nam id *Epiſcopo non licere* reſpondit S. Congregatio Die 27. Februar. 1649. in Senenſi; etſi Orator quidam Senenſis enixè eum aditum ſibi concedi peteret Supplici Libello, qui ſervatur Lib. 209. *Poſition.* fol. 57.

XV. Suppreſſis igitur, caſſatiſque præcedentibus licentiis anteà conceſſis pro celebratione Miſſarum intrà Oratoria privatarum Domorum, ſi qui Epiſcopi optaverunt licitè eaſdem iterum concedere, peculiarem

a R. Pontifice Delegationem impetrare debuerunt. Hoc modo indultum fuit cum EpiſcopisHiſpaniarum, quibus Paulus P. V., audita primum poſt maturum examen relationeCard. Concil. Trid.Interpretum, ſub certis limitationibus, & durante ſpatio ſex annorum conceſſit hujuſcemodi facultatem, quam ex Tomo 38.*Poſition.* fol.111.& 276. eruimus *Sanctiſs.Dom. N. poſtulante Rege Catholico ex ſententia Congregationis Concilii benigne indulſit Hiſpaniarum Archiepiſcopis, atque Epiſcopis, ut deinceps Sanctitatis Suæ, ac Sedis Apoſtolicæ auctoritate Miſſas celebrandi licentias in privatis Oratoriis in ſua tantum Diœceſi impertiri valeant, ſub infraſcriptis tantum caſibus, ac cum his conditionibus, & limitationibus tantum, videlicet ut eas in Civitate, & Caſtris minime tribuant, niſi illis, qui revera ſint Nobiles, vel qualitate Perſonarum vere inſignes, idque non niſi cum re ipſa ægrotant, aut ſenio confecti ſunt, adeo ut ob eam audiendam adEccleſiam accedere non valeant, & quamdiu duraverit impedimentum dumtaxat. Ruri vero iiſdem etiam non legitime impeditis, ſi tamen eorum Ædes multum ab Eccleſia diſtent, ejuſque diſtantiæ Epiſcopi arbitrium fore. Ut poſſint hanc celebrandi poteſtatem facere publicis quoque in Locis, quo primarii Regis Miniſtri Juſtitiæ, & Rerum publicarum gratia Magiſtratus gerunt, & Sacras Ædes adire nequeunt ſuo muneri addicti. Ut licentiæ hujuſmodi, quibus conceduntur, neceſſariiſque Famulis tantum ſuffragentur; ita ut cæteri Miſſam inibi audientes præcepto Eccleſiæ hac de re edito minime ſatisfacere intelligantur. Ad hæc ut in ſingulis Oratoriis Sacroſ. Miſſæ Sacrificium ne fiat, niſi ſemel in die; & a licentiis tribuedis excipiantur Dies Paſchatis, ac Nativitatis Sanctiſs.D.N.J C., atque aliæ Solemniores Feſtivitates, præterquam quo ad eos, qui abſoluta, ac prævia gravis morbi neceſsitate diſtent: Miſſam in Eccleſiis nullo modo audire poſſunt. Ut duo Oratoria in nullis Ædibus permittantur. Ut Oratorium muro exſtructum ex fabrica, & ornatu, ſacraque ſuppellectili pro dignitate niteat, & ab omnibus domeſticis uſibus ſit immune; priuſque ab Ordinario viſitetur, & approbetur. Ut Regulares in hujuſmodi Oratoriis abſque ſuorum Superiorum Regularium licentia celebrare non poſſint. Ut eædem licentiæ gratis omnino concedantur; ita ut illarum occaſione aliquid etiam minimum, ſeu ſponte oblatum ſub quovis prætextu accipere directe, vel indirecte nequaquam liceat, & abſque ullo Jurium Parochialis Eccleſiæ præjudicio. Ac poſtremo ut præſens indultum ad ſexennium tantum perduret eoque lapſo penitus expiraſſe cenſeatur. Dat. Romæ Die 30. Junii 1618. Hor. Card. Lancellottus.*

XVI. Similem penè facultatem, licèt ſolùm duobus menſibus duraturam, conceſſit Paulum P. V. Cardinali de Auria Archiep. Panormitano his litteris, quas iccircò ex Lib. cit. *Poſition.* fol. 201. deſcribo, ut appareat quanta cautela tribueretur.

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Dñe.

Quas licentias in privatis Oratoriis Sacrum faciendi hactenus ab Ordinariis Locorum quiſque aſſecutus eſt, etſi Sanctiſſimo D. N. annuente non ita pridem nullas, atque inanes decreverint Illuſtriſ. Patres Trident. Concil. Interpretes; cum tamen Perſonas Titulo inſignes, Rerumque publicarum primarios Miniſtros, Nobiles itidem cum ægrotant, aut ſenio confecti ſunt, qui ad Eccleſias accedere multifariam præpediuntur, non deceat hac ſpirituali conſolatione deſtitui, Sanctitas Sua pro paterna, qua omnes amplectitur caritate, ac paſtorali ſollicitudine, quorum maxime congruit pietatem quoque neceſſitatemque ſpectans, Amplitud. V. Illuſtriſs. poteſtatem facit duraturam tamen ad duos proximos menſes dumtaxat, has licentias in iſta Civitate, & Diœceſi ſupraſcriptis Perſonis concedendi, quæ eaſdem

dem ab Amplit. V. Illuſtriſs. & ejus Prædeceſſoribus impetraverint ante, Litteras Congregationis hac de re editas; atque ita ut infraſcripta omnia exacte obſerventur; videlicet ut licentiæ hujuſmodi gratis tantum tribuantur; atque in Civitate quidem non niſi ſupraſcriptis Perſonis tantum. Ruri vero iiſdem vel nobilitate ſola conſpicuis, dummodo Rus ipſum ab Eccleſia diſtet, quantum Amplit. V. Illuſtriſs. conſentaneum duxerit. Ut quibus conceduntur, atque ipſorum Familiæ, neceſſariiſque Famulis dumtaxat ſuffragentur; ita ut cæteri Miſſam inibi audientes præcepto Eccleſiæ hac in re minime ſatisfacere intelligantur. Ut ægrotis nullibi concedantur, niſi quoad infirmitas duraverit. Ac poſtremo, ut Oratorium illud fabrica, & ornatu, ac ſuppellectili Eccleſiaſtica pro dignitate niteat, & ab omnibus domeſticis uſibus ſit immune; atque ab Amplitud. V. Illuſtriſs. prius viſitetur, & approbetur; quibus cautelis adhibitis has licentias impertiri poterit Amplit. V. Illuſtriſſima. Illud tamen in primis præ oculis habitura; ut & pro tanti Sacrificii dignitate, & pro aliarum Eccleſiarum decore facultate ſibi tributa ea utatur circumſpectione, quam Nobis & pietas, & prudentia Amplit. V. Illuſtriſſimæ S. Congregationi, atque adeo Sanctitati Suæ jam dudum cognita tute publicetur. Quod ſupereſt manus Amplit. V. Illuſtriſs. peroſſicioſe deoſculor, eique me humillime commendo. Romæ Die ... Julii 1615. Ampl. V. Illuſt. & Rmæ. Humillimus Servitor Hor. Card. Lancellottus.

XVII. Nunciis etiam aliquibus ab eodem Optimo Pontifice Paulo V. fuit illa facultas tradita, ſuis tamen limitationibus coarctata. In Regeſtis S. Congregationis Concil. Lib. 10. Litter. fol. 491. occurrerunt mihi hæ Litteræ ſcriptæ Nuncio Sabaudiæ: *Etſi Illuſtriſſimi Patres Trid. Conc. Interpretes, quas licentias in Privatis Oratoriis Sacrum faciendi quiſque aliter, quam a Sede Apoſtolica aſſecutus eſt, ex Sanctiſs. D. Noſtri PRÆCEPTO jam pridem irritas decreverint, & inanes; poteſtate tamen ſibi a Sanctiſs. D. N. nuper tributa benigne Amplit. Tuæ facultatem* concedunt, *ut in Capellis Oratorum Principum Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrandi licentiam impertiri valeat, ubi tamen prius illas viſitaverit, & Divino Cultui peragendo aptas, ac decentes eſſe compererit; atque ita ut hinc Parochialium Eccleſiarum Jura nihil ſentiant detrimenti &c. Romæ Die 15. Februarii 1616.*

XVIII. Non diu permanſit illa facultas ſpecialiter quibuſdam Epiſcopis tributa ab Apoſtolica Sede, quia intra ſtabilitos fines aliqui eam continere non ſtuduerunt. Revera cum perlatum fuiſſe Ulyxippone limites præfixos in Papali Indulto nequaquam cuſtodiri, humaniſſime Sacr. Congr. Archiepiſcopum illum monuit ſequentibus Litteris, quæ extant Tom. 38. *Poſitionum* fol. 114.

Perilluſtr., & Reverendiſſ. Dom. Sanctiſs. D N. Regis Catholici precibus non ita pridem adductus ex S. Congreg. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum ſententia benigne indulſit, ut celebrandi licentiæ in privatis Oratoriis, quas a Sede Apoſtolica tantum impartiri oportebat, ab Hiſpaniarum quoque Archiepiſcopis, atque Epiſcopis concedi poſſent. Verum ut rei gravitas ferebat, quaſdam adjecit conditiones, ac veluti limitationes, ne abuſus, quos prorſus evellere eximia ſollicitudine ſtuduit, iterum pullularent. Quas tamen conditiones perlatum eſt nuper minime obſervari ab Amplitudine Tua; quippe quæ licentias ejuſmodi non modo his tribuit, qui ex Hebræorum ſemine propagantur; ſed in Diebus etiam exceptis in Indulto Sanctitatis Suæ: Quæ quidem etſi de Amplit. Tua, cujus jam dudum cognita pietas, atque in hanc S. Sedem reverentia, vix credi poſſe videantur, rei tamen juſtiſſimo zelo adducti Illuſtriſs. Patres Amplit.

Amplit. Tuam ſerio commonefaciunt, ut attributam ſibi poteſtatem agnoſcens adjectas conditiones, ac moderationes diligentiſſime cuſtodiat; potiſſimum autem intelligat, cum inter cætera eſt deffinitum, has celebrandi facultates in caſibus præſcriptis non eſſe tribuendas niſi his, qui non modò ſint vere nobiles, ſed & qualitate inſignes: tales profectò non cenſeri, qui in generis primordia ducunt ab infecto Hebræorum ſanguine, eoſque propterea nullo caſu hac prærogativa eſſe decorandos. Reliquum eſt, ut Amplit. Tua conſuetæ probitatis memor hac in re ita ſe gerat, ut non ſolum ſuo reſpondeat muneri; ſed cæteri quoque Antiſtites habeant, unde ſumant pietatis, & obedientiæ exemplum; & diu valebit in Domino. Romæ die 25. Februarii 1619.

XIX. Simili modo ſcripſit eadem S. Congreg. Die 25. Julii Anno 1620. ad Collectorem Portugalliæ, *ut pro ſuo munere, & auctoritate ſedulo* curaret, efficeretque, *ut licentiæ* Miſſarum in Oratoriis Privatis *deinceps haud aliter* tribuerentur, *quam modis, & limitationibus jam inde a principio præfinitis* in Indulto; *ne ſi* aliquem Epiſcopum S. *Congregatio intellexerit Suæ Beatitudinis Indulgentia, atque humanitate abutentem, in neceſſitatem adducatur aliis rationibus debitam illi obedientiam comparandi*. Inſertæ ſunt hæ Litteræ in Regeſtis Litterar. Lib. 10. fol. 55. Hinc quia jam violari cæperant conditiones a Paulo P. V. exigitæ, expleto ſexennio nulla prorogatio Pontifici Indulti fuit conceſſa. Solum Cardinali Sandoval Epiſcopo Giennenſis per ſupplicem Libellum inſertum Tom. 209. *Poſition.* fol. 75. ad Urbanum VIII. P. confugienti pro renovatione priſtinæ facultatis, Die 18. Decemb. 1627. S. Congregatio Concilii, in qua *de hoc negotio agi juſſit* idem Pontifex, ſicut legitur a tergo ejuſdem Libelli; *cenſuit, ſi Sanctiſſimus Dom. N. annuat, denuo concedendam ad ſexennium facultatem impertiendi in propria Diæceſi licentias Sacrum faciendi in privatis Oratoriis, ſub eiſdem conditionibus, & reſtrictivis, alias expreſſis.* Cum autem benigne annuiſſet Urbanus P.; tunc S. Congregatio Die 15. Januar. 1628. Litteris ad eundem Cardinalem datis, ac Lib. 12. Litter. fol. 124. deſcriptis petitam facultatem ad ſexennium duraturam conceſſit cum iiſdem limitationibus, quas num. 14. recitavimus. At vero pro aliis Epiſcopis ne ullum quidem ſimilis prorogationis veſtigium mihi apparuit.

XX. Imo etiam in Nunciis Apoſtolicæ Sedis non multo poſt ſublata fuit illa facultas, quam primum ex Indulgentia RR. Pontificum obtinuerant. Id quidem legeram apud Dianam Tomo IV. Oper. Coordin. Tract. 2. de Orat. Priv. Reſol. 19. num. 4. ubi allegat Garciam in Summa Theol. Mor. Tract. 5. Diffic. 8. Punct. 2. num. 15. teſtantem, quod Anno 1644. Cardinalis Pancirolus in Regnis Hiſpaniarum Nuncius dixerat ipſi Urbanum P. VIII. prohibuiſſe privatorum Oratoriorum conſuetas licentias concedere. Verum id magis exploratum habui ex Lib. 209. *Poſition.*, in quo fol. 60. recitantur ſequentes preces, ab Epiſc. Cordubenſi Anno 1636. fuſæ apud R. Pontificem.

Beatiſſimo Padre.

Giacchè la conceſſione degl'Oratorj Privati nella Dioceſi di Cordua è in grandiſſimo eceſſo in modo, che le Chieſe reſtano quaſi abbandonate non ſenza pregiudizio dell'Anime, perciò ſi ſupplica V. S. per parte del medemo Veſcovo di detta Città, che ſi degni di revocare le conceſſioni degl'Oratorj, che non ſono ſtate fatte per Breve della Santità V., ò da Nunzj con le reſtrittive, e qualità contenute nelli Decreti già fatti dalla S. Congregazione del Concilio; ſiccome dell' Anno 1626. *per l' infraſcritto Decreto della medema Congregazione furono rivocati da V. S. gli Oratorj conceſſi nella Città di Lisbona con pro-*

probibizione a Monſig. Collettore di fare ſimili conceſſioni per l'avvenire, che il tutto &c. Deinde ſubnexuit Decretum his verbis: *Die 16. Martii 1626. S. Congreg. Concil. cenſuit committendum Collectori Portugallenſi, ut revocet omnes Oratoriorum conceſſiones, quæ obtentæ non ſint a Sede Apoſtolica per litteras in forma Brevis.* Additur porro, quod *Sanctiſſimus D. N. audita Congregationis ſententia mandavit ſcribi dicto Collectori, ut prædictas omnes conceſſiones revocet, præterquam factas Titulatis, vel immediate a Sede Apoſtolica, & ipſe Collector a talibus conceſſionibus in futurum abſtineat.* Precibus Epiſcopi Cordubenſis Eminentiſsimi Patres, quorum de more ſententiam exploraverat Urbanus VIII., eodem modo annuendum fore judicaverunt, ſicut antea ad corrigendos abuſus in nimià frequentia facultatum Miſſæ domeſticæ conceſſarum ſtatuerant; ac proinde ut tunc a Collectoribus, ita poſtea a Nunciis Hiſpaniarum poteſtatem elargiendi ſimiles facultates auferri debere opportunum cenſuerunt. Quare Die 2 Auguſti 1636. *S. Congregatio Concil. abuſum Oratoriorum in Diœceſi Cordubenſi cenſuit tollendum mediante remiſſione eidem Nuncio Hiſpaniarum, ut revocet omnes conceſſiones in dicto Epiſcopatu Cordubenſi, præterquam a Sede Apoſtolica immediate, vel per Nuncios Titulatis factas, quibus Titulatis permittatur uſus dictorum Oratoriorum per ſex tantum Menſes a Die prædictæ revocationis, quodque idem Nuncios in futurum ab eiſdem conceſſionibus ſe abſtineat.* Die vero 26. Auguſti, & 12. Septemb. Anni 1636. *Relatis, & perlectis Sanctiſſimo D. N. ſupradictis decretis Sanctitas Sua approbavit*, ut in calce recitati Libelli Cordubenſis reperi adnotatum. Poſt hæc tempora vix unquam puto ſine ulla reſtrictione quo ad numerum facultatum concedendarum pro Miſſis celebrandis intra privata Oratoria Apoſtolicis Nunciis ad Regum, Magnorumque Principum Aulas miſſis delegationem a R. Pontifice datam fuiſſe. Solum ipſis aliquando permiſerunt RR. Pontifices, ut pro varietate Regionum, & Regnorum, ad quæ proficiſcuntur, licentias concedere valerent. Verum nunc vix uni, alterive Nuncio Apoſtolicæ Sedis ſimilis facultas tribuitur; ita ut ferme tantum Nunciis Portugalliæ, & Poloniæ ob ſingulares cauſſas eam elargiatur R. Pontifex, qua ſuo munere durante poſſint aliquibus Nobilibus Miſſas in Oratorio concedere.

XXI. An ubique diu viguerit memoria Litterarum Encyclicarum Sac. Congregationis Anni 1615. exploratum non habeo. Alicubi tamen nonnihil poſtea dilatati fuerunt limites, quos Epiſcopis Concilium Tridentinum poſuiſſe diximus. Hinc, quantum colligitur ex Operibus Theologiæ Moralis Layman, Reinfeſtuell, Buſembau, La Croix, & ex aliis nonnullis Scriptoribus, dum de Miſſæ Sacrificio agunt; conſuetudo invaluerant quibuſdam in Locis, ut etiam ſine rigoroſa neceſſitate, & ex mera Epiſcoporum auctoritate celebrarentur Miſſæ domeſticæ in privatis Laicorum Oratoriis non tam ſemel, aut pro brevi aliquorum dierum ſpatio, quam pro toto tempore vitæ illorum, quorum gratia ab Ordinariis licentiæ fuerant elargitæ. Noluerunt Scriptores prædicti tanquam abuſum reprehendere illam conſuetudinem; quam proinde ſi ego aperte reprehenderem, temeritatis notam apud quoſdam vererer. Sane ſi ea conſuetudo confirmata fuiſſet longa præſcriptione quadragenalis ſaltem temporis, ſicut requiritur ab Alexandro III. P. cap. *ad aures*, & cap. *quia indicante* Tit. *de Præſcription.* ad ſolvendam obligationem ſervandæ Legis Eccleſiaſticæ, nemo illam forte reprehendiſſet; niſi qui deſideraſſet velut neceſſariam præſcriptionem centenariam, ſive

tem-

temporis immemorabilis, ut legitima introduceretur conſuetudo adverſus Tridentinam Legem quæ aliunde Jure communi prohibente celebrationem Miſſarum, excepto caſu neceſſitatis, extra Loca Sacra ſtabiliebatur. Igitur neque ego de illarum Regionum priore conſuetudine quidquam acerbum audeo proferre, ſciens quidem a Concilio Tridentino fuiſſe ſublatas omnes contrarias ſuo decreto conſuetudines tum vigentes; ſed etiam exploratum habens, quod ſublatis veteribus quandoque ſimiles introduci potuerunt conſuetudines, maxime ſi Apoſtolicæ Sedis auctoritas non reſtitiſſet.

XXII. Non amplius vigere iſtas poſt Concilium Tridentinum alicubi introductas conſuetudines permittendi ſine neceſſitate, aut ſine diſpenſatione Apoſtolicæ Sedis celebrationem Miſſarum in Privatis Oratoriis privatarum Domorum ingenue fatetur Anacletus Reinfeſtuell Lib. 3. Decret. Tit. 41., ubi libere retractavit, quæ aliter in Theologia Moralis prius edita dixerat. Ad hanc ſinceram retractationem impulit modeſtum Scriptorem lectio Decreti juſſu Clementis P. XI. a Sacra Congregatione Concilii editum; ac ab eodem confirmatum Anno 1703., in quo neque ipſis Epiſcopis licere juxta Tridentinas Leges in Privatis Laicorum Oratoriis Miſſas celebrare declaratur. Hujus decreti auctoritate nixus Petrus Leurenius S.J. Theologus in Lib. 3. Decret. Tit. 41. Qæſt. 975. libenter confeſſus eſt intra rigorem Tridentinæ limitationis iterum conſtrictam fuiſſe omnium Epiſcoporum facultatem, licet aliqui propter præcedentem conſuetudinem nonnihil extra limites tridentinos evagarentur. Iſtorum Scriptorum teſtimonia mihi valde opportuna viſa ſunt, ne facile crederem quibuſdam aſſerentibus, quod adhuc in aliquibus Germaniæ Provinciis quidam Epiſcopi permittentes Sacrificia in Oratoriis privatæ domus ad commodum Virorum Nobilium reperiantur. Equidem ſuffragio eorumdem Scriptorum ſtatim intelligitur, quam prompte ceſſari debuerit a præcedenti conſuetudine, ſaltem poſtquam Tridentinæ Legis vindex, nec *conniventiæ via* illius violationem paſſus, Clemens XI. P.M. non obſtantibus *quibuſcumque conſuetudinibus* decrevit, declaravitque Epiſcopos ipſos in domibus privatis abſtinere debuiſſe juxta Concilii Tridentini Sanctiones à celebratione Myſteriorum Sacrorum contra formam Indulti, quam ſolum Apoſtolica Sedes elargiri poteſt. Alibi opportune proferemus Clementinum Decretum; neque hoc loco majora addimus de coarctata Epiſcoporum poteſtate circa Oratoria privatæ domus.

CAPUT XV.

De Cauſſarum gravitate, ut licite ab Ordinariis concedatur Sacrificium in Oratoriis privatæ Domus. Earum aliquæ examinantur.

I. TRIDENTINI Concilii decreto Epiſcoporum poteſtas circa conceſſionem Sacrificii in cubiculariis Oratoriis non penitus ſubverſa fuit, atque deleta; ſed aliquas adhuc retinuit reliquias, quarum vim in magna, & graviſſima cauſsa illi exercere poſſunt. Ut enim aſpera nimis Epiſcopalium Jurium Defenſoribus videtur, eoſque merito conturbat ſimplex, ac nuda ab aliquibus prolata propoſitio, qua aſſeritur nihil omnino in Epiſcopis ſuperfuiſſe veteris poteſtatis pro Miſſarum celebratione concedenda in Locis privatis: Ita viciſſim cordatis omnibus diſpliceret, ſi unquam in poſterum diceretur integram, ac inviolatam remanſiſſe Epiſcoporum poteſtatem, qua ante Concilium circa Domeſtica Oratoria fruebantur. Hinc prudentiſſime Eminentiſs. Cardin. Petra Tom. 2. Comment. ad Conſtit. VIII. Honorii P. III. Sect. un. num. 10. pag. 493. Ed. Rom. non quidem ſublatam penitus, ſed valde diminutam fuiſſe eam, de qua loquimur, Epiſcoporum poteſtatem dixit. Modeſta adeo, ac temperata videtur nobis hæc ſententia, ut dum tuetur rigorem Tridentinæ prohibitionis, ſimul ſuppeditet modum concordiæ illis, qui depoſito immoderato ſtudio partium tranquillitatem veritatis amant. Aliqua autem indicia habemus, quæ oſtendunt nullatenus a Concilio Tridentino vetitum fuiſſe Epiſcopis, ut in magna neceſſitate, graviſſimaque urgente cauſſa antiquæ poteſtatis jura exercerent; & in privatis domibus Sacrificium permitterent peragendum, quouſque eadem neceſſitas perſeveraret. Sine cauſſa enim gravi neque ſemel illud poſſe Epiſcopos concedere clare ex duobus poſtremis Capp. conſequitur. Porro indicia illa apte ſumi poſſunt ex fine ſtabilitæ Legis, videlicet auferendi pericula irreverenter Divina Myſteria celebrandi, & impediendi nimiam Eccleſiarum deſertionem. Hæc, ſimiliaque ſane fuerunt motiva coarctandi Epiſcopalem Poteſtatem. Verum quis iſta conſiderans non illico prudenter conjicit alienum fuiſſe a mente Patrum Tridentinorum Epiſcopis prohibere, ne Miſſam domeſticam concederent, quando neceſſitas, aut gravis cauſſa non ſolum a periculis, maliſque prædictis ſecuram; ſed etiam valde opportunam, aut neceſſariam ejuſdem celebrationem in privata Domo, ac privato Oratorio redderet?

II. Etiam Litteræ S. Congregationis cap. præced. recitatæ ſatis inſinuant a Tridentina Lege non omnino deletam illam Epiſcoporum auctoritatem. Enim vero juſſu R. Pontificis adverſus eos tantum Epiſcopos Ampliſſimi Cardinales moti fuerunt, qui *paſſim, & nullo prorſus delectu* licentias celebrandi in privatis Oratoriis impartiebantur; iſtaque facilitate ſibi *Pontificiam auctoritatem* adſciſcebant, quatenus nihil minus erga ſuos ſubditos audebant facere; quam R. Pontifex in univerſa Eccleſia ſimiles gratias paſſim Viris dignis elargiendo faceret. Dum ergo *hujuſmodi*

facultatem Decreti Tridentini vigore *ademptam* fuiſſe ſcribebant Purpurati Patres, aliud non ſignificabant, quam interiiſſe in Epiſcopis illam facultatis amplitudinem, qua antea fruebantur. Si ad hanc amplitudinem tantum advertimus, nos quoque non ambigimus, imo lubentes eam ereptam, ademptam, caſſatamque eſſe profitemur. Verum quia adhuc poſt Concilium Tridentinum graviſſimæ, neceſſariæque cauſſæ contingere poſſunt; tunc maxime cum recurſus ad Sedem Apoſtolicam vel inſtante neceſſitate, vel ob nimiam diſtantiam non permittitur, quæque proinde poſtulant promptum Proviſorem, ac Paſtoris proprii ſollicitudinem; Propterea ut in his caſibus concedatur ab Epiſcopo celebratio intra privatæ domus Oratoria, in ipſo aliquod perſeverans veſtigium ſuæ priſtinæ poteſtatis neceſſario præſupponi debet.

III. Denique alii ſuperſtitem aliquam relictam fuiſſe in Epiſcopis poteſtatem concedendi Miſſarum celebrationem in privatis Oratoriis, imo etiam alibi, ex modo, quo Legem ſuam contexuit Concilium Tridentinum dicendo: *Ne patiantur*: non imperite demonſtrant. Formula eſt hæc ſatis idonea ad præſeferendum rigorem, quo vigilare debent Locorum Ordinarii, ne in privatis domibus Sacrificia peragantur; egregieque ſimul oſtendit, ut jam cap. 13. diximus, nec ipſis licere Epiſcopis talia Sacrificia concedere, quoniam qui jubentur alios ab opere impedire; multo magis anſam præbere ad vetitum opus exequendum prohibentur, Attamen ubi ſine ulla exceptione eventuum, & ſecundum omnem exercitii rationem aufertur aliqua poteſtas, ſimul etiam ſolent Canones expreſſiorem ſuppreſſionis abolitioniſque formulam adhibere; ut abſque ambiguitate verborum facilius, nitidiuſque ſinguli doceantur. Non valde laborandum foret, ut exemplis id muniremus ex eodem Concilio Tridentino depromptis; dum de Beneficiis Eccleſiaſticis, de Regularibus, de Ordinationibus &c. Leges efformavit.

IV. Si cui non ſatisfaciat ratio iſta, certe eum penitus convincet declaratio, quam ſuperius ex Conciliis Mediolanenſibus protulimus. Nam licet S. Carolus attentiſſime Tridentinorum Patrum Statuta ſequeretur; tamen adhuc licere Epiſcopo graviſſimis de cauſſis, & urgente neceſſitate Oratoria privata ad Miſſarum domeſticam celebrationem concedere oſtendit. En igitur non obſtante magna coarctatione facta in Tridentino Concilio ſuperſtes aliquod veſtigium epiſcopalis poteſtatis in permittendo Sacrificio intra Oratoria privatarum domorum, quando aliqua cauſſa valde gravis id poſtulaverit. Hanc facultatem Epiſcoporum tam communiter, & abſque ulla hæſitatione admittunt Scriptores, ut ab illorum placitis recedere contentione plenum, & veritati contrarium videretur.

V. Non expreſſit S. Carolus, nec alius, quem ſciam, ex Concilii Tridentini Teſtibus cauſſas idoneas ad hujuſmodi licentiam epiſcopalem impetrandam; atque hinc non unanimes ſecum inter reperiuntur Scriptores, quorum aliqui magis dilatant, cæteri vero ſtrictius ſuperſtitem Epiſcoporum juriſditionem coarctant. Imo plures, etſi libere fateantur non licere Epiſcopis in Oratoriis privatis niſi ſemel, aut iterum *in caſibus neceſſitatis* Miſſas permittere; adhuc ubi caſus iſtos enumerant, aliquando quoſdam permiſcent, qui vere neceſſitatem non involvunt. Omnes autem æquum eſt in eo convenire, quod præter illas circumſtantias, in quibus ex Juris communis conceſſione extra Oratoria publica, & ad Sacrificium faciendum deputata Miſſas perficere licet, adhuc aliquando graviſſima jubente cauſſa poſſint Epiſcopi ſuperſtitem facultatem exercere. Enimvero cum de peculiari Epiſcoporum

jure

jure quæritur, non ſecundum illa tantummodo ponderandum eſt, quod Lege communi non ſolum Epiſcopis, verum etiam inferioribus Sacerdotibus, ac præcipue Parochis permittitur. Revera ſi nihil amplius circa Miſſarum celebrationem extra Loca ſacra, ac publica poſſent Epiſcopi concedere præter ea, quæ in Jure communi expreſſa fuerunt, quid ſingulare Epiſcopis reſervaretur, quod abſolute ob neceſſitatem occurrentem reliquis non fuiſſet conceſſum? Igitur cum propria Epiſcoporum poteſtas aliqua ex parte permanſerit poſt Tridentinum Decretum, eam credimus bene fruituram ſuo exercitio circa illos graviſſimos eventus, in quibus, nihil expreſſe decernentibus ſacris Canonibus in Juris Eccleſiaſtici Codicem relatis, non liceret in privatis Oratoriis Sacrificium peragi, niſi ſpecialiter id indulgeret Epiſcoporum ſuperſtes auctoritas. Loquor aperte de *graviſſimis* eventibus; nam ubi nulla graviſſima cauſſa moveat, ne veſtigium quidem poteſtatis in Epiſcopis ad ſimiles licentias tribuendas ſervato rigore Tridentini Decreti ſupereſt.

VI. En vero radicem, ex qua profluit diverſitas opinionum inter Scriptores, quorum aliis probatur aliqua cauſſa velut legitima, & ſufficiens, ut Epiſcopus ſuæ facultatis reliquias in conceſſione domeſticæ Miſſæ intra Oratoria privata exerat; ab aliis autem improbatur. In ferendo etenim judicio de gravitate alicujus cauſſæ ſæpe non conſentiunt Scriptores, unde dum concorditer fatentur cauſſam valde gravem, atque urgentem ad exercitium ſuperſtitis epiſcopalis poteſtatis requiri; ponderantes tamen aliquam ſpecialem cauſſam inter ſe diſſident. Profero nonnulla exempla, ut magis iſta eluceſcant; & ut ad examen evocemus quaſdam cauſſas, utrum videlicet Epiſcopo ad conceſſionem domeſtici Sacrificii illæ ſufficere poſſint. Quærunt Scriptores, an liceat Epiſcopo ſuam auctoritatem, de qua agimus, exercere ad ardentiora vota Infirmi in ſua infirmitate hoc ſibi ſolamen ſpirituale enixe poſcentis, ut in ſuæ domus privatæ Oratorio Miſſa celebretur, maxime ſi ægrotus ille ſingularibus Generis, ac Dignitatis prærogativis refulgeat, cui facilius præ cæteris a R. Pontifice indulgeri talia Privilegia ſolent? Quærunt inſuper, an idem liceat cauſſa miniſtrandi Viatici, quod aliter, niſi conſecrata Hoſtia ad domum Infirmi, deferri nequeat? Quærunt 3. an poſſint ejuſdem gratiæ participes effici Viri, Fæminæque Nobiles, dum e domo ob aliquod politicum impedimentum, vel ob periculum imminens infamiæ, aut necis egredi prohibentur? Quærunt demum an præſente cadavere alicujus Viri Nobilis plures Miſſæ in privatæ domus Oratorio ad illius Animæ ſuffragium celebrari poſſint. In his quæſtionibus reſolvendis arbitrabantur aliqui licite ab Epiſcopo concedi Sacrificium in privato Oratorio, quia ſatis gravem, ac ſufficientem cauſſam judicabant ſatisfacere piiſſim Infirmi, & maxime Nobilis deſideriis; miniſtrare Viaticum; ſuccurrere per ſpirituale ſubſidium alicui Perſonæ illuſtri legitime impeditæ ad publicam adeundam Eccleſiam; ac demum ſufficere morem receptum in aliqua Regione, ſicut Hiſpali ſe ſæpius vidiſſe teſtabatur Quintanadvenas Trac. 3. ſin. 32. num. 6, vigentem nempe conſuetudinem permittendi Sacrificia domeſtica coram cadavere Nobilis Defuncti, quouſque ad publicas exequiarum preces in Eccleſiam deferretur. E' contra alii aut alterum, aut nullum ex his, ſimilibuſque eventibus ad legitime impetrandam ab Epiſcopo diſpenſationem Sacrificii in privato Oratorio per ſe ſolum ſufficere exiſtimabant.

VII. Omnis itaque lucta diſſidentium Scriptorum inde oriebatur, quod firmum non haberetur judicium gravitatis cauſſarum occurrentium; ac proinde unuſquiſque ſenſu ſuo in

quæſtionum reſolutione abundabat. Video tamen ſeveriores evaſiſſe Scriptores in approbanda aliqua cauſſa ad licitam obtinendam diſpenſationem ab Epiſcopo, quanto elapſum Sæculum adoleſcebat; ac demum adhuc rigidiores reperiri pene omnes, qui de hoc argumento ſeneſcente elapſo, & præcipue in iſto noſtro Sæculo ſcripſerunt. Unde autem iſta ſeveritas, rigorque creverit apud Scriptores, non difficile ſuperius dicta recolendo deprehenditur. Cum enim inter principia elapſi Sæculi detorquerentur a quibuſdam Concilii Tridentini verba, non mirum eſt, quod eo tempore plus aliqui tribuerent Epiſcopis, quam Concilium permiſiſſet; latiuſque extenderetur illorum facultas, quamvis tanta cauſſæ gravitas non extaret. Reſtitit his falſis interpretationibus S. Concilii Congregatio; ac dum ſæpe variis interrogationibus reſpondens oſtendit, quanto rigore ſervanda foret Tridentina Lex; tunc etiam prudentes Scriptores ſe non eſſe debere tam faciles in probanda cauſſa diſpenſationis epiſcopalis intellexerunt. Imo etiam puto quoſdam adhuc tunc ſeveriores evaſuros fuiſſe, ſi Litteras ipſas S. Congregationis vidiſſent. Certe Fagundez Lib. III. in I. Præc. Decal. cap. 13. num. 10. forte nec conceſſiſſet in domo Infirmi potuiſſe Miſſas fieri, ſi Litteras juſſu Pauli V. ſcriptas legiſſet: Eas enim ipſe interpretabatur, prout audiverat, confitens *nondum* ſe illas legiſſe, quamvis cerneret in propriis Luſitaniæ Regionibus obſervari in tanto rigore, ut neque ægrotis deſideratum Indultum concederetur. Quo vero magis firmata fuit obſervantia Tridentinæ Sanctionis, & accedentibus novis declarationibus prædictæ S. Congregationis, juxta quod alia dubia identidem proponebantur ſolvenda, non potuit non evadere rigidior ſententia Scriptorum; & maxime poſtquam ineunte hoc Sæculo Clementis P. XI. juſſu editum fuit decretum, quo conſuetudines contrariæ Tridentinæ Legi penitus everterentur.

VIII. Aliunde etiam prodire debuit iſta mutatio judicii in approbatione, vel reprobatione cauſſarum ad legitime obtinendam ab Epiſcopo diſpenſationem; quia videlicet valde antea diſſipatis falſis interpretationibus Tridentini Decreti, ſimul etiam magis ſancte, ac religioſe illius obſervantia multis ab hinc annis cuſtodita fuit, atque, ut optabile erat, majora accepit incrementa. At vero Ritus inſtituti in uberiorem cultum, & reverentiam erga divinum Sacrificium eo firmius cuſtodiri debent, quo diuturnitate majore ſunt roborati; tantoque graviorem poſcunt cauſſam ut ab illorum exercitio aliquis prudenter, juſteque diſpenſari valeat, quanto magis illorum religioſa conſuetudo accurate cuſtoditur. Nemo quippe non videt, quanto pluris judicio hominum ſoleant æſtimari, quæ jam a longo tempore diligentiſſime ſervantur, & iteratis decretis ſervanda inculcantur. Hinc contingere poteſt variatio judicii apud prudentes Homines; ut quam cauſſam prius ſufficere judicabant, poſtea multo graviorem pro epiſcopali diſpenſatione expoſcant. Enimvero cum in hoc judicio ferendo bene conſiderari debeat, utrum magna, vel modica oritura ſit ex ipſa diſpenſatione occaſio, aut periculum ſcandali; neceſſe eſt pariter pro æquitate, ac prudentia illius judicii attendere diligenter ad ſeveriorem, vel minus rigoroſam obſervationem illius, de quo petitur diſpenſatio. Rem hanc illuſtrent exempla a Veſtibus, Calicibuſque ſacris deprompta. Nam ecquis ignorat nonniſi ſumme gravi ex cauſſa urgente celebrari poſſe Sacrificium ſine Stola, ſine Calice argenteo, vel ſaltem ſtamneo, ſimilive ex metallica materia decenter compacto; ut communiter Theologi, ac Rituaiiſtæ docent? At quare

tanta ſeveritas circa illas cæremonias deſideratur ; niſi quia longa, ac rigidiſſima cuſtodia earumdem ſacrarum cęremoniarum tale judicium mentibus hominum impreſſit, ut irreverenter tractari res divinas judicarent, ſi aliter Sacrificium perageretur ? Ita ergo mihi dicendum videtur de Cæremoniali Lege ſeverius nunc retenta celebrandi in Oratoriis divino tantum cultui dedicatis, poſtquam rigidior hæc ipſa obſervantia plane ſimile judicium inſinuavit. Parum etenim refert ſæpe ab Apoſtolica Sede diſpenſari ab ea Lege quo ad Nobilium privata Oratoria ; cum inde potius perſuadeantur Prudentes Viri hoc redundare in ſeveriorem neceſſitatem ſervandi Ritus præſcripti; dum deſideratam diſpenſationem ab R. Pontifice immediate poſtulari, & impetrari obſervant.

IX. Addam, quod proximius nos afficit ; & quæram, an nunc, vel medio elapſo ſæculo cordatus aliquis admiſerit ſine valde gravi culpa poſſe Sacerdotem nulla obtenta facultate ab Epiſcopo extra publicam Eccleſiam, Oratoriumque celebrare, quamvis ad reatum contemptus non perveniret ? Nemo certe id dicet umquam, quod tamen non unus apud Layman Lib. 5. Tract. 5. cap. 5. num. 2., & Paſqualigum quæſ. 442. initio elapſi ſæculi dicebat. Quare ergo facta eſt iſta mutatio judicii, niſi quia creſcente rigore obſervationis Decreti Tridentini gravior apparuit neceſſitas illud integre exequendi, cum tamen antea tam gravis aliquibus non videbatur ? Ita plane potuit a pluribus olim judicari ſufficiens aliqua cauſſa, ob quam diſpenſaret Epiſcopus, quæ nunc minus apta videatur.

X. Hic vero adnotare oportet judicium Hominum in ponderanda gravitate, vel levitate alicujus cauſſæ non ubique Regionum eodem modo dirigi ; Sed alicubi propter certas circumſtantias contingit æſtimari ut graviſſimum aliquod motivum diſpenſationis dandæ, quod in aliis Regionibus tam grave non cenſetur. Quamobrem non negavero, quod forte in quibuſdam Locis ſufficere poſſit minor cauſſa, quæ tamen nequaquam ſufficere judicaretur in univerſa Italia, aliiſque quibuſdam Ampliſſimis Provinciis, ac Regnis : in quibus diſciplina non permittendi ſine Apoſtolico Privilegio celebrationem Sacrificii in Oratoriis privatis ſeverior viget. Hinc cautiſſime Epiſcopi illarum ſaltem Provinciarum ſe gerere ſolent in his concedendis licentiis, ne forte occaſionem gravis ſcandali præbeant, ſi ſine graviſſima cauſſa ſimiles conceſſiones etiam pro unica vice elargiantur. Ad ſummum ipſi ſuarum Regionum quaſdam tollerando conſuetudines permittunt Miſſarum celebrationem in privatis Oratoriis, quando earum ſubverſio majus detrimentum inferret, ac perturbationem gravem excitaret. Lubuit in his obſervationibus nonnihil immorari, quia cum noſtra non pertineat ſingulares quoſdam eventus conſiderare, in quibus attentis circumſtantiis graviſſima videatur cauſſa, ut Epiſcopi facultatem indulgeant celebrandi in privatis Oratoriis Laicorum : (Neque enim nobis ipſis tantum arrogamus, ut idoneum ferre poſſimus de gravitate cauſſarum judicium, quod a Prudentibus peti, & juxta varietatem circumſtantiarum exacte ponderari debet.) Dum nullam determinatam cauſſam proferre audemus, quæ ſufficiat ad impetrandum epiſcopalem illam diſpenſationem favore unius, vel alterius Perſonæ ; ſaltem noluimus præterire illas Regulas, quas conſiderari oportere arbitramur, ut prudens de ſufficiente cauſſa ad diſpenſationem epiſcopalem pro Miſſa in privato Oratorio celebranda judicium feratur.

XI. Quamvis autem ſingillatim nullam cauſſam ſim prolaturus, ob quam alicui ſingulari Perſonæ, aut

Fa-

Familiæ concedi legitime a proprio Ordinario facultas Miſſarum in Domeſtico Oratorio valeat; debeo tamen quatuor illas ante propoſitas quæſtiones expendere, ne Lectoribus illudere videar, eas ſine reſponſione dimittendo. Ad Primam accedo, quæ Nobilis Infirmi ſolamen ſpirituale attinet. Hanc cauſſam eſſe ſufficientem, ut Epiſcopus tribueret licentiam Miſſarum in privato Oratorio Palaus Tract. 22. diſp. un. Pun. 8. num. 5. Fagundez cit. Carmelitæ Collegii Salamanticen. Tract. 5. de Sacrific. Miſſæ cap. 4. Prop. 2. num. 56., & alii quidam olim judicaverunt; & Novarius in ſumma Bullarum Comment. 80. ita fuiſſe reſolutum a S. Congregatione Concilii teſtatus eſt. A Valero V. *Miſſa* Differen. 2. id accepit Novarius, & Valerus Gallimartium allegavit. At vero iſte in Expoſit. Concil. Triden. ad Decretum *de evitandis in celebr. Miſſarum* ſolum tradit S. Congregationem Archiepiſcopo Januenſi ſcripſiſſe recte impediri celebrationem Sacrificii in domibus Infirmorum; & tantum permiſiſſe Epiſcopo *in caſu neceſſitatis* illud concedere. Eadem traduntur in Expoſit. Concilii Tridentini ad Seſſionem 22. in Opere inſcripto: *Novæ declarationes Congregationis Card. Conc. Triden. Interpret. &c.*, quod ex Adverſariis Cardinal. Bellarmini ſimul collectis poſt ejus mortem editum fuit. Jam vero ſi ita ſe habuit reſponſio S. Congregationis, quam Nos in ipſius Codicibus reperire nequivimus; clare denegabat Epiſcopis facultatem concedendi Miſſas domeſticas cauſſa infirmitatis, quæ a *caſu neceſſitatis* excludebatur.

XII. Alteram reſponſionem Regienſi Epiſcopo factam alii proferebant; quæ ſi bene cum interrogatione conferatur, nequaquam ſuadebat unquam approbatum fuiſſe, ut ſola Epiſcoporum auctoritate Infirmis permitterentur domeſtica Sacrificia. Poſtulaverat Regienſis Epiſcopus nulla facta diſtinctione inter licentias ab Apoſtolica Sede impetratas, & a ſuis Prædeceſſoribus traditas; utrum ipſe poſſet eaſdem limitare ad ſolum tempus neceſſitatis? Ita ergo ſcripſerat Cardinalibus Interpretibus, ut legitur in Archivo apud S. Petrum Lib. I. hunc titulum præſeferente: *Collectanea decreta S. Congregat.* fol. 181. *Molte perſone in queſta Città, e Dioceſi anno fatte nelle loro Caſe Oratori, o Capelle, ove ottennero già licenzia da fare celebrare Meſſe; Io deſidero reſtringere queſta licenzia alli caſi ſolo di neceſſità, quando per vecchiezza, o per infermità di eſſi, o per altro conveniente riſpetto non poſſono uſcire di Caſa, ſe così giudicheranno le VV. SS. Illuſtriſſ. ſia ben fatto*. Huic interrogationi iſta reſponſio ſubjicitur. *Congregatio Concilii cenſuit non poſſe, ſi hujuſmodi licentiæ conceſſæ ſunt a Sede Apoſtolica; ſed debere earum formam obſervare, viſitando tamen hæc Oratoria, ſi decenti loco, ornatuque ſint: quod ſi licentiæ ab Epiſcopis conceſſæ ſint, poſſe eas reſtringere, pro ut convenire videbitur*. Quid autem magis opportune, ac prudenter reſponderi poterat, dum nihil diſtincte exponeretur, a quo licentiæ illæ fuiſſent conceſſæ; quam admonere quanto majore obſequio ab Epiſcopis ſervanda ſint apoſtolicæ Sedis privilegia præ facultatibus traditis ab ipſorum Prædeceſſoribus? Si interrogaſſet Regienſis Epiſcopus, utrum ipſe tuto ſimiles licentias pro infirmis tribuere poſſet; non dubito, quod idem reſpondiſſet S. Congr., ac circa illa tempora Cardinalibus Paleotto, & Sereniſſimo Infanti Portugalliæ reſpondiſſe paullo poſt dicemus. At vero quia ſolum quærebatur de reſtrictionibus facultatum antea conceſſarum, non expediebat inveſtigare, qua auctoritate id forte Epiſcopus aliquis Regienſis feciſſet. Voluit etiam, quantum reor, tunc S. Congregatio præſcindere ab ea deciſione, qua aperte exploderentur licen-

licentiæ Miſſarum intra Oratoria Domeſtica celebrandarum ad ſolamen infirmorum; quia quorumdam adhuc tolerabatur interpretatio, quæ inter caſus neceſſitatis, propter quam Epiſcopi nihil vetante Conciliari Lege poſſunt nonnumquam in privatis Oratoriis Miſſas permittere, infirmitatem quorumdam recenſebat. Hinc, ut cap. 14. num. 9. diximus, adhuc S. Congregatio ineunte elapſo ſæculo tolerabat, ut in Bononienſi Diœceſi Infirmis Nobilibus aliquando ab Epiſcopis Miſſæ in Oratoriis Domeſticis concederentur.

XIII. Paucorum autem fuit illa ſententia, ac proinde licet in aliquibus Regionibus aliquorum annorum ſpatio nonnulli Epiſcopi illam adoptaſſent; communiter tamen Infirmitas Virorum Nobilium ad legitimam diſpenſationem Sacrificii domeſtici a mera Epiſcoporum auctoritate impetrandam vere inſufficiens reputabatur. Non egemus hoc ipſum fuſo ſermone oſtendere, cum cap. præced. num. 1. & ſeqq. diximus quamplurimas preces ex multis Provinciis ad RR. Pontifices poſt Concilii promulgationem delatas pro obtinenda facultate Sacrificii intra Domeſticum Oratorium, expoſuiſſe Supplicantium infirmitates, quibus ſicut ſperabant a Tridentina Lege diſpenſationem, ita aperte manifeſtabant hanc non aliunde, quam ab Apoſtolica Sede obtineri poſſe. Imo in duobus ſupplicibus Libellis Tom. 41. *Poſitionum* fol. 66., & 121. quorum unum obtulerat quædam Fæmina Nobilis Incola Civitatis Mexicanæ Novæ Hiſpaniæ in partibus Indiarum Maris Oceani, & alterum quidam Comes Vincentinus, adverti, quod cum Oratores iſirmitates ſuas, votaque pro Miſſa domeſtica exponerent, expreſſe fatebantur ſe ad R. Pontificem confugere, quia *id ſibi licere* dubitabant, *abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali*. Licet ergo aliqui olim affirmarent Infirmis poſſe Epiſcopos concedere facultatem Sacrificii in ipſorum privatis Oratoriis; adhuc tamen tam improbabilis apparebat iſta opinio, ut vix pauci aurem illi præberent. Penitus ſublata fuit omnis dubitatio, cum prodjerunt Litteræ S. congregationis An. 1615. ſupra recitatæ; poſt quas opus fuit ſpeciali Apoſtolicæ Sedis delegatione, ut aliqui Epiſcopi Miſſas domeſticas Infirmis concedere licite poſſent. Iſtius delegationis Pontificæ exempla ſupra dedimus cap. præced. num. 15. & ſeq., quæ intra breve tempus limitata fuerant. Addo demum alteram declarationem hac de re factam ab eadem S. Congregatione. Interrogaverat Epiſcopus Syracuſanus Litteris ad Cardinales Interpretes ſcriptis die 18. Martii 1617., quæ extant Tomo XXXVIII. *Poſition.* fol. 202., *an Ordinarii poſſint concedere licentias celebrandi in Oratoriis privatis, quando cauſſa aliqua neceſſaria ſubeſt; ut cum Perſona Titularis inſignis, Rerumque publicarum primarius Miniſter; Nobiles item, cum ægrotant, aut ſenio confecti ad Eccleſiam accedere multifariam prohibentur?* Huic interrogationi iſta data fuit reſponſio die 27. Maii 1617., quæ reperitur Lib. XI. Decret. fol. 196. *Congreg. Concilii cenſuit non poſſe Epiſcopum ex quavis cauſſa*, (ob cauſas videlicet prædictas) *cuique concedere, ut Sacrum fiat in privatis Oratoriis: Verum ſi Cappellæ omnino extra ædes, locove publico conſtructæ ſint, prohibitionem ab ipſa Congregatione hac de re editam ad illas non pertinere*. Apertis adeo teſtimoniis ſupervacaneum foret alia ſuperaddere, cum nihil magis tutius deſiderari poterat ad diſſipandas dubitationes exortas; an propter infirmitatem Viri Nobilis adhuc Epiſcopus auctoritate concedendi Miſſas domeſticas polleret. Imo neque tempore Peſtis ſine ſpeciali delegatione Apoſtolicæ Sedis uni, vel alteri in privatæ domus Oratorio poſſet Epiſcopus Miſſas permittere; cum tamen ob communes multorum neceſſitates luegraſ-

graſſante teneantur Eccleſiarum Præſules providere, ut Sacrificia etiam ſub aperto aere, atque in publicis plateis, triviiſque celebrentur, ſicut ſeq. Opuſculo cap. 10. dicemus. Revera ſpecialem delegationem die 28. Septembris 1657. peſtilentia ſerpente datam a R. Pontifice fuiſſe aliquibus Epiſcopis, qua licite Viris quibuſdam Miſſas concederent in Oratoriis privatis, Nicolius Lib. 5. Lucub. Canon. Tit. 33. teſtatur.

XIV. Antequam in Germania promulgaretur Decretum Clementis XI., conſuetudinem permittendi domeſticas Miſſas ad conſolationem Infirmorum Nobilium quidam ſectabantur, vel tolerabant. Verum, quantum exiſtimo, ubi prudentes Epiſcopi noverunt a R. Pontifice non amplius tolerari conſuetudines quomodolibet laxantes pohibitionem Tridentini Concilii; etiam ibi ab introducta conſuetudine ceſſaverunt. P. Reinfeſtuell. in Lib. 3. Dec. Tit. 41. num. 15. quamvis videatur dubitare, an per Clementis Decretum Anni 1703. derogatum omnino fuerit conſuetudini, qua Epiſcopus ad ſolamen Infirmorum Nobilium domeſticum Sacrificium in privatis Oratoriis permittebat, quouſque ſaltem Apoſtolica Diſpenſatio, & Privilegium commode obtineretur: Adhuc tamen *nihil decidere* auſus eſt ad judicium Prudentum ſe revocans, & maxime ſe ſubjiciens Declarationibus S. Congregationis Cardinalium S. Conc. Trid. Interpretum. Modeſta ſene apparent hæc verba laudati Scriptoris, qui cum ſcriberet paullo poſt promulgatum per Saliſburgenſem Archiepiſcopum aliis Epiſcopis Clementis Decretum, non audebat perſtringere conſuetudinem propriæ Regionis; ſed contentus erat ea retractare, quæ in contrarium dixerat in Theologia Morali, ac interim ſuæ dubitationis indicia inſinuare.

XV. Quæ aperte prætermiſit Reinfeſtuell, clarius poſt aliquot annos propoſuit P. Leurenius in ſuo Commentario Decretalium edito Moguntiæ Anno 1719. Lib. 3. Tit. 41. queſ. 975., ac rejiciens omnes illius dubitationes hoc modo oſtendit, neque inter Germanos probari morem permittendi Infirmis Nobilibus Miſſas domeſticas, niſi a R. Pontifice neceſſarium Privilegium fuerit impetratum. Viderat, ſicut arbitror, Leurenius in illis Regionibus ſeſe penitus Pontificiæ declarationi conformaſſe Epiſcopos; unde liberius potuit aſſerere; quod forte antea alii palam dicere verebantur. Hinc Epiſcopi obſequentiſſimi, ſicut par eſt, Decretis RR. Pontificum, non amplius prætextu cujuſcunque conſuetudinis ſimiles conceſſiones in gratiam Infirmorum concedere ſolent. Quouſque igitur pervenerit Pontificium Privilegium, patienter ferre debent omnes licet ægritudine laborantes carentiam ſpiritualis ſolaminis, ut Leges Tridentini Concilii ſanctius obſerventur. Interim vero aliter Pii Infirmi ſolari poterunt; ac ſicut eos monebat Rithovius in ſua Synodo Iprenſi, hortandi erunt, ut *pia devotione* ſuas preces jungant cum illis, qui corporali præſentia divinis officiis interſunt. *Quod dum religioſe faciunt*, (ajebat Rithovius egregie,) *& obedienter ordinationibus parent, per quas antiqui Canones in uſum revocantur; plus in vera pietate proficient, quam ſi ex privata devotione ad domeſticas Miſſas importune conſenſum extorqueant, vel ſub prætextu privilegii irreligioſam ſingularitatem foveant.* Cupiebat Vaneſpen Par. II. Tit. V. Cap. 8. num. 15. etiam hæc Rithovii verba diligenter conſiderari; quæ nos non præterivimus, cum inde evidentius pateat Epiſcopos Tridentino Decreto obſequentes neque ex cauſſa infirmitatis uti priſtina poteſtate auſos fuiſſe. At ſatis jam de prima quæſtione diſſervimus.

XVI. Alteram quod attinet, præ cæteris Scriptoribus Paſqualigus de

Sacr.

Sacr. N. Leg. quæſt. 453. variis argumentis a genere comparativo ductis ſuadere conatus fuit licitam cuilibet Sacerdoti celebrationem in domo Infirmi, ut ei ſacrum Viaticum adminiſtretur. Cum enim preceptum ſumendi Viatici ſit excellentioris Ordinis, quam Eccleſiaſticæ Leges; ideo inferebat illius executionem faciendam eſſe, quamvis cæremonialia Eccleſiæ præcepta tranſgredi oporteret. Hinc tanta docto Viro viſa fuit neceſſitas celebrandi in domo ægroti jam jam morituri ad finem diſpenſandæ Euchariſtiæ, ut omnibus Parochis inconſulto Epiſcopo id licere affirmaverit, quando tantum temporis ſpatium non ſuppetit, quantum exigeretur ad Epiſcopum adeundum, ſicut communiter in ſubitæ infirmitatis gravi eventu accidere ſolet. Etenim ſi morbi vehementia commode ſineret Epiſcopum adire, dubio procul etiam percommode e publica Eccleſia ad domum uſque Infirmi Sacrum Viaticum deferri poſſet. Nihil me movet opinio iſta, cum ad eam rejiciendam firma habeam argumenta ex reſponſis tum a S. Congregatione Concilii, tum a S. Pio V. hac de re olim datis; quæ ſi nota fuiſſent Paſqualigo pro contraria ſententia pugnaſſet: In Archivo S. Congr. Tom. 41. *Poſitionum* fol. 129. litteræ ſequentes ad Card. Alciatum Congr. Præfectum ſervantur:

Illuſtriſſ. e Rmo Sig. mio Colmo.

Sono ricercato ſpeſſevolte da Gentiluomini di queſta Città a diſpenſar loro di poter farſi dire Meſſa privatamente in Caſa, ſolo però quando eſſi gravati dall'infermità vogliono ricevere il Santiſſimo Viatico; e che per quel caſo ſolo di communicarſi ricercano queſta diſpenſa, avendo di caro udir anco in tal'atto la S. Meſſa: E perche il Sagro Concilio nel decreto de obſer., & evitand. in celebr. Miſſar. Seſſ. 22. *comanda eſpreſſamente, che non ſi abbia a dir Meſſa, ſe non in Chieſa, e negli Oratorj dedicati ſolamente al culto divino da deputarſi, e viſitarſi dagli Ordinarj, non ho voluto mai concedere queſta facoltà; onde prego V.S. Illuſtriſsima ſi degni avviſarmi di quello, che ordina in ſimili caſi la Congregazione coſtì; perche in effetto mi ſe ne fa grande iſtanza; e par quaſi tolerabile il concederlo* pro illa vice tantum *nel ricevere il Santiſsimo Viatico; Ma non però mi partirò da quello, che ſopra ciò avrò per avviſo da V.S. Illuſtriſsima; alla quale con queſto fine bacio umilmente la mano. Di Bologna 26. Ottobre 1566. di V.S. Illuſtriſsima, e Reverendiſsima Umiliſsimo Servitore il Cardinale Paleotti.* Quanta prudentia ſe geſſerit ampliſſimus ille Cardinalis, manifeſte ex his litteris apparet. Quamvis enim Viri Nobiles, in quorum domibus vix timeri poterant eventura prophanationis, ac irreverentiæ erga Sacrificium incommoda, ſæpius poſtulaſſent ab illo licentiam Miſſæ domeſticæ ea tantum occaſione celebrandæ, in qua ipſis miniſtraretur Sacroſanctum Corporis Chriſti Viaticum: Adhuc tamen Concilii Tridentini Decretum violari verebatur, ſi id permiſiſſet, non prius interrogata S. Congregatione Concilii ejuſdem interprete. Quid autem reſponſum fuerit, exhibent verba, quæ a tergo recitatæ Epiſtolæ fol. 135. Card. Alciatus Appoſuit, nempe: *Relatione facta cum Sanctiſſimo juſsit, quod nullo modo detur hujuſmodi licentia*; imo addit quod cuidam *Oratori petenti talem licentiam*, pro Epiſcopis, ut reor, ſubjectis proprio Principi, *negative* reſponſum fuit.

XVII. Ne vero exiſtimemus hanc reſponſionem negativam propterea datam fuiſſe, quia aliunde commode Sacrum Viaticum ad illos Infirmos ab Eccleſia deferri poterat; alteram profero, cujus etiam meminit Fagnanus in Lib. III. Decret. Tit. 43. *de Cenſibus* cap. *Auctoritate*

num. 20., qui diu a ſecretis S. Congregationis Concilii fuit. Sereniſſimus Card. Infans Portugalliæ Legatus Apoſtolicæ Sedis Anno 1575. interrogavit Cardinales Concilii Tridentini Interpretes, utrum nihil obſtante Concilii Tridentini Decreto in domibus Infirmorum celebrationem Sacrificii ad miniſtrandum Viaticum poſſent Epiſcopi concedere; maxime cum in illo Regno ſæpe domus privatæ ab Eccleſiis Parochialibus, ac publicis Oratoriis diſtarent; atque hinc multa incommoda orirentur. Preces ejuſdem Sereniſſimi Cardinalis ſervantur Tom.41. cit.*Poſitionum* fol. 106., & ita ſe habebant.

Illuſtriſſ. & R̄mi Domini.

Stante Decreto Sacri Concilii Tridentini de obſer., & evit. in celebr. Miſſ. Seſſ. 22., *quo ſancta Synodus decernit, ut Epiſcopi non patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda ſanctum Miſſæ Sacrificium a Secularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi. Et præſuppoſito, quod in Regno Portugalliæ ſunt multi Loci, & domus Parochianorum in montibus ſitæ adeo diſtantes a propriis Parochiis, ut tempore præſertim hyemali, quo pluviæ inundant; & æſtivo, quo calores æſtuant, propter magnam itineris diſtantiam Parochi è propria Parochia ſacroſanctum Viaticum abſque maxima difficultate, periculis, & indecentia ad Infirmos dictorum Locorum deferre non poſſint; & præterea Populi propter has difficultates paulatim retrahitur a devotione, & obſequio, quod antea cum magna reverentia, & alacritate præſtabant; nam ſæpe modo ſuſpicantes Parochum ab Eccleſia Sanctiſſimam Euchariſtiam foras deferentem longius iter facturum, eum non comitantur, neque ſequuntur; ſed potius retrocedunt, & dicti Parochi cum minus decenti comitatu, & quandoque fere ſoli ad Locum deſtinatum pergunt non ſine magno occurrentium ſcandalo, quibus antea ex antiqua, & laudabili conſuetudine mos erat, ut quicunque occurreret, Sanctiſſimum Sacramentum relictis illud aperto capite ſemper comitarentur, donec ad propriam Parochiam rediret. Propter quæ, & alia inconvenientia vitanda ex parte Sereniſſimi Cardinalis Infantis Portugalliæ de Latere Legati ſupplicatur a DD. VV. Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis, & quæritur: Utrum hic caſus neceſſitatis, ſeu licentiæ ſupradictus comprehendatur ſub verbis Sacri Concilii; an vero excluſus cenſeatur, ita ut liceat Epiſcopis, cum viderint expedire facultatem Parochis concedere, ut in dictis Locis a propria Parochia diſtantibus, in quibus Oratoria non reperiuntur, poſſint in Infirmorum, vel Vicinorum domibus decenter ornatis Miſſam celebrare, pro ut antea in his caſibus fieri ſolebat ad effectum tantummodo Sacram Communionem Infirmis adminiſtrandam.*

XVIII. Plurimum graves videntur hujuſcemodi cauſſæ ad obtinendam diſpenſationem a Tridentina Lege; attamen cenſuit S. Congregatio die 22. Septem. 1575. ſicut legitur a tergo Libelli fol. 109., *non concedendum*, quod petebatur; quia ut propria manu Cardinalis Præfectus ibidem adnotavit, id *non licet.* Satius igitur judicaverunt prudentiſſimi Interpretes Concilii Tridentini aliquem Infirmum forte ſine præſidio euchariſtico ex hac vita diſcedere, quam laxato rigore tridentinæ prohibitionis anſam præbere aliis gravioribus irreverentiæ periculis, quę ſæpiſſime contigiſſent, ſi Miſſa in privatis domibus celebrari potuiſſet, ut inter Sacram Actionem Viaticum præberetur. Revera aliis modis providi Epiſcopi poterant conſulere tum faciliori communioni Infirmorum, cum pietati Fidelium reven-

renter comitantium S. Euchariſtiam a Sacerdote ad Infirmos deferendam; quin opus eſſet veteres conſuetudines renovari, quæ licet olim in domibus Infirmorum aliquando Miſſas celebrari concederent, tamen propter multa incommoda, quæ prudentiſſime inde oritura timebantur, vel etiam exoriebantur, Concilii Tridentini generali prohibitione omnino ſublatæ fuerunt. Etiam multo ante hujus Concilii tempora propter eaſdem cauſſas ab aliis quibuſdam Provincialibus Synodis illas conſuetudines fuiſſe deletas ſequenti Opuſculo enarrabimus.

XIX. Nec mirum ſit, quod aliquando præcepta Eccleſiaſticæ Inſtitutionis præcepto Viatici ſumendi prævaleant, quando videlicet violatio cæremonialis illius Legis prudenti Hominum judicio redundaret in dedecus Sacramenti, aut per ſe apertam viam irreverentiæ periculis ſterneret. Certe nemo prudens dixerit divinum præceptum celebrandi cum Planeta, aut cum Stola; offerendi cum Calice, & Patena conſecrata; ſuper linteum &c. Adhuc tamen nullus jam ambigit, quin ſine aliqua ſaltem Sacerdotali Veſte, ac idoneis Vaſibus vetita ſit celebratio Sacrificii; etiamſi neceſſitas Infirmi morti proximi illam deſideraret, ut particeps Euchariſtiæ factus cæleſti armatus præſidio adverſus pericula, & tentamenta diaboli in agone fortis perſeveraret. Poſtquam igitur Hominum judicio perſuaſum eſt obſervandas fore quaſdam Leges Cæremoniales Eccleſiaſticas tanquam omnino deſideratas ad debitum præſtandum obſequium erga Divinum Sacrificium, æquum eſt illas perenniter cuſtodiri, & aliis modis providere neceſſitatibus ſpiritualibus Infirmi, qui ſolo deſiderio Euchariſtiæ una cum ferventibus Caritatis actibus a Dei gratia interius confortatus ſtrenue vincet maligni hoſtis inſidias, atque ita conſequetur, quod ex ſacra communione obtinere ardenter cupiebat. Nec ipſe Paſqualigus his repugnare me judice debuiſſet; quoniam qu æſ. 812. fatetur communi veſte non poſſe a Sacerdote Sacrificium offerri, quamvis aliter Sacrum Viaticum tradi nequiret. Enimvero ſi bene ponderentur, quæ ibi in medium profert pro neceſſitate alicujus Veſtis Sacerdotalis, æque pro neceſſitate Loci ſpecialiter ad divinum cultum delecti militant.

XX. Multo minus licere exiſtimamus permittere abſque facultate R. Pontificis Sacrificium in privatæ domus Oratorio, ut alicujus Familiæ quantumvis Nobilis, quæ domo egredi nequit certis impedimentis obſtantibus, aut periculis imminentibus, pia deſideria compleantur. Etenim ſi Infirmorum gratia, quorum major eſt neceſſitas, talem licentiam Epiſcopi nequeunt concedere, fruſtraque ad Apoſtolicam Sedem pro ea impetranda aliquando confugerunt: quanto minus illam largiri poterunt ad uberiorem ſpiritualem conſolationem paucorum ſanorum? Abſit enim, ut quis ſanctiſſimas Eccleſiæ Leges violare audeat propter majorem unius, aut alteris utilitatem ſpiritualem. Secus liceret incongruis horis Sacrificium perficere, ac ab eodem Sacerdote ſæpius in die iterari; quoniam contingeret quemquam iſta pariter deſiderare vehementer ad abundantiorem conſolationem, ac gratiam ſibi comparandam. Igitur qui legitimo impedimento domi conſiſtere cogitur vetitus ad publicam Eccleſiam accedere, bene poterit domi ferventius vacare orationi, & humiliter dilationem Sacrificii tolerare; niſi ad Apoſtolicam Sedem confugerit pro impetranda facultate Miſſæ in Domeſtico Oratorio; ſicut fecerat quidam Baro Italus, cum ipſius vitæ maligni homines inſidiabantur. Illius preces Tom. 41. *Poſitionum* in Archivvo Sacræ Congregat. Conc. apud S. Petrum reperi. Hinc adverto, quod ubi vigebat conſuetudo,

ut Viduæ, & maxime Nobiles mortuo Marito per aliquod tempus luctus, & triſtitiæ cauſſa ſe domi continerent, non propterea illis domeſticum concedebatur Scrificium; ſed abſentia earumdem ab Eccleſia *ſine Miſſæ auditione* tolerabatur. Videatur Concilium I. Mediolanenſe S. Caroli Par. 2. n. 5. quo ſtatuitur: *Viduæ ob Maritorum mortem ad ſummum ne menſe amplius ſint ſine Miſſæ auditione. Qua in re nulla valeat excuſatio cujuſvis conſuetudinis, quam irritam decernimus*. Magis ſevere Concil. Mediolanenſe III. ſe geſſit, dum Tit. 1. de Feſtorum Dierum cultu abſtulit illas conſüetudines, quæ impediebant Miſſæ auditionem; juſſitque ut *feſtis diebus Sacroſancto Miſſæ Sacrificio Fideles omnes interſint; neque vero excuſentur Puellæ nubiles, neque deinceps Viduæ, ne permiſſu quidem Primi Concilii, ob recentem Mariti mortem; neque ullo alio cujuſvis conſuetudinis prætextu*.

XXI. Supereſt dicendum de conſuetudine alicubi poſt Concilium Tridentinum retenta (an adhuc retineatur? ignoro) celebrandi de licentia Epiſcopi in domo Viri Nobilis præſente cadavere: pro illa pugnavit Paſqualigus quæſt. 457. At perſuadere debuerat intemeratam permanſiſſe poſt Concilium Tridentinum legitime antea introductam conſuetudinem; ut inde conſequeretur idem etiam licere poſtConcilium, quod antea propter conſuetudinis vigorem licuiſſe nemo dubitabat. Verum quomodo ſuaderi poterit a Concilio ſpecialiter fuiſſe exceptam illam conſuetudinem, cum expreſſe abſtulerit quæcunque privilegia, *quaſcunque conſuetudines*? Quare ſi harum aliquæ non ſtatim ubique ſublatæ fuiſſent diſſimulantibus Epiſcopis; ubique iſtorum vigilantia auferri debent magis vigente Tridentina Lege, cujus eo enixe ibi procuranda eſt executio, ubi forte neglecta eſt obſervantia? Neque enim quidquam deperiit auctoritatis a Concilio Tridentino ex eo, quod aliqui neglexerint ipſius ſervare Decreta: Nam hujuſmodi conſüetudines adverſas Conciliari Legi emendandas eſſe ſæpe juſſu RR. Pontificum iterata, & confirmata S. Congregationis Decreta inculcarunt. Parum autem refert, quod conceſſio Miſſarum in domo Nobilis defuncti brevi ſpiret. Etenim abſque graviſſima, ſeu neceſſaria cauſſa ne pro unica quidem vice poſt Tridentinum Concilium valent Epiſcopi propria auctoritate permittere Miſſæ celebrationem in privatis domibus, ut jam diximus; iterumque repetimus. Non eſt tamen negandum, quod ſi alicubi tolerata eſſet peculiaris conſuetudo, de qua nunc loquimur, celebrandi in Domeſtico Oratorio præſente cadavere, & alias ſine gravi tumultu auferri nequiret; tunc licite Epiſcopus, quantum reor, indulgere poſſet ſimilem licentiam, non quidem mera conſuetudinis inſpecta ratione; ſed conſiderato gravis tumultus periculo, quod cauſſæ graviſſimæ æquivalere poteſt.

XXII. Ex reſolutione præcedentium Quæſtionum conſequitur ſententia noſtra rariſſimam contingere poſſe cauſſam ſufficientem impetrandæ Epiſcopalis Diſpenſationis Miſſarum celebrandarum in Privatarum Domorum Oratoriis propter Unius, ac Paucorum neceſſitatem; graviorem que plurimum eſſe debere cauſſam ejuſdem licentiæ elargiendæ in gratiam alicujus tantummodo ſive Perſonæ, ſive Familiæ; quam requiratur ad licitam illius facultatis conceſſionem, quoties multitudini Fidelium conſuli deberet. Non immerito hoc diſcrimen conſtituitur; 1. quia omnia Jura poſcunt, ut in concedendis diſpenſationibus facilius reſpiciatur ad multorum utilitatem, quam ad ſingulorum levamen: Unde quadrant verba D. Bernardi Lib. 3. de Conſider. cap. 3. *Ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt: utilitas dico communis*. Enim vero quoties

ties ad commodum unius, alteriuſque in diſpenſatione attenditur, probabiliter timetur aditum aperiri transgreſſionibus Legis, quam cum diſpenſatio plures ſimul ſublevandos ab aliquo gravi incommodo reſpicit; tantoque tutior eſt diſpenſatio, quanto bonum ex relaxatione Legis oriens Plurimos ſimul afficit. 2. Quia neceſſitas aliqua inde major evadit, ex quo in multos æqualiter extenditur. Nam ut multorum ſimul neceſſitas collata cum neceſſitate ſingulorum proportionem obtineat; opus eſt, ut gradus iſtius majores in ſingulis reperiantur. Quamobrem minus periculoſum eſt, ut acceptionis Perſonarum vitio laboret Epiſcopus, ſi permiſerit Sacrificii Oblationem extra Loca Sacra ob aliquam gravem cauſſam multos ſimul afficientem; quam ſi idem permiſerit tantummodo propter ſpiritualem utilitatem, aut neceſſitatem ſingularem alicujus.

XXIII. Exempla profero a publicis Carceribus deprompta, ac valde idonea, ut notabile diſcrimen, quod intercedit, dum plures ſimul ad publicas Eccleſias accedere prohibentur, & dum unus, alterve ſimili quodam impedimento detinetur, clarius appareat. Semper equidem ſive ante, ſive poſt declarationem juſſu Pauli P. V. de mente Tridentinorum Patrum factam conceſſum fuit in publicis Carceribus privatum aliquod Oratorium, in quo coram incluſis Miſſæ celebrarentur, cum nulla pro illis publica Capella extrui poterat. Nimis quippe grave foret, & illorum ſaluti ſpirituali permoleſtum, ſi etiam Diebus Feſtivis ſine Miſſa dimitterentur, per quam aut ad poenitentiam patratorum criminum excitarentur, aut ad pœnas patienter ferendas juvarentur. Cum ergo pro iis apud Apoſtolicam Sedem ſupplicatum fuit, ut ſpeciale Indultum Miſſarum celebrandarum intra Oratorium privatum publicorum Carcerum tribueretur, ſtatim annuerunt RR. Pontifices: Cum vero Locorum Ordinarii dubitantes interrogabant, an ab ipſis ſimile Oratorium approbari poſſet, & aliunde agebatur de Carceribus, in quibus aſſidue multi miſeri vel alieno ære gravati, vel aliis ſceleribus rei cuſtodirentur? Reſponderunt plane ab ipſis Ordinariis in eum finem privata Oratoria poſſe deputari. Inter illos, qui ad R. Pontificem confugerunt pro impetranda facultate Miſſarum in privatis hujuſmodi Oratoriis fuere pii quidam Cæſarauguſtani, qui hunc ſupplicem Libellum ſervatum in Archivvo Sac. Congreg. Conc. apud S. Petrum Tomo 41. *Poſition.* fol. 142. miſerunt non multo poſt Concilii Trid. tempora.

Beatiſſime Pater.

Exponitur Sanct. V. pro parte devotorum illius Oratorum deputatorum Regni Aragonum, quod alias ipſi zelo charitatis moti, ut Carcerati a Curia Seculari tam pro debitis civilibus, quam cauſſis criminalibus, & etiam capitalibus, qui ſe Juſtitiæ dicti Regni, vulgariter Juſtitia d' Aragon *nuncupatur, manifeſtarunt, tutius conſervarentur; & ut melius eorum juſtitia cognoſceretur, quoſdam ampliſſimos, ac tutos carceres cum decreto Sacræ Regiæ Majeſtatis erigi, & conſtrui fecerunt, in quibus dicti carcerati, & ut dicitur manifeſtati, detinentur, ac cuſtodiuntur, quouſque de eorum juſtitia recte cognoſcitur, & ut dicti Carcerati tanquam Chriſticolæ vivere poſſint, cum ipſis carceribus quandoquidem per duos, tres, & quatuor annos permaneant, Capella in eiſdem Carceribus in loco honeſto, & decenti conſtructa exiſtit ad effectum, ut in ea Miſſa quolibet die, prout in aliis Carceribus ejuſdem Civitatis Cæſarauguſtanæ, & aliorum Regnorum Hiſpaniarum utitur, celebraretur, ſi a Sanctitate V., & a Sede Apoſtolica eis licentia concederetur. Supplicant igitur humiliter S. V. Oratores prædicti, quatenus ſpecialem gratiam faciens iſtis omnibus, ut in dicta Capella, prius tamen ab Ordinario viſitanda, & appro-*

probanda, per aliquem Presbyterum Secularem, alias approbatum ab Ordinario, vel alicujus Ordinis Regularem per eos pro tempore ad nutum eligendum, & deputandum Miſſam quolibet die libere, & licite etiam abſque Ordinarii, vel cujuſvis alterius licentia poſſint, & valeant, indulgere, ac licentiam, & liberam concedere facultatem dignetur de gratia ſpeciali non obſtantibus &c. in Litteris per Breve Sanctitatis V. in forma gratioſa expeditum. His votis annuit R. Pontifex, & præmiſſo judicio S. Congregationis data fuit licentia *ad exemplum aliarum*, ut in calce Libelli adnotatur.

XXIV. Pariter poſt Litteras juſſu Pauli P.V. Anno 1615. ad Epiſcopos miſſas promptam indulgentiam erga incluſos in Carceribus impenderunt RR. Pontifices; ita ut, cum inter plures quæſtiones S. Congregationi propoſitas illam de Oratorio privato in Carceribus approbanda eidem Paulo P. V. expoſuiſſet Ampliſſ. Card. Lancellottus nomine Archiep. Coſentini, qui hac de re litteras ad ipſum ſcripſit Die 20. Maii ejuſdem Anni ſervatas Tom. 38. *Poſition.* fol. 222.; *quo ad Carceres Sanctiſſimus Die 6. Julii 1615. dixit, quod Congregatio daret Litteras in omnibus Caſibus*, ut in pretioſiſſimo folio 223. prædicti Tomi ſua manu idem Cardinalis ad oram adnotavit. Addo alias Litteras S. Congregationis ad Vicarium Beneventanum ſcriptas, quæ reperiuntur Lib. 10. Litterar. fol. 183., & declarant, quam libenter Miſſarum beneficium indulgeretur miſeris illis, qui in Carceribus cuſtodiebantur. *Etſi Illuſtriſſimi Patres Trident. Concilii Interpretes, quas licentias in privatis Oratoriis Sacrum faciendi quiſque hactenus ab Ordinariis Locorum aſſecutus eſt, ex Sanctiſs. D. N. præcepto jam pridem irritas decreverint, & inanes: Cum tamen eos, qui Carceribus mancipati ſunt, ac propterea ad Eccleſias accedere nulla interdum ſua culpa præpediuntur, maxime ſit clementiæ, ac pietatis hoc ſpirituali refrigerio ſolari, facultatem illis a Sanctitate Sua nuper tributa benigne Tibi indulſerunt, ut in Oratoriis Carcerum iſtius Civitatis, & Montis-Fuſculi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrandi licentiam impertiri valeas, ubi tamen prius eaſdem Capellas viſitaveris, ac Divino Cultui peragendo aptas, ac decentes eſſe compereris; atque ut hinc Parochialis Eccleſiæ jura nihil ſentiant detrimenti; quod Tibi his Litteris teſtatum voluimus: Salutem pleniſſimam in Domino impertimur. Romæ Die 20. Novembris* 1615. His ſimilia ſcripſit S. Congregatio Epiſcopo Aretino die 13. Martii 1616. circa Oratorium Carcerum Terræ Puppii. Habentur Lib. 10. Litter. fol. 194.

XXV. Ut vero aliqua ſubdamus reſponſa facta ab eadem S. Congregatione, dum illam interrogaverant Epiſcopi de facultate approbandi Oratoria in Carceribus publicis exiſtentia; duo ſeligo, quorum unum præceſſit declarationem Anno 1615. promulgatam. Ita ergo ſcripſit Ampliſſ. Card. Alciato Epiſcopus Nolanus; cujus Litteræ extant Tomo 41. *Poſition.* fol. 15. *Sogliono li Capitani di queſta Città di Nola tenere li Carcerati in caſa loro, & ordinariamente ce ne ſono in buona quantità. Giudico eſſere in molto refrigerio dell' Anime loro, ſe poteſſero ſentir Meſſa; per il che ſe pare a V. S. Illuſtriſſ., e Reverendiſſ. voglia farmi avere licentia, che alle volte, ſe li poſſa far celebrare, che avrò conſiderazione ſegui in luogo più condecente, che ſia poſſibile, e con gli avvertimenti, che mi ſaranno dati da V. S. Illuſ., e Reverendiſs. &c. Da Nola li 19. di Giugno* 1579. Quid reſponſum fuerit hiſce Litteris apte aſſequimur ex eo, quod die 14. Julii ejuſdem Anni S. Congreg. cenſuit; nempe *reſpondendum eſſe in privatis Domibus non licere celebrare Miſſam. Quod ſi erigatur ad hunc uſum, & in loco decenti Oratorium ab Ordinario viſitandum, & approbandum, tunc poſ-*

poſſe. Alterum eſt recentius, cum videlicet Archiepiſcopus Calaratinus Anno 1648. inter alia dubia ſecundo loco illud Eminentiſſimis Conc. Trid. Interpretibus propoſuit: *An ſub prohibitione* (decreti Pauli P. V.) *comprehendatur Capella Carcerum publicorum, & petenda ſit eadem licentia a Sede Apoſtolica; vel ſufficiat licentia Ordinarii, ſi hujuſmodi Capella ſit in loco decenti ornata*. Huic interrogationi Die 14. Novemb. ejuſdem Anni ita reſponſum fuit. *Non comprehendi Capellam Carcerum publicorum* Extat Lib. 18. Decr. f. 543.

XXVI. Hæc de gravitate cauſſæ neceſſariæ ad hoc, ut Epiſcopus exerat ſuæ poteſtatis reliquias in conceſſione Oratorii in privatis Domibus exiſtentis dixiſſe nobis ſufficit, qui licet alia addere de Oratoriis Arcium in animo verſaremus, cum primum idem affirmandum videretur de multis Militibus intra Arces degentibus, ac de aliis qui ad publicas Eccleſias accedere non permittuntur; aliqua tamen poſtea pro Arcibus invenimus, quæ melius ſequenti Capitulo congruunt. Unum itaque tandem hic addam, de quo nemo unquam dubitavit, manifeſtum argumentum ſuperſtitis poteſtatis epiſcopalis approbandi Oratoria in Domibus privatis comprehenſa, quoties ſpiritualibus multorum neceſſitatibus conſulere opus eſt; nec Eccleſiæ publicæ ædificari poſſunt, in quibus ad Miſſas, aliaque Divina Officia Fideles Populi congregentur. Revera tam certo conſtat, quod defficientibus Eccleſiis in privatis Oratoriis Sacrificia peragi poſſunt, ut vigeant adhuc Canones, qui illo in eventu Miſſarum celebrationem etiam ſub dio facere permittant, quemadmodum Opuſcul ſeq. exponemus. Sancte igitur Epiſcopi in Locis Infidelium, aut Hæreticorum dominationi ſubjectis degentes, cum Chriſti Fidelibus nulla ibi permittuntur publica Oratoria, hæc ipſa ſæpe curant intra privatas Ædes erigere, ac dedicare, in quibus Divina Myſteria, ac cætera Religionis noſtræ officia ſimul convenientibus Fidelibus peragantur; eadem propemodum ratione, qua primis Eccleſiæ temporibus in privatis Domibus, aliquando etiam conſecratis, & in Titulum deputatis conveniebant, ſicut Cap. IV. narravimus.

CAPUT XVI.

Quæ ſint Privatæ Domus, ad quas reſpexit Concilium Tridentinum in Decreto Seſſ. 22.

I. PLENAM Tridentini Decreti expoſitionem facturi operæ pretium exiſtimamus inquirere, quænam ſint *Privatæ Domus*, in quibus pati non poſſunt Epiſcopi Miſſarum celebrationem: Utrum videlicet Principium etiam Magnorum, cæterorumque juriſdictionem temporalem in propriis Ditionibus, Feudiſque exercentium Palatia comprehendantur? Utrum Arces? Utrum Ædes, quæ tum Juri dicundo, cum Gymnaſiis frequentandis, & pro Comitiis, Magiſtratibus, ac Senatoribus ſunt ædificatæ, Utrum Monaſteria, Seminaria, & reliqua Collegia ad informandam bonis moribus, artibuſque Juventutem exſtructa; Noſocomia, Xenodochia, Orphanotrophia, ac cætera hujus generis habitacula a Concilio Tridentino comprehenſa fuerint in prohibitione Miſſarum celebrandarum intra Oratoria privatarum Domorum? Hæc enim omnia non tam videntur privatæ, quam publi-

bli-

blicæ Ædes, utpote quæ vel neminem accedentem excludant, vel plurimorum ſaltem commoditati pateſcant; vel deſerviant Perſonæ Publicæ plures repræſentanti propter Principatus, & Juriſdictionis prærogativas, ac dignitatem, vel demum ſint Eccleſiaſtica Ædificia a communi privatarum domorum numero excipienda. Ut ergo rem iſtam exploratam habeamus, iterum recolere debemus duplicis Generis Oratoria eſſe poſſe in Privatis Domibus; quædam Beneficii Eccleſiaſtici Titulum habentia, ac propterea in cenſum publicorum Oratoriorum revocanda: Alia vero mere Privata. Si de Prioribus ſit ſermo, jam bis, terve monuimus Tridentina Lege non fuiſſe vetita; ac propterea quamvis intra ambitum Privatarum Domorum extructa fuerint, libere ex Epiſcopi approbatione in illis Sacrificium offerri. Id iterum indicamus, quoniam facile intelligimus diſcrimen, quod ſæpe inter quædam Oratoria, ſeu Capellas in Palatiis Principum, Magnatumque exiſtentes occurrit.

II. Habent iſti communiter in propriis Aulis ſuas Capellas, in quibus ſolemniter Divina Officia certis quibuſdam diebus peraguntur: vel ſaltem ad illarum cultum deſtinatos habent Capellanos, qui quotidie, aut ad nutum Principum Sacrificia inibi celebrent. Has Capellas ſanè ſplendidas, & ad inſtar Palatinæ Eccleſiæ Parochialis exſtructas, quantumvis intra Regum, Magnorumque Principum Palatia exiſtentes, nullatenus per Concilii Tridentini Decretum ineptas evaſiſſe ad Divinorum Myſteriorum licentiam, liberamque celebrationem exiſtimo. Etenim non minore ſaltem prærogativa illas gaudere oportebat, qua cæteræ Capellæ domeſticæ annexum Titulum Beneficiarium habentes fruebantur; maxime cum ut ad Ordinationem Clericorum ſufficiunt reliqua Eccleſiaſtica Beneficia; ita quinimo multo magis perpetua deputatio Clericorum ad obſequium ſimilium Palatinarum Capellarum abunde ſufficit. Has ipſas Principum Capellas ſuppoſuiſſe, ac approbaſſe Concilium Tridentinum mihi videtur, dum Regios Capellanos Seſ. 24. cap. 11. commemoravit, quos tantum juxta Innocenti III. P. decretum Cap. *cum Capella* Tit. *de Privileg.* ſubjectos, vel exemptos ab Epiſcoporum Juriſdictione eſſe ſtatuit. Hinc in nonnullis Privilegiis a RR. Pontificibus ad uberiorem ſplendorem Capellarum, Capellanorumque Palatinorum conceſſis adverto liberum omnibus ingreſſum ad illas præſupponi, atque in illis Miſſas libere celebrari conſueviſſe. Profecto iſta non ſuppoſuiſſent Rom. Pontifices, ſi in numero privatorum Oratoriorum etiam hæ majores Regiæ Capellæ confundendæ forent. Tunc enim, quod primum inter omnia fieri debuerat, concedenda erat erectio Capellæ; ut deinde aliis privilegiis ſpecialibus inſignirentur. Recitat Turturetus in calce Operis de Capel. Regum Hiſp. Litteras Pauli V. P. Anno 1614. pro Capellæ, ac Capellanis Regis Hiſpaniarum; nihilque in illis apparet, quod reſpiciat conceſſionem ejuſdem Capellæ; ſed nova tantum, ac ampliora elargitur privilegia Capellanis ibi deſervientibus, ſive quæ ad ipſos directe, ſive quæ ad Sacramentorum ad miniſtrationem libere in iiſdem Capellis faciendam ſpectant.

III. Præter has Capellas habent Principes in ipſorum Palatiis, tam in Urbibus, quam Ruri, alia privata penitus Oratoria, in quibus ob commodum ſolius Regiæ Familiæ privatas Miſſas celebrari curant. Hæc autem Concilii Tridentini Legibus comprehenſa fuiſſe Litteræ S. Congregationis ſcriptæ ad Archiepiſcopum Taurinenſem Die 12. Februar. Anni 1616., & ſervatæ Lib. 10. Litterar. fol. 191. aperte inſinuant. Cum enim interrogaſſet Archiepiſcopus; utrum Capellæ in Palatiis Oratorum Principum in numero Privatarum

com-

computarentur, ac proinde in illis ab Ordinariis Locorum concedi non poſſet Sacrificium? reſcripſit S. Congregatio: *Et ipſas inter privatas recenſeri: quando ipſius quoque PRINCIPIS DOMUM eidem Legi ſubeſſe jam pridem Congregatio ipſa reſpondit.* Hujuſmodi declarationis a S.Congregatione factæ Fagnanus illius olim Secretarius Lib.3. Decret. Tit. *de Cenſibus*, cap. *Auctoritate* num. 19. ſecurus eſt teſtis. Aliqua ego reperi in Archivvo apud S.Petrum decreta, quæ huc pertinent; ac præcipue illud inſertum Lib.I. inſcripto: *Collectanea Decreta S.Congregat.* fol. 388., in quo interrogante Epiſcopo Parmenſi, *an in domo Principis* celebrari poſſet; *quaſi non veniat appellatione domus privatæ*? S.Congregatio reſpondit, *hæc quoque loca comprehendi dicto Decreto* Concilii Tridentini; ſive ut legitur ad idem dubium Tom. 41. *Poſition.* fol.61. *Oportet, ut* (Princeps) *habeat ſuum privilegium*.

IV. Quare non raro Magni Principes ad Apoſtolicam Sedem confugiunt, ut facultatem Miſſarum domeſticarum in Privatis ſuorum Palatiorum, & Domorum in ipſorum Statibus exiſtentibus Oratoriis impetrent. Recolat Lector dicta cap. 14. num. 4. ubi quædam Magnis Principibus, Regibuſque conceſſa privilegia hujus generis indicavimus. His libet adjungere aliud, quod Magno Magiſtro S. Joannis Hieroſolymit. conceſſum fuerat.

Dilecto Filio Alophio de Wignacourt Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolym. Magno Magiſtro.

PAULUS PP. V.

Dilecte Fili ſalutem &c. Religioſus zelus, ac conſtantis fidei, & devotionis tuæ erga Nos, & Apoſtolicam Sedem ſinceritas jure poſtulant, ut votis tuis libenter annuamus. Speciali igitur conſolationi tuæ, quantum cum Domino poſſumus benigne conſulere, teque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, ſupplicationibus nomine tuo Nobis deſuper humiliter porrectis inclinati Tibi, ut in Palatii tui Oratoriis ad hoc decenter exſtructis, & ornatis, ſeu exſtruendis, & ornandis ab omnibus domeſticis uſibus liberis, prius tamen ab eo, ad quem ſpectat, viſitandis, & approbandis Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium &c. in Tua, & Familiæ tuæ, & eorum, qui ibi adeſſe contigerit, præſentia celebrari facere libere, & licite poſſis, & valeas auctoritate apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Die 18. *Novemb.* 1608. Unum vidi a BENEDICTO XIV. ſimile Privilegium conceſſum Die 10.Dec.1740. cuidam præcelſo in Italia Principi, ejuſque Principiſſæ Conjugi, quo illis indulget, *ut in privatis quorumcumque Palatiorum, & Domorum* ipſorum *habitationis in Statibus* ipſorum *exiſtentibus Oratoriis ad hoc decenter muro exſtructis, & ornatis, ſeu exſtruendis, & ornandis ab omnibus domeſticis uſibus liberis per Ordinarium Locorum prius viſitandis, & approbandis Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium per quemcumque Sacerdotem ab Ordinariis prædictis reſpective approbatum Secularem, ſeu de ſuperiorum ſuorum licentia Regularem, ſine tamen quorumcumque Jurium Parochialium præjudicio; ac Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis D.N.J.C. Feſtis Diebus exceptis*, in ipſorum, *Natorumque, & Familiarium* ſuorum *utriuſque Sexus, & aliorum, quos inibi adeſſe contigerit præſentia etiam per horam ante auroram; & per aliam horam poſt meridiem tantum celebrari facere libere, & licite* poſſint, & valeant, *ac quilibet* illorum *poſſit, & valeat &c.*

V. De Oratoriis exiſtentibus in publicis Ædibus Civitatis, ac Magiſtratuum apertas jam pridem declarationes Sac.Congregatio edidit: Etenim cum Archiep. Coſentinus interrogaſſet, *an dictis Litteris* (Pauli P.V. juſſu ſcriptis) *comprehendatur Capella ſita in Palatio Regio dictæ Civitatis, ubi Gubernator Provinciæ reſidet; ac Miſſam affluenter audiunt Officiales, & Curiales, ... quæ quidem Capella fabrica, & ornatu pro dignitate nitet?*

Card. Lancellottus ad oram adnotavit iſta verba: *Cadit ſub revocatione*; ac proinde agendum fore *cum Sanctiſſimo, qui concedat facultatem. Sanctiſſimus anunit* 6. *Julii* 1615. Extant Tom. 38. *Poſition.* fol. 223. Manifeſte adeo conſtabat Oratoria in hujuſmodi Palatiis erecta ſubdi prohibitioni tridentinæ; ut cum Paulus P. V. Hiſpanis Epiſcopis ſpecialem illam facultatem approbandi privata Oratoria durante ſexennio conceſſiſſet, cujus cap. 14. num. 15. meminimus, expreſſe permiſſerit, *ut poſſint hanc celebrandi poteſtatem facere publicis quoque in Locis, quo primarii Regii Miniſtri Juſtitiæ, ac Rerum publicarum gratia Magiſtratus gerunt, & Sacras Ædes adire nequeunt ſuo muneri addicti*. Prodiit altera declaratio ad Oratoria privata in publicis Palatiis Civitatis exiſtentia ſpectans, quæ Lib. 18. Decretor. fol. 543. reperitur. Cum enim S. Congregationem interrogaſſet Archiepiſc. Calaritanus Bernardus della Caura: *An ſub prohibitione Decreti Pauli V. ſuper Oratoriis Privatis, & Litterarum hujus Sacræ Congregationis comprehendatur Capella exiſtens in Aula Publici Palatii Civitatis, ita ut Magiſtratus teneatur a Sede Apoſtolica licentiam impetrare?* Reſpondit S. Congregatio Die 14. Novembris 1658. *Comprehendi ſub prohibitione Decreti ſuper Oratoriis editi* Die 10. Martii 1615. Hoc Decretum recitat Diana, aliique; ſed., ne quis falſa quædam inde ſupponat, opportunum arbitror advertere nequaquam dubitaſſe Calaritanum Regium Magiſtratnm, quod ipſius Capella ſubjiceretur Tridentinæ Prohibitioni; cum ſolum ab eo quæreretur, an propter oſtium publicum; cui proxime adhærebat Capella Palatii, non jam privata, ſed potius publica nuncupanda foret? Hinc poſtquam claruit, atque judicio S. Congr. Die 19. Julii 1649. apparuit *Oratorium exiſtens in Aula illius Palatii non eſſe publicum, ſed comprehenſum ſub Decreto unico Seſſ. 22. de privatis Oratoriis*; tunc optimi Regii Magiſtratus Conſiliarii ad Innocentium X. confugerunt; ipſorumque precibus contentis Tom. 38. *Poſition.* fol. 12., audito prius de more voto S. Congregationis Concilii, R. Pontifex annuit. Similes facultates aliis multis inſignibus Magiſtratibus RR. Pontifices conceſſerunt, quas tamen juxta illorum uberiorem dignitatem, aliiſque de cauſſis, ac circumſtantiis modo magis, modo minus protenderunt, ſive quo ad numerum Adſtantium, ſive quo ad Dierum Solemniorum limitationem, ſive quo ad diuturniorem, vel breviorem Privilegii durationem. Aliqua hujus generis Privilegia ampliſſimis quibuſdam Magiſtratibus etiam Benedictus XIV. P. conceſſit; alia quidem ſolum duratura ad Decennium; alia ſolum pro illis Diebus, quibus in publico Palatio congregantur Magiſtratus; alia ſolum pro Miniſtris, & Officialibus Magiſtratum; alia cum reſtrictione unius Miſſæ, alia demum licet pauca ſine hujuſmodi limitationibus.

VI. Poſtquam oſtendimus Oratoria in Principum, ac Magiſtratuum Palatiis erecta comprehendi in Tridentino Decreto, nihil adere oporteret de Oratoriis exiſtentibus intra Palatia Baronum, ac cæterorum Juriſdictionem temporalem exercentium, qui illis dignitate, ac prærogativis valde ſunt inferiores. Attamen ſeorſim de iſtis ſuas edidit declarationes S. Congregatio, cum identidem fuerit interrogata, ſive ante, ſive poſt Litteras jubente Paulo P. V. de privatis Oratoriis ſcriptas. Anno 1577. inter alia dubia ſuperius enarrata quarto loco etiam iſtud propoſuit Epiſcopus Parmenſis Card. Alciato. *An in Palatiis Baronum in Locis ubi Juriſdictionem exercent*; poſſet Sacrificium concedi ab Ordinario ſine præjudicio Tridentini Concilii. Non multo poſt Epiſcopus Caſtellanetenſis Litteris ad Card. Mathei ſcriptis; & a nobis cap. 14. num. 6. indicatis idem quæſiverat. Unica autem, & eadem fuit

fuit reſponſio S. Congregationis, videlicet *hæc quoque loca comprehendi dicto Decreto Concilii; & hanc licentiam petendam eſſe Sede Apoſtolica*. Similiter cum Epiſcopus Gravinenſis Litteris ad Card. Lancellottum ſcriptis Die 23. Maii 1615., & inſertis Tom. 38. *Poſitionum* fol. 234. poſtulaſſet *An in Palatio Ducali ejusdem Civitatis, quod multum ab Eccleſia diſtat, poſſet celebrari in Capella multum decente*, quæ in illo exiſtebat? Reſponſum fuit *non poſſe*, ut refertur Tomo cit. fol. 233. Revera valde contrarium apparet, alienumque a mente Patrum Tridentinorum magno rigore coarctantium abuſus celebrationis domeſticæ vel etiam ſuſpicaris illos promiſiſſe, ut in domibus eorum, qui Jurisdictionem temporalem exercent, libere Sacrificia offerrentur. Quam enim facile in Caſtris, in Oppidis, in Villis concedendæ forent Miſſæ ab Epiſcopo in privatis Laicorum Oratoriis, cum tam frequentes ſint Comites, Marchiones, & Barones temporale dominium in illis exercentes? Si iſtorum domos Concilium exceperat, vix quidquam prohibuiſſet, quod antea non eſſet vetitum. Quin etiam, quid amplius habent illorum domus, ut cum aliis privatis domibus non confundantur, quantum pertinent ad finem a Patribus intentum? Sunt quippe in domibus quorumcumque Laicorum nullo excepto privata pro ipſis, ipſorumque Famigliaribus, ſeu Aulicis cubicula; ad quæ nec liber patet ingreſſus, nec publici juris aut eſſe, aut dici poſſunt. Quoties ergo Oratorium conditiones expreſſas Cap. 3. ad publicitatem neceſſarias non habuerit, nihil proderit, quocunque in Palatio reperiatur, ut illud a Legibus Tridentinis excipiamus. Etenim parum intereſt, quod Palatium inhabitet Princeps, aut privatus Homo; cum interea Locus deſignatus pro Oratorio Privato non pateat communi commoditati; ſed ſingularium Perſonarum uſibus reſervetur.

VII. Aliqua nunc dicamus de Arcium Oratoriis, quæ in numero privatorum recenſere non ambigo, ſi intra illas omnino contineantur, nec ipſorum janua Loco publico immediate correſpondeat. Enimvero parum intereſt, quod ab Excubitoribus aditus quibuſcumque aliquando, & alicubi concedatur; dum revera aditus ille omnium uſui non patet; & ab arbitrio Militum ingrediendi facultas dependeat, quæ propterea libera non eſt, ſicut ex requiſitis ad Locum publicum conſtituendum fuſe expoſitis cap. 3. deſideratur. Inſpecta igitur Loci conditione privata Oratoria erunt, ſi omnino intra Arces contineantur; neque iſtæ libere ſingulis ſemper pateant. Si vero in atri, vel in porticis Arcium januam apertam, atque patentem omnibus eadem Oratoria haberent; tunc ſane publica forent, non minus ac reliqua Oratoria publica ſunt, licet ipſorum janua ad porticum viæ publicæ proximum, & ad publicam commoditatem extructum reſponderet. Ita plane S. Congregatio in ſimili quæſtione propoſita a Parocho Lojani Diæceſis Bononienſis, cujus preces referuntur Tom. 38. *Poſition.* fol. 26. decrevit, & cenſuit Die 11. Julii 1620. *quod ſi porticus, qui exit in viam publicam nullius in bonis ſit, ac pateat omnibus, Oratorium ſupra dictum non comprehendi in Decreto hac de re edito* (Anno 1615.) *de non celebrando in privatis Oratoriis*. Imo etiam ſingillatim de Oratoriis Arcium non undequaque intra Mænia clauſis, ſed conſtructis in illarum atrio, vel portibus hanc tenuiſſe ſententiam Ampliſſimos Cardinales Interpretes Concilii colligo ex Litteris ad Archiepiſcop. Taurinenſem inſertis Lib. 10. Litter. fol. 191., ubi iſta leguntur. *De Reliquis vero Oratoriis in Atrio, vel in Porticis Arcium conſtructis Illuſtriſſ. Patres operæ pretium duxerunt ab Amplitudine Tua ſingillatim perquirere quot Dominis, quotve Familiis communia ſint num ipſarum Arcium Mæniis undequaque claudantur, numve quovis*

tempore libere pateant cuicunque . Itaque rem totam diligenter inveſtigare , diſtincteque ipſi Congregationi reſcribere poterit Amplitud. Tua , cui fauſta omnia , ac ſalutaria precamur a Domino . Romæ Die 12. Februar. 1616. Quid poſt has Litteras ſcriptum fuerit, ego ignoro: Verum ſatis inde percipitur ideo inveſtigatum fuiſſe locum Oratoriorum, *num ipſarum Arcium mœniis clauderentur undequaque , & quovis tempore* paterent *libere cuicunque ?* quia clara eſſent iſta indicia publicitatis illorum.

VIII. Ubi vero ratum, certumque fuerit Oratoria intra Arces ædificata conſiderata ratione loci ad claſſem privatorum Oratoriorum revocari oportere; adhuc dubitari poteſt, an Epiſcopus valeat in illis permittere Miſſarum celebrationem, ut conſulat neceſſitatibus ſpiritualibus Militum, qui ſæpe ibi ad vigilias, & cuſtodiam excubare jubentur; neque extra illa diſcedere permittuntur? Profecto ubi nimia eſſet copia Militum, nec alio modo conſuli poſſet illorum pietati, crederem non deterioris debere eſſe conditionis Milites in Arcibus detentos præ multis, qui in carceribus concluduntur. Si tamen Arces parvæ eſſent, atque pauci numero ſolerent in illis conſiſtere Milites, tunc certe ad Apoſtolicam Sedem confugiendum foret pro Arcis interiore Oratorio; cum nulla ratio extendendi Ordinariorum facultatem etiam ad illius approbationem occurrat. Hinc cum Archiepiſcopus Coſentinus Anno 1615. Die 20. Maii quæſiviſſet, *an Litteris* S. Congreg. ejuſdem Anni *contineatur Oratorium in Arce Paulæ, ubi Sanctiſs. Euchariſtiæ Sacramentum aſſervatur, quoties timetur ab invaſionibus Turcarum ?* Card. Lancellottus in ſæpius indicato pretioſo folio 223. Tomi 38. *Poſition.* adnotavit ad oram iſtud verbum: *Comprehenditur*; & addidit, quod *Sanctiſſimus conceſſit licentiam Die 20. Julii* 1615. In eodem Tomo fol. 1. reperitur ſupplex Libellus apprime huc pertinens, & rem noſtram illuſtrans. Ita ſe habet. *Arx Terræ Imperialis Anglonenſis Diœceſis mille paſſus extra Terram ſurgens a pluribus perpetuo habitatur, qui aut rei cuſtodia, aut ob civiles, vel criminales cauſſas detinentur; urgente vero Turcarum metu, cum ſit valde capax, rebuſque omnibus munita gregatim illuc confluunt Vicini. Extat ibi in atrio Oratorium, ſeu parva Eccleſia, Campanili, & Campana inſtructum, ubi ab immemorabili tempore celebrari conſuevit. Quæritur an hujuſmodi Oratorium comprehendatur in Decreto Congregationis jampridem edito de nullitate licentiarum, quas Ordinarii concedunt celebrandi in Oratoriis privatis, & quatenus comprehendatur, ſupplicatur pro impetratione gratiæ a Sanctiſſimo, cum perpetua ſubſit neceſſit ibidem celebrandi.* Ex hoc Libello prudenter conjici poterat, quod Oratorium non haberet januam in Loco publico, omnibuſque patente; ſecus vana fuiſſet interrogatio; Hinc ſubjungitur reſponſio data, atque iſta adnotantur. *Die 27. Novembris 1615. Congr. Concilii cenſuit hujuſmodi Capellam comprehendi quidem Decreto non ita pridem hac de re edito: Sed tamen facultatem ibidem celebrandi ex gratia illi concedendam; ideoque agendum cum Sanctiſſ. D. N. Ipſe Die 2. Decemb. 1615. benigne annuit; minime tamen* (cum) *præjudicio Jurium Parochialis Eccleſiæ.*

IX. Aliis ſimilibus Arcium Oratoriis conceſſam fuiſſe hujuſmodi licentiam non, dubito, maxime dum Epiſcopi ſuas preces apud R. Pontificem addebant; aut ſaltem interrogati a Sac. Congregatione de veritate cauſſarum ab Oratoribus adductarum teſtimonium ferebant. Hoc modo poſt Litteras acceptas ab Eminentiſſ. Card. Bonacorſi Archiep. Bononien. S. Congr. Die 3. Julii 1677. judicavit concedendam eſſe facultatem Sacrificii in Oratorio Arcis Urbanæ in Diœceſis Bononienſi, ſi Pontifex benigne annueret; uti in Libro

Po-

Poſitionum illius Anni adverti. Ad ſpecimen ſimilium gratiarum unam profero ex Regeſtis Brevium conceſſam etiam ante Decretum celebre S. Cong.

Dilectis Filiis Capitaneo, & Militibus Præſidiariis Arcis Ilicinenſis
PAULUS PP. V.

Dilecti Filii. Sal. &c. Spirituali conſolationi veſtræ, quantum cum Domino poſſumus benigne conſulere, voſque ſpiritualibus favoribus, & gratiis proſequi volentes &c. Supplicationibus Vener. Fratris Marii Epiſcopi Ilicinenſis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Vobis, & aliis Perſonis ad ſervitium Arcis Ilicinenſis deſtinatis, qui, ut aſſeritis, ad Eccleſiam Miſſam audiendi cauſa propter illarum ab Arce hujuſmodi diſtantiam ſine magno itineris incommodo accedere non poteſtis, ut in privato ejuſdem Arcis Oratorio ad hoc decenter muro exſtructo, & ornato, ſeu extruendo, & ornando ab omnibus domeſticis uſibus libero per Ordinarium Loci prius viſitando, & approbando, ac de ipſius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura unam Miſſam &c. [Sequitur conſueta formula, & exceptio dierum Solemniorum.] *In veſtra, & cujuslibet veſtrum præſentia celebrari facere libere, & licite poſſitis, & valeatis auctoritate apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Romæ apud S. M. M. Die 31. Jan. 1615.*

X. De publicis Gymnaſiis non opus eſt diſtincte agere; nam ſi Oratoria in publicis Magiſtratuum Palatiis erecta adhuc ſubjacent Tridentinæ prohibitioni, nulla potiore cauſſa eximi poſſent ab hac eadem Lege, ſi quæ in publicis Studiorum Ædibus ædificarentur Capellæ, nec Locus, unde ad illas accederetur omnium penitus commoditati pateret; ac veram publicitatis rationem haberet, quemadmodum Eccleſia S. Ivoni erecta in publico R. Sapientiæ Archigymnaſio ſe habet. Multo minus poſſunt ab Ordinariis permitti Sacrificia in Oratoriis Collegiorum, in quibus bonis artibus Juvenes informantur, neque Loca Pia ſunt, ſicut ex Conſtit. 25. S. Pii V. IV. Kal. Nov. 1566. ſunt in Urbe Collegia Capranicenſe & Nardinum; atque etiam Collegium Salviati. Hinc plura celebria Urbis Collegia ſpeciales Apoſtolici Privilegii favores impetrare curaverunt, ne propter Miſſarum celebrationem cogerentur Alumni egredi, & ea occaſione a propriis occupationibus diſtrahi. Hanc cauſſam Clemens XII. litteris in forma Brevis conceſſis pro Collegio Gymnaſii die 9. Octob. 1739. protulit. Similes Litteras datas ab Innocentio XI. Collegio Bandinelli Nationis Florentinæ; & a Clemente XI. Collegiis Nationis Umbriæ, & Ghislierio legi in Archivvo Eminentiſſimi Urbis Vicarii; atque in illis facultas extenditur ſolum ad Collegiales, & ad Miniſtros in Collegio degentes, cum limitatione unius Miſſæ ceteriſque conſuetis clauſulis limitantibus. Simile Privilegium conceſſit Clemens XI. Convictoribus Accademiæ, ſeu Convictus Nobilium Eccleſiaſticorum, ut de licentia duratura arbitrio *pro tempore exiſtentis Urbis Vicarii in Spiritualibus Generali poſſent* Nobiles iidem Convictores in Sacro Presbyteratus Ordine conſtituti *quotidie* Miſſam *celebrare in ipſius Accademiæ Convictorum, & illis inſervientium dumtaxat præſentia* exceptis ſolemnioribus Feſtis Diebus.

XI. Quæ vero a Regularibus reguntur Juventutis Collegia, ea ſolent illis privilegiis gaudere, quibus iidem Regulares ab Apoſtolica Sede iſtructi fuerunt. Specialem autem pro Accademiis, & Convictorum Collegiis ſub cura Clericorum Regularium Congregationis de Somaſcha degentibus edidit Alexander P. VII. Conſtitutionem die 18. Martii 1659., quæ incipit. *Alias poſtquam*; atque in ea confirmat, & innovat conceſſiones eiſdem antea ab Urbano P. VIII. die 22. Decemb. 1632. factas, ut nempe licite in illis Locis etiam ſicut in Orphanotrophiis, *etſi non propriis dictæ Congregationis*

ſub

ſub ejus tamen cura, regimine, & administratione exiſtentibus, Oratoria privata habere, ac in præſentia Perſonarum in dictis Locis degentium, & commorantium omnibus Anni diebus etiam Paſchatis celebrare, & Sacramenta diſpenſare poſſent. Ad hæc Privilegia advertens Benedictus XIV. P. mirabatur, *quod in Oratoriis Nobiliſſimi Collegii Clementini, unde Viri in dies bonis artibus, litteris, ac doctrinis exculti prodeuntes ſtatim ad Eccleſiaſticas, vel Seculares Dignitates, & Magiſtratus* evehuntur, *neq; SS. Euchariſtiæ Sacramentum, neq; ſacrum Oleum Infirmorum continuo aſſervaretur, quemadmodum alibi in Collegiorum, & Seminariorum dictæ Congregationis Oratoriis* cuſtoditur. Hinc cum Ipſe *primos adoloſcentiæ, annos ibidem duxiſſe; & pietatis, ac litterarum ſtudia* edoctum fuiſſe *ſemper gratularetur; atque in ſublimi ſacroſancta Apoſtolatus ſpecula conſtitutus in Apoſtolicæ charitatis, & benevolentiæ argumentum*, qua Collegium ipſum proſequitur *ejuſdem protectionem* ſuſcepiſſet, ac retinuiſſet; *motu proprio* per littera in forma Brevis ſcriptas Romæ die 30. Junii 1744. mandavit *modernis, & pro tempore exiſtentibus dicti Collegii Rectori, ſive Superiori, Miniſtris, & Officialibus, ac Presbyteris in eodem Collegio Clementino commorantibus, ejuſqe curam gerentibus, ut in Oratorio, ſeu Congregatione ſub invocatione BB. Mariæ V. Immaculatæ in Cœlum Aſſumptæ, ſive in aliis ejuſdem Collegii Oratorii, dummodo decenter ornata, ſacriſque Supellectibus inſtructa ſint, Sanctiſs. Euchariſtiæ Sacramentum cum manutentione Lampadis ſemper accenſæ, & Sacrum Oleum Infirmornm ſemper aſſervent; atque aſſervari faciant, & curent, & Clavis Ciborii SS. Euchariſtiæ, & Clavis Conditorii pro Sacro Oleo Infirmorum cuſtodiatur per aliquem Presbyterum ipſorum Clericorum Regularium a Rectore, vel Superiore dicti Collegii pro ſuo arbitrio deputandum, ut juxta Apoſtolica Indulta dictæ Congregationis Somaſchæ impertita, omnibus, & ſingulis ſive Clericis Regularibus Congregationis præfatæ, ſive Adoleſcentibus Convictoribus, aliiſque Miniſtros, & Inſervientibus, ac in eodem Collegio degentibus utrumque Sacramentum Euchariſtiæ, etiam per modum Viatici, & Extremæ Unctionis quocunque tempore abſque aliquo cenſurarum, vel pœnarum incurſu, & impune* (citra tamen præjudicium Jurium Parrochialium) *miniſtrare libere, & licite poſſint, & valeant.*

XII. Etiam Collegio Nazareno valde celebri ob nobilitatem, & numerum Convictorum Curæ, ac Regimini Clericorum Regul. Matris Dei Scholarum Piarum credito ob graves cauſſas, quæ fuerunt expoſitæ, Idem Sanctiſſimus Pontifex die 14. Maii 1745. Litteras Apoſtolicas in forma Brevis dedit Eminentiſſimo Urbis Vicario committens, *ut ſalvis Juribus Parochialibus petitam facultatem aſſervandi in Oratorio privato Collegii hujuſmodi, dummodo decenter ornatum, ſacriſque Suppellectilibus munitum reperiatur, auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum auctoritate Apoſtolica, pro ſuo arbitrio, & prudentia* impertiatur, *ita tamen, ut ante Ciborium lampas diu, noctuque accenſa ſemper detineatur; ac ejuſdem Ciborii Clavis per aliquem Presbyterum ipſorum Clericorum Regularium a Rectore pro tempore exiſtente pro ſuo arbitrio deputandum cuſtodiatur*. Hac ſpirituali conſolatione non omnino carent Nobiliſſimi Convictores Seminarii Romani Patrum Societatis Jeſu; nam licet in Eccleſia S. Machuti Collegio juncta continuo ſervetur Sacroſancta Euchariſtia, adhuc tamen quibuſdam Anni diebus, dum in Oratorio privato ferventius piis vacant exercitiis coram ipſis ſimul congregatis proponitur adorandum Divinum Sacramentum; illoque benedicuntur.

XIII. Accedo jam ad Seminaria, Hoſpitalia, & cetera Loca Pia; quæ dubio procul in Tridentino Decreto nul-

dubio procul in Tridentino Decreto nullatenus comprehenſa fuerunt, cum numquam nomine *Privatæ Domus* nuncupari conſueverint; ſed potius juxta morem Canonum *Religioſæ Domus* appellantur, atque ad illa L.*Omnia* Cod. *de Epiſcop.*, *& Clericis* plura Eccleſiæ conceſſa Privilegia extenduntur. Hinc communis, & ubique recepta conſuetudo perſeverat, ut ex ſola Ordinariorum licentia privata Oratoria in iiſdem domibus approbentur, ac libere Sacrificia offerantur. De Seminariis aliquando fuit interrogata Sacra Conc. Congregatio, quæ tamen nequaquam in prohibitione Concilii eadem comprehendi reſpondit, ut teſtantur Fagnanus in cap. *in his*, Pignatellus Tom. 6.Conſult. 12.num.26. & Nicolius Lib. 5. Lucub. Canon. Tit. 33., qui etiam allegat tempus earumdem reſponſionum nempe die 31. Maii 1602. in Bononienſi, die 25. Maii 1618. in Tarentina &c. Forte tamen errore Typographorum numerales notæ mutatæ fuerunt; ut proinde non correſpondeant authenticis Codicibus. Unam ego reperi Tom. 38. *Poſition.* fol. 102., quæ huc bene revocari poteſt. *Cum enim*, ut ibi legitur, *Rector*, *& Collegiales S. Dioniſii Areopagitæ in Monte Vallis Paradiſi extra muros Granatenſis Civitat.*, *qui uti Seminariſtæ in dicto Collegio collegialiter vivunt*, (*in quo Oratorium*, *& Altare S. Dionyſio ipſius Collegii Patrono dicatum habent*) dubitarent, *an ſimile Oratorium inter prohibita comprehendatur*? die 11. Jul. 1620. Congregat. Concilii cenſuit *non comprehendi*.

XIV. De Hoſpitalibus idem ſimiliter compertum omnibus eſt; dummodo tamen Ordinarii auctoritate erecta fuerint. Tunc enim vere Domus Piæ ſunt, ac privilegio Immunitatis gaudent, ſicut probant Fagnanus, Moſtazo, aliique Canoniſtæ Urbani IV. P. teſtimonium proferentes. Hinc cum *Fratres Congregationis S. Joannis Dei* quærerent, an in Litteris Anno 1615. a Sacra Congregat. ſcriptis juſſu Pauli V.*comprehendantur Capellæ in ſuis Hoſpitalibus exiſtentes*, *qui tamen ſuper hoc habent Indultum ſan. mem. Gregorii XIII.*?Card.Lancellottus fol.223. Tom. 38. *Poſition.* adnotavit hæc verba: *Non comprehenduntur*; quod etiam paulo ſupra de aliis Hoſpitalibus adnotavit. Iterum iidem Patres eandem quæſtionem propoſuerunt, ut ita ſe munirent adverſus novas in illos excitatas difficultatum ambages; & *Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præpoſita cenſuit prohibitionem hac de re editam ad Oratoria in Hoſpitalibus conſtituta non pertinere*, *ac proinde eſſe in facultate Ordinarii*, *ubi illa viſitaverit*, *ac divino cultui peragendo apta*, *& decentia*, *ac cujuſcunque libera eſſe compererit*, *licentiam impertiri*, *ut in eis Sacrum Miſſæ Sacrificium celebrari valeat*. *Romæ* 18. *Februar.* 1628.*Ludovicus Card.S.Sixti.* Extat in illorum Bullar.Ed.R.pag.204. Eadem porro eſt ratio de Xenodochiis, Noſocomiis, Orphanotrophiis, ac ſimilibus Locis Piis auctoritate Epiſcopi erectis. Puto tamen prudenter ſe gerere illos Ordinarios, qui cum in iſtis Oratorium privatum approbant, ſimul limitant facultatem celebrandi vel certis diebus, vel ſaltem in præſentia tantum eorum, qui in prædictis Locis habitant, niſi aliæ cauſæ liberiorum facultatem concedere ſuaſerint. Etiam Innocentius P. XIII., cum die 16. Martii 1703. pro *Noſocomio Pauperum Leproſorum*, *aliorumque miſerabilium Infirmorum Almæ Urbis* (ſitum erat in Parochia S. Benedicti in Piſcivola) conceſſit, ut ſingulis diebus in illius privato Oratorio unam Miſſam celebrari in præſentia eorumdem Pauperum Infirmorum, & quorumcumque aliorum, quos inibi adeſſe contigerit: Tamen hanc reſtrictionem appoſuit, *ut in ſolemnioribus Anni Feſtis Diebus alii præter Pauperes Infirmos prædictos, qui Miſſæ hujuſmodi intereſſent, ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia*

mi-

minime liberi cenſerentur. Ita reperitur in Regeſtis Eminentiſſimi Vicarii.

XV. Inter Oratoria privata non comprehenſa in tridentina prohibitione recenſere oportet illa pariter, quæ in Domibus Congregationum Presbyterorum Secularium Oratorii, & Piorum Operariorum reperiuntur; licet poſt Litteras juſſu Pauli V. de Oratoriis hujuſmodi ſcriptas dubitationes exortæ; atque pro declaratione ſupplices Libelli ad Sac.Congregationem miſſi fuerint. Extant Tomo 38. *Poſitionum* fol. 219. ſequentes preces ad Cardinal. Lancellottum Præfectum tranſmiſſæ. *I Padri dell' Oratorio della Congregazione di Napoli anno dato memoriale alla Sagra Congregazione del Concilio, acciò venghi dichiarato, ſe gli Oratorj privati, che i ſudetti Padri anno nelle loro proprie Caſe, dove ſin ora anno celebrato Meſſa con licenza dell' Ordinario, venghino compreſi nella proibizione fatta da eſſa Congregazione, e perche V.S. Illuſtriſs. ha riſpoſto volerne parlare con noſtro Signore, ora i ſudetti Padri umilmente ſupplicano V.S. Illuſtriſs. a fargli un tanto favore aſſicurandola, che ora patiſcono molte anime per non poterſi in ſudetti Oratorj celebrare Meſſe, e far altri Eſercizj Spirituali &c.* His precibus favit Ampliſſ. Cardinalis, qui a tergo Libelli hæc verba adnotavit: *Die 15. Aug. 1615. Sanctiſſimus annuit, quod Domus, & Oratoria iſtorum Patrum Congregationis Oratorii non comprehendantur ſub revocatione.* Servant adhuc optimi Patres hæc in ipſorum Domibus Oratoria, & etiam in magnificis Ædibus Vallicellanis aliqua habent Oratoria privata, ac præcipue illud, in quo plures S.Philippi Nerii Reliquias ſervant, ac multis Fidelibus illac religionis gratia accedentibus oſtendunt. Aliud etiam habent ab Emo Card.Petro Otthobono Epiſcopo Sabinenſi exſtructum, *ad cujus preces* Anno Jubilæi 1725. Benedictus XIII.P., *ut ab omnibus Sacerdotibus toto Anni tempore celebrari poſſit, indulſit; & uti publicum Sacellum haberi voluit*; ſicut marmore inſculpta inſcriptio demonſtrat. Alteram declarationem fecit Sac. Congregatio in una Neapolit. Die 7. Augusti 1649.; atque *cenſuit Oratoria Congregationis Piorum Operariorum, ut exponitur per Sedem Apoſtolicam approbatæ, Decreto de privatis Oratoriis non comprehendi*. Extat Lib. 18. Decret. fol. 658.

XVI. His ſubnectere æquum eſt ſatis pulchrum Privilegium a Benedicto XIII. conceſſum Die 28. Septem. 1725. Congregationi Avenionenſi Doctrinæ Chriſtianæ cum ſimile Congregatione Neapolitana conjunctæ. Hæc ergo inter alia plura Optimus Pontifex ſpeciali Conſtitutione conceſſit. *Præterea in eorumdem Clericorum Secularium Domibus, & Collegiis unum, vel plura Oratoria privata, ſeu interiores Capellas, tam ad eorum, quam ad Domeſticorum, Convictorum, & Scholarium, aliarumque Perſonarum etiam ad Congregationes, & Conferentias ſpirituales convenientium uſum erigendi, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium etiam in Feſtis Solemnioribus celebrandi, ac Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta eiſdem Clericis, Domeſticis, Convictoribus, Scholaribus, aliiſque Perſonis præfatis adminiſtrandi; excepta tamen quo ad Scholares, & ad Congregationes, & Conferentias hujuſmodi convenientes communione Paſchali.*

XVII. Meminiſſe etiam debeo Patrum Oratorii S.Hieronymi Charitatis in Urbe; nam ipſorum Ædes de prærogativis Locorum Piorum participant. Hinc cum poſt dirutum primum Oratorium, quod ſuper publicæ Eccleſiæ fornicem Anno 1558. S. Philippus Nerius extruxerat, aliud intra ipſas Ædes ædificatum eſſet; non jam opus fuit ſpeciale Privilegium Pontificis obtinere pro celebratione Miſſarum, quas mera Cardinalis Vicarii facultas concedere potuit. Imo in Libro Regularum prædicti Oratorii cap. 3. narratur, quod cum Melchior Leoni, & P. Joannes

Calia-

Caliari die 7.Septemb.1609. poſtulaſſent a D.Card. Panfilio Vicario Pauli P.V. licentiam, ut Miſſæ Diebus Feſtis in novo Oratorio celebrari poſſent; *non ſolo ſi compiacque conſolare detti Fratelli con concedergli detta licenza limitata; ma la conceſſe ampliſſima; Cioè che poſsino non ſolo le ſuddette Feſte far celebrare, ma in qualſivoglia altro giorno, che per divozione vogliono celebrare, o far celebrare in detto Oratorio, dicendo Sua Sig.Illuſtriſſ. averla più volte udita la Meſſa in detto Luogo, mentre il B.Filippo ſtava in S.Girolamo*. Erant ergo etiam tunc S.Hieronymi Charitatis Ædes in numero Locorum Piorum; ut proinde ſolius Ordinarii auctoritas ad permittendas in illarum Oratorio quotidianas Miſſas abunde ſuffecerit. Duo alia in iiſdem Ædibus decenter ornata ab Aſcanio Pantera exiſtunt Oratoria in cubiculis a S.Philippo Nerio habitatis ſpatio triginta annorum; quæ Fideles magna pietate frequentant, & ad inſtar publicæ Capellæ Die 5. Novem. 1732. a P. Antonio de Actay de Congr.S.Philippi Nerii Ulyxip. Miſſarum Legatis aucta fuerunt.

XVIII. Quoniam autem Loca Pia in Decreto Tridentini Concilii non comprehenduntur, multo minus ab illo comprehenſa fuerunt Monaſteria, quæ proprie *Religioſæ Domus* ſunt a privatis domibus longe diverſæ. Imo tantum abeſt Monaſteria cum privatis domibus confundi; ut ſicut olim illorum nomine etiam Monaſteriorum Baſilicæ comprehendebantur, vocabanturque, uti frequenter in ſuis Litteris M.Gregorius, aliique plures Veteres apud Cangium in Gloſſar. V.*Monaſterium* nuncupabant: Ita e contra nomine *Eccleſiæ* quandoque Monaſterium ipſum appellatur, cujus veluti pars, ac appendix conſideratur in Jure; eademque Immunitatis Eccleſiaſticæ prærogativa gaudet, qua Eccleſia munita eſt. Exempla ſumantur ex Gloſſario laudato V. *Eccleſia*; ac ex Interpretibus Juris Canonici Lib.3.Tit. *de Rebus Eccleſiæ non alienandis*. At fuſius de privatis Monaſteriorum Oratoriis Cap. 18. differemus.

CAPUT XVII.

De Oratoriis privatis S.R.E.Cardinalium, & Epiſcoporum poſt Concilium Tridentinum.

I. EPISCOPORUM, cæterorumque Majorum Eccleſiæ Præſulum facultatem habendi privata Oratoria in propriis domibus ad Miſſarum celebrationem faciendam idonea enarraturi in ipſo limine advertimus, quod ex ordinaria poteſtate etiam ante Concilium Tridentinum ſolum ipſis conveniebat habere Oratoria in propria Diœceſi, quæ in aliena ſibi ipſis erigere, ac approbare ſine uſurpatione alienæ juriſdictionis nequiviſſent. Hinc quod per ſe ipſos non poterant extra proprias Diœceſes, ex Privilegio Bonifacii VIII. cap. fin. de Privil. in VI. impetraverunt; cum in Jure, ſive in Canonum ſerie nullum Epiſcopis extra ſuas Diœceſes degentibus favens teſtimonium reperiretur. Etenim tam Cap. *Miſſarum*, quam Cap. *Concedimus* Diſt.1. *de Conſecrat.*, quæ ab optimo P. Andreucci de Epiſc. Titular. Par. V. num. 250. proferuntur, aperte ad Epiſcopos in propria Diœceſi commorantes, & priſtina facultate utentes referuntur. Jam vero ſi attendamus diligenter ad Bonifacii privilegium aliam nullam eruimus traditam Epiſcopis poteſtatem.

tem, quam Aræ Viaticæ, qua in itineribus, & cum abeſſent a propriis Diœceſibus, Eccleſiarum defectum ſupplerent; nec quidquam de Oratoriis erigendis in domibus Epiſcoporum extra ſuas Diœceſes commorantium inſeritur. Ut enim intra limites propriæ Diœceſis quilibet Epiſcopus propria auctoritate ſibi ad Rem Divinam faciendam conſtruere poterat Domeſtica Oratoria; ita extra propriam Diœceſim ſufficere viſum eſt Bonifacio P. Epiſcopis, eorumque Superioribus tribuere facultatem utendi Altari Viatico, quo abunde ſpiritualibus ipſorum neceſſitatibus conſulebatur. Alia ergo eſſe debet ratio loquendi de Oratoriis Domeſticis Epiſcoporum intra fines Epiſcopatus; alia de Oratoriis extra propriam Diœceſim exſtructis; nam pro illis ſufficit ordinaria ipſorum facultas, quæ ad iſta non extenditur, niſi ſpeciale Apoſtolicæ Sedis privilegium ſuperaddatur: Unde cum nullum hujus generis privilegium Epiſcopis collatum fuerit ante Concilium Tridentinum, neceſſe foret eos aliquod ſimile poſtea obtinuiſſe a R. Pontifice; ſi in propriis domibus extra ſuas Diœceſes Oratorium privatum habere deſiderarent. Seorſim itaque de ſingulis diſſeramus.

II. In primis autem certum, ratumque habemus, quod licet a Concilio Tridentino limitata plurimum fuerit Epiſcoporum antiqua poteſtas circa Miſſas in privatis domibus concedendas, ſicut fuſe ſuperius demonſtravimus; adhuc tamen nullatenus coarctata fuerunt jura, aut privilegia, quæ eorumdem ſpectabiles Perſonas immediate reſpiciebant. De hac re aliquando dubitatum fuit a nonnullis, imo aliquis Epiſcopus in eas animi anxietates devenerat, ut nec auderet, *excepta neceſſitate*, in Oratorio Epiſcopii celebrare. Videri poſſet, quod Valerus V. *Miſſa* Differ. 2. refert de Epiſcopo Segobricenſi. Ambages omnes diſſipavit S. Congregatio Conc. præcipue loquens de Privilegio Bonifacii VIII., cujus pleniorem inquiſitionem in ſequens Opuſculum reijcimus. Interim pro Oratoriis ſpeciatim mihi ſufficit reſponſio ab eadem data Menſe Junio Anni 1586. huic interrogationi. *Præſuppoſita declaratione alias edita, ſecundum quam licentia celebrandi in Oratoriis privatis petenda eſt a Sede Apoſtolica, nec eam poſſunt concedere Epiſcopi: an Epiſcopis valentibus commode ad Eccleſiam accedere liceat in Oratoriis privatis ad hoc in eorum domibus deſtinatis Miſſam celebrare, vel aliis celebrandi concedere licentiam non obſtante Decreto Concilii* (Triden.) *Seſſ.* 22. Reſponſio, quæ reperitur in Archivvo S. Congregat. Concilii Tom.4. Decret. fol.161., iſta fuit: *Licere: Diebus tamen Dominicis, & Feſtis non debere Eccleſiis deeſſe*. Igitur propter Epiſcoporum meram *commoditatem* poſt Concilium in privatis Epiſcopalibus Oratoriis Sacrificium celebrare *licet*. Sapienter tamen reliqua addiderunt Ampliſſimi Cardinales, ne ideſt ſine gravi cauſſa Epiſcopi Populum ipſis commiſſum, & in Eccleſia Diebus Feſtis congregatum ſua præſentia confovere, & coram illo Miſſarum ſolemnia peragere prætermittant. Ita antiqui Præſules facere conſueverant a primis etiam Eccleſiæ ſæculis teſtibus S. Juſtino, & Auctore Apoſtolicar. Conſtitut. Ita quoque identidem quædam Concilia ſtatuerunt. Etiam poſt Litteras juſſu Pauli V. ſcriptas An. 1615. ſemel dubitatum fuit ab Epiſcopo Gravinenſi, an in illis comprehenderetur *Oratorium intra Ædes Epiſcopales*? Verum cum reſponſum fuiſſet, ut habetur Tom.38. *Poſition.* fol.223., *non comprehendi*; nullus ampliusEpiſcoporum, quem ſciam, ſimili dubitatione laboravit.

III. Non obſcure pariter mihi videntur integra perſeveraſſe jura, ac privilegia domeſticarum Miſſarum, quibus gaudebant Epiſcopi ante Concilium Tridentinum, ut propriæ pietati tam in itinere, quam in epiſcopali-

palibus domibus ſatisfacerent; cum finem Tridentinæ Legis, & modum conſiderò, quo Lex ipſa expreſſa fuit. Studebat etenim SanctaSynodus *multa ſive temporum vitio, ſive hominum injuria, & improbitate* irrepentia incommoda ſubvertere, *quæ a tanti Sacrificii dignitate aliena ſunt*, cum imperavit Epiſcopis, *ne paterentur* a quocumque Sacerdote extra Oratoria dedicata Miſſas celebrari. At ne ullum verbum inſeruit, quo ſpecialis facultas ſingulariter Epiſcopos contingens in his, quæ ad ipſorum pietatem fovendam conceſſa fuerant, vulneraretur. Oportuiſſet igitur ampliſſimis uti aliis formulis complectentibus Epiſcoporum Jura, & Privilegia, ſi non minus iſtorum, quam cæterorum omnium Sacerdotum Privilegia ſubvertere meditabantur Patres Tridentini; neque ad extirpandos omnes abuſus ſolum convertere debuiſſent ſermonem *ad alios Sacerdotes, qui privilegiis, ac conſuetudinibus* innixi in privatis domibus Miſſas celebrabant. Memini quidem illius, quod antea omni niſu perſuadere contenderam, videlicet epiſcopalem poteſtatem in conceſſione Sacrificii extra Loca Sacra maxime a Tridentinis Sanctionibus coarctatam fuiſſe. Attamen diſpar omnino eſt ratio epiſcopalis ejuſdem facultatis in aliorum commodum; & reſpectu ipſiuſmet Epiſcopi. Ut enim circa illa intelligatur limitata poteſtas Epiſcoporum; ſufficiebat, quod juberet Epiſcopis Concilium, ne alibi propter commoditatem, & ſpiritualem conſolationem cæterorum in privatis domibus Sacrificia fieri paterentur: Ut vero ſubverſa intelligantur jura, ac privilegia ſpiritualem utilitatem ipſorum Epiſcoporum reſpicientia, neceſſe erat peculiariter de his mentionem facere, eademque aperte caſſare; quemadmodum cæterorum Sacerdotum privilegia, ſi quæ data fuerant, irrita, atque inania Concilium reddidit. Revera Leges omnes reſtringentes aliena Beneficia in ſummo rigore ſemper interpretari debent; juxta celebre inter Regulas Juris adotum proloquium: *odia ſunt reſtringenda*: ne quis gravamen ſentiat ultra id quod Legis verba, aut ſaltem finis Legis expoſcunt. Unde dum non aperte eruitur limitata in Epiſcopis facultas propriam commoditatem reſpiciens, quare tam late Tridentinam Legem extendemus? Porro bene conſiſtit Tridentini Decreti intentio, etiamſi relicta fuerit priſtina facultas Epiſcopis, qua legitimis moventibus cauſſis uterentur celebrantes extra Loca Sacra, ut propriæ ſatisfacerent devotioni, pietatemque foverent. Certe exemplum Epiſcoporum trahere nullus audet ad reliquos Sacerdotes, aut ad commodum Laici cujuslibet; Cum nemo ignoret propter paſtorale Officium, ac Dignitatis Eccleſiaſticæ celſitudinem multo majora Epiſcopis, eorumque Superioribus concedi debere, ut facilius valeant vel quotidianas celebrare, vel quotidie ſaltem Miſſas audire.

IV. Singulariter autem loquendo de Oratoriis in Domibus Epiſcopalibus erigendis, non eſt dubium apud Scriptores etiam poſt Concilium Tridentinum priſtina gaudere Epiſcopos poteſtate ex hoc præcipue Titulo, quod a Concilio vetita tantum fuerint Miſſarum ſolemnia in *privatis* domibus. Valde ſane idonea eſt hujuſmodi obſervatio ad excipienda Epiſcoporum Domicilia, ac Epiſcopia, quæ inter *privatas* domos accenſere nec Veterum mores, nec præſens conſuetudo patitur. Et quantum ad veterem diſciplinam attinet, publica potius, ac pia Pauperum, & Peregrinorum hoſpitia erant; ac Clericorum ſimul cum Epiſcopo viventium communis habitatio. Imò frequentius Epiſcopia Matricibus Eccleſiis conjungebantur; atque ita velut partes, appendiceſque Eccleſiarum haberi poterant. Perſeverat hactenus in multis ſaltem Regionibus vetus diſciplina, ut Epiſcopales Ædes conjunctæ ſint majoribus Eccleſiis; & quamvis ſimul commu-

nem cum propriis Clericis vivendi rationem rariſſime ſoleant Epiſcopi ducere; iſtorum tamen habitationis locus adhuc portio potius Eccleſiæ, quam privata domus exiſtimatur. Hinc eſt, quod Epiſcopia gaudent privilegio Immunitatis, cujus ſit mentio in Secunda Parte Decr. Cauſſa 27. quæſ. 3. Cap. *id conſtituimus*, quod ſumptum eſt ex Concilio Aurelianenſi I. Can. 3., etſi Concilium non commemoret expreſſe *Domum Epiſcopi*, ſicut facit Gratianus in Collectione ſua aperte exponens, quod implicite contineri in Canone Aurelianenſi bene judicavit. De hoc privilegio plura legi apud Fagnanum in Lib. III. Decr. cap. 9. *de Immunit. Eccleſiæ* num. 39., & ſeqq., a quibus abſtinere cogor, ne ad aliena argumenta ſine cauſſa declinem, contentus ex eadem immunitate inferre diſcrimen inter Epiſcopia, ac cæterorum privatas domos. Ita vero compertum eſt Epiſcopales Ædes in numero Privatarum non computari; ut frequenter Epiſcopi in Oratoriis intra illarum ambitum exſtructis Sacramenta Confirmationis, & Sacræ Ordinationis conferant; maxime quando ad hæc conferenda publicas Eccleſias ſubire legitimo impedimento prohibentur. Imo ubi Oratoria (quod paſſim in amplioribus Epiſcopiis reperitur,) ab Epiſcopi cubiculis remota fuerint, & commode ab omnibus poſſent adiri, nulli negatur ad illa ingreſſus, ut quicumque Sacrificiis ibidem peragendis intereſſe valeat. Neque id apud Veteres inſolitum erat; cum publici Oratorii vices geſſiſſe non ambigamus Capellam S. Caſſii Narnienſis; in qua propter infirmitatem cum Populo ſuo Synaxim celebravit. Quod ſi rarius leguntur ſimiles conventus in epiſcopalibus domibus habiti; ideo eveniſſe puto, quia Epiſcopales Capellæ tantæ molis non erant, ut multitudini continendæ ſufficerent, ad quam capiendam amplæ ſæpe Baſilicæ deſiderabantur; quamvis tamen aliis ex cauſſis, quas non eſt opus hoc locolate exponere, ad publicas Eccleſias Synaxim celebraturi Epiſcopi deſcenderent.

V. Poſtquam oſtendimus a Concilio Tridentino non fuiſſe violata Jura, & Privilegia domeſticarum Miſſarum, quibus antea Epiſcopi, eorumque Superiores ad explendam privatam ipſorum pietatem fruebantur; ſex quæſtiones, quæ reſpiciunt Oratoria in domibus Epiſcoporum intra ſuam Diœceſim exiſtentibus erecta, atque ex mera Epiſcopali Auctoritate conſtructa, examinandas proponimus. I. Utrum Epiſcopi in ſuis Epiſcopiis plura erigere poſſint Oratoria Rei Divinæ ſimul idonea? II. Utrum in illis celebrari poſſint ſingulis diebus plures Miſſæ? III. Utrum abſente Epiſcopo liceat ab aliquo Sacerdote ibidem Sacrificium offerri? IV. Utrum præceptum eccleſiaſticum quibuſcumq; Feſtis Diebus impleant, qui in illis Miſſæ interfuerint? V. Utrum etiam in domibus Ruralibus ad Epiſcopum jure Epiſcopatus ſpectantibus ſimilia erigi poſſint Oratoria, iiſdemque gaudeant prærogativis, quibus Oratoria Urbana Epiſcoporum gaudent? VI. Utrum defuncto Epiſcopo in Epiſcopalibus Oratoriis perſeveret adhuc facultas celebrandi? Paucis hæc omnia expediemus.

VI. Atque ad primam cum Paſqualigo quæſ. 1219. num. 5. Moſtazo Lib. 5. de Cauſ. Piis cap. 11. num. 16., & aliis reſpondemus omnino licere Epiſcopo plura in Epiſcopio approbare ad Rem Divinam privata Oratoria: quoniam eadem ipſa facultas, propter quam unum Oratorium ſibi ipſi poteſt conſtruere, æque ad plura protenditur ſive inſpecto Epiſcopali Jure ſuperſtite, ſive Loco, in quo exſtruuntur. Ut enim a Concilio Tridentino poteſtas Epiſcoporum, privata ipſorum commoda reſpiciens, nullam limitationem eſt paſſa; Ita Epiſcopium non computatur inter privatas domos, ac propterea non minus ad unum, quam ad plura Oratoria capax perſeverat. Hæc autem ſunt fundamenta, quibus in hac, & ſequentibus quæſtionibus ſolvendis inhærere debemus; non vero

ad

ad privilegium Bonifacii VIII. reſpicere, a quo ſuperſtes Epiſcoporum facultas erigendi Oratoria in propriis domibus ſui Epiſcopatus nequaquam derivat. Quare non miror Monacellum Tom. 4. Ed. Rom. Supplem. ad Tom. 2. Tit. 13. Form. 2. num. 37., & ſequen., alioſque ab ipſo recenſitos in oppoſitam declinaſſe ſententiam; quia videlicet ex ſolo Bonifacii privilegio facultatem erigendi in Epiſcopiis Oratoria privata ſumebant. Non ſunt tam frequentia Epiſcoporum Domicilia, in quibus duo Oratoria ſtabiliter ad divinum cultum deſtinata reperiantur; in quorum uno magis epiſcopalibus cubiculis proximo Epiſcopus; & in altero in gratiam Familiarium Epiſcopi alter Sacerdos celebrare ſoleat. Ex hac autem infrequentia, quæ ſæpe ortum habet ex anguſtia, aut ex non bene ordinata ſtructura Epiſcopii, nullum præjudicium ſentire debent alii Epiſcopi, qui ad majorem commoditatem ſibi, & ſucceſſoribus diſtinctum erexerunt Oratorium in propriis Palatiis tanto etiam privatæ ipſorum devotioni conformius, quanto remotius a majori ſtrepitu, cui ſunt obnoxia illa Oratoria, quæ in Epiſcopiis ad uſum omnium Familiarium, ac cæterorum illuc confluentium parari ſolent. Imo quandoque expedit plures in Epiſcopalibus Ædibus adeſſe Capellulas, ut multitudini Sacerdotum in negotiis eccleſiaſticis Epiſcopo ſemper aſſiſtentium, ac inſervientium commode ſatisfiat; cum non ſemper cauſſa Sacrificii peragendi ad publicas Eccleſias deſcendere poſſint.

VII. Tres ſequentes quæſtiones ſimul affirmativè reſolvuntur, quia ex unicâ radice earumdem reſolutio profluit. Si enim, quod anteà demonſtravimus, ratum, certumque habeamus, videlicet Epiſcopia non debere inter privatas domos recenſeri; manifeſte conſequitur Oratoria ab Epiſcopo intra Epiſcopale Palatium erecta, & approbata ejuſdem propemodum eſſe conditionis, ac cætera omnia, quæ ex mera Epiſcoporum auctoritate in Locis publicis eriguntur; neque illis ſubjacere reſtrictionibus, quibus privilegia a RR. Pontificibus conceſſa pro Miſſarum celebratione in Oratoriis privatarum domorum coarctare ſolent. Et quantum attinet ad pluralitatem Miſſarum in Epiſcopalibus Oratoriis celebrandarum, non opus eſt alia addere, cum communis praxis illam confirmet. Sæpe enim aut Epiſcoporum pietas plura coram ſe Sacrificia offerri deſiderat; aut ſuorum Familiarium copia, atque in officiis diverſitas eamdem pluralitatem exquirit; cum difficillime ſimul omnes ad aſſiſtendum unico Sacrificio convenire poſſint.

VIII. Poſſe porro abſente Epiſcopo in iiſdem Oratoriis Miſſas fieri pariter conſuetudine ipſa confirmatur; & forte muniri poſſet declaratione S. Cong. Concilii, quæ Tom. 38. *Poſition.* fol. 148. extat. Ut autem hujus declarationis ſenſum aſſequamur, oportet præmittere ſupplicem Libellum, cui ſubjungitur. *La Sig. NN. Madre del già Cardinale S. Marcello l'Anno* 1607. *ottenne licenza dalla Sagra Congregazione di farſi dire Meſſa in un privato Oratorio di Caſa ſua eccetto, che nelle Solennità maggiori. Ma intendendoſi ora, che ſimili licenze ſieno rivocate, e ritrovandoſi lei in età decrepita ſopra li* 80. *Anni ſenza poterſi più muovere di Caſa; ſupplica umilmente le SS. VV. Illuſtriſſ. à confermargli, ed ampliargli detta licenza per tutte le Solennità, e Feſte Maggiori, acciò in queſt'età, nella quale hà più biſogno di ſtar unita con Dio, non manchi d'un tal'ajuto ſpirituale, di che è ſempre ſtata tanto divota: O quando non le paja concedergli queſto, ſi degnino almeno dichiarare, ſe ora, che ſta appreſſo di Monſignor Veſcovo di Monteſiaſcone ſuo Figlio, poſſi in ogni tempo anco nelle Feſte Maggiori farſi dir Meſſa nella Capella del Palazzo Epiſcopale, ſebbene il Veſcovo è aſſente; & in caſo che in queſto le biſogni grazia per non eſſer queſto ſemplice Orato-*

rio

rio privato , ma Capella del Prelato degnarſi di concedergliela offerendoſi pregare per ogni felicità delle SS. VV. Illuſtriſ. En vero reſponſionem. S. *Congreg. Conc. Trid. Inter. cenſuit decretum a ſe editum de nullitate facultatum , quas Ordinarii Locorum conceſſerunt in privatis Oratoriis Sacrum faciendi, ad infraſcriptam licentiam non pertinere.* Me vadem præbere nequeo, quod certe hæc reſponſio referatur ad poſteriorem partem ſupplicis Libelli; cum nihil diſtincte de Capella Palatii Epiſcopalis inferatur. Attamen quia Oratrix manifeſtabat in precibus ſe in Palatio Epiſcopi tunc commorari, ſimulque deſiderabat enixe ſingulis Anni Solemnitatibus in Oratorio Miſſas audire, ad quod non ſufficiebat antea ab ipſa obtenta licentià ; propterea S. Congregationis declarationem præcipue reſpexiſſe ad ſecundam partem Libelli probabile videtur. Verum licet directe reſponſio ad Epiſcopalem Capellam non referatur; cum tamen nihil ab Ampliſſ. Interpretibus dictum fuerit, quod opponeretur præſuppoſitæ a Libello diſtinctionis inter Capellam Epiſcopi, & cætera Oratoria privata; ſatis colligi poteſt illorum ſententia Epiſcopales Capellas non exposcere præſentiam Epiſcopi, ut licite in illis Miſſæ etiam abſente Epiſcopo celebrentur.

IX. Diſtinguunt autem aliqui, ac ſignanter Moſtazo cit. num. 20., Oratoria, quæ ad unicum uſum Epiſcoporum reſervata videntur, utpote proximius ſecretioribus ipſorum cubiculis erecta, ab aliis Oratoriis Epiſcopiorum, quæ magis tum Exteris, cum Familiaribus patent; atque in illis abſente Epiſcopo nemini celebrationem licerè putant, quam libenter in cæteris admittunt. Unde peti poſſit fundamentum hujuſce limitationis, ignoro. Nam omne Oratorium ex hoc, quod in Epiſcopio ſit exſtructum, participat eaſdem proprietates, ac prærogativas, quacumque in parte illius exſtruatur; dummodo vere prius ab Epiſcopo, velut idoneum divinis myſteriis fuerit approbatum: Neque Oratorium illas deſinit habere ex eo, quod cæteris Sacerdotibus clauderetur, atque ibi ſolus Epiſcopus ſacrificare conſueſceret. Etenim etiam in quibuſdam publicis Oratoriis Nobilium, & maxime in Villis, vix ulli extraneo Sacerdoti permittitur celebratio, quamvis inde non ceſſent in illis publici Oratorii jura. Ut ergo ſubſiſtat diſcrimen illud, opus eſt recurrere ad ſpecialem prohibitionem ab Epiſcopo factam; qui legitimis cauſſis urgentibus uni, & non omnibus in Oratorio ſibi tantum ſubjecto Sacrificii actionem permittere bene poteſt.

X. Quod vero unuſquiſque in Epiſcopalibus Oratoriis abſque ulla Dierum Feſtorum quorumlibet limitatione eccleſiaſticum Miſſæ audiendæ præceptum adimpleat, inde evidentiſſime patet, quia aliud non poſtulat Eccleſia in illius impletione, quam Miſſam eo Loco audire, quem legitima Epiſcoporum auctoritas idoneum fecit illis celebrandis non in gratiam unius, alteriuſve, ſed omnium quorumcumque adſtantium. Nec obeſt, quod aliquando ad illa liber aditus pluribus, & maxime Fæminis non concedatur. Nam quod in aliis Oratoriis operatur publicus, patenſque ſingulis acceſſus, ſupplet Epiſcopii dignitas. Obtinet noſtra reſponſio confirmationem a S. Conc. Congregat., quæ id Die 22. Septemb. Anni 1640. declaravit. Hujus declarationis teſtis eſt Card. Brancacius in fine ſuæ Diſſertat. de Capellis Cardinalium, eamque allegant Card. Petra Tom. 2. Com. ad Conſt. 8. Honor. III. pag. 499. Ed. R. num. 61. & Monacellus in Formul. Fori Eccl. Form. 13. n. 2. T. 2. p. 26. E. R., quam nos reperivimus in Archivvo S. Cong. Lib. 16. Decret. fol. 436.

XI. Ad quintam quæſtionem reſpondent Diana, Tamburinus, Quartus, Paſqualigus, & alii Epiſcopo licere propriis in Domibus Ruralibus Oratorium erigere, ut in illis Sacrificium offeratur. Nimis audax ero, ſi de hac

Epi-

Epiſcoporum facultate dubitavero, quam communiter Epiſcopi exercent. Libenter igitur cæteris Scriptoribus conſentio, agnoſcens illo ipſo jure Ruri Epiſcopos exſtruere in Domibus Epiſcopalibus Oratoria, quo eadem in propriis Urbanis Palatiis conſtruunt. Etenim nulla Lex, nulla ratio limitat poteſtatem Epiſcopi, ut facto diſcrimine Domus Ruralis ab Urbana aliquid permittat in Urbana fieri, quod æque non poſſit in Rurali; cum tam in Urbe, quam in Villis proprias valeat Epiſcopus, imo ſæpe expediat habere domos ad habitandum. Inſuper nonne eadem cauſſa, quæ ſuadet erectionem Oratorii in Domo Epiſcopali Urbana, movet etiam ad illud erigendum in Domo Rurali; ne videlicet ulla Domus, in qua habitat Epiſcopus, careat Oratorio commodo ad celebranda Divina Myſteria, cum propter Epiſcopum, tum propter illius familiares, ac alios quoslibet, qui ad ipſum venerint? Profecto ſi quod diſcrimen faciendum foret, potius expediret Epiſcopis in Rurali Domo ſuum habere Oratorium; cum minus facile Ruri, quam in Civitate ad publicas Eccleſias accedere poſſint. Idcirco libentius R. Pontifex Viris Nobilibus indulget in Oratoriis Ruralibus privilegium Miſſarum domeſticarum; quod non æque frequenter pro Urbana Domo concedit. Nihil porro urget, quod rarius, & permodico tempore Epiſcopus ruſticare conſueſcat ſolitus apud Matricem Eccleſiam frequentius conſiſtere, tanquam in Loco magis idoneo ad omnia epiſcopalia munia explenda. Nihil equidem id urget: nam facultas Oratorii privati, qua gaudet Epiſcopus, non ſumitur a diuturna, vel brevi habitatione in aliqua determinata domo; ſed quia valde convenit, ut omnis domus ad Diœceſanum Epiſcopum pertinens habeat locum aptum commodiori Miſſarum celebrationi; ne forte carere aliquando cogatur Sacrificio; ſi vel ipſe, vel qui cum ipſo degunt, ad Eccleſias accedere nequiverint. Ubi vero ex Epiſcopi auctoritate, atque approbatione in Ruralibus Epiſcopalibus Domibus Oratoria erecta fuerint, ſtatim illis conveniunt prærogativæ, quæ in ejuſdem domeſticis Urbanis Oratoriis tribuuntur; cum nulla iſtarum pendeat ab Oratorio, qua in Urbe exſtructo; ſed omnes ex eo profluant, quod Oratorium in propria Epiſcopi Domo ſit erectum. Laudabilis tamen plurimum eſſet Epiſcoporum vigilantia, qua vel prohiberent in quibuſdam ſaltem ipſorum Ruralibus Oratoriis Sacrificium ipſis abſentibus offerri; vel nonniſi probatis Presbyteris illud celebrari permitterent. Forte enim continget, ſi promiſcue plures ad illa Ruralia Oratoria acceſſerint celebraturi, aliquos Sacerdotes Rem Divinam minus decenter illic peragere. Verum vix ſuſpicari poteſt, quin prudentiſſime quilibet Epiſcopus omnem induſtriam ponat, ut omnia pericula irreverentiæ in Sacrorum Munerum oblatione arceantur.

XII. Ad ultimam quæſtionem deſcendens mihi viſum eſt eam apte reſolvi, quoties firmum, certumque habuerimus, quod licet Oratoria in Epiſcopalibus Domibus præcipue ad commodum Epiſcopi, Epiſcopaliſque Familiæ erigantur; attamen vera ratio, propter quam eadem Oratoria tanquam apta Divinis Myſteriis celebrandis adprobari poſſunt, non aliunde derivat, niſi ab Epiſcoporum auctoritate, quæ poſt Concilium Tridentinum integra adhuc permanſit circa Oratoria extra Domus privatas, ac proinde etiam in Ædibus Epiſcopalibus nequaquam in numero privatarum Domorum computandis erecta. Quamobrem niſi Epiſcopis ex ſuperſtite facultate Oratorium in propriis Palatiis ad Miſſas peragendas exſtruere liceret; qualecunque incommodum inde oriretur; adhuc illud patienter tolerare deberent Epiſcopi, ne commodo ſuo indulgentes propriæ poteſtatis limites tranſgrederentur. Revera quam ſæpe evenit Epiſcopos ad longum etiam tempus alienis Domibus

bus

bus diverſantes carere commodo Oratorii domeſtici, quia illud in aliena Domo ſine ſpeciali apoſtolica indulgentia habere nequeunt, ſicut inferius dicemus? In Epiſcopio igitur Capellæ, ſeu Oratoria ab Divinum Cultum unice deſtinata eriguntur ex facultate generali, qua Epiſcopi circa conſtructionem, & approbationem publicorum Oratoriorum pollent. Enimvero quo jure illi publica, eodem plane privata approbare poſſunt Oratoria, dummodo intra privatas domos non contineantur; ſicut per eandem Poteſtatem, ac Juriſdictionem Epiſcopalem ante Concilii Tridentini tempora libere etiam in privatis Domibus exiſtentia Oratoria idonea ad Rem Divinam faciendam propria approbatione reddere poterant.

XIII. His præmiſſis ſua ſponte conſequi videtur, nequaquam a morte, vel vita Epiſcopi pendere, quod alicubi poſſint fieri Miſſæ, poſtquam Epiſcopus *ordinaria* facultate Oratorium idoneum Miſſis celebrandis approbaverit; quoniam nihil amplius deſideratur ad perſeverantem aptitudinem Oratorii, quam quod perpetuo deſtinatum fuerit Divino Cultui, & intra privatas domos non exiſtat. Concordat nobiſcum Paſqualigus diligens Scriptor Quæſt. 1225. num. 5. ſimilibus pæne rationibus motus circa illa Oratoria Epiſcopalia, quæ ipſa Ædificii ſtructura ædem perpetuo Divinis tantum Cultibus mancipatam demonſtrant: At de aliis Oratoriis, quæ ad merum commodum Epiſcopi, ac ipſius Familiæ eſſe ſolent in Epiſcopiis, licet *permanenter* fuerint tantum Divinis Obſequiis dedicata, priſtinam Sacrificio aptitudinem vacante Sede Epiſcopali perſeverare negat; quia nempe exiſtimat tunc finem omnem deeſſe, propter quem Oratoria illa parata ſunt, commodum videlicet, ut Epiſcopus, ac Familiares omnes Miſſam audire, aut celebrare valeant. Hujus diſtinctionis fundamentum non aſſequitur ingeniolum meum; cum exploratum habeam nulla propriè eſſe Oratoria, quæ ſtructura ſua formam non præſeferant convenientem ad deſignandum, quantum ſufficit, Locum per ſe Divinis Cultibus deputatum; & alias dubitare nequeam, quod auctoritas erigendi, & approbandi Oratoria in Epiſcopiis, ut paullo ante dixi, non jam ſumatur ex propriis Epiſcoporum utilitatibus; ſed inde oriatur, quia Epiſcopis nequaquam eſt vetitum a Concilio Tridentino in Locis omnibus, quæ ad privatas Domos non revocantur, Oratoria privata approbare. Quod ergo hac libera facultate utantur Epiſcopi, & ſimul ſuis commodis indulgeant, nihil ad valorem approbationis Oratoriorum refert. Cæterum non capio, qui fiat, ut Oratorium perenniter deputatum Divino tantum Cultui ineptum reddatur celebrationi vacante Epiſcopatu, & ad acceſſum novi Epiſcopi abſque alia nova approbatione ſtatim idoneum Miſſis celebrandis evadat? Alio modo probat Pelizzrius Tom. 2. Manual. Tract. 8. c. 2. Sect. 2. Oratorium Epiſcopale idoneum Miſſis faciendis etiam poſt mortem Epiſcopi perſeverare; quia videlicet non amittit privilegium Immunitatis. At nos non recedimus ab indicata ratione, quam Moſtazo cit. num. 24. attigit.

XIV. Dicta hactenus valent de Oratoriis Epiſcopalium Ædium, quamdiu Epiſcoporum habitationi fuerint deputatæ; nam ſi domus illæ alteri locentur, vel in alios uſus convertantur, tunc Oratoria illa, ut egregie obſervant cum Tamburino, & Quarto Paſqualigus, & Moſtazo cit., prærogativas ammittunt, quas antea obtinebant; cumque non amplius ab Epiſcopo habitentur, in numero privatarum domorum reputantur. Extat Lib. 9. Litter. fol. 288. in Archivvo S. Congregationis hæc Epiſtola ad Cardin. de Guevara Archiepiſc. Hiſpalenſem, quæ id confirmat. *Sanctiſſ. D. Noſter concedit N. N. Canonico Collegiatæ Eccleſiæ S. Salvatoris, ut in Oratorio in ejus Domo exædificato, in quo*

ab

ab Epiſcopo, cujus quondam domus ea fuit, ſæpius Miſſæ celebratæ fuerunt, poſſit & ipſe Miſſas celebrare.... Dum tamen id Oratorium ejus formæ, atque decoris ſit, qualis tanto Sacrificio peragendo eſſe oportet; quod Amplitudo Tua Illuſtriſſ. in re præſenti illud viſitando, atque pro ſuo arbitrio approbando conſtituet. Id Sanctitas Sua Amplit. Veſtræ Illuſtriſſ. S. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum his voluit eſſe teſtatum. Deus Amplit. Veſt. Illuſtriſſ. diutiſſime incolumem ſervet. Romæ 20. *Julii* 1606.

XV. Accedo jam ad Epiſcopos extra proprias Diœceſes commorantes, quibus ſine Apoſt. Sedis privilegio non eſſe conceſſum propria auctoritate erigere, & approbare Oratorium domeſticum ad Miſſarum celebrationem mihi ſuadet Conſtitutio Gregorii P. XV. edita Die 17. Auguſti Anno 1622., & incipiens *Circumſpecta*; in qua ſolis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Capella Pontificia Aſſiſtentibus inter alia privilegia conceſſit Oratorium domeſticum ad finem Miſſarum celebrandarum cum iis reſtrictionibus, quibus cæteris ſimilia Privilegia tribui ſolent. Id enim concedit §. 8., ut *pro ſpirituali eorum conſolatione in privato domus cujuslibet illorum, etiam in Alma Urbe, exiſtentis Oratorio, ad hoc decenter muro exſtructo, & ornato, ſeu exſtruendo, & ornando, ab omnibus domeſticis uſibus libero, per* (Cardinalem) *in eadem Urbe Vicarium in ſpiritualibus Generalem prius viſitando, & approbando unam Miſſam pro unoquoque die; & dummodo in domo hujuſmodi celebrandi licentia alteri conceſſa non fuerit, per ſe ipſos celebrare, ſeu per quemcumque Sacerdotem approbatum Secularem, vel de Superiorum ſuorum licentia Regularem, ſine tamen quorumcumque Jurium Parochialium præjudicio; ac quo ad eos, qui extra Urbem fuerint, Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis D.N.J.C., aliiſque Solemnioribus Anni Feſtis Diebus exceptis in ſua, ac cujuslibet eorum Familiæ præſentia celebrari facere; ita tamen, ut Familiares eorum ſervitiis non neceſſarii ibidem Miſſæ intereſſentes ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia Diebus de Præcepto minime liberi cenſeantur.*

XVI. Recitatum Privilegium Gregorii P. unice, uti manifeſtum eſt, reſpicit uſum Oratorii privati, ſive in Urbe, ſive extra Urbem Romanam ad finem Sacrificii celebrandi in domo habitationis Epiſcoporum Aſſiſtentium; nec quidquam de uſu Viatici Altaris aſſerit, pro quo ſuperflua fuiſſet nova conceſſio, cum adhuc in ſuo labore Bonifacii P. VIII. Conſtitutio permanſerit, ſicut Opuſc. ſeq. cap. X. oſtendemus. Jam vero, ſi libere poſſent Epiſcopi, ubicunque degerent, ſibi ipſis privata Oratoria ad Miſſas celebrandas approbare, quid ſingulare in hac re Epiſcopis Aſſiſtentibus collatum fuiſſet? An forte tam immaniter diſſipiemus dicentes Gregorium P. aliorum Epiſcoporum ſuppreſſiſſe poteſtatem approbandi domeſticum Oratorium, etiam extra proprias Diœceſes, ut hinc honorandis Epiſcopis Aſſiſtentibus occaſionem ſumeret? Quare licet inter alia multa privilegia, quæ iiſdem Julius P. III. Die 6. Julii 1551. conceſſit, iſtud non inſeruerit; non propterea minore in honore eoſdem Aſſiſtentes aut habuit, aut haberi voluit. Legi, quæ P. Andreuccius de Epiſcop. Titul. Par. V. Quæſt. 13. tradit, nempe in Conſtitut. Gregoriana ab Epiſcopis Aſſiſtentibus Solio Pontificio auferri *convenientiæ obligationem, quæ eſt in aliis Epiſcopis*, ne Romæ ob reverentiam erga Summum Pontificem exerceant facultatem approbandi proprium domeſticum Oratorium, quam ipſius ſententia omnes Epiſcopi *ex jure*, & ſine limitatione Diœceſis habent. Verum ſi *jure* ubique poſſunt propria Oratoria approbare omnes Epiſcopi; imo ſi eodem docto Theologo judice *ſtando in rigore juris* poſſent omnes Epiſcopi in domeſtico Oratorio Miſſas facere; nihil quod

ad poteſtatem pertineat, Epiſcopis Aſſiſtentibus contuliſſet Gregorius meram *convenientiam* auferendo; ſed potius ſublata illa *convenientiæ obligatione* novum onus illis addidiſſet, cum eos in privilegii executione ſubjiceret plurimis illis reſtrictionibus; quibus Privilegia cæterorum ad Apoſtolicam Sedem confugientium pro celebratione Sacrificii in privatis Oratoriis arctantur. Certe qui affirmant jure convenire Epiſcopis poteſtatem deputandi in propriis Domibus Oratorium ad Rem Divinam faciendam, ſimul etiam fatentur omnes Adſtantes præcepto Eccleſiæ ſatisfacere Miſſas ibi peractis audiendo. Ita etiam aperte tradit Scriptor prædictus num. 254. In eo itaque ipſo Privilegio Jurium ſuorum imminutionem paterentur Epiſcopi Aſſiſtentes, in quo a R. Pontifice ſingularitate favoris a cæteris extra propriam Diœceſim commorantibus ſecernuntur. Cæterum non ſolum pro R. Urbe, quam & pro aliis Locis extra proprias Diœceſes Oratorium privatum cauſſa Sacrificii conceſſit Gregorius; nec ubique tamen illa *Obligatio convenientiæ* urget, quæ tantummodo coram R. Pontifice militat.

XVII. Ut ergo in proprio ſenſu Gregorianam Conſtitutionem exponamus, neceſſarium eſt præſupponere nequaquam jure, aut ex privilegio ante Concilium Tridentinum conceſſo convenire Epiſcopis extra propriam Diœceſim commorantibus facultatem approbandi domeſticum Oratorium. Revera nulli Canones, nullaque privilegia concedunt Epiſcopis extra proprias Diœceſes exercere Juriſdictionem, quæ in approbatione Oratoriorum requiritur. Hinc eſt, quod Conciliorum Statuta liberam Epiſcopis concedentia facultatem erigendarum Capellarum, Miſſarumque domeſticarum, & in Canonum Collectionibus inſerta ad Epiſcopos in ſuis ſolum Diœceſibus degentes referuntur; ita ut neque etiam Ara Viatica in aliena Diœceſi uti poſſent, niſi ſpeciali Bonifacii VIII. Privilegio muniti fuiſſent. Fuit itaque neceſſarium ſingulare Privilegium, ut Epiſcopi Aſſiſtentes ubique privatum Oratorium ſpecialiter deputatum Sacrificio tuto habere poſſent. Caute autem Ordinarii approbationem poſtulavit Gregorius XV., ne videlicet ulla ex parte illius Juriſdictio violaretur. Quamobrem cum quidam Epiſcopus die 11. Decemb. 1632. reſtitiſſet Ordinario, qui proprium viſitare voluerat Oratorium; diſcuſſa cauſſa coram Eminentiſſ. Cardinalibus Conc. Trid. Interpretibus, S. Congregatio *Die 2. Julii 1633. cenſuit Archiepiſcopo Barenſi competere jus viſitandi Capellam, ſeu Oratorium privatum, quod habet Prior S. Nicolai Barenſis olim Epiſcopus Mutulanus in privatis Ædibus exiſtens in Diœceſi Barenſi; ideoque eidem Priori inſinuandum, ut in futurum viſitationem omnino admittat &c.* Ita Tomo 42. *Poſitionum* reperitur.

XVIII. Rara autem exempla eſſe puto Epiſcoporum, qui cum extra Diœceſes morarentur, pro facultate Oratorii domeſtici ad Apoſtolicam Sedem confugerint. Duo tamen mihi occurrerunt Tomo 38. P*oſition.* in Archivvo Sac. Congregat. Concilii. Primum fol. 134. pro Epiſcopo Laudenſi Ludovico Taberna, qui iſta expoſuit: *Quod ipſe alias a S. Congregatione ſuper conſultationibus Epiſcoporum obtenta facultate, ut in quocunque Loco, ſeu Domo, decentibus tamen, poſſet celebrare; in paterna Domo, quæ in Civitate Mediolani decens non modo, ſed ſtructura & amplitudine inſignis eſt apprime, Sacellum conſtrui fecit, ubi Miſſam & celebrare poſſet, & audire, quoties Mediolani eum contingeret morari*: cum autem dubitaret, *an ſuprascripta facultas* maneret poſt Decretum Sac. Congregat. *ſub die* 10. *Martii* 1615. *ſibi tranſmiſſum per Illuſtriſſ. Card. Archiepiſc. Mediolanenſem Metropolitanum?* propterea optabat aut declarari obtentam facultatem non comprehendi, aut novam ſimilem concedi. Huic

Libel-

Libello S. Congregatio Die 23. Maii 1615. reſpondit, & cenſuit Epiſcopo Laudenſi *non eſſe interdictum* in Capella domi ſuæ Mediolani Miſſas celebrare; quia nempe Decretum editum *ad prædictam facultatem* ab ipſo impetratam *non pertinebat*. Ita habetur tum Tom. cit., cum Lib. XI. Decret. fol. 154. Secundum exemplum occurrit eodem Tomo 38. fol. 207., in quo iſta narrantur. *Epiſcopus Termularum habet Capellam prope Domum cujuſdam ſui Ruris in diſtrictu Ferrarienſi ſitæ, in qua, cum in illis partibus reperitur, una cum Matre, Nepotibus, & tota ejus Familia commoratur; & in dicta Capella ſemper Sacrum fieri de licentia Superiorum conſuevit uſque ad publicationem Decreti de hac re editi* (An. 1615.) *Nunc petit facultatem ibidem celebrandi, & celebrari faciendi, quoties ſibi, ſuæque Familiæ opus erit, cum longe ab ſint Eccleſiæ, & Diebus Feſtivis Præcepto Eccleſiæ ſatisfacere non valeant*. Preces hæ fuerunt exauditæ, ut in calce Libelli legitur.

XIX. Non eſt autem difficile inveſtigare cauſſam, propter quam Epiſcopi rarius confugere ſolent ad R. Pontificem pro impetrando Privilegio Miſſarum in Oratorio domeſtico; quoniam non ita frequenter illi extra proprias Diœceſes diu degere ſolent, niſi cum eos in Urbe morari contingit. Hinc pro Epiſcopis in Urbe commorantibus, & honore aſſiſtentiæ Solio Pontificio non inſignitis non raro hujuſmodi Apoſtolicæ Sedis privilegia conceſſa fuerunt. In Regeſtis Archivvi Emi Urbis Vicarii aliqua hoc ipſo Seculo conceſſa legi, & quidem tria a Clemente XI. nempe Anno 1708. Joanni Caſimiro Epiſcopo Primislienſi, Anno 1704. Onuphrio Archiepiſc. Dibranenſi, & Anno 1717. Bartholomæo Epiſcopo Mazarienſi: Unum a Benedicto XIII. Die XII. Aprilis 1725. Epiſcopo Ovetenſi; & alterum a Clemente XII. Die 25. Septemb. 1739. Dionyſio Archiepiſc. Modenſi. In his autem Privilegiis ſolent eædem limitationes addi, quæ in cæteris communiter continentur. Unicum in eodem Archivvo vidi apographum Indultum Die 18. Januar. An. 1644. ab Urbano VIII. conceſſum Ægidio Epiſcopo Amarienſi, in quo licet reperiantur conſuetæ cæteræ clauſulæ; tamen illa majores Solemnitates excipiens deeſt. Altera cauſſa, propter quam rarius Epiſcopi, qui in aliena Diœceſi commorantur, confugiunt ad R. Pontificem pro ſpeciali Privilegio Miſſarum in Oratorio privato, inde etiam, quantum reor, oritur, quod magis eſt proficuum illis privilegio Altaris Portatilis uti, in quo nulla limitatio Dierum fit. At vero, ut diximus, etiam pro Epiſcopis Aſſiſtentibus Gregorius XV. Solemniores Anni Dies exceptos eſſe voluit: imo licet in Urbe ſolum Paſchatis, Pentecoſtes, & Natalis Dominici Diem excluſerit; extra Urbem etiam *alios Solemniores Anni Feſtos Dies* a privilegio excepit. Mirum autem non ſit, quod ex voluntate Concedentis hujuſmodi diſcrimen inter Oratoria in Epiſcoporum Domibus intra, vel extra Urbem Romanam exiſtentibus factum fuerit: Nam Indulta, quæ ab alterius arbitrio pendent, ſicut penitus negari poterant; ita intra limites ab illo præſcriptos contineri debent. Sublatum poſtea fuit hujuſmodi diſcrimen; ac Epiſcopis Pontifici celebranti Aſſiſtentibus licet intra Urbem commorantibus conceſſio Sacrificii in Oratorio privato cum expreſſa exceptione majorum Anni ſolemnitatum expediri ſolet, quemadmodum in Litteris Apoſtolicis favore Epiſcoporum, qui Aſſiſtentis honorificentia nunc decorantur, adverti: Ita ut *etiam* in Alma Urbe non amplius ratione Oratorii domeſtici concedatur Epiſcopis Aſſiſtentibus, quam R. Pontifex communiter ceteris omnibus Viris Nobilibus pro impetratione privilegii celebrandarum Miſſarum in Oratorio privato ad Apoſtolicam Sedem confugientibus indulgeat.

XX. Solent itaque Epiſcopi in aliena Diœceſi degentes Miſſas dome-

ſticas vigore Privilegii Bonifacii VIII. celebrare; & quia valde congruit, ut locus idoneus pro Sacrificio eligatur, ideo ubi diutius alicubi eos morari contigerit, in propriæ habitationis domo cubiculum aliquod in Oratorii formam componere curant; ac proinde aliquando privilegium Altaris Portatilis cum privilegio Miſſarum in Oratoriis celebrandarum nominis appellatione confunditur. S. Congregatio Concilii Interpres hanc promiſcuam appellationem quandoque non rejecit, ita ut, dum ageretur de illo privilegio Bonifacii nomen Oratorii permiſcuerit. Ita plane ſe geſſit in Decreto edito Die 23. Julii Anno 1616., & contento Lib. X. Decr. fol. 180., ubi in Marturanenſi *cenſuit Oratoria ad uſum Epiſcopi etiam extra illius Diœceſim conſtructa non comprehendi Decreto ab ipſa Congregatione edito de privatis Oratoriis*. Ita pariter accepit nomen Oratorii, pro ut reſpicit merum privilegium Bonifacii, cum ad preces Epiſcopi Titularis Coronenſis inſertis Tom. 38. *Poſition.* fol. 75. *cenſuit decretum* de Oratoriis privatis *editum non pertinere ad Oratorium in Ædibus Epiſcopi conſtructum*. Ita demum uſurpavit nomen Oratorii in altero Decreto Anni 1623. recitato in Opere de Sacrif. Miſſæ Sect. 2. §. 44. ante Pontificatum edito a SS. P. Benedicto XIV. Nihil autem intererat in nominum appellatione nimiam ſeveritatem attendere, cum inde apparebat, quod fundamentum illarum reſolutionum a mero privilegio Bonifacii VIII. ſumebatur. Revera ad hujuſmodi privilegium aperte reſpiciebat Epiſcopus Marturanenſis in ſuis precibus, pro ut Tom. 38. *Poſition.* fol. 147. exhibentur, Cæterum ſæpius S. Congregatio, dum egit de facultate celebrandi, qua Epiſcopi extra proprias Diœceſes gaudent, commemoravit ſolum privilegium Bonifacii; ne videretur eadem facultate poſſe ſibi Epiſcopos extra Diœceſim Oratoria approbare, qua ſuper Altare Viaticum Sacrificium offerre poſſunt. Plura hujus generis decreta Sacræ Congregationis ſeq. Opuſculo proferemus; cum hic unum ſufficiat ex precibus inſertis Tom. 191. *Poſition.* fol. 8., ubi legitur: *Supplicatur a Dominat. VV. Illuſtriſſ., & Reverendiſſimis declarari, an ipſis Epiſcopis competat hujuſmodi jus ſibi erigendi Oratoria privata etiam extra Diœceſim abſque Ordinarii Loci licentia non obſtante Decreto ab hac S. Congregatione de privatis Oratoriis edito.* Ampla nimis apparebat hæc interrogatio; quæ ſpecialiter ad facultatem approbandi domeſticum Oratorium reſpicere videbatur. Hinc opportune S. Congreg. Die 1. April. 1628. *cenſuit neque Decretum S. Concilii Tridentini, neque alia Decreta de Privatis Oratoriis edita ſuſtuliſſe privilegium Cap. Final. de Privil. in VI. Epiſcopis conceſſo*.

XXI. Paucis nunc loquamur de poteſtate S.R.E. Cardinalium erigendi in propriis Palatiis Oratoria privata tam ad ipſorum, quam ad Familiarium omnium commoditatem, & faciliorem modum Miſſam celebrandi, vel audiendi. Ut vero Purpuratorum Principum facultatem hujuſmodi, quam ante Concilium Tridentinum obtinuerant, ſicut ex Conſtitutione Leonis X. in Concilio Lateranenſi edita Anno 1514., & antea a nobis cap. 6. relata appiret, ut, inquam, manifeſte pateat hanc facultatem adhuc integram perſeverare, aliud nihil firmius, certiuſque propono, quam ipſammet continuam conſuetudinem ab Eminentiſſ. Cardinalibus omnibus retentam, qua ſtatim poſt ampliſſimæ dignitatis gradum acceptum Capellas in ſuis Palatiis Rei Divinæ faciendæ idoneas ſtatuunt. Numquid enim id a R. Pontifice toleraretur; aut numquid id molirentur devoti erga Apoſtolicæ Sedis Statuta Patres Eximii, ſi antiqua illorum privilegia a Tridentino Concilio everſa, aut a RR. Pontificibus coarctata fuiſſent? Imo potius S. Congr. Concilii Die 18. Februar. Anni 1623. *cenſuit Capellas, & Ora-*

& Oratoria ad illorum (Cardinalium) *uſum, ubiqe Locorum exſtructa minime comprehendi in prohibitione Conſtitutionis juſſu ſan. mem. Pauli V. jam pridem editæ de non celebrando in privatis Ædibus*. Extat hoc Decretum in Regeſtis Congregationis Lib. 12. Decret. fol. 120., illudque SS. P. Benedictus XIV. de Sacrif. Miſſæ Sect. 2. §. 47. allegat. Aequiſſima porro ratio poſtulabat, ut qui Epiſcopis in Eccleſiaſtica Hierarchia multum præcellebant, ſimul in ipſorum Palatiis ea poteſtate fruerentur, quam Epiſcopi intra ipſorum Diœceſes conſervant. Profecto ut Epiſcopia privatæ domus dici nequeunt; neque etiam inter privatas domos Palatia habitationis Tantorum Eccleſiaſticorum Magnatum reputari poſſunt, aut debent.

XXII. Mirum autem eſſe non debet Ædes Cardinalium, quamvis ipſi Ordinaria Juriſdictione aut in Urbe, aut alibi extra proprios Titulos careant, niſi Epiſcopi fuerint; adhuc eam prærogativam obtinere, quæ Palatiis aliorum Epiſcoporum extra proprias Diœceſes commorantium denegatur. Etenim niſi ampliſſimi Purpurati Patres libera illa in propriis Ædibus facultate gauderent, qua in propriis Diœceſibus fruuntur ſinguli Epiſcopi; ubinam ſibi ipſis erigere valerent domeſtica Oratoria, cum ex Cardinalatus munere ſemper R. Pontifici in regimine univerſi Chriſtiani Orbis aſſiſtant; nec liceat ipſis longe ab illius latere diſcedere, niſi quando cum nonnullis aut neceſſitas, aut utilitas Eccleſiarum aliter diſpenſandum ſuadeat? Æquitas ergo poſcebat, ut ad liberum exercitium hujuſce poteſtatis in ſingulis Cardinalibus proprium Palatium quadamtenus parvæ ipſorum Diœceſeos vices ſuppleret; ut ibi ſaltem id poſſent agere, quod inſpecta propria dignitate in ſua Diœceſi ſinguli Epiſcopi poſſunt.

XXIII. Si quis vero a me quærat, cur aliis Epiſcopis extra Diœceſim Capella domeſtica non permittatur non obtenta Apoſtolica conceſſione? Reſpondebo ex Dignitatis Cardinalitiæ, ac Epiſcopalis imparilitate oriri, ut etiam in hoc merito Eminentiſſ. Principes Eccleſiæ ab Epiſcopis in Urbe, aut alibi extra Diœceſim degentibus diſcernantur: Maxime cum illi ratione propriæ dignitatis nullum habeant Locum exercendæ Juriſdictionis meris Titulis Cardinalitiis exceptis, quam ſecundum ſe omnes Epiſcopi habent, licet ex accidentalibus cauſſis illorum aliqui a propria Diœceſi vel pulſi, vel ad eamdem accedere vetiti actu non exerceant. Hinc conſequitur eadem omnia in Capellis Cardinalitiis peragi poſſe, ac convenire, quæ ſuperius Epiſcopiorum Capellis concedi diximus, videlicet pluritatem Miſſarum, & Domeſticorum Oratoriorum in Palatiis ipſorum habitationi deſervientibus tam in Urbe, quam Ruri; illimitationem dierum, in quibus celebrari licet; liberumque demum acceſſum, quo omnes Adſtantes præcepto eccleſiaſtico Miſſæ audiendæ ſatisfacere valent. In eo autem tantummodo Cardinalitias Palatinas Capellas ab Oratoriis Epiſcopiorum excipere oportet, quod penitus illarum privilegia Cardinali defuncto ceſſent. Cum enim iſtorum Palatia non ſint perpetuo, & per ſe Cardinalium habitationi addicta; neceſſe eſt, ut domus penitus privatæ evadant in illorum morte, quouſque alter Purpuratus Pater in iiſdem ſuam habitationem fixerit.

XXIV. Quamvis autem Concilium Tridentinum antiqua Jura, & Privilegia Epiſcoporum, ac ipſis *Superiorum* ſubvertere noluerit, ut ſingularitate honoris, ac gratiæ a reliquis quibuſcumque diſcernerentur, qui Epiſcopali, aut alia majore Dignitate refulgent: Tamen omnia, quæ circa domeſticas Miſſas integra permanſerunt in Epiſcopis, ac ipſorum Superioribus, unice eorumdem commodum reſpiciebant. At vero nulla penitus ratione Epiſcopis, imo neque Cardinalibus privatas Miſſas in privatis

varis Laicorum Oratoriis, niſi cauſſa Itineris, aut Viſitationis Diœceſis facere licet. Profecto hujuſcemodi abuſus eſſet aperta tranſgreſſio generalis illius Legis Tridentinæ, qua ſine ulla exceptione in privatis domibus Epiſcopi Sacrificium permittere prohibentur; ac proinde attente vigilare tenentur, ne ab ullo ſimiles abuſus fiant. Quamobrem cum quidam Epiſcopi in Laicorum Oratoria prærogativas convenientes Oratoriis Epiſcopalibus transferri poſſe exiſtimarent, ſi præſentes ſe ſiſterent: Sacra Congregatio Concilii Die 30. Maii Anno 1699. *in Neapolitana* declaravit: *Neque Epiſcopis licere in Oratoriis privatis celebrare, vel celebrari facere ipſis præſentibus pro commodo fruentium ipſis Oratoriis celebrat... una Miſsa in Apoſtolico Indulto conceſſa, nec in diebus exceptis in Indulto, vel prohibitis a Sacra Congregatione, vel Conſtitutione Diœceſana*: ac demum addidit, *quod Archiepiſcopus hujuſmodi Epiſcopos tranſgreſſores moneat, & niſi abſtineant Sacram Congregationem certioret*; cum ad eam præcipue etiam pœnarum metu quoſcunque non juxta Legem incedentes corrigere pertineat.

XXV. Innovavit has, & alias declarationes S.Congregatio anno 1703. die 15. Decembris amplo decreto confirmato a Clemente XI., cujus partem, quæ ad hunc locum pertinet, recitare non ommitto; cum inde pleniſſime inſtruamur in Laicorum Oratoriis nihil amplius poſſe Epiſcopos, & *his majores* Prælatos etiam Cardinalatus dignitate fulgentes, quam poſſint reliqui Sacerdotes; itaut celebrantibus Epiſcopis intra Oratoria Laicorum neque Miſſa celebrari poſt meridiem, neque aliud fieri licite valeat, præter illud, quod in Apoſtolico Indulto fuerit pro illis Oratoriis ab Apoſtolica Sede conceſſum. Ita ergo loquitur S. Congregatio *unanimi Voto* Cardinalium: *Pari modo in Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem conceſſa fuerint, non licere.... quibuſcunque Sacerdotibus, etiamſi eſſent Epiſcopi in iis celebrare in diebus Paſchatis, Pentecoſtes, Nativitatis Chriſti Domini, aliiſque Anni Feſtis Solemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis: In reliquis vero diebus Sacerdotibus quibuſcunque, etiam Epiſcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Miſſa, quæ in Indulto conceditur, fuerit celebrata; ſuper quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo ſe optime informare atque illa etiam in caſibus permiſſis celebrari nequeat poſt meridiem; demandando propterea ulterius, ac declarando in hujuſmodi caſibus Perſonas quaſcunque dictas Miſſas audientes nullatenus Eccleſiæ præcepto ſatisfacere &c. Ita Sanctitas Sua declarari, & ſervari mandat*. Hiſce determinationibus præcluſa fuerunt pericula relaxandi tridentinam prohibitionem, neque Epiſcopis in Laicorum Domos amplius conceſſum fuit transferre illa privilegia, quæ non ad exterorum, ſed ad propriam tantummodo ſpiritualem conſolationem a Concilio Tridentino ipſis relicta fuerunt. Inter alia ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantia, & in Regnis Hiſpaniarum obſervanda Innocentius XIII. P. Conſt. edita die 13. Maii An. 1723., quæ incipit: *Apoſtolici Miniſterii*, juſſit, ut *omnia Statuta* in Decreto Clementis XI. contenta ſervarentur, illudque *in ſuis reſpective Diœceſibus* Epiſcopi publicarent. Simul tamen declaravit tunc ſolum libere poſſe Epiſcopos in privatis Laicorum Domibus Sacrificium offerre, ac frui juribus, quibus intra Epiſcopia gaudent, quoties iter egerint, aut proprias Diœceſes viſitaverint. Hoc decretum Clementis etiam in Germania publicatum fuiſſe; eique ſeſe Epiſcopos conformaſſe Ana-cl. Reinfeſtuell Lib. 3. Decret. Tit. 41. num. 9., & 11. teſtatur. Conſtitutionem Innocentii XIII. P. alia ſecuta eſt Benedicti XIII. P. die 23. Septemb. An. 1724. Extat in Appendice Concilii Romani An. 1725., in quo Tit. XV. cap. 2. præcipitur, ut Decretum Clementis *Eccleſiarum omnium Epiſcopi in ſuis Diœceſi-*

ceſi-

ceſſibus publicent quamprimum, & executioni demandent.

XXVI. Quærat jam vero aliquis, an privata Oratoria ad Rem Divinam faciendam deſignare valeant in propriis Palatiis Præſules illi, qui licet Epiſcopali Dignitate non ſint inſigniti, Juriſdictionem tamen quaſi Epiſcopalem alicubi exercent; ſeu Curæ Paſtoralis officia gerunt Adminiſtratoris munus ſuſtinentes? Facile nos reſponſum negativum damus, quoniam advertimus Dignitatem Epiſcopalem cum juriſdictione in Diœceſi conjunctam in Epiſcopis conſervare jus approbandi Oratoria ad Miſſarum celebrationem in propriis Epiſcopiis. Revera cauſſa, propter quam a Tridentinis Patribus exceptas Epiſcopales Domos advertebamus, ex eo præcipue ſumebatur, quod Epiſcopium, ideſt domus, quæ Diœceſani Epiſcopi habitationi eſt deſtinata, inter privatas domos numerari, confundique nequit. Quare ſi in Epiſcopio habitaverit Epiſcopatus Adminiſtrator non nova Oratoria illic erigere, ſed id ſolum poterit, quod aliis quoque liceret Presbyteris; videlicet Miſſas facere in Oratoriis Epiſcopii antea jam a Diœceſano Epiſcopo approbatis, & ad divinum tantum cultum addictis.

XXVII. Oritur vero dubium, an ſaltem Epiſcopi Titulares, dum adminiſtrationem alterius Epiſcopatus gerunt, in propriæ habitationis Ædibus poſſint ſibimetipſis abſque ullo Pontificio Privilegio Oratoria privata ad Miſſarum celebrationem approbare? Occaſionem præbet dubitandi acceſſus juriſdictionis, ob cujus defectum in aliis Epiſcopis Titularibus illa poteſtas negatur. Statim ac mentem ſubiit hæc dubitatio, ſimul occurrit modus eam diſſipandi, cum adverti juriſdictionem tunc advenire non ob Dignitatem Epiſcopalem, ſed cauſſa adminiſtrationis; atque ideo ex juriſdictione illi Epiſcopo non aliam tribui facultatem, quam eam, quæ ex officio Adminiſtratoris prodiit. Neque enim Epiſcopalis Dignitas ad adminiſtrationem requiritur: quamvis ad eandem commode peragendam in magnis quibuſdam Eccleſiis ſæpe expediat eum Adminiſtratorem ſeligi, qui Epiſcopus jam fuerit conſecratus. Cum igitur ratione proprii Epiſcopatûs nullam in illa Diœceſi juriſdictionem Epiſcopus Adminiſtrator obtineat, propterea videtur illi deeſſe facultas, quæ neceſſaria foret ad erectionem Domeſtici proprii Oratorii; ipſique tantum licere Miſſas facere in Oratoriis antea erectis in Epiſcopio alieno, in quo durante adminiſtrationis munere habitat. Poſſet autem idem Epiſcopus Adminiſtrator uſu Altaris Viatici frui, ſicut decidit S.Conc. Congregatio apud Pignatellum Tom. 6.Conſult. 12. num. 1., nempe 1. Jul. 1628., & 8. April. 1623: Attamen in his Decretis ſolum agitur de ſimplici uſu Altaris Portatilis, non de Oratorio Domeſtico, quod adnotatione dignum exiſtimo, ne quis hinc nos jam ſtabilita deſtruere cogeret.

XXVIII. Reliqui porro Præſules Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem exercentes, cum non habeant Epiſcopium proprie tale; propterea neque in ſuis Ædibus, niſi ſpeciali donentur Pontificio Privilegio, celebrare Sacrificium poterunt. Parum quippe refert hos in juriſdictione Epiſcopis æquiparari; ac proinde ſub Epiſcoporum nomine in pluribus Concilii Tridentini Decretis pro regimine Eccleſiarum efformatis comprehendi, ut appoſite cum Barboſa Paſqualigus quæſ. 1228. num. 1. obſervat. Parum, inquam, refert; cum maxime in Dignitate differant ab Epiſcopis, qui majoribus ab Apoſtolica Sede privilegiis, & uberioribus ex Epiſcopatus Dignitate reſultantibus juribus gaudent. Hinc eſt, quod teſte Fagnano Lib. III. Decret. *de Immunit. Eccleſ.* Cap. *Eccleſia* n. 35. Palatium illorum Prælatorum immunitate eccleſiaſtica non fruitur, niſi legitima adfuerit conſuetudo, quæ ſæpe privilegio æquipollet, quouſque a Superiore non irritetur: Allegat ad hanc rem cele-

bris

bris Canoniſta deciſionem S. Congregationis Cardinalium ſuper Immunitatem Anni 1634. die 6. Novembris ab altera diei 27. Mart. An. 1645. confirmatam. Verum ad alia properemus.

CAPUT XVIII.

De Privatis Oratoriis in Monaſteriis, & Granciis Regularium poſt Concilium Tridentinum.

I. INVETERATAM bene ordinatorum Monaſteriorum conſuetudinem erigendi intra Clauſtra aliquod privatum Oratorium, aut etiam plura, ſi propter Infirmos, ac Senes, atque copioſum numerum Religioſorum opportuna fuerint, nequaquam Tridentini Patres evertere cogitaverunt. Quin imo eam perſeveraſſe una ſimul cum veteribus Regularium Privilegiis eo fine antea conceſſis ſuperius dicta Capp. 13., & 16. perſuadent; quoniam in Concilii Tridentini Decreto non jam Oratoria in Religioſis, aliiſque Piis Locis erecta comprehenduntur; ſed illa, quæ *in privatis Domibus* exiſtunt. Sufficit igitur, quod in Religioſorum Ædibus Oratoria divino tantum cultui deſignentur, & approbentur ab eo, ad quem pertinet, ut in illis ſine violatione Tridentinæ Legis Miſſæ licite, ac libere celebrari valeant. Hinc univerſim in omnibus Monaſteriis, Conventibus, ac Collegiis Regularium priſtina viget conſuetudo in privatis Capellis Sacrificium offerendi, quoties opportunum videtur: atque ubi ſimul multi Viri Religioſi habitant, aut ubi Domorum amplitudo patitur, eadem Oratoria multiplicantur, ut ita plurimorum commoditati provideatur. Taceo de illis Conventibus, Collegiiſve, in quibus diverſæ cellulæ in formam Oratorii conformatæ fuerunt; ut ubi Sancti aliqui vel miracula patrarunt, vel moram traxerunt, ubi Sacrificia tanto devotius, quanto ſecretius peragantur. Similiter prætermitto plures illas Capellas in Regularium Monaſteriis, & Collegiis erectas, ubi Diebus Feſtivis, vel Studioſa Juventus, vel alii quidam pii Fideles congregantur ad Divinorum Officiorum celebrationem. At vero nullum umquam aut RR. Pontificum, aut S. Congregationis adverſum Decretum prodiit, quo tam pervulgatus mos erigendi privata Oratoria in domibus Religioſorum ſiſteretur. Imo potius ſæpe illi ſacras Indulgentias Sacerdotibus celebrantibus, ac reliquis Adſtantibus Miſſæ in nonnullis prædictis Capellulis diſpenſaverunt. Fruuntur pretioſo hoc Theſauro aliquot Capellæ privatæ, in quibus olim Sancti Cellam habuerant; & iiſdem Indulgentiis ex privilegio Benedicti XIII. An. 1725. gaudent Capellæ in Valetudinariis Fratrum Minorum Capuccinorum ædificatæ. Sed de facultate erigendi Oratoria privata in Domibus Religioſis alia protulimus cap. 16. num. ultimo, quæ recoli poſſunt.

II. Licet autem, quantum ad licitam celebrationem pertinet, Tridentinum Concilium Religioſæ Domus privata Oratoria non excluſerit; nonnihil tamen arctavit antiquam Regularium poteſtatem, ut ita magis reverentiæ Sacrificii conſuleretur. Equidem ante Concilium pæne omnes Regulares vel ex conceſſionibus RR. Pontificum, vel ex indulgentia, aut tolerantia Epiſcoporum ad libitum in propriis domibus privata illa Oratoria erigebant. Attamen id non placuit Concilio, cui etſi opportunum viſum fuerit permitte-

mittere Miſſarum celebrationem extra privatas domos in Oratoriis quibuſcunque ad divinum tantum cultum dedicatis; adhuc omnia Oratoria viſitationi, & deſignationi Ordinariorum ſubeſſe voluit. Quapropter in hac parte antiqua Privilegia Regularibus conceſſa a Concilio abolita fuiſſe non ambigo; ita ut qui nova iterum a RR. Pontificibus non impetraverunt, Epiſcoporum conſenſum poſtulare teneantur, ut licite in Monaſteriorum privatis Oratoriis Miſſæ peragi poſſint. Hinc aliquando ab Eminentiſſimo Urbis Vicario quibuſdam Regularibus ſimilem licentiam datam fuiſſe me non latet. Nihil loquor de Oratoriis Confraternitatum Laicalium intra Clauſtra Religioſorum ædificata, quæ Epiſcopi ſuæ viſitationi omnino ſubjecta eſſe tuentur quibuſdam muniti declarationibus S. Congregationis Conc., & Litteris ejuſdem die 10. Jun. 1622. ad Epiſcop. Imolenſem, quæ extant Lib. 10. Litter. fol. 107., aliiſque Litteris ſcriptis die 9. Januar. Anno 1602. ad EpiſcopumAliſanum, quas Lib. 9. Litter. fol. 69. legi. Nihil, inquam, de his Oratoriis ſeorſim loquor, ne ad extraneas meo argumento inquiſitiones declinem.

III. Amplam facultatem erigendi Oratoria in propriis domibus conceſſit Societati Jeſu Gregorius XIII. die 3. Maii Anno 1575., ut non ab alio, quam a Provinciali neceſſario petenda eſſet facultas in illorum erectione, atque approbatione. *Volumus*, ait in ſua Conſtitut., *ut in Oratoriis, & Capellis, quæ ipſius Societatis Provinciales per ſe in Domibus, Collegiis, & aliis Locis, ubi aliqui Societatis reſidebunt, approbaverint, & ad divinum dumtaxat cultum deputaverint, Miſſæ, & alia Divina Officia alterius licentia minime requiſita celebrari poſſint*. Magna profecto eſt hujuſmodi Privilegii amplitudo, cum neque Capellarum numerum coarctet; neque certas determinet Domus Religioſas; ſed ad omnia Loca, ubi reſident aliqui Societatis illius, late extendatur. Imo neque limitat numerum Reſidentium; ac demum nihil de tempore ipſius Reſidentiæ præſcribit, ita ut inſpecto verborum rigore ſufficiat, quod aliquo tempore in eo Loco aliqui reſidere ſoleant; dummodo Locus ipſe Patrum Societatis reſidentiæ fuerit deſtinatus. Quotquot communicant cum Privilegiis Societatis Jeſu de hoc Gregoriano Privilegio participant, ut appoſite Thomas Tamburinus S.J. de Sacrif. Miſſæ cap. 6. §. 3. num. 2. Aſcanius Tamburinus de Jure Abbat. Tom. 2. diſp. 5. quæſ. 6. num. 4. Card. Petra Tom. 2. ad Conſtitut. 8. Honor. III. num. 47., ac alii multi allegati a Paſqualigo qu. 484. num. 4. advertunt. Nam Gregorius P. non ita indulgentiæ ſuæ largitatem Societati Jeſu affixit, ut excluſerit ab illius participatione eos, quos Apoſtolica Sedes capaces communicationis Privilegiorum reddidit. Hinc omnes Regulares, atque etiam Noſtra Congregatio Lateranenſis, ex Apoſtolicæ Sedis conceſſione de Societatis ejuſdem Privilegiis participantes, hoc præcipue privilegio in domibus propriæ Reſidentiæ utuntur, quo facilius, & tutius privata Oratoria Sacrificio apta erigant.

IV. Attamen qui tali privilegio frui deſiderant, prius debent erecti Oratorii approbationem immediate a Provinciali accipere, cui juxta Gregorii verba ejuſdem approbatio, ac deputatio ad divinum tantum cultum competit; quoniam periniquum foret Pontificis gratia uti, nullatenus ſervata conditione, quam ad legitimum uſum neceſſariam popoſcit. Provincialibus itaque, aut illis, qui inter reliquos Regulares participantes de prædicto Privilegio Provincialis munera, ac officium gerunt, ſive Viſitatores, ſive alio Titulo nuncupentur; reſervata eſt approbatio Oratoriorum, non vero cæteris Præpoſitis gradus inferioris permiſſa. Imo ita eſt approbatio reſtricta ad Superiorem totius Provinciæ, ut aliis delegari nequeat, quam *per ſe* a Pro-

vinciali faciendam decrevit Gregorius XIII. eo, quantum videtur, prudenti conſilio, quia qui in Provincia aliis præeſt omnibus, & Viſitationis Officium exercet, etiam præſumitur diligentius curaturus, ne Oratoria ad Sacrificium approbanda debitis requiſitis careant. Hinc quod Diana, & Quarti tradiderunt, ſufficere nempe approbationem Rectoris, ſive Præpoſiti Domus ex *commiſſione præſumpta Provincialis*, nequaquam probabile apparet. Aptiſſime vero Lugo in Reſp. Moral. Lib.1. diſp.14. Paſqualigus quæſ.485. num.6., & Croix Lib.6. par.2. num.276. obſervant poſſe etiam abſentem Provincialem approbare eadem Oratoria; quia licet abſens, certo ſcire poteſt requiſita adeſſe, ob quæ approbationem differre non oporteat. Non inficior autem meram approbationem Rectoris Generalis ſufficere; cum omnia, quæ in unaquaque Provincia Viſitator, ſeu Provincialis ex proprio munere poteſt, eadem in univerſa Societate, ſeu CongregationeGeneralis peragere valeat; atque ideo Gregorius P. ſolius Provincialis meminiſſe intelligitur, ut gratiam amplificaret protenſa facultate approbationis ad Provincialem, quem Regulares facilius adire poſſunt.

V. Ubi probata fuerint Oratoria in domibus Regularium, ſive per Superiorem Provinciæ quo ad Privilegiatos, ſive per Ordinarium Loci quo ad reliquos, non debent amplius in prophanos uſus converti, utpote ad divinum tantum cultum deputata; niſi aliter, qui approbaverat, faciendum eſſe judicaverit; cum ejus arbitrio reſervetur deſtructio Oratorii, ſeu Eccleſiæ, ad cujus poteſtatem eorumdem erectio in unicum Dei cultum pertinet. Quouſque ergo vel Provincialis, vel Epiſcopus non permiſerit legitima cauſſa urgente Locum Oratorio deputatum in uſus prophanos convertere, nulli privato, aut inferioris gradus Regulari id tentare licebit. Etenim etiam his Oratoriis applicanda exiſtimo, quæ univerſim *de Religioſis Domibus* juſſit Urbanus II., quod iſtæ nempe domus *non debent mundanis uſibus deputari*; ſicut alias diximus.

VI. In privatis Regularium approbatis Oratoriis libere a quocumque etiam extraneo Sacerdote Miſſæ celebrari poſſunt, quia cum Locus idoneus Sacrificio evaſerit; etiam pro omnibus Sacerdotibus ex ſui ratione idoneus perſeverat. Hæc quippe reſtrictio, aliæque plures ſolum in Oratoriis privatæ domus adjunguntur, quæ minore beneficii largitate a RR. Pontificibus proſequi conſueverunt. Nullam pariter Dierum Feſtorum exceptionem patiuntur eadem Regularium Oratoria; ac quemcumque numerum Miſſarum pro ſingulis diebus admittunt; quoniam limitationes hujuſmodi nullibi reperiuntur pro illis Oratoriis ſtabilitæ, ſicut nec pro privatis Epiſcoporum Oratoriis præfixæ fuerunt, aut pro cæteris Locis Piis apponi ſolent. Denique ab omnibus Adſtantibus Sacrificio peracto in privatis Regularium Oratoriis præceptum Miſſæ audiendæ impletur; quia cum nulla Perſonarum reſtrictio ſtatuitur, & alias Locus idoneus Miſſarum celebrationi evaſit, nihil deeſt ad ejuſdem præcepti executionem; ad quam tantummodo requiritur, ut Miſſa Diebus Feſtivis eo Loco audiatur, quem legitima auctoritas idoneum reddidit Miſſis faciendis abſque ulla Adſtantium limitatione; ut ſuperius de Epiſcopalibus Oratoriis expendebamus. Hæc omnia praxi, & conſenſu ferme communi Scriptorum firmata uberius recenti Conſtitutione Clementis P. XII. infra confirmabimus. Interim vero fateor me ignorare, qua ratione opus eſſe dixerit Paſſerinus Tom. 3. de Statu. Hom. quæſ. 189. art. 10. num. 982. inſpicere privilegia Regularium, utrum expreſſe permittant extraneis Sacerdotibus ſacrificare in illorum privatis Oratoriis? Quorſum enim oportebat vel de Adſtantibus, vel de Sacerdotibus Sacrificantibus ſpecialem

men-

mentionem fieri in illis privilegiis, quæ poſt Concilium Tridentinum eo fine tantum aliquibus Regularibus conceſſa fuerunt, ut ſine ulla Ordinariorum licentia privata Oratoria in ipſorum Domibus erigere, & ad divina Myſteria celebranda approbare licite poſſent? Si Religioſæ Domus comprehenderentur in Decreto Tridentini Concilii Seſſ.22., tunc profecto inſpici deberet privilegium Apoſtolicæ Sedis, an in eo facultas celebrandi in Oratoriis privatis ſolum ad Sacerdotes Regulares, & ad Domeſticos Monaſteriorum reſtringeretur; aut etiam ad omnes Sacerdotes, ac Adſtantes extenderetur? Ita plane obſervatur in privilegiis, quæ pro Oratoriis privatæ domus a R.Pontifice conceduntur. At vero Religioſæ Domus per ſe ſunt aptæ habendi Oratorium, ſi ab eo, ad quem pertinet, approbentur; ac proinde, ubi approbata fuerint, non egent ſpeciali facultate, per quam omnes Sacerdotes in illis licite ad celebrandum admitti valeant; atque omnes Adſtantes præceptoEccleſiaſtico Miſſæ audiendæ ſatisfaciant. Unde licet in privilegiis prædictis hæ facultates non exprimerentur, ſua ſponte conſequuntur ex eo, quod Oratoria in Locis Piis erecta ſint.

VII. Aliud ſingulare mihi videtur conſiderandum in Gregoriano Privilegio, quod perperam inquiritur in aliis privilegiis, quæ ab Apoſtolica Sede pro Laicorum Oratoriis concedi ſolent: Videlicet permitti in Oratoriis approbatis a Provinciali non ſolum Miſſas, ſed *alia Divina Officia*. Ex hac ampla conceſſione conſequitur nonnullas ſolemnitates, ſacraſque functiones in illis celebrari poſſe, quæ in cæteris Laicalibus nequaquam peragi conceduntur. Puto autem eſſe diſtinctionem faciendam inter privata Oratoria Religioſorum Privilegiatorum, & ipſorum publicas Eccleſias; Quatenus illæ celebritates, quæ ſpecialem præſeferunt Solemnitatem, quæque proprie publicis Eccleſiis conveniunt ob frequentiam multorum Populorum, ad quorum inſtructionem ſpiritualem plurimæ ordinantur EccleſiaſticæCæremoniæ; nullatenus in privatis Oratoriis exerceantur. Hujus generis mihi videntur Miſſa Cantata, ac nonnullæ Benedictiones, quæ proprie inter Miſſarum ſolemnia peraguntur. At ſi quædam Sacræ Functiones nullatenus ſolemnitatis ſplendorem præſeferentes a Privilegiatis Regularibus in privatis ipſorum Oratoriis fierent, non viderem cauſſam, propter quam reprehendi deberent.

VIII. Inter cætera autem, quæ in illis agi poſſunt tuto, eſt communio Adſtantium Sacrificio, quam Cap.28. ab Laicalibus Oratoriis ſine licentia Ordinarii excludemus. Cum enim Regularibus ſæpe ab Romanis Pontificibus conceſſa fuerit libera facultas diſtribuendi Fidelibus ad ipſos accedentibus Sacram Euchariſtiam, excepto die Paſchatis, quin prius Epiſcoporum, aut Parochorum licentiam exquirere cogantur; manifeſte conſequitur nihil contrarium obſtare, ut in propriis Oratoriis eandem tribuere valeant, non tam aliis Viris Religioſis, quam omnibus quibuſcumque Laicis, qui Sacrificio ibi adſtiterint, & cæleſti cibo ſaturari petierint. Etenim Sacræ Euchariſtiæ diſtributio tantam non inducit ſolemnitatem, ut propterea in privato Sacello diſpenſari nequeat, cum aliunde per ſe poſſit illa diſtribui in cujuſcumque Sacrificii oblatione, dummodo aliena juriſdictio non uſurpetur. Nil autem uſurparent Regulares in propriis Oratoriis diſpenſando Adſtantibus Euchariſtiam, quod ab ſuprema RR. Pontificum auctoritate jam ante non eſſet ipſis conceſſum.

IX. An vero in privatis Oratoriis Religioſorum ſervari poſſit Euchariſtia abſque ſpeciali Apoſtolicæ Sedis privilegio, in quæſtionem merito vocatur? Rariſſimas autem cauſas eſſe poſſe exiſtimo, quæ tantam prærogativam impetrare valeant. Enimvero ſive finem conſervationis Euchariſtiæ, ſive reve-

rentiam illi deferendam conſideremus, non jam in parvis, privatiſque Oratoriolis, ſed in publica Eccleſia eandem aſſervari oportere ſuadent, ubi frequentior eſt Fidelium acceſſus tam ad communionem percipiendam, quam ad orationes fundendas. Hinc optima viget conſuetudo, ut ferme tantum in Parochialibus, Collegiatis, ac conſpicuis Eccleſiis Divinum Sacramentum decenter in Tabernaculo cuſtodiatur. Imo neque in Oratoriis publicis Confraternitatum Laicalium conſervari poteſt *ſine ſpeciali indulto Apoſtolicæ Sedis*, & de conſenſu Epiſcopi, ſicut ſæpe Sac. Congregatio Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſita teſte Nicolio in Floſculis V. *Euchariſtia* num 22. declaravit, & recentius Sac. Congregatio Rituum Anno 1703. die 10. Decembris ad dubium 26. Idem pariter in Eccleſiis Oblatarum, & Conſervatoriorum Sac. Congregatio Concilii in Salernitana die 19. Aug. 1702., in Neapolitana die 2. Julii 1707., & alias fieri prohibuit, ut latius Eminentiſſ. Petra Tom. 3. in Conſtit. I. Urbani IV. Sect. un. num. 21. & 22. exponit: Neque pro illis Eccleſiis tam facile ab Apoſtolica Sede Privilegium hujuſmodi obtinetur, niſi ob ſingulares quaſdam urgentes cauſſas annuendum fore Oratricibus RR. Pontifices opportunum judicaverint. Quanto ergo minus in privatis Oratoriis SS. Sacramenti Euchariſtici aſſervandi facultas ſperari debet? Sane cum Leo XI. ampliſſimum privilegium inſigni cuidam Romanæ Familiæ conceſſiſſet, illudque poſtea Anno 1607. die 9. Novem. Paulus V. confirmaſſet; tamen hanc limitationem appoſuerunt, *citra Sacramentorum Eccleſiaſticorum miniſterium, & Sanctiſſ. Euchariſtiæ Sacramenti conſecrationem*, ut legitur in Regeſtis Eminentiſſ. Urbis Vicarii in eo volumine, in quo Brevia Anni 1727. fol. 10. continentur.

X. Graviſſimis itaque tantum ex cauſſis conſervari poterit Euchariſtia in privato Oratorio etiam Regularium, ſi pro iſtis ab Apoſtolica Sede ad id faciendum nulla ſpecialis facultas tradita fuerit: Maxime cum multa privilegia Regularibus conceſſa pro conſervatione Euchariſtiæ, plurimæque declarationes S. Congregationis ad hunc finem editæ præcipue ad ipſorum Eccleſias reſpiciant. Inter cauſſas, quæ videntur ſatis graves pro conſervatione Euchariſtiæ in privato Oratorio, eam arbitror recenſeri, ob quam in quibuſdam Conventibus Minores tum Obſervantiæ, cum Cappuccini aſſervare ſolent S. Euchariſtiam in Oratorio Infirmariæ, quoties ibi non modica eſt Infirmorum Copia; ne ideſt paſſim ab Eccleſia illam deferri oporteat ad eorumdem devotionem, aut ſpiritualem neceſſitatem recreandam, ſublevandamque. Hanc vero prudentiſſimam cautelam cuſtodire ſolent optimi illi Patres, ut ſi contingat ad modicum numerum redigi Infirmos, Seneſque in Valetudinario commorantes, tunc ſimul transferatur ad Eccleſiam Euchariſtia; quoniam tunc nec urget neceſſitas eam in privato Loco retinendi; nec expedit ibi conſervari, ubi jam rarius inveniretur, qui ad idem Sacellum cauſſa adorationis Sacramenti accederet.

XI. Eandem conſuetudinem ſervandi in privato Oratorio Sacramentum Euchariſtiæ præcipue vigere ſcio in quibuſdam PP. Cappuccinorum Hoſpitiis, amplis tamen, aut etiam deputatis ad curam Infirmorum ex vicinis Conventibus illuc valetudinis gratia accedentium. Ut enim juxta declarationes S. Congregationis ſuper negotia Epiſcop. & Regular. apud Nicolium cit. V. *Hoſpitium*, & Pignatellum Tomo 10. Conſult. 84. nequeunt publicam in Hoſpitiis habere Capellam; ita in privato Oratorio perenniter cuſtodire Sanctiſſimum Sacramentum ſatagunt; ne multi Hoſpitantes Fratres, aliique Domeſtici cauſſa communionis ad Eccleſias accedere compellantur; neve deſit commoditas prompte miniſtrandi Viaticum

cum Infirmis. Aſſimilis forte ratio ipſis videtur pro ſuorum Hoſpitiorum privatis Oratoriis, quæ eſt pro Oratoriis aliquorum Cænobitarum. Hæc enim, cum rariſſime exteris aperiuntur, potius privata nuncupare debemus, licet in illis propter neceſſitates habitantium Aſcetarum perenniter conſervetur Divinum Sacramentum. Ad rem hanc pertinet ſupplex Libellus, quem Hoſpitii Lauretani Cappuccini exhibuerunt Epiſcopo Diœceſano inter initia hujus Sæculi, ut videlicet benigne facultatem impetrarent in privato ipſorum Oratorio conſervandi Euchariſtiam, *non ſolum pro Beneficio Religioſorum Infirmorum, qui prius non ſine gravamine id in Hoſpitali recipere debebant; ſed etiam pro devotione bene valentium*. Supplicantium Votis ita annuit Lauretanus Epiſcopus, ut refertur Tom. 2. Bullar. Capuccin. noviſſimæ editionis. *Attentis narratis, & inſpecto per viſitationem perſonalem Loco, in quo eſt ſita dicta Capella, prorſus diſparata ab omni uſu ſupradicti Hoſpitii*; (Privata tamen penitus eſt, nec januam publicæ viæ adhærentem habens.) *nec non viſa ejuſdem decentia, & ornatu, ac etiam eleganti Tabernaculo cum pyxide argentea, & cuppa inaurata ibidem aſſervanda, & viſis omnibus videndis, mandavit ſine præjudicio Jurium Parochialium ad formam Sac. Concilii Tridentini poſſe detineri per ſupradictos Oratores in dicta Capella intus Tabernaculum in pyxide cooperta cum ſuo Conopæo ſerico albi coloris Vener. Sacramentum Euchariſtiæ humiliter adorandum a dictis Patribus, & ab omnibus ibidem confluentibus; dummodo tamen dictum Vener. Sacramentum non poſſit publice exponi in dicta Capella; ſed tantum Patribus tam Sacerdotibus, quam Laicis dicti Hoſpitii aſportari cum debita reverentia in eorum Cellas infirmitatis cauſſa, vel impotentiæ ob impedimentum gradiendi. Et pro decenti detentione dicti Sacramenti mandavit Patribus ſupradictis quotidie tam de die, quam de nocte detinere Lampadem accenſam ante Tabernaculum prædictum ſub pœna in caſu inobedientiæ ammittendi detentionem ſupradictam Venerabilis Sacramenti &c. Datum Laureti hac Die 4. Octobris 1701. L. Epiſcopus Lauretanus, & Reccanaten.* In aliis Hoſpitiis ſimili modo Euchariſticum Sacramentum, ac in privatis Oratoriis cuſtodiunt Minoritæ. Cautiſſime autem vetita mihi videtur ab Epiſcopo Lauretano publica expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti in illo privato Hoſpitio, cum hæc ſit Solemnitas reſervanda publicis Eccleſiis, ad quas omnes libere convolare poſſunt. Hujuſmodi expoſitio *publica* in privatis Oratoriis vix unquam conceditur: Unde cum devotæ Puellæ Conſervatorii Pauperum Mendicantium in Urbe ſpeciali ſub invocatione Sanctiſſimi Sacramenti erecti ardenter deſiderarent in Octava Corporis Chriſti in ipſarum Oratorio Sacram Hoſtiam exponi, tantum per triduum ipſis ſingulari ex gratia fuit conceſſum, ut a Parocho Sacramentum in eodem Oratorio exponeretur.

XII. Ex his, quæ nuper diximus, in Regularium Hoſpitiis poſſe erigi privata Oratoria pro Miſſarum celebratione conſequitur; quoniam etiam ipſa habitationi Religioſorum ſunt deſtinata, ac veluti parva Monaſteria, ſeu Conventus habentur; quamvis ibi nec Regularis Diſciplinæ exercitia integre peragi, nec Divinorum Officiorum Solemnia celebrari poſſint. Ut autem Hoſpitia gaudeant eodem privilegio Oratorii privati, quo Monaſteria, Conventus, cæteræque ſimiles Ædes Religioſæ fruuntur, neceſſe eſt, ut proprie Hoſpitii Regularis rationem obtineant; ſintque proinde domus perenni Habitationi Religioſorum deputatæ; atque ſi non ſemper, ſaltem per aliquam non modicam Anni partem ab aliquibus Viris Religioſis, quorum ſunt Hoſpitia, inhabitari ſoleant. Domus igitur illæ, in quibus aliquando,

do, aut etiam diu commorantur Regulares aliqui, nec tamen per ſe habitationi eorumdem addictæ, ſicut improprie Hoſpitia ſunt, ita nequaquam licet ad illas, quæ proprie domus privatæ ſunt, transferre Privilegia, quæ Religioſis Domibus conceſſa fuerunt; atque ad privatum Oratorium in illis erigendum pro Miſſarum celebratione Apoſtolicæ Sedis ſingulare privilegium impetrare oportet. Hoc modo ſe geſſerunt Monachi Hieronymiani, pro quibus has Litteras ad Card. Urbis Vicarium dedit Innocentius X., quæ in Regeſtis Anni 1649. fol. 29. in Archivvo Eminentiſſ. ejuſdem Vicarii extant, & ita ſe habent.

Dilecte Fili Noſter ſalutem &c. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Prior, & Monachi Monaſterii S. Alexii in Monte Aventino de Urbe Congr. Eremitarum S. Hieronymi; quod cum ipſi ad evitandam Cœli intemperiem, cui dictum Monaſterium tempore æſtivo eſt obnoxium, domum, ſeu Hoſpitium in alio ſalubriori loco in eadem Urbe emerint, cupiunt in domo, ſeu Hoſpitio hujuſmodi ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſeu celebrari facere poſſe, propterea nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi deſuper opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſpirituali Dictorum Prioris, & Monachorum conſolationi, quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes &c. Circumſpectioni Tuæ per præſentes committimus, ut iiſdem Priori, & Monachis in S. Presbyteratus Ordine conſtitutis, quod in privato Domus, ſeu Hoſpitii hujuſmodi Oratorio ad hoc decenter exſtructo &c. per te prius viſitando, & approbando, ac de tua licentia arbitrio tuo duratura ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium pro tempore, quo in Domo, ſeu Hoſpitio hujuſmodi habitabunt, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit, ſine tamen quorumcunque Jurium Parochialium præjudicio in aliorum ejuſdem Congregationis Monachorum in Domo, ſeu Hoſpitio hujuſmodi commorantium præſentia celebrare libere, & licite poſſint, & valeant, licentiam Apoſtolica Auctoritate arbitrio tuo concedas. Non obſtantibus &c. Volumus autem, quod alii præter ſupradictos ibidem Miſſæ intereſſentes ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia Diebus Feſtis minime liberi cenſeantur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 13. Auguſti 1648.

XIII. Similem facultatem in iiſdem Regeſtis Anni 1692. fol. 126. reperi, quam Innocentius XII. die 10. Maii Anni illius conceſſit Monachis S. Mauri in Urbe degentibus, ſub iiſdem tamen reſtrictionibus, & ſine præjudicio Jurium Parochialium, atque cum exceptione Solemniorum Dierum Feſtorum, *non tamen quo ad Monachos Infirmos in Hoſpitio, ſeu Domo* eorumdem habitationis in Urbe pro tempore degentium. Aliud nuper a Clemente XII. privilegium conceſſum fuit Die 14. Aug. 1737. Fratribus Ordinis Sanctiſſ. Trinitatis Redemptionis Captivorum, ut in privato Oratorio Hoſpitii, ſeu Domus ipſorum in Urbe per Card. Vicarium prius viſitando, & approbando poſſent ipſi in Sacro Presbyteratus Ordine conſtituti celebrare Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium ſine ullo Jurium Parochialium præjudicio, dummodo tamen non plures, quam *tres Miſſas ibidem Diebus ſingulis celebrarentur; nec Muliebris Sexus perſona illis unquam intereſſe poſſet.*

XIV. His omnibus lubet addere aliud nonnihil vetuſtius monumentum, quo ſimul roborantur ſuperius dicta cap. 14. videlicet a Paulo V. caſſata fuiſſe etiam ab Apoſt. Sede ante Annum 1615. conceſſa privilegia Miſſarum in Domibus privatis celebrandarum. Illud depromo ex Tom. 38. *Poſition.* fol. 48., in quo ſequens Libellus Sac. Congregationi Concilii exhibitus Anno 1616. continetur.

Illu-

Illuſtriſs. & Rmi Domini.

Monaſterium S. Joannis de Pinna Ord. S. Benedicti nullius Diœc. Provinciæ Cæſaraugustanæ Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectum ſitum eſt prope Montes Pyrineos, ac in loco tam aſpero ut ſol ibi per ſex menſes integros non luceat, & ob id, ac ipſius loci aeris intemperiem Monachi dicti Monaſterii ſæpius ægrotant, ut inde ad quamdam Domum ab eodem Monaſterio dependentem in Civitate Jacenſi ſitam pro recuperanda ſanitate confugere cogantur, & quia infirmi in dicta Domo exiſtentes ad Eccleſias dictæ Civitatis pro Sacrificio Miſsæ audiendo ſe commode conferre nequeunt, cupientes Prior, & Monachi prædicti Monaſterii in quadam Capella ad id in eadem Domo decenter ornata pro dictorum Infirmorum, & aliorum, qui ibi pro tempore fuerint ſpeciali conſolatione Miſsam celebrari facere, a SS. D. N. obtinuerunt Litteras ſub Dat. Romæ 15. Kal. Jun. An. 1614. præcipiendo Officiali Jacenſi Judici ad hoc ſpecialiter deputato, ut poſtquam dicta Capella ab eo viſitata, & approbata fuerit, auctoritate Apoſtolica arbitrio ſuo licentiam, & facultatem concedat, ut tam ipſi, & pro tempore exiſtentes Prior, & Monachi dicti Monaſteri perpetuis futuris temporibus in dicta Cappella quibuſvis Dominicis, & Feſtivis, aliiſque ſibi bene viſis Diebus tam per ejuſdem Monaſterii, & dicti, ac cujuſvis alterius Presbyteros, prout ipſis modernis, & pro tempore exiſtentibus Priori, & Monachis dicti Monaſterii placuerit Miſſam celebrari facere poſſint; ipſique infirmi, & alii in ipſa Domo exiſtentes illam abſque conſcientiæ ſcrupulo, & cenſurarum, & pœnarum incurſu audire, & per illarum auditionem præcepto Eccleſiæ ſatisfacere, & prævia Sacramentali Confeſſione Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ibi recipere libere, & licite poſſint, & valeant non obſtantibus Apoſtolicis, ac Provincialibus, Univerſalibuſque Conciliis editis, & edendis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Poſtquam Litterarum conceſſionem ad notitiam dictorum Prioris, & Monachorum dicti Monaſterii pervenit ſimiles gratias, & licentias a Sede Apoſtolica conceſſas ſuſpenſas eſſe. Supplicant igitur humiliter præfati Prior, & Monachi dicti Monaſterii per Sac. Congregationem S. Conc. Trident. in præmiſſis opportune providere effectum ſuſpenſionis hujuſmodi amovendo; vel eiſdem Priori, & Monachis dicti Monaſteri de novo licentiam, & facultatem concedendo in dicta Capella Miſſam celebrandi, ſeu celebrari faciendi; & alia, quæ in dictis Litteris Apoſtolicis plenius continentur, concedendo, non obſtante hujuſmodi ſuſpenſione, aliiſque contrariis quibuſcumque; & orabunt pro ſalute, & felici ſtatu Illuſtriſs. & RR. Domin., quos Omnipotens ſervet incolumes. His precibus permota S. Congregatio Concilii Die 14. Novem. 1616. *cenſuit* petitam *facultatem eſſe Oratoribus concedendam*; *Ideoque agendum cum Sanctiſſimo D. N.*, ſicut ad calcem Libelli adnotatur.

XV. Pergo ad Grancias Regularium, de quibus quæritur, an in ipſis privatum aliquod Oratorium extruere liceat? Egregie autem Fagnanus Lib. 3. Decr. Tit. *de Cenſibus* Cap. *Auctoritate* Diſceptat. de Grang., & earum Orator. duas Granciarum ad Monaſteria pertinentium ſpecies diſtinguit, quas etiam nos ipſi diſtinguendas fore cap. 8. num. 28. indicavimus. Aliæ videlicet proprie tales dicuntur, quæ ſunt Domus Rurales, ac Monaſteriorum Prædia, in quibus tantum aliquis Converſus, vel etiam Sacerdos Regularis ad Œconomicam Rem vigilantes commorantur. Aliæ improprie Granciæ appellantur, quæ melius parva Monaſteria, ſeu Conventus dicerentur. In his ſemper aliqui Sacerdotes reſident, Granciarumque Appellationem ſervant, quia tamquam membra alterius Mona-

naſterii conſiderantur. Talia Monaſteriola in Oppidis, Villiſque erecta, & ab aliis Majoribus dependentia *Grancias* nuncupavit Innocentius X. P. Conſtit. edita Idibus Octob. Anni 1652., licet bene iſtas improprie nuncupatas Grancias diſcerneret ab aliis, de quibus in Jure Canonico cap. ult. Tit. *de Cenſibus*, & Cap. *Patentibus*: Tit. *de Privil*. fit mentio. Si de Granciis ſecundæ claſſis loquamur, nemo dubitat, quin privata habere poſſint Oratoria vel ex Epiſcoporum conceſſione, vel ex mera approbatione Superioris totius Provinciæ, pro ut Congregatio illa, ad quam pertinent, de Gregorii XIII. privilegio participaverit, vel non participaverit. Sunt quippe hujuſmodi Granciæ propriiſſime Monaſteria, Domuſque Religioſorum, in quibus ſemper Regulares reſident, licet ob paupertatem, aut locorum anguſtias numerus eorundem tam parvus ſit, ut ad conſueta Congregationis exercita explenda non ſufficiat.

XVI. Locus igitur quæſtioni nullus alius patet, quam circa Grancias proprie dictas, quæ, ut obſervant Paſſarinus Tom. 3. de Statu Hom. quæſ. 189. ar. 10. num. 974., aliique multi, optime confundi poſſunt cum aliis Domibus Ruralibus Religioſorum, ad quas ipſi cauſſa recreationis, & valetudinis certa Anni tempeſtate accedere ſolent. Communiter autem uno, alterove excepto reſpondent affirmative etiam noſtræ ætatis Scriptores; eorumque ſententiam tantum obtinuiſſe cognoſcitur, ut propemodum generalis inter Regulares conſuetudo erigendi in ipſorum prædictis Domibus Oratoria ad Sacrificium celebrandum vigeat, quin Epiſcopi repugnent. Videat Lector Scriptorum nomina apud Paſqualigum qu. 488. & 491. ac Paſſarinum cit., iiſque addat Fagnanum loc. cit. num. 2. & 25., Moſtazum Lib. 5. de Cauſſis Piis cap. 11. num. 34. Rotarium Tom. 3. Theol. Regul. Lib. 1. cap. 2. &c. Tantis roboratam Scriptoribus ſententiam ſi deſpuerem, rebellionis notam incurrere formidarem. Fateor tamen immerito hanc poteſtatem tribui vigore nonnullorum Privilegiorum, quæ ante Concilium Tridentinum a RR. Pontificibus conceſſa fuerunt Regularium Ordinibus, ut *cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita* in ipſorum Granciis, & Locis, in quibus non ſunt Capellæ, eaſdem liberrime erigere poſſent. Enimvero nulla hujus generis privilegia ſubſiſtere Concilium Tridentinum paſſum eſt; & licet Domos Religioſas non ſubdiderit Legibus prohibentibus privata Oratoria, hæc tamen omnia prius ab Ordinariis Locorum deſignari, ac approbari juſſit.

XVII. Confugere ergo neceſſe eſt ad Privilegium Gregorianum Societati Jeſu conceſſum, & ab aliis multis Regularibus participatum vigore Privilegii *Communicationis*, ſi firmo, tutoqe fundamento in ea tuenda ſententia adhærere cupimus. Propter illam generalem locutionem, quam in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Decet R. Pontificem*, uſurpavit Gregorius, *ubi aliqui Societatis reſidebunt*, præcipua ſtabiliendæ facultati Regularium pro erectione Oratoriorum intra ipſorum Grancias eruitur. Equidem tam late extenduntur hæc verba, ut nulla vi ipſis facta complectantur Loca omnia, quæ reſidentiæ, aliquorum Religioſorum ſint deputata, licet nec per totum Annum, imo neque per majorem Anni partem, ibi reſidere ſoleant. Huic interpretationi occaſionem præbuit Gregorius ipſe, dum uberioribus Privilegiis inſignem Societatem Jeſu ditans non *Collegia* tantum, ſed *Domus*, & *alia Loca* illius eadem apoſtolica gratia exornavit. Nihil enim facilius intelligitur, & nihil congruentius in hac tanta amplitudine favoris videtur, quam ſimul reſpexiſſe Pontificem ad Hoſpitia, & ad reliquas alias Domos Societatis ejuſdem, in quibus, ut notum erat, non ſemper reſidere, ſed ſolum ad aliquod Anni tem-

tempus commorari conſueverunt. Imo ſi ad ſcopum Privilegii attendamus, non obſcure deprehenditur etiam ad domos Recreationis extendi; cum multo magis ſit neceſſarium Oratorium domeſticum ad rem Divinam faciendam in illis, quæ ſolent publico carere Oratorio, nec raro ab Eccleſiis publicis diſtant; & aliunde pro aliquo Anni tempore ibi aliquorum Religioſorum reſidentia veriſſime habetur.

XVIII. Confirmo hæc omnia recentiſſima Conſtitutione Clementis XII. P. die 9. Auguſti Anni 1737. edita Tomo 14. Bullarii Recentior. Editionis R.Maynardi pag.190. Expoſuerunt Clementiſſimo Pontifici Monachi Ordinis Carthuſienſis ab Urbano V. ipſis olim Anno 1363. VII.Kal.Maii conceſſam facultatem in ſuis Domibus, ac *Grangiis* utendi Altari Portatili, atque inibi Miſſas celebrandi, & a Bonifacio IX. Conſtitut. quæ incipit *Sacroſancta Romana*, datam fuiſſe iiſdem exemptionem a quacumque Ordinariorum licentia. Inſuper addiderunt, quod ad exemplum iſtarum conceſſionum, quibus tum commoda in Granciis, & domibus propriis evadebat Sacrificii oblatio, tum libera ab aliena ſubjectione, Patres Societatis Jeſu a Gregorio XIII. Privilegia jam expoſita obtinuerant. Prӕterea iidem Monachi expoſuerunt Clementi, quod jam facta limitatione a Concilio Tridentino, ipſi impetraverunt a Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die 22. Septembris 1622. *Ut deinceps in Capellis, ſeu Oratoriis exiſtentibus in domibus, ac membris, ſeu Granciis Monaſteriorum Carthuſianorum, poſtea tamen quam Locorum Ordinarii ejuſmodi Capellas ſemel viſitaverint, ac fabrica, atque ornatu, ſacraque ſuppellectili compererint pro dignitate nitere, ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium tam per Regulares, ſive ejuſdem, ſive alterius Religionis, quam Seculares Presbyteros tuto celebrari valeat; Miſſamque inibi audientes Diebus Feſtivis præcepto Eccleſiæ hac de re edito ſatisfacere intelligantur, abſque tamen ullo Jurium Parochialium Eccleſiarum præjudicio*. Hoc Decretum vidi in Regeſtis Congreg. Lib.12. Decret. fol.109. a tergo, ubi tamen præmittuntur hæc verba: *Sanctiſſ. Dom. Noſter Gregorius XV. ex Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Triden. Interpretum ſententia benigne indulſit, ut deinceps in Capellis &c.* Reliqua ſequuntur ut ſupra. Ita advertere opportunum duxi, ne videretur Sacra Congregatio ex propria auctoritate novum indulſiſſe Privilegium.

XIX. Cum illa narraſſent Monachi, addiderunt ſe poſtea impetraſſe a Gregorio XV. Conſtit. 42. quæ incipit: *Ad uberes*: communicationem, & extenſionem privilegiorum conceſſorum omnibus Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium; *vigore cujus communicationis*,) ita ſubjungebant Monachi, ut in Conſtitutione Clementis XII. refertur:) *& extenſionis privilegiorum præfatus Ordo Carthuſienſis ſemper potitus, & fruitus eſt eodem privilegio, quo potiuntur, ac fruuntur præfati Clerici Regulares Societatis Jeſu, quam cæteri Regulares, nimirum erigendi in ſuis Granciis Oratoria ſine Ordinariorum Locorum licentia, ac viſitatione, ſed ſola dumtaxat approbatione a ſuis Viſitatoribus, qui in dicto Ordine Provincialium vices gerunt, facta*. Dubium porro ortum fuerat Anno 1735. *An liceret Monachis Carthuſianis retinere Oratorium ad celebrandum, ſeu celebrari faciendum Miſſæ Sacrificium in Grancia Turricis nuncupata, quæ eſt pars, & membrum Carthuſiæ Triſultinæ in Diœceſi Verulana* exiſtens, *in hypotheſi* (ut habetur in Regeſtis Decretorum S. Congreg. illius Anni) *de Grancia, ubi unus tantum Religioſus Laicus reſidere ſolet*. Hoc dubium fuit propoſitum Sac.Congregationi Concilii, & die 30. Julii ejuſdem Anni 1735. reſpondit: *affirmative prævia tamen viſitatione Epiſcopi ad formam Indulti Gregorii XV.*, quod ſuperius indicavimus.

Valde ſunt conturbati hac reſponſione Monachi Carthuſienſes, per quam ſubjiciebantur viſitationi Ordinariorum, & conſiderantes *eſſe valde æquum*, (ſunt verba Conſtitut. Clementis XII.) *ut quemadmodum prædicti Clerici Regulares Societatis Jeſu, aliæque Religiones privilegium erigendi Oratoria ad exemplum privilegiorum præfato Ordini Carthuſienſi conceſſorum obtinuerunt, & re ipſa retinent in ſuis Granciis Oratoria, & Capellas minime ſubjectas Viſitationi Ordinariorum Locorum, ut ex atteſtationibus Superiorum earundem Religionum conſtare aſſeritur, ita Ordinem Carthuſienſem præter memoratam communicationem, & extenſionem prædictarum Religionum ſibi impertitam a Gregorio XV. poſt annum ab edito Decreto ejuſdem Congregationis Concilii iiſdem privilegiis potiri, & frui poſſe*: Propterea preces coram Clemente XII. fuderunt, *ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra de benignitate apoſtolica* dignaretur.

XX. Hæc omnia a Carthuſianorum Ordine Clementi XII. propoſita ita ipſius animum commoverunt, ut cum eadem in ſua Conſtitutione inſeruiſſet: *Toti Carthuſianorum Ordini* Auctoritate Apoſtolica indulſit, *ut non ſolum erigi poſſint, & valeant Oratoria, Capellæ, & Altaria in Granciis, & Domibus Religioſis, in quibus reſidebunt ejuſdem Ordinis Sacerdotes, atque in illis celebrare valeant Miſſæ Sacrificia, juxta præinſertum Decretum præfatæ Congregationis Concilii die 24. Septembris 1622. editum, & a Gregorio comprobatum... Sed etiam illud ampliando, & extendendo, quo ad hujuſmodi effectum ſatis ſit, & ſufficiat, quod dicta Oratoria, Capellæ, & Altaria viſitata fuerint, & approbata a Patribus Viſitatoribus ejuſdem Ordinis*.

XXI. Recitavimus ſeriem Conſtitutionis; nunc perpendamus, quam plene præcedentes noſtræ obſervationes huic concinant, atque ab eadem roborentur: Unde ſicut Clemens XII. nihil reprehendendum duxit ex iis, quæ a Carthuſianis fuerunt expoſita; ita nec aſſerta noſtra plane illis conformia tamquam falſa caſtigari non debere ſperamus. Certe quæ propoſuerunt Carthuſiani, I. demonſtrant ex Conſtitutione Gregorii XIII. edita favore Patrum Societatis J. fluere facultatem erigendi privata Oratoria in Granciis Monaſteriorum. II. declarant Privilegium iſtud ab aliis Regularibus habentibus communicationem, & extenſionem Privilegiorum conceſſorum Ordinibus Mendicantibus, inter quos computatur Societas Jeſu, participari cum omni ſua extenſione. Hinc Superiores plurimorum Ordinum publicis teſtimoniis ſe Privilegio Gregoriano in ipſorum Granciis conſtanter uti proteſtabantur. III. Apparet ob eum finem ad Sac. Congregationem confugiſſe Monachos Carthuſianos Anno 1622., quia ſimili Privilegio erigendi in ipſorum Granciis Oratoria carebant. Ex eo autem, quod Sac. Congregatio in concedendo Oratorio Granciarum eguerit Gregorii XV. P. auctoritate, colligitur IV. neceſſariam eſſe ſpecialem Apoſtolicæ Sedis conceſſionem, ut eadem erigi poſſint a Regularibus non privilegiatis, quibus nulla ratione Privilegia ante Concilium Tridentinum impetrata ſuffragantur. V. Diſcimus ideo in Decreto Anni 1622. exigitam fuiſſe præviam Ordinarii viſitationem; quia conceſſio Carthuſianis facta nullatenus Privilegio Gregorii XIII. nitebatur. Unde cum nova illis præberetur facultas, ex arbitrio Concedentis certa conditio ſubjectionis ad Ordinarium addi potuit, quam in ſuo Privilegio aperte expungere Gregorius XIII. voluit. VI. Clare intelligimus paulo poſt Carthuſienſes poſtulaſſe, & impetraſſe a Gregorio XV. communicationem Privilegiorum Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus conceſſorum, ut inde gauderent de participatione Privilegii Gregorii XIII., & a viſitatione Ordinariorum Oratoria in ipſorum Granciis

ciis

ciis erecta eximerent. VII. Advertimus retento rigore Gregoriani Privilegii ab eis Oratoriorum approbationem eſſe faciendam, qui Provincialium vices gerunt, quamvis non Provinciales, ſed Viſitatores, aut ſimili nomine pro diverſa Regularium conſuetudine nuncupentur. VIII. Aperte conſtat hæc prolata fuiſſe de Granciis proprie talibus, quæ ſunt *membra* Monaſteriorum, non vero parva Monaſteria.

XXII. Advertere tamen opus eſt ex Clementis XII. Conſtitutione, quod in illis Religioſis Domibus, ac Granciis reſidere debent aliqui *Sacerdotes Ordinis*, (ſaltem unus in unaquaque domo:) qui valeant participare de Privilegio privati Oratorii; itaut huic approbando ad Miſſarum actionem non ſufficeret, ſi tantum unus, alterve Ordinis Converſus reſidere conſueſcat. Hoc modo exponenda mihi videntur verba Privilegii Gregorii XIII. Nam licet nihil exprimant de qualitate Religioſi Reſidentis, inſpecto fine conceſſionis eadem limitanda, & determinanda fore ad reſidentiam Religioſi *Sacerdotis* exiſtimo. Recens hæc Conſtitutio Clementis novum, & ſingulare fundamentum tribuit erigendi in Granciis Oratoria ad Miſſarum Celebrationem illis Regularibus, qui tam amplam communicationem Privilegiorum cum Carthuſianis, ac omnibus Ordinibus non Mendicantibus impetraverunt, ut de conceſſis, ac *concedendis* Privilegiis eorumdem participent. Non ſunt tam raræ hujuſcemodi communicationis Gratiæ, quam Noſtræ Congregationi etiam convenire dubito.

XXIII. Debeo porro hic obſervare reſponſionem a Sac. Congregatione factam Anno 1735. fuiſſe egregiam, & interrogationi Carthuſianorum apprime quadrantem. Nam cum dubium hujus generis proponebatur abſque ulla mentione expreſſæ communicationis Privilegiorum Societatis Jeſu; ad aliud ampliſſimi Cardinales attendere, quam ad conceſſionem Carthuſienſibus datam in Decreto per *Indultum* Gregorii XV. approbato non debebant. Unde ſi ſingula, quæ Clementi expoſita fuerunt, ſimul fuiſſent Sac. Congregationi propoſita, aliter reſolutum fuiſſe dubium non ambigo. Certe hanc communicationem tanti fecit Clemens XII.; ut non ſolum non reprehenderit illos Regulares, qui atteſtabantur libere in Granciis propriis Oratoria erigere ſine ulla viſitatione Ordinariorum propter Privilegium Gregorii XIII.: Verum potius ex eo ſe motum præſenſit, ut liberam hanc facultatem Carthuſienſibus indulgeret, confirmaretque.

XXIV. Ingenue autem dicam alteram reſponſionem Sac. Congregationis Concilii Anni 1687. die 1. Martii me abſterruiſſe primum; ſed re diligenter perpenſa, & conſiderata interrogatione, cui data fuit reſponſio, æquitas reſponſionis apparuit, & nullatenus reprobata ſententia, quam etiam poſtea ſine dubitatione plurimi tuiti ſunt, ac tuentur, noſque cum illis defendimus. Reſponſum recitat Eminentiſſ. Petra Tom. 2. Commen. ad Conſtit. 8. Honorii III. pag. 494. Ed. R., quod nos recitamus, prout refertur in regeſtis Sac. Congregationis Lib. 37. Decretor. fol. 107., quæ conſuluimus. *In quadam Domo Rurali ſita in Loco, in quo plures degunt habitatores, & adeſt etiam Eccleſia Parochialis, commoratur unus Sacerdos Regularis, qui præeſt adminiſtrationi, & culturæ bonorum Conventus in dicto Loco exiſtentium. Cum autem dictus Regularis, licet reluctante Ordinario Loci, prætendat in dicta domo Miſſam celebrare fretus opinione nonnullorum Auctorum præſertim Regularium firmantium a Sacro Concilio Tridentino numquam derogatum fuiſſe privilegiis conceſſis Regularibus habendi Oratoria in Granciis Conventuum recreationi, vel bonorum adminiſtrationi deſtinatis, dubitari contingit: an dictus Sacerdos Regularis abſque peculiari Sedis Apoſtolicæ Indulto poſſit in dicta domo cele-*

lebrare. Die 1. Martii 1687. S. Cong. reſpondit: *Negative*. Evaneſcit profecto omnis ambiguitas, ubi hæc omnia perpendantur. Neque enim aliud ab Eminentiſſ. Interpretibus interrogatione quærebatur; quam utrum Privilegia ante Concilium Regularibus conceſſa adhuc integra permanerent, ut propter illorum efficaciam in Granciis prædictis *Recreationi*, *& bonorum adminiſtrationi* deſtinatis privata Oratoria ad ſacrificium celebrandum erigi poſſent, quin novum Apoſtolicæ Sedis Privilegium requireretur. At vero Nos quoque libenter profitemur, quod niſi ſuffragaretur Gregorii XIII. Privilegium, nullatenus in Granciis Regularium Miſſas permittere liceret. Negamus etiam pro privatis illarum Oratoriis ſuffragari poſſe epiſcopalem licentiam; ſed Pontificiam Indulgentiam neceſſariam eſſe affirmamus. Fatemur itaque Domos illas Rurales Regularium non eſſe inter Domos Religioſas proprie tales reputandas; ac propterea quo ad illas in Concilio Tridentino priſtinas Regularium conceſſiones ſublatas fuiſſe nos etiam agnoſcimus. Una ſimul tamen advertimus, quod eædem Domus, utpote deſtinatæ ad Religioſorum recreationem, & ad aliquam ipſorum reſidentiam, de Gregorii Privilegio participare ſunt aptæ. Quamobrem illud peculiare Pontificium Privilegium, quod opportune requirebat Sacra Congregatio, Regulares participantes de Gregoriano Privilegio bene habent; nec eos afficit reſponſio *negativa* data quæſtioni, quæ ad Privilegia ante Concilium Tridentinum conceſſa reſpiciebat. Via, quam calcavimus in aſſerenda poteſtate Regularium celebrandi in privatis Oratoriis Granciarum, & Ruralium ſuarum Domorum recreationis cujuſdam ſane celebris Conſtitutionum Apoſtolicarum Interpretis dicta cum ſententia ceterorum, quantum reor, conciliabit. Enimvero egregie negat vir præclarus per ſe convenire illis Domibus Regularium eas prærogativas, quæ Monaſteriis ipſis conceduntur. Hoc idem nos lubentes profitemur, nec ſumus ſolliciti, an Grangiæ illæ privilegio ullo Immunitatis gaudeant, de quo poſt Rodriguez agunt Paſſerinus Lib 3. de Statu Homin. quæſt. 189. n. 984., & Diana Tomo 4. Tract. 2. Reſol. 13., quodque in Hiſpania præcipue Regularium Granciæ longa conſuetudine conſervant. In Apoſtolicum itaq; Gregorii XIII., & nunc etiam in aliud Clementis XII. privilegium facultatem erigendi ad Miſſarum celebrationem privata Oratoria in Ruralibus Domibus deputatis Religioſorum reſidentiæ pro aliqua ſaltem anni parte referimus. Quocirca concedimus nullatenus hoc privilegio uti poſſe Regulares in aliis Villis ac domibus Monaſteriorum, in quibus nullus unquam Sacerdos ſolet reſidere; quoniam tunc ultra limites expreſſos in conceſſione pontificia evagarentur.

XXV. Protenſa Gregoriana facultate ad Oratoria Granciarum immerito ambigeretur, utrum ad illa Oratoria ſimul extendantur reliquæ prærogativæ, quas ad privata Monaſteriorum Oratoria pertinere ſuperius adnotavimus? Cum enim nihil limitet Gregorius circa numerum Miſſarum, circa conditionem Sacerdotum, & Adſtantium, & circa dies feſtos; ideo qua amplitudine Privilegii utimur in Monaſteriis, eadem penitus uti poſſunt Privilegiati Regulares in domibus Ruralibus, Granciis, Hoſpitiiſque ſimili penitus privilegio munitis. Etiam poſt Sac. Congregationis votum Gregorius XV. Anno 1622. 24. Septemb. concedens Monachis Carthuſianis Oratoria has omnes privilegii amplitudines expreſſe tradidit, & ſolum Jura Parochialium Eccleſiarum aperte ſarta eſſe juſſit. Hinc Clemens XII. laud. Conſtit. confirmans Indultum Gregorii XV. prædictis Monachis conceſſum nullam reſtrictionem adjunxit, ſed integre illius amplitudinem roboravit.

XXVI. Non diſſimulo autem De-

cretum S. Congregationis Cardinalium *Super Statum Regularium*; ſive uti nunc vocatur, *ſuper Diſciplinam Regularium*, habitæ *die* 4. *Aprilis* 1686., *quæ in cauſſa prætenſæ per Epiſcopum Puteolanum Viſitationis Oratorii ſub invocatione S. Romualdi in Caſali Soccavi, vulgo dicto* l'Egida *Congregationis Eremitarum Camaldulenſium Montis Coronæ proponente Eminentiſs. Caſanate cenſuit eidem Epiſcopo non competere jus viſitandi prædictum Oratorium; proindeque Interdictum in memorato Oratorio per eundem Epiſcopum appoſitum non ſuſtineri; in eo tamen non eſſe admittendos ad celebrandum Miſſas niſi Eremitas Camaldulenſes*. Ita legitur in Regeſtis illius Sacræ Congregationis Libro Decret. Anni 1686. fol. 562. Primo intuitu videtur poſtremis his verbis vetitum in Oratoriis privatis Regularium Granciarum Miſſas fieri ab extraneis Sacerdotibus. Attamen ego neſcio, an Eremitæ illi gaudeant de Privilegio Gregoriano? & an illud Oratorium fuerit publicum? Cæterum peculiaris fuit hæc reſtrictio facta pro illo Oratorio, ut litium occaſiones tollerentur: Undedum provide prohibuerunt Cardinales ampliſſimi in illo admittere extraneos Sacerdotes celebraturos, nihil addiderunt, quo id abſolute illicitum fore judicaretur. Apud noſtrates Canonicos hic mos fere ubique retinetur, ut eo tempore, quo ad Grancias nullus Congregationis Sacerdos ſolet accedere, diligenter clauſa cuſtodiantur Vaſa, & Veſtes Sacræ; imo alicubi etiam ad Monaſterium deferantur, ut hinc facilius occaſiones, & pericula irreverentiæ arceantur forte futura, ſi extraneo Sacerdoti permitteretur in Oratoriis noſtris ſacrificare, quando nullus noſtrorum Sacerdotum illic reſidet.

XXVII. Denique neque diſſimulabo alteram reſponſionem, quæ Adſtantes extraneos tempore Sacrificii in Oratorio Granciæ celebrati contingit. Sumitur iſta ex altero dubio a Monachis Carthuſienſibus propoſito Sac. Congregationi Concilii Anno 1735. die 30. Julii, quo quærebatur, an ſatisfacerent præcepto omnes Adſtantes? Reſpondit Sac. Congreg. *quo ad exiſtentes tantum intra Oratorium, & ad mentem*. Hæc reſponſio nullatenus violabat, quod Monachis iiſdem Sac. Congregatio conceſſerat annuente Gregorio XV., ſed tantum inſinuabant prudentiſſimi Cardinales moderationem in his Oratoriis ſervandam, ne Populi avertantur ab acceſſu ad Eccleſias publicas, ac præcipue Parochiales, quas valde expedit a ruſticis frequentari, ut monita ſalutis inter Miſſarum ſolemnia a propriis Parochis ſumant. Ubi enim nimia copia Fidelium in illis privatis Oratoriis Granciarum admittatur, plurima incommoda identidem oritura evitari non poterunt. Alteram quæſtionem ſuper Oratorium privatum cujuſdam Granciæ Monachorum Congregationis S. Hieronymi Eſcurialis in Diœceſi Abulenſi ventilatam in Sac. Congregatione Concilii Anno 1731. novi, votumque ſatis grave favore Monachorum ab Eminentiſſ. Card. Belluga propoſitum legi; ſed quoniam nullum Decretum prodiit, propterea eam prætermitto.

XXVIII. Unum ſupereſt animadvertendum, quod ubi Regulares muniri optaverint Apoſtol. Privilegio pro privatis Oratoriis Ruralibus ſuarum Domorum, in quibus ruſticationis gratia, & ad animi relaxationem, atque ad œconomica negotia interdum habitant; niſi alia obſtaverint, illud a Pontificia Benignitate ſperare poſſunt. Hujuſmodi Indultum Clemens XII. Patribus BB. Virg. de Mercede Civitatis Segobienſis pro domo Rurali, in qua Religioſus Sacerdos habitabat, benigne conceſſit, poſtquam examinato Oratorum libello ſequens prodiit decretum *Die* 17. Aprilis 1734. *Sac. Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad quam Sanctiſſimus D. N. ſupplicem hunc libellum*

lum remiſit, attenta relatione Epiſcopi Segobienſis, perpenſoque voto Eminentiſſimi D. Card. Bellugæ hujuſmodi negocium examinandum ab eadem S. Congregationi deputati cenſuit, ſi Sanctitati Suæ placuerit, petitum Indultum cum ſolitis clauſulis per ſuas Litteras in forma Brevis concedi poſſe. Aliud ſimile indultum legi in Regeſtis Eminentiſſimi Vicarii Anni 1743. a Benedicto XIV. die 25. ejuſdem Anni conceſſum Patribus Conventus S. Auguſtini de Urbe Ord. Eremit. pro privato Oratorio domus ipſorum exiſtentis extra Portam Flaminiam; in quo facultatem arbitrio Eminentiſſimi Card. Vicarii duraturam tribuit celebrandi per dicti Ordinis Fratres, quos inibi commorari, vel ad eam domum accedere contigerit, ſalvis Juribus Parochialibus, & exceptis ſolemnioribus Anni Feſtis diebus in ſua ac Laicorum, ſeu Converſorum, Eiſque inſervientium dumtaxat præſentia.

XXIX. Qua autem ratione egent Regulares ſpeciali Apoſtolicæ Sedis privilegio, quo in privatis Oratoriis ſuarum Ruralium Domorum Miſſas licite celebrare valeant; eadem ſane coguntur ſimile privilegium obtinere ceteri in aliis Locis Piis commorantes, ſi ſimiles domos ad animi relaxationem deputatas habuerint. Etenim domus iſtæ ruſticæ non participant de prærogativis, quibus Loca Pia fruuntur, Hinc quamvis Collegium Urbanum de Propaganda Fide inter Pia Loca Urbis reputetur; adhuc tamen, ut libere, & licite in Oratorio Palatii pro ſublevandis ipſius Alumnis deſtinati prope, & extra Portam Flaminiam Sacrificium poſſet offerri, ſingulare Indultum petitum, & traditum fuit a Clemente XI. die 7. Decem. Anni 1708., cujus apographum in Archivvo Eminentiſſ. Vicarii legi; atq;in eo adverti limitationem pro unica Miſſa, exceptionem Dierum Feſtorum ſolemniorum, & reſtrictionem factam pro illis tantum, qui fuerint de numero Alumnorum, aliorumque dicti Collegii Miniſtrorum in eo degentium, necnon Domeſticorum; ut reliqui præcepto Miſſæ audiendæ die feſto in eodem Oratorio nequaquam ſatisfacere valeant.

CAPUT XIX.

De Oratoriis Privatis intra Clauſtra Monialium, Collegia Tertiariarum, & Conſervatoria Puellarum poſt Concilium Tridentinum.

I. ETſi a Tridentino Concilio ſtrictiſſime arctata fuerit facultas Epiſcoporum in concedenda Miſſarum celebratione intra privatas domos, atque in his erecta Oratoria approbandi; tamen ſuperfuiſſe integram illorum auctoritatem, quâ libere, & pro arbitrio in Religioſis domibus Miſſarum Sacrificia poſſent concedere, dummodo prius eorumdem Religioſarum Domorum Oratoria ad divinum tantum cultum deſignarentur, & approbarentur, abunde jam ſupra oſtendimus. Inter has Religioſas Domos recenſeri omnia Sanctimonialium clauſtralem diſciplinam cuſtodientia Monaſteria, non minus quam cetera Regularium Virorum Cœnobia, unicuique exploratiſſimum

mum eſt, nec eget opere probationis. Niſi ergo aliud repugnaret, certe ab Epiſcoporum auctoritate penderet in Oratoriis privatis Monialium concedere Sacrificia, quin minimum Tridentinæ Seſſionis XXII. Leges transgrederentur. Verum ne intra iſtarum Clauſtra permittantur Sacrificia, Tridentinum Concilium Seſſ. 25. *de Regularibus*, *&* *Monialibus* prohibuit, dum ſeveriſſimo mandato cap. 5. omnibus Epiſcopis juſſit in omnibus Monialium Monaſteriis exequi Conſtitutionem Bonifacii VIII. inſertam Tit. *de Statu Regularium* in VI., quæ incipit; *Periculoſo*: & in qua rigor Clauſuræ in iiſdem ſervandus præcipitur. Sane ſi attente illud conſideramus, quod pro Clauſura Monialium Tridentini Patres ſtatuerunt, vetitam ſimul fuiſſe Miſſarum celebrationem intra illarum Clauſtra manifeſte conſequitur. Enimvero non tantum quibuſcumque prohibuerunt ingreſſum intra ſepta Monaſterii ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda; ſed una ſimul declaraverunt, quod *dare tantum Epiſcopus, vel Superior licentiam debet in CASIBUS NECESSARIIS*; neque *alius ullo modo poſſit etiam vigore cujuſcumque facultatis, vel Indulti hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi*.

II. Solum igitur *in caſibus neceſſariis* permitti potuit poſt Concilium ingreſſus ad Monialium Clauſtra: ita ut reliqui omnes alii caſus, in quibus aut uberior pietas, aut ſpiritualis utilitas Sacrarum Virginum deſideraſſet cujuslibet ingreſſum, proſcripti fuerint. Jam vero quis non videt Sacram Miſſarum actionem nequaquam numerari debere inter caſus *neceſſarios* a Concilio permiſſos pro legitima facultate impetranda Sacerdotis intra illa Monaſteria ingreſſuri? Nimis equidem dilatarentur ſtrictæ Clauſuræ Leges, quoties ob Sacrificium tam Sacerdoti, quam ipſius Miniſtro permitteretur ingreſſus. Atque in primis ubi Sacræ Virgines ſanæ fuerint, optime poteſt piis illarum votis ſatisfieri a Sacerdote Sacris operante in publica Monaſterii Eccleſia, & per feneſtellam Euchariſticum Sacramentum miniſtrante, quin propterea ſit *neceſſe* tunc Clauſuræ legem effringere. Forte nihil amplius audebant Sacræ Virgines etiam antiquioribus Eccleſiæ temporibus, quando privata penitus, & intra ſepta Monaſterii extructa habebant Oratoria, in quæ Sacerdos ingrediebatur, ut pro illis Sacrificium offerret. Etenim tunc etiam, ſicut Cap. IX. advertimus, *Secretæ* partes Monaſterii ab Oratoriis diſtinguebantur, ita ut iſta ſubire poſſent Sacri Miniſtri, quin ad alias ſecretiores partes accedere permitterentur. Hinc valde veroſimile eſt, quod olim Sacræ Virgines cratibus ſeparatæ ab Oratorio ipſo adſtarent Miſſarum Solemniis; nec in eodem loco ſimul adeſſent, in quo Sacerdos Divina Myſteria peragebat.

III. Tridentini Concilii Statuta ſequens Synodus Cameracenſis Anni 1586. Tit. *de Regular.* cap. 13. noluit amplius tolerare ſuæ Provinciæ morem, quo in Choro Monialium Miſſæ celebrabantur; atque hoc decreto eum ſubvertit. *Præfectus quoque ejuſmodi Monialium, ſeu ejus Capellanus, aut alius Sacerdos eam Eccleſiæ partem, ubi ipſæ pſallunt, ne quidem prætextu ibidem celebrandi, vel concionandi ingrediatur; quod ſi quis ibi celebrare, aut concionari auſus fuerit, Suſpenſionis a Divinis; Præfecta, quæ eum admiſerit, Excommunicationis pœnam ipſo facto admiſit*. Eandem conſuetudinem celebrandi in Choro Monialum quadam Conſtitutione Toletana abrogatam fuiſſe alii tradunt. Ego tamen illius conſuetudinis abrogationem factam a Concilio Tridentino Seſs. 25. citata cap. 10. ex his verbis colligo. *Quod vero Sacratiſſimum Criſti Corpus intra Chorum, vel Septa Monaſterii, & non in publica Eccleſia conſervetur, prohibet S. Synodus non ob-*

obſtante quotcunque Indulto, *aut Privilegio*. Sicut enim conſervari non poterat Sanctiſs. Euchariſticum Sacramentum intra Clauſtra Monialium, niſi intra illa conſecratum prius a Sacerdote fuiſſet: (Incredibile quippe eſt, quod conſecrata Euchariſtia in publica Monaſterii Eccleſia poſtmodum ad interius Oratorium conſervanda deferretur.) Ita conſequens eſt, ut ſublatis Indultis, Privilegiiſque eam conſervationem permittentibus ſimul ceſſaverint privilegia, ſi quæ fuerant antea conceſſa, intra Clauſtrale Oratorium Sacrificium offerendi. Hoc Tridentinum Decretum promulgavit S. Carolus in I. Concilio Mediol. Anno 1565. Par. 3. n. 7. admonens, *ut hujuſmodi decreto ubique obtemperetur*.

IV. Si porro reſpicimus ad alias Moniales infirmitate, ſenioque gravatas, neque ad Chorum accedere valentes, ut Sacrificio aſſiſtant, quod in publica Eccleſia celebratur; nulla quoque occurrit cauſa *neceſſaria*, quam requirit Concilium Tridentinum, ut propterea Sacerdoti permittere ingreſſum ad finem Sacrificii offerrendi in Oratorio Valetudinarii liceat. Probaverant quidem olim Scriptores aliqui tanquam legitimam cauſſam concedendi Sacrificii intra Clauſtra Monialium ipſammet infirmitatem, ne diutius Virgines Sacræ carere beneficio tam ſalutari cogerentur. Attamen longe a veritate in approbanda hujuſcemodi cauſſa aberrabant: Enimvero ubi ſemel id licere in omnibus Monialium Monaſteriis dicatur, plurimum ſane Clauſuræ rigor relaxaretur; & ſi ob ſpirituale ſolamen Infirmarum permittatur Sacerdotis ingreſſus ad finem peragendi Sacrificii; ſimul poſſet frequentiſſimus ejuſdem ingreſſus concedi, ut illas piis confoveret colloquiis, & ad patienter ferendas infirmitates excitaret. Revera ſi Sacrificium permittitur ad pietatem Infirmarum nutriendam; cur frequens ſimul ad eandem augendam cum Confeſſario, ac Patre Spirituali colloquium non concedatur? Præterea nonne aperte interpretatio vitiatur *caſus neceſſarios* exigitos a Tridentino confundendo cum aliis caſibus, in quibus nullatenus aut vera, aut *moralis* neceſſitas intercedit; ſed qui ſolum ſpecialem, abundantioremque utilitatem ſapiunt; Cum nulli infirmo ſit per ſe neceſſarium ad pietatem Sacrificio aſſiſtere?

V. Accedit quod Concilia plurima in Gallia, in Hiſpania, in Belgio, in Germania, in Italia convocata poſt Concilium Tridentinum, ut in iſtis Regionibus promulgarentur, exequerenturque Tridentinæ Leges, dum de Monialium Clauſura loquuntur, pro ingreſſu ad illarum Clauſtra cauſſas neceſſitatis expoſcunt; eaſdemque eſſe debere *inevitabiles*, *indiſpenſabiles*, *manifeſtas*, & *magnas* declarant: Inſuper Confeſſarii ingreſſum ad Moniales Infirmans tunc ſolum permittunt, quando neceſſitas urget illis miniſtrandi Sacramenta Confeſſionis, Communionis, & Extremæ Unctionis; At de licentia Miſſarum coram Monialibus in Valetudinario celebrandarum nullum reperire potui indicium, nullum fundamentum. Extant hæc Concilia in Collectione Labbeana, & Harduiniana; quæ Thierſius de Clauſura Monial. Par. 2. capp. 13. 14., & 17. congregat. Hinc eſt, quod Statuta ſervanda in Monialium Monaſteriis poſt Concilium Tridentinum confecta, aut reformata; quemadmodum ſunt illa, quæ S. Thereſia, & S. Franciſcus Saleſius condiderunt; hoc tantum Confeſſariis Sanctimonialium concedunt, ut ægrotante aliqua illarum, quæ ad crates pro Confeſſione Sacramentali, & Euchariſtia accedere non poſſit; Clauſtra ingrediantur Stola, & Superpelliceo induti, illico egreſſuri poſtquam Sacramenta miniſtraverint: De celebratione autem Miſſarum hæc, aliaque Statuta omnino ſilent. Verum quis credat nihil de Sacrificio intra Clauſtra offerendo dixiſſe Sanctiſſimos Monialium Reformatores, ſi ad

ſi ad Spiritualem Infirmarum conſolationem ſaltem occaſione diſpenſandi Euchariſtiæ Sacramentum in Solemnioribus Anni Feſtivitatibus juxta earundem pias conſuetudines, ac Regulæ decreta, nihil obſtante Tridentini Concilii Lege de Clauſuræ ſervando rigore, in Valetudinariis Sacrificium celebrari potuiſſet? Denique nonne etiam ante Concilium Tridentinum, ut in Monaſteriis Monialium celebrarentur licite coram Infirmis Divina Myſteria, ſingulare ſæpe Indultum expoſcebatur, quod datum a Leone X. pro Monialibus S.Claræ ex Rodriquez jam cap. 9. num. 16. indicavimus? Nonne etiam olim in illarum Virginum Cœnobio, quæ rite Clauſuræ rigorem ſervabant, & ad quarum normam Monaſteria reliqua Monialium collegialiter viventium in Regulæ & Votorum Sacrorum Obſervantia reduci deſideravit, præcepitque Concilium Trident., nonne aliud nihil Sacerdotibus ingredientibus Clauſtra concedebatur, quam Sacramenta tribuere Infirmis, non vero Miſſas peragere? Eccur ergo extendi poterat Tridentinum Decretum, quod pro Clauſura rigoroſe cuſtodienda promulgatum fuit; ut ibi inviolata erat, conſervaretur; ubi violata fuerat, diligenter reſtituerunt?

VI. Ad ſolamen Infirmarum Monialium Ordinis Noſtri conceſſit Anno 1565. Pius P. IV. privilegium, ut Sacerdotem intra Clauſtra celebraturum libere advocare poſſent. Verum an diu viguerit apud illas executio Papalis Indulti? penitus ignoro: Imo exiſtimo, quod ſi alicubi Piano Privilegio, quod nos exponendum rejicimus ad ſequens Opuſculum, Moniales noſtræ Lateranenſis Congregationis uti maluerunt, poſt valde breve tempus ab ejuſdem uſu ceſſaverint. Legi MS. Anonymi noſtri Canonici octoginta circiter ab hinc Annis elucubratum, mihique ex autographo aſſervato in Carthophilaci Canoniſſarum Lateranen. S.Laurentii Bononiæ traditum humaniſſime a Reverendiſſ. P.D. Cæſare Benvenuti Abbate Generali; atque ex illo didici nullum etiam tunc in illo Monaſterio ſuperfuiſſe indicium, ex quo exploratum foret, an aliquando in eodem Monaſterio ab ulla Infirma ſingulare Indultum executioni traditum fuerit. Quare autem prætermiſerint Moniales Lateranenſes executionem hujus privilegii poſt Concilium Tridentinum conceſſi, mihi non videtur difficile deprehendere. Cum enim tum S. Pius V., cum Gregorius XIII. omnibus præcedentibus abrogatis Indultis iterum alias Leges Clauſuram Monialium coarctantes promulgaverint, & nemini, nec ipſis Prælatis exceptis, permiſerint ingreſſum in illarum Clauſtra, niſi *urgentibus*, & *neceſſariis* cauſſis; propterea veritæ Sacræ Virgines, quod uſus Piani Indulti adverſaretur nuperis hiſce Conſtitutionibus, magis carere Beneficio Miſſarum maluerunt. An ubique Moniales reliquæ tanto timore percellerentur, exploratum non habeo. Id vero ſcio, quod Portellus, Miranda, Victorellus, Rodriquez, & forte alii, dum elapſo Sæculo licitum eſſe tuebantur in Monialium Valetudinariis Miſſas facere occaſione Euchariſtiæ Infirmis diſtribuendæ, maxime in noſtro Privilegio inſiſtebant; de quo ipſorum ſententia Moniales aliorum Ordinum communicantium cum privilegiis Congregationis Lateranenſis participabant. Etiam Paſqualigus in Deciſionibus Moralibus Deciſ. 176. fine præjudicio Gregorianæ Conſtitutionis Moniales Infirmas uti potuiſſe privilegio Pii P. IV. crediderat; ſed re diligentius perpenſa in Opere de Sacrific. N. Legis quæſ. 480. ſententiam mutavit; ratus privilegium Pii peragi nequiviſſe, quia poſtea Gregorius XIII. ingreſſum ad Clauſtra Monialium ad urgentes tantum neceſſitates limitaverat; inter quas certe recenſeri nequit pium deſiderium Sacrificii, quo Infirma Monialis exarderet.

VII. Propter Gregorii Conſtitutio-

nem pro cuſtodia clauſuræ Monialium editam forte etiam Moniales S. Sebaſtiani de Papia in Civitate Januenſi abruperunt morem, quo in ipſarum Valetudinario Miſſas celebrari curabant. Hinc Anno 1578. novum à R. Pontifice petiere Privilegium, pro quo has preces inſertas Tom. 41. *Poſition.* fol. 29. fuderunt coram Ampliſſimis Cardinalibus Concilii Tridentini Interpretibus.

Illuſtriſs. e Rmi Signori

Nel Monaſtero di S. Sebaſtiano detto in Pavia nella Città di Genova v' è l'Infermaria con l'Altare, ove era ſolito celebrarſi una Meſſa nel giorno, che ſi communicavano le Monache inferme per devozione loro; poi per non errare non avendo licentia anno laſciato di far celebrare detta Meſſa con infinito diſpiacere delle povere Inferme, quali per diſtanza del luogo alla Chieſa ſono prive in tempo di maggior neceſſità d' udire. Però ſupplicano umilmente la Beatitudine, e Monache predette Sua Santità, che ſi degni fargli grazia della licenza di poter far celebrare una Meſſa ſopra l' Altare dell'Infermaria nel tempo, che ſi communicheranno le Monache Inferme, che quel luogo non ſi adoprerà, ſe non a tal effetto, e pregheranno ſempre il Signore Dio per la longa, e felice vita di ſua Beatitudine. His precibus mota S. Congregatio *cenſuit agendum cum Sanctiſſimo*, qui, ut in calce Libelli adnotatur, *annuit* illis præſcriptis conditionibus, quæ in ſequenti Decreto pariter inſertæ fuerunt. Cum enim poſt Litteras S. Congregationis Anno 1615. juſſu Pauli V. editas quæreretur, an adhuc illarum Monialium privilegium permaneret? Eadem S. Congreg. Die 8. Januar. 1623. *cenſuit ejuſmodi Oratorium non comprehendi in prohibitione jam pridem ab ipſa Congregatione edita de non celebrando in privatis Oratoriis; ac proinde poſſe ibi Miſſam celebrari; dummodo tamen ad præſcriptum Litterarum S. Congregationis prius viſitetur, & approbetur ab Ordinario, & ita conſtituatur, & ſeparetur a loco Infirmariæ; & clauſum maneat, nec unquam aperiatur, niſi cum Miſſa ibi erit celebranda; ipſiuſque Ordinarii arbitrio ſic aptetur; ut Moniales Infirmæ poſſint videre, & audire Miſſam eo dumtaxat die, quo Sacroſanctam Euchariſtiam ſumere voluerint.* Extat Lib. 12. Decret. fol. 116. ejuſque meminit Nicolius Lib. 5. Lucub. Canonic. Tit. 33.

VIII. Pro ſimili privilegio impetrando confugerunt ad Sacram Concilii Congregationem quædam Moniales Mutinenſes, quarum ſupplicem Libellum ex Tomo 41. *Poſition.* fol. 18. hic recitandum cenſeo, ut inde graves cauſæ ab Oratricibus expoſitæ appareant. *Supplicano le Rev. Madri del Monaſterio di S. Euſemia di Modena dell'Ordine di S. Benedetto, che l'Illuſtriſſima Congregazione del Concilio ſi degni concedere, che poſſano far dir Meſſa nella loro Infermeria, dove ſono molte inferme per eſſere il Monaſterio aſſai numeroſo, e dove è un Oratorio appropriato da celebrarvi Meſsa, che non ſerve ad altro uſo; e perchè ſono in quella infermeria tante inferme, e vecchie, che non anno gran tempo, e molti anni udita Meſsa. Però ſi ſupplica per carità della ſopradetta grazia, che ſi riceverà a favor grandiſſimo, e ſaranno obbligate a pregare Dio &c.* His precibus annuendum fore a Benignitate Apoſtolica duxerunt Cardinales Interpretes; ac proinde has Litteras a Card. Philippo Boncompagno ſcriptas dedere Epiſcopo Mutinenſi, quæ Lib. 3. Litter. fol. 124. continentur.

Reverendiſs. Domine.

Cum Libellus hic Monialium Monaſterii S. Euphemiæ iſtius Civitatis propoſitus fuiſset in S. Congregatione Cardinalium Conc. Trid. Interpretum & deinde ad Sanctiſsimum D. N. relatus, Sanctitas Sua annuit ipſarum petitioni, dummodo Oratorium illud viſitetur, & approbetur ab Amplitud. Tua; & ita conſtituatur, ut ſeparatum a Loco Infirmeriæ, & clauſum maneat, nec aperia-

riatur, niſi quando Miſsa ibi erit celebranda, arbitrioque tuo ſic aptetur, ut Moniales infirmæ exiſtentes videre, & audire poſſint ibidem Miſſam eo dumtaxat die, quo Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumere voluerint. Quare Amplitudo Tua, quod ſui Officii erit, aget, & bene valebit. Romæ die 14. *Februarii* 1579. His litteris acceptis quædam dubia ſolvenda propoſuit Epiſcopus Mutinenſis Die 4. Martii ſequentis; præcipue vero an Miſſa permitti poſſet illis Monialibus infirmis, etiam quando Sacrum Viaticum non erat præbendum? An Clericus Miniſter cum Sacerdote ingredi poſſet? An Monialibus ſanis tunc præberi poſſet Euchariſtia? His dubiis a Sac. Congregatione ſatisfactum fuiſſe 28. Martii in eodem Tomo 41. *Poſition.* fol. 16. adverti; nempe poſſe celebrari etiam extra occaſionem Viatici, Clericum Miniſtrantem introduci debere, & Euchariſtiam ſolum Monialibus infirmis, non vero ſanis, niſi eſſent ſenes, tradendam eſſe.

IX. Quartum privilegium a Gregorio XIII. conceſſum paucos poſt Annos a ſua Conſtitutione edita circa Monialium Clauſurarum reperio Tomo VII. Bullar. Ord. Prædic. pag. 194. N. Edit. Rom.; atque in eo Die 1. Auguſti Anno 1582. Monialibus S. Petri M. Bononiæ conceſſit, *ut Miſſam in Capella, ſeu Oratorio intra Monaſterium in Capite Dormitorii, ſeu Infirmariæ ejuſdem ſito celebrari facere* poſſent. Forte alia ſimilia privilegia quibuſdam Clauſtralibus Monialibus conceſſa fuerunt a RR. Pontificibus; unde evidentius roboratur, quod ab initio dicebamus, videlicet ſine ſpeciali Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione non poſſe intra Clauſtra Sacrarum Virginum offerri Sacrificium, etiam quando infirmis Euchariſtiam miniſtraturus Confeſſarius Monaſterium ingreditur. Ad hanc rem pertinet Decretum S. Congregationis Die 22. Auguſti Anni 1605., quod refertur a Lezana in Summa V. *Moniales* num. 31., a Diana Tom. 4. Tr. 2. Reſol. 16. n. 2., & a Barboſa Lib. 1. Jur. Eccleſ. cap. 44. num. 64., in quo ipſis teſtibus in Valetudinariis Monialium Miſſas facere prohibetur. Imo Nicolius in Floſculis V. *Clauſura* num. 38. aliud Decretum commemorat editum Die 2. Jan. 1601. in Bononienſi; quo generatim Miſſæ intra Clauſuram Monialium, *non obſtante qualibet contraria conſuetudine*, prohibentur. Hæc Decreta mihi in Codicibus Sac. Congr. Concilii non occurrerunt; verum ex Regeſtis Brevium Apoſtolicorum privilegium quoddam feliciter occurrit, quod tam propter ſingularem excellentiam perſonæ, cui conceſſum fuit, quam propter ſpeciales conditiones, ſub quibus Infirmæ Abbatiſſæ neceſſitatibus ſpiritualibus a Romano Pontifice conſultum fuit, hoc loco videtur recitandum, ut ex eo & Operi noſtro pulchrum conferamus ornamentum; & ſimul oſtendatur, quam difficile ob cuſtodiam clauſuræ intra Clauſtra Monialium Sacrificium peragi etiam coram Infirmis permitteretur.

Dilectæ in Chriſto Filiæ Joannæ de Bourbon Abbatiſſæ Monaſterii S. Mariæ de Jotro alias de Iverre Ordin. S. Benedicti Nullius, ſeu Meldenſis Diœceſis.

PAULUS PP. V.

Dilecta in Chriſto Filia ſalutem &c. Spirituali conſolationi tuæ, quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere; Teque, quæ regimini, & adminiſtrationi Monaſterii Monialium B. Mariæ de Jotro, alias de Iverre Ordin. S. Benedicti Nullius, ſeu Meldenſis Diœceſis præeſſe dignoſceris, & ut aſſeris, clar. mem. Henrici IV. Francorum Regis Chriſtianiſſimi Amita, nec non provectæ ætatis exiſtis, continuiſque infirmitatibus ita laboras, ut e lecto exſurgere non poſſis, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliiſque eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab Homine quavis occaſione, vel cauſſa latis, ſi qui-

quibus quomodolibet innodata exiſtis, ad effectum dumtaxat præſentium conſequendarum harum ſerie abſolventes, & abſolutam fore cenſentes, Supplicationibus Tuo Nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, Tibi, ut in privato Oratorio, extra temen clauſuram dicti Monaſterii exiſtenti, ita vicino, ut ex tuo cubiculo per feneſtram Miſſa audiri poſſit, ad hoc decenter conſtruendo, & ornando, ab omnibus domeſticis uſibus libero, per Superiores dicti Monaſterii prius viſitando, & approbando Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium per quemcumque Sacerdotem Secularem per Ordinarium approbatum ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem, ſine tamen quorumcunque Jurium Parochialium præjudicio, in tua præſentia celebrari facere libere, & licite poſſis, & valeas tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus &c. Datum Tuſculi die 9. Maii 1615.

X. Facultatem celebrari faciendi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium RR. Pontifices intra Monaſteria aliqua Sanctimonialium Urbis aliquando conceſſerunt; plurimaſque Apoſtolicas Litteras in forma Brevis ad hunc finem ſcriptas in Regeſtis Archivvi Eminentiſ. Vicarii legi. Verum etſi Codices multos evoluiſſem, aliud reperire non potui antiquius illo, quod Alexander P. VII. Monialibus Monaſterii Conceptionis B. M. V. Immaculatæ in Campo Martio; intra cujus Clauſuram extat quædam interior Eccleſia, quæ olim Parochialis erat. Omnia autem privilegia in iiſdem Codicibus diligenter deſcripta ſolum ad triennium, aut ad ſummum ad quinquennium duratura extendebantur. Hinc novum Apoſtolicum Indultum impetrare debuerant, ſi deinceps ſimili Miſſarum Clauſtralium favore uti deſiderabant. Conſueverant autem RR. Pontifices cauſſas in Indulto exponere, ob quas ad illius conceſſionem movebantur. Unicam porro Miſſam conceſſerunt celebrandam vel uno tantum Anni die, ut habetur in Privilegio Clementis XII. conceſſo Die 5. Januar. 1734. pro Monialibus S. Apolloniæ; vel duobus Diebus, quale eſt Privilegium Benedicti XIII. Die 12 Januar. 1725. pro Monialibus S. Catharinæ Senenſis de Urbe; vel ad ſummum tribus Diebus, ſicut a Clemente XI. Die 28. Junii 1710., & deinde ab aliis Pontificibus conceſſum fuerat Monialibus dicti Monaſterii in Campo Martio. Quod ſi numerus Miſſarum aliquando auctus fuit, cum forte magni quidam Præſules ingrederentur Clauſtra ex approbatione Eminentiſs. Card. Vicarii; id nonniſi ex ſpeciali Reſcripto aliquæ Moniales impetrarunt, non autem in forma Brevium. Omnia hæc privilegia illo excepto, quod Innocentius XIII. Die 2. Martii Anno 1723. conceſſit Monialibus prædictis in Campo Martio, & ſi quæ alia ſunt, limitant celebrationem Miſſarum faciendam a Confeſſario ingreſſuro ad hunc finem Clauſtra cum uno Socio tantum: Imo aliquando reperi determinate præfixam qualitatem hujus Socii approbandi ab Eminentiſs. Vicario. Ut autem caute incommoda quæcunque arcerentur, ſemper in his Privilegiis committebat R. Pontifex ſuo Vicario, ad quem Litteræ diriguntur, præſcribere illas *cautiones, quas pro data ſibi a Domino prudentia hac in re duxerit præſcribendas*. Inter cautelas adhibitas ab Eminentiſs., ac Vigilantiſſimis Vicariis præcipue adverti hanc ſtabilitam fuiſſe; ut Sacerdos celebraturus cum Socio *recto tramite, & ſine ullo colloquio cum Monialibus* Clauſuram ingrederetur, & expleto Sacrificio ſtatim egrederetur. Iſtam regulam ſignanter a Card. Fabritio Paulutio præſcriptam legi, eandemque Eminentiſs. Cardin. Jo: Antonius Guadagni optime ſecutus eſt.

XI. An amplius vigeant privilegia celebrandi intra Clauſtra Sacrarum Virginum, poſtquam Bened. XIV. P. M. Anno 1742. Die 3. Jan. Conſt. quæ incipit: *Salutare in Catholica Eccleſia*, arctiſſime coarctavit facultates ingre-

ingrediendi illarum Clauſtra? non penitus exploratum habeo. Puto tamen ex recentis Conſtitutionis verbis eorundem Privilegiorum ceſſaſſe effectum. Etenim etſi illius ſcopus eo præcipue dirigatur, ut a quibuſcunque Eccleſiaſticis Perſonis penitus auferat facultatem aut ingrediendi, aut permittendi ingreſſum in Monaſteria Virginum; eamque dumtaxat coarctatam voluerit *Locorum Ordinariis, iiſque omnibus Superioribus, quibus tanquam Ordinariis, & Ordinaria Juriſdictione utentibus Monialium Monaſteria ſubjecta, & addicta ſunt*: Simul tamen facultatem Ordinariorum nonniſi *in caſibus neceſſariis, & ſervatis aliis de jure ſervandis, & non aliter omnino* valere poſſe declarat. Reliqua porro omnia privilegia quacunque ratione ab Prædeceſſoribus ſuis conceſſa abrogat, caſſat, & irritat, quæ huic Conſtitutioni forte adverſarentur. At dicet aliquis hic aboleri facultates, quæ immediate Viris Eccleſiaſticis conceſſæ fuerant; non vero illas, quæ immediate ex Apoſtolico Privilegio reſpiciebant Moniales, a quibus Sacerdos celebraturus intra ipſarum Clauſtra advocari poterat. Qui talia dixerit, me judice nihil promovet favore præcedentium privilegiorum. Nam qua alia ratione poterant Moniales privilegiatæ priſtina exequi privilegia, quam ad Epiſcopos confugiendo, ut approbatum concederet Presbyterum; atque juxta illius prudentiam de obtento Privilegio apoſtolico gauderent? Dum ergo limitata penitus fuit poteſtas Epiſcopis, ne concedere licentiam ingrediendi intra Clauſtra cuicunque Presbytero valeant, niſi *in caſibus neceſſariis, & non aliter omnino*; jam inde conſequitur Monialibus ipſis conceſſa antea privilegia in caſibus non neceſſariis nihil prodeſſe. Enimvero ſi nequit approbare Epiſcopus cauſſam ingreſſus Sacerdotis celebraturi; neceſſe eſt, ut careant effectu privilegia illa, ac proinde ab omni ſuo robore decidant; quia ſaltem circa Eccleſiaſticas perſonas, de quibus præcipue agit BENEDICTUS XIV. P. O. M., iterum renovata ſunt Statuta in pleno rigore, quæ a Concilio Tridentino, a S. Pio V., & Gregorio XIII. decreta fuerunt. Hinc aliquæ Moniales, quibus prius Privilega Miſſarum celebrandarum in Oratoriis privatis Monaſteriorum conceſſa fuerant, ab illorum uſu monentibus Epiſcopis prudentiſſime abſtinuerunt; nec ſine novo privilegio eas iterum celebrari facere auſæ fuerunt.

XII. Non ægre hujuſmodi indulgentiæ beneficia largitus eſt Sanctiſſimus Pater, quoties Monaſteria Sacrarum Virginum gravibus cauſſis moventibus, ac iis pene ſimilibus, quas olim fuderant Mutinenſes Moniales, ad Apoſtolicam Sedem confugerunt. Cum enim Locus Valetudinarii ab Eccleſia publica valde diſtaverit; cum Infirmorum, Senumque numerus copioſus fuerit; cum Diœceſano Epiſcopo teſtante, nihil timeatur futurum adverſus Sanctitatem Sacrificii, nihilque alienum ab honeſtate morum tum Sacerdotis ingreſſuri, cum Monialium, ad quarum Clauſtra ingreſſus permittendus erit: Tunc benignitas R. Pontificis uberiori conſolationi ſpirituali Supplicantium favens Privilegium indulget deſideratum, illud tamen dirigens ad Ordinarium Loci; ut ſicut ad eum pertinet cura, ac vigilantia in recta adminiſtratione Sacramentorum, Sacrificii celebratione, & Clauſuræ cuſtodia; ita ad eum quoque pertineat ſollicitudo præcavendi omnia pericula, ac mala, quæ forte in executione Privilegii ſubreperent. Subjicio hic duo privilegia a Benedicto XIV. P. conceſſa, in quorum primo tribuit licentiam celebrari faciendi in Oratorio Infirmariæ Monaſterii unam Miſſam eo tempore, quo Infirmæ, & Convaleſcentes, ac Senes, quæ ad Eccleſiam accedere nequeunt, reperiuntur: In altero vero ſimilis facultas conceditur Miſſarum celebrandarum in privato Oratorio Monaſterii, quod ſpecialibus privilegiis decorari merebatur.

XII. Primum autem privilegium liben-

bentius deſcribo, quia eodem ipſo Anno fuit conceſſum Monaſterio S. Clementis Pratenſis Civitatis, quo Conſtitutio *ſuper Clauſura Monialium* prodiit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Piſtorienſi, & Pratenſi.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis Frater ſalutem &c. Exponi nobis nuper fecerunt dilectæ in Chriſto Filiæ Prioriſſa, & Moniales Monaſterii Sancti Clementis Civitatis Pratenſis, quod cum ſæpe ſæpius contingere ſoleat, ut in Infirmaria dicti Monaſterii Moniales infirmæ, convaleſcentes, & ſenes reperiantur, quæ ad Eccleſiam ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium audiendi, & Sanctiſſimum Eucharistiæ Sacramentum ſumendi cauſa accedere nequeunt, ac proinde pro illarum ſpirituali conſolatione Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium hujuſmodi in privato Infirmariæ prædictæ Oratorio celebrari facere poſſe plurimum deſiderant. Nos ipſas Exponentes ſpecialibus, & gratiis proſequi volentes, & earum ſingulares Perſonas a quibuſvis excommunicationis... cenſuris... abſolventes... &c. ſupplicationibus earum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus; quatenus conſtito Tibi de narratis, eiſdem Exponentibus, ut ipſæ in privato Infirmariæ prædictæ exiſtenti Oratorio ad hoc decenter muro extructo, & ornato, ſeu exſtruendo, & ornando, ab omnibus domeſticis uſibus libero, per Te prius viſitando, & approbando, ac de Tui licentia, tuo, & pro tempore exiſtentis Ordinarii ejus arbitrio duratura unam Miſſam pro unoquoque die; tempore, quo Infirmæ, Convaleſcentes, ac Senes prædictæ, quæ ad Eccleſiam prædictam accedere nequeunt, reperiuntur, per Confeſſarium dicti Monaſterii, ſeu per quemcumque alium Sacerdotem Secularem, ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem, a Te prius approbandum, Confeſſario Monaſterii prædicti aliquo impedimento legitime detento, qui ejus rei cauſſa clauſuram dicti Monaſterii una cum Miniſtro, qui ſibi Celebranti aſſiſtat, ingredi valeat, præſcriptis tamen iis cautelis, quas data Tibi a Domino prudentia duxeris eſſe præſcribendas, in Infirmarum, & Convaleſcentium Senumque illiſque inſervientium dumtaxat præſentia, & caſu, quo aliquam ex Monialibus in mortis agone conſtitutam eſſe contigerit, celebrari facere; dictæque Infirmæ, Convaleſcentes, & Senes a Sacerdote inibi celebrante Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere libere, & licite poſſint, & valeant Auctoritate noſtra Apoſtolica concedas, & indulgeas. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, Monaſterii, & Ordinis prædictorum etiam ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod aliæ Moniales præter ſupradictas Miſſæ hujuſmodi intereſſentes ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia Diebus Feſtis de præcepto minime liberæ cenſeantur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 16. Maii 1742.

XIII. Alterum privilegium etiam libenter profero, quia pro Monialibus Monaſterii S. Bernardini Viterbienſis Civitatis conceſſum fuit, quibus poſt recentem Conſtitutionem ſuper Clauſura nequaquam ſuffragari videbatur, quod antea a Benedicto XIII. impetraverant.

Venerab. Fratri Epiſcopo Viterbienſi.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ven. Frater ſalut. Exponi nobis nuper fecerunt dilectæ in Chriſto Filiæ Prioriſſa, ſeu Superioriſſa, & Moniales Monaſterii S. Bernardini iſtius Civitatis

tis

tis Viterbienſis, quod ipſæ facultate celebrari faciendi unam, ſeu plures Miſſas in die Feſto B. Hyacinthæ Mareſcotti in Oratorio intra Clauſtra dicti Monaſterii exiſtente, in quo, ut pie creditur, dicta B. Hyacintha animam Deo reddidit, atque Virginiæ Beranti ejuſdem Monaſterii Moniali expreſſe profeſſæ, comitialique morbo, quo laboraverat, miraculoſe liberatæ viſibiliter apparuit, a fel. record. Benedicto PP. XIII. Prædeceſ. Noſtro conceſſa, & a bon. mem. Hadriano tunc in humanis agente Epiſcopo Viterbienſi executioni demandata potiuntur, & gaudent; prout in Decreto ejuſdem Hadriani Epiſcopi plenius dicitur contineri. Ipſæ vero Exponentes pro ſpirituali earum conſolatione Miſſam; ſeu Miſſas hujuſmodi in poſterum quoque celebrari facere poſſe plurimum deſiderant; Ac propterea Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piis earumdem Exponentium votis, quantum cum Domino poſſumus benigne annuere, illaſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & earum ſingulares Perſonas a quibuſvis excommunicationis .... ſententiis, & cenſuris .... abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus earum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut conſtito Tibi de narratis eiſdem Exponentibus, ut ipſæ in Oratorio prædicto intra Clauſtra dicti Monaſterii ſito, per Te prius viſitando, & approbando unam, ſeu plures Miſſas in Die Feſto ejuſdem B. Hyacinthæ per quemcumque Sacerdotem Secularem, ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem a Te, ſeu pro tempore exiſtente Epiſcopo Viterbienſi approbatum, ſeu approbandum, qui ejus rei cauſſa clauſuram prædictam una cum Socio, ſeu Sociis provectæ ætatis, qui ſibi celebranti aſſiſtat, ingredi valeat, non obſtantibus Conſtitutionibus &c. cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 1. Septembr. 1744. Pontific. Noſtri Anno V.

XIV. Hucuſque de Monaſteriis Monialium perpetuam Clauſuram ſtricta, & rigoroſa ratione cuſtodientium egimus. De aliis vero Monialibus Oblatis, aut Tertiariis, quæ licet collegialiter vivant, ac ſacra vota emittant, clauſuræ tamen Leges non ſervant; ſi diſtincte loquamur, manifeſtum eſt, quod etſi ex Clauſuræ titulo oblatio Sacrificii in privatis ſuorum Collegiorum, Domorumque Oratoriis non impediatur; adhuc Apoſtolicæ Sedis privilegium deſideratur, ut in illis licite Miſſæ celebrentur. Extat in Urbe pulchrum Oratorium, quod propter amplitudinem, ac decorem Eccleſiæ nomine appellatur, in Nobili Collegio Oblatarum S. Franciſcæ Rom., atque in eo quotidie Miſſæ, cæteraque Divina Officia celebrantur; imo etiam aliquando in illo Extranei admittuntur. Speciali Privilegio Pontificio eaſdem piiſſimas Oblatas inſtructas eſſe mihi nunciatum eſt, quod poſt Concilium Tridentinum non ambigo fuiſſe collatum licet illud nequaquam viderim. Simile autem privilegium eiſdem valde ante Concilium Tridentinum Eugenius P. IV. Anno 1444. conceſſerat, ut videlicet in Oratorio domus *januis apertis* Capellanus, ſeu Confeſſarius Miſſas celebrare poſſet, Sacramenta ipſis miniſtrare nullius petita venia, ſalviſque Juribus Parochialibus; ſicut in Vita S. Franciſcæ Rom. Lib. 4. cap. 20. pag. 271. Ed. R. Anni 1641. traditur. Aliarum Monialium Oblatarum Monaſteria habentur in Urbe, quibus licet publica conjungatur Eccleſia, ſimul tamen in ipſarum privato Oratorio aliquando Miſſę ex ſpeciali Apoſtolico Indulto celebrari poſſunt. Id non multis ab hinc annis conceſſum fuiſſe Oblatis S. Rufinæ in Archivvo Eminentiſſimi Vicarii legi; eodemque loco reperi privilegium a Bened. XIII. die 8. Jun. 1726. traditum Oblatis Camaldulenſibus de

Urbe, quæ Oratorio publico carebant; in quo Cardinali Vicario committebat in ipſarum privato Oratorio unam Miſſam pro unaquaque die concedere; ita tamen, ut *aliæ Perſonæ præter prædictas* Miſſæ hujuſmodi intereſſentes præcepto eccleſiaſtico non ſatisfacerent. Valde limitata videbatur hæc conceſſio pietati illarum Oblatarum; unde aliis Litteris in forma Brevis ad eumdem Urbis Eminentiſſ. Vicarium ſcriptis die 23. Decembris 1726. idem Benedictus XIII. uberiora contulit Beneficia concedendo, ut ipſæ Oblatæ in privato Oratorio *plures Miſſas in ſua, & inſervientium dumtaxat præſentia quotidie celebrari facere, præviaque Sacramentali Confeſſione Sacram Communionem ſumere libere, & licite poſſint, & valeant, ſine tamen ullo Jurium Parochialium præjudicio.*

XV. Privilegium Miſſarum in Oratorio privato quibuſdam Tertiariis ſimul collegialiter viventibus aliquando RR. Pontifices gravibus ex cauſis moti, præviiſque voto Sac. Congregationis Concilii Interpretis, & relatione Epiſcoporum conceſſerunt. Quæ mihi innotuerunt privilegia ad Tertiarias ſpectantia, recentiſſima ſunt; neque hoc ſæculo antiquiora. In Archivvo Sac.Congregationis Concilii Tom. 54. Decret. fol. 36. extat decretum Anni 1704. die 26. Januar. huc pertinens. Tertiariæ Carmelitæ ſub regimine Fratrum antiquioris Obſervantiæ Venetiis conviventes ſupplicaverant *pro gratia erigendi in ipſarum Conſervatorio Oratorium ad effectum, ut Seniores, & Puellæ, quas retinent in educatione, Sacrum in eo audire valeant.* Sac. Congregatio *attenta relatione Patriarchæ Veneti cenſuit, ſi Sanctiſsimo D. N. placuerit per ſuas Litteras in forma Brevis eidem Patriarchæ committi poſſe, ut..... citra approbationem Conſervatorii petitam facultatem erigendi privatum Oratorium, in eoque, dummodo decenter ornato, Sacriſque Suppellectilibus ſufficienter proviſo celebrare faciendi pro commoditate dictarum Seniorum, & Puellarum pro ſuo arbitrio, & conſcientia gratis impertiatur.* Iterum autem eædem Tertiariæ confugerunt ad Sac. Congregationem, & dubitantes an Indultum ſuffragaretur etiam pro Tertiariis non infirmis, & inſervientibus? ſupplicaverunt *pro declaratione, vel ampliatione ejuſdem Indulti, itaut tali privilegio gaudere poſſint Tertiariæ non Infirmæ, non Senes, Inſervientes, & Commenſales in dicto loco.* S.Congregatio di 19. Junii 1706. *audita relatione Eminentiſſ. Patriarchæ cenſuit, ſi Sanctiſſ. Domino placuerit præfatum Indultum etiam pro Tertiariis non Infirmis, non Senibus, Inſervientibus, & Commenſalibus per ſuas Litteras Apoſtolicas in forma Brevis ampliari poſſe ſervata in reliquis forma enunciati Indulti.* Extat in Tomo Decret. Anni 1706. fol. 217. Etiam Tertiariæ Venetæ Servorum B. M. V. Anno 1705. die 22. Maii a Clemente XI. Papale Indultum unius Miſſæ quotidianæ obtinuerunt; quæ nuper pro amplificatione ad Apoſtolicam Sedem ſupplici Libello confugientes benignum hujuſmodi Indultum obtinuerunt. *Ex Audientia SSmi die 18. Junii 1745. SSmus benigne indulſit pro duabus aliis Miſſis celebrandis in diebus aſſumptionis Religioſi Habitus, & Profeſſionis tantum. Joſeph Levizzani Secr.* Addo tertium exemplum ex Tertiariis S. Dominici in communi viventibus Loco Pedrahitæ Abulenſis Diœceſis, quæ cum pro facultate celebrari faciendi Miſſam in Cappella domus earumdem & in ea ſimul recipiendi Sanctiſs. Euchariſtiæ Sacramentum preces apud Clementem XII. fudiſſent; hujuſmodi decretum S.Congregationis die prima Decembris 1731. prodiit. *Sac. Congregat. Eminentiſs. S. R. E. Cardinalium Concilii Triden. Interpretum, ad quam Sanctiſſimus D.N. ſupplicem hunc Libellum remiſit, attenta relatione Epiſcopi Abulenſis cenſuit, ſi Sanctitati ſuæ placuerit, citra tamen approbationem* Con-

Conſervatorii, *ſeu Collegii per ſuas Litteras Apoſtolicas in forma Brevis eidem Epiſcopo committi poſſe*, *ut veris exiſtentibus narratis*, *ſalviſque Juribus Parochialibus petitam facultatem celebrari faciendi Miſſam in præfata Capella*, *dummodo decenter ornata, Sacriſque Supellectilibus munita*, *diebus ſolemnioribus exceptis*, *nec non recipiendi in ea Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum*, *excepta tamen Communione Paſchali*, *& per modum Viatici ad ſeptennium proximum tantum duraturam pro ſuo arbitrio & conſcientia Oratricibus gratis impertiatur*; *ita tamen ut Oratorium*, *ſeu Capella prædicta viſitationi Epiſcopi*, *& Ordinarii pro tempore ſubjiciatur*, *& ſubjecta eſſe intelligatur*. Hinc apparet quanta diligentia hujuſcemodi privilegia erogentur; ac nonniſi inſtructione percæpta ab Ordinariis. Certe quia non omnium ſimilium domorum eadem ratio urget; propterea promiſcue omnibus Oratricibus Privilegium Miſſarum in Oratorio privato non conceditur. Id expertæ fuerunt Anno 1706. quædam Siculæ Tertiariæ ſub Regula S.Tereſiæ, nam *audita relatione Archiepiſcopi Panormitani inſtantiam* earum *rejecit* S. Congregatio, ſicut Tomo 56. Decret. fol. 190. habetur.

XVI. De reliquis Conſervatoriis, ſeu Orphanotrophiis Puellarum nihil ſingulare mihi dicendum occurrit. Ab Apoſtolica Sede privilegium Miſſarum intra privatum Oratorium paucis ſane, ac nonniſi præmiſſo voto S. Congregationis Concil. conceditur. Quædam hujus generis Conſervatoria in Urbe conſiderato copioſo numero, exacta diſciplina, ac difficili egreſſu Puellarum in illis degentium, a RR. Pontificibus pro Miſſarum celebratione in privatis eorumdem Oratoriis obtinuerunt Privilegia ad decennium tantummodo duratura. In his non niſi unicam Miſſam Pontifices concedebant; ſed poſtea inſpecta neceſſitate ſpirituali multarum Puellarum, quæ ſæpe ſimul omnes in Oratorio eodem tempore congregari nequibant, etiam ſecundam Miſſam pro Diebus Feſtivis conceſſerunt. Similem extenſionem facultatis ex Archivvo Emi Vicarii pro Puellis Conſervatorii Divinæ Providentiæ ad Ripettam factam in Brevi Clementis XI. Anno 1708. adverti, quam antea ab Innocentio XI. Puellæ Mendicantes Conſervatorii Sanctiſſ. Sacramenti habuerant. Imo pro his Innocentius XIII. Die 1. Feb. 1723. *vehementi devotione* earumdem motus de conſilio Sac. Congregationis Concilii magis extendit privilegium; videlicet uſque ad tertiam Miſſam pro quatuor tantum Anni feſtivitatibus, quæ in dicto Conſervatorio ferventiore pietate celebrari ſolent; ſicut in Litteris Apoſtolicis Benedicti XIV. Die 1. Jul. 1743. confirmantibus ad decennium prædictam licentiam exponitur. Omnia tamen Privilegia pro his Conſervatoriis conceſſa ad ſolas Puellas, aliaſque Mulieres *pro earum directione*, *ſeu ſervitio* ibi pro tempore exiſtentes coarctantur; atque hanc clauſulam in altero Privilegio a Clemente XI. Die 29. April. 1705. pro Puellis Conſervatorii S.Eligii de Urbe adverti.

XVII. Obiter vero ſatisfaciam interroganti, cur in prædictis Reſponſionibus, & Privilegiis Sac. Congregatio Concilii, ac RR. Pontifices illa verba, *citra approbationem Conſervatorii*, ſeu *Collegii*, adjungere conſueverint? Cauſſa, propter quam illa exceptio exprimitur, egregie a SS. P. Benedicto XIV. Tom. 2. Notificat. 9. §. 13. proponitur. Cum enim Concilium Tridentinum in omnibus Monaſteriis Sacrarum Virginum Clauſuram perenniter cuſtodiri optaſſet, & S. Pius V. Conſt. 8. Tertiariarum Collegia Clauſuræ legibus adſtringi præcepiſſet; adhuc tamen non ubique Clauſuræ lex in iſtarum Domibus introduci potuit, licet libenter Pianam Conſtitutionem Epiſcopi exceperint; atque, ut loquitur Conci-

lium Turonenſe Anni 1583. num. 19. *quantocyus* exequendam propoſuerint. Romana itaque Eccleſia hujuſmodi Collegia ſine Clauſuræ lege tolerat; non tamen hunc vivendi morem approbat, ſperans forte aliquando etiam in illis introduci opportune poſſe, quod hactenus ubique obtineri non potuit.

CAPUT XX.

De Privilegiis, quæ a R. Pontifice concedi ſolent celebrandi Sacrificium in Oratoriis privatæ Domus.

I. SUPREMAM R. Pontificis Dignitatem nullis Eccleſiaſticę Diſciplinæ Legibus coarctatam, & pleniſſima auctoritate ſupereminentem omnibus Conciliis venerata Synodus Tridentina Seſſ. 25. cap. 21. declaravit, *omnia, & ſingula ſub quibuſcunque clauſulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque Eccleſiaſtica Diſciplina* ab ea ſtabilita fuerant, *ita decreta fuiſſe, ut in his ſalva ſemper auctoritas Sedis Apoſtolicæ & ſit, & eſſe intelligatur*. Nulla equidem convenientior fieri poterat declaratio, quam ut libere, ac ingenue faterentur Patres in generali Concilio collecti tantam ſtabilitatem habituras fore ipſorum de rebus ad diſciplinam ſpectantibus Sanctiones, quantam pro opportunitate temporum, ac locorum conditione vigilantia Summi, & Univerſalis Rectoris Eccleſiarum illis datura eſſet. Nam bene noverant Sapientiſſimi Epiſcopi, quod licet R. Pontifex Canonum obſervantiam curaturus foret, nec ſine cauſſa paſſurus Conciliorum decreta violari, ne inutiles evaderent labores tantorum Patrum: tamen aliquando majus Eccleſiæ bonum poſtulabat, ut tum quibuſdam diſpenſationes in præſcriptis Legibus; cum aliis privilegia ſpecialia ab Apoſtolica Sede concederentur. Aperte itaque Tridentinum Concilium declaravit tam plene ſubjecta eſſe auctoritati R. Pontificis ſua decreta de morum reformatione, & Eccleſiaſtica Diſciplina edita; ut ſicut, quoties id expediret, illa penitus annullare, ac irritare poſſet; ita, cum opportunum videtur, poteſt in illis nonnumquam diſpenſare cum aliquibus, quos Pontificiis Privilegiis rationabiliter vult honorare. Quapropter, ſi intime mentem Concilii pervadimus, dum ſuas condidit Leges, hoc unum maxime intendit videlicet Pontificis dignitatem prædicare, atque illius tantummodo abitrio plurima reſervare, quæ prius etiam ab aliis Epiſcopis in propria ſingulorum Diœceſi peragebantur. Circa facultatem in Oratoriis privatis, atque in privatis Domibus Miſſas celebrandi, id ipſum Cap. 13. manifeſtum fecimus, cum nulli Epiſcopo amplius licere voluerint Patres Tridentini priſtina erga ſuos Subditos poteſtate frui: Imo potius huic poteſtati libenter renunciarunt, ut ſecurius pericula irreverentiæ in celebratione Divinorum Myſteriorum vitarentur. Solum ergo R. Pontifici reſervatam maluerunt Patres illi liberam hujuſmodi poteſtatem; & quem in univerſa Eccleſia Caput, ac Paſtorem maximum confitebantur, unicum etiam in poſterum eſſe debere diſpenſatorem privilegiorum Miſſarum celebrationis in Oratoriis privatarum Domorum optaverunt.

II. Sua auctoritate utuntur RR. Pontifices in earumdem Gratiarum elar-

elargitionibus; atque ad eos ex omnibus pæne Provinciis pro illarum impetratione ſupplices Libelli mittuntur. Non ſe difficilem præbet Apoſtolica Sedes Oratorum votis, quæ ad augmentum devotionis dirigi debent, & ad commodiorem modum Sacrificii frequentandi: Imo non nihil faciliorem ineunte Sæculo ſe præbere cæpit; ut ita occaſio violandi Tridentinum Decretum ſubtraheretur, quam antea quidam præcipue captaverant ex eo, quod fruſtra ſperari poſſet Apoſtolicum Indultum ab aliis, qui præter Nobilitatem ſimul ſpecialibus prærogativis non fulgerent, & ægritudinis impedimentum in precibus non exponerent. Quamvis autem facilius nunc a R. Pontifice privilegium Domeſtici Sacrificii in cubiculariis Oratoriis concedatur; ſimul tamen diligenter cavet, ne ſine diſcrimine Perſonarum favores ſuos eroget, aut cum periculo irreverentiæ erga Sacroſanctam Victimam, ac cum Animarum ſpirituali detrimento, quod prudentiſſime timeretur eventurum, ſi abſque Perſonarum delectu privilegia illa diſpenſarentur. Nulli Viro Nobili jam nunc a R. Pontifice denegatur privilegium Miſſarum celebrandarum in privato Oratorio; quoniam qui ſpeciali Nobilitatis titulo fulgent, magis etiam digni videntur, ut ſingularitate gratiarum a reliquis diſcernantur; maxime cum ipſa excellentia Perſonæ præbeat juſtum titulum diſpenſationi; ut ſatis D. Thomas 2. 2. quæſt. 62. art. 2. inſinuat. Plurimum quippe ad commune Eccleſiæ proventum confluit nonnumquam ſpectabiles Viros privilegiis ſpecialibus proſequi, quatenus iſti in grati animi teſtimonium ſuas operas pro opportunitate impendere ad Eccleſiæ utilitatem, ac patrocinium tenacius obſtringuntur. Quare ex hac facilitate conceſſionis Miſſarum in domeſticis Oratoriis mihi prædicanda videtur RR. Pontificum benignitas, ac prudentia in excipiendis, exaudiendiſque precibus multorum Nobilium; quoniam hoc modo plurimorum inclinant animos ad ſeſe magis devotos erga Apoſtolicam Sedem exhibendos. Quod ſi aliqui immemores acceptorum beneficiorum reperiuntur; non propterea accuſari debet Pontificum clementia; ſed unice culpanda eſt ingratorum oblivio: Neque per hoc, quod aliqui erga Benefactores ingrati poſtea exiſtant, Apoſtolica Sedes clementiæ ſuæ amplitudinem erga alios coarctat.

III. Peſſime porro hanc facilitatem audent iniqui reprehendere, ac carpere; & quod gravius eſt, velut avaritiæ fomentum reprobare. Etenim quid magis æquum, quam ut aliquam ſignificationem exhibeant ſuæ devotionis, qui ſpeciali favore decorantur? Vertitur quippe tenuis illa oblatio, quæ datur, in pios uſus Eccleſiæ; pro quibus adhuc vel modicum ſupereſſet, ſi laboribus Amanuenſium, aliiſque neceſſariis ſumptibus debita detrahantur. Porro nihil novum a RR. Pontificibus ſuſcipitur in iſtarum diſpenſatione gratiarum, quod retroactis valde ante temporibus in Eccleſia non reperiatur. Decurrat Benevolus Lector Capitulum XI., & prono animo conſentiet olim fuiſſe Viris Nobilibus, & in Republica conſpicuis familiarem uſum, ut ad privatam ipſorum devotionem, ac commoditatem in propriis Oratoriis Sacerdotem Sacris operantem haberent. Quod ergo antea ſemper licuit conſentientibus Epiſcopis, cur ex apoſtolica diſpenſatione non etiam noſtra ætate licebit; maxime cum reſtricta ad unicum R. Pontificem facultate elargiendi ſimilia privilegia, pariter ceſſaverint illa multa pericula irreverentiæ quæ frequentius irrepebant, dum quilibet Epiſcoporum domeſticas Miſſas permittebat?

IV. Privilegia Miſſarum in domeſticis Oratoriis ſolent ſimiliter a R. Pontifice concedi omnibus Comitibus, Baronibus, Marchionibus, ſimilique Titulo inſignibus, qui ſimul Juriſdictio-

nem temporalem in quibuſdam Oppidis, Terriſque ſibi ſubjectis exerceant. Etſi enim iſtorum aliquis illuſtris Generis ſplendore, & Avorum careat nobilitate: Ille tamen gradus honoris, quo evecti ſunt, non modicum ſplendorem Perſonæ, Familiæque adjungit. Revera inter multos illos Comites, qui Conſtantinopoli præcipue propria erigere ambiebant Oratoria ſub orthodoxis Imperatoribus, & de quibus aliqua cap. 11. nos indicavimus, nonnullos caruiſſe Generis claritate pluſquam veroſimile arbitramur. Imo ſi antiquos mores repetamus, ſub Carolina Stirpe, & ſequentibus ætatibus vix ulli negatam reperimus domeſtici Sacrificii celebrationem, dummodo, aliqua dote, vel nobilitatis in Genere, vel dignitatis in Republica, vel ſaltem divitiarum copia a reliquis mediocris ſortis hominibus ſecernerentur.

V. Etiam Viduis relictis ex Maritis Juriſdictionem temporalem gerentibus ſolent eadem privilegia domeſticarum Miſſarum in privatis Oratoriis concedi, quæ Maritis conceſſa fuerant; quoniam humanæ Leges ad Uxores Maritorum Dotes derivare declarant. *Fæminæ enim*, inquit Ulpianus L. *Fæminæ: D. de Senator. dignitatem clariſsimam*, *Mariti tribunt*; eamque ſervant toto tempore Viduitatis, niſi ad novas nuptias inferioris dignitatis tranſeant, ſicut ibi ſubditur his verbis: *Tamdiu igitur clariſſima Fæmina erit, quamdiu Senatori nupta eſt, vel clariſſimo, aut ſeparata ab eo alii inferioris dignitatis non nupſit*. Quare iiſdem Titulis defuncto Marito Viduæ honorantur, quibus illo vivente gaudebant, licet jure hæreditario ad alios devoluto nullam Feudi, Baronatuſve Juriſdictionem exerceant. Propter illum igitur honorem, quo inter homines gaudent, bene poſſunt a R. Pontifice illis favoribus ſpecialibus decorari, quos viventibus Maritis vel non negaverat; vel ſi poſtulaſſent, concedere non renuiſſet. Imo nonnumquam ad Filiam quoque orphanam relictam ex Patre defuncto indulgentiæ beneficium Viduæ Matri principaliter conceſſum extendit Pontificis benignitas, ita ut vivente Matre eadem Filia in Oratorio domeſtico Miſſas celebrari facere valeat, etſi forte Mater ipſa Vidua a domo abſens fuerit. Hanc extenſionem Privilegii ad Filiam abſente Matre ex co fieri cenſeo, ne in abſentia Matris cogatur Sacrificio carere Filia idoneam non habens Sociam, cum qua conſueto decore, & honeſtate ad publicam Eccleſiam accedere poſſit.

VI. Largitur inſuper aliquando R. Pontifex privilegium Miſſarum celebrandarum in privato Oratorio quibuſdam *More Nobilium* viventibus. Neque id dedecet, nec alienum prorſus eſt ſaltem ab Antiquiorum More, apud quos vix ullis divitibus honeſta ex familia genitis, & liberalem vitam ducentibus, ac proinde cum debito decore inter alios Cives converſantibus approbatio Oratorii domeſtici negabatur. Ob eandem, vel ſimilem rationem R. Pontifex nonnumquam benigne annuit Votis quorumdam, qui aliam Nobilitatem non habent, præter illam, quam ſcientiæ Viro Sapienti conferunt. Eſt quippe hoc genus nobilitatis valde ſingulare, quod meretur ſingularibus proſequi privilegiis, ut magis incendantur alii ad Litterarum maxime Sacrarum ornamenta comparanda, unde tot bona in univerſam Rempublicam, & in Eccleſiam præcipue redundant. Hinc inter motiva ad juſtam diſpenſationem moventia a Joanne XXII. P. Extra: *Nuper ex certis rationabilibus* Tit. *de Præbend.*, *& Dignitatib.* recenſetur *Litterarum ſcientia*, ſimul cum *Vitæ morum honeſtate*. Aliis ex cauſſis moventur identidem RR. Pontifices in privilegio concedendo domeſtici Sacrificii; atque vel ob præſtita Eccleſiæ beneficia, vel ob bene peracta Eccleſiaſtica graviſſima Officia, vel ob ſingularem alicujus in Moribus pietatem; (Hac profecto ſingulari, ac præcipua de cauſſa conceſſam

puto

puto S. Philippo Nerio a Gregorio XIV. facultatem in privato *Oratorio*, quod proprio cubiculo proxime jungebatur, Miſſas celebrandi, (ut P. Gallonius in ejus Vita cap. 13. num. 150. refert.) vel ob alias ſimiles cauſſas non raro ad illud indulgendum inclinantur.

VII. In his omnibus Apoſtolicis diſpenſationibus, conceſſionibuſque publica ſemper intenditur utilitas; ſecus ut loquitur D. Bernardus Lib. 3. de Conſider. cap. 3. *Non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio* eſſet. Hinc dicebat D. Thomas 1. 2. qu. 97. art. 4. ad 1. *Quando cum aliquo diſpenſatur, ut Legem communem non ſervet, non debet fieri in præjudicium boni communis; ſed ea intentione, ut ad bonum commune proficiat*. Ad hanc rem legi poteſt D. Bernardus Lib. de Præcepto, & Diſpenſat. quo loco recitat verba S. Gelaſii P., & M. Leonis, qui inquit: *Ubi ergo neceſſitas fuerit ad utilitatem Eccleſiæ, qui poteſtatem habet, ea diſpenſet*. Nihil autem obeſt, quod in gratiam unius, alteriuſve favor ille Apoſtolicæ Sedis dirigatur: etenim ut favor reſpiciat utilitatem communem non eſt neceſſe, eum omnes afficere; quando finis, ob quem ſingulari Perſonæ gratia ſpecialis impenditur, ad communem tendit utilitatem. Quare licet per privilegium domeſtici Sacrificii ſolvantur aliquæ ſingulares Perſonæ ab obligatione accedendi ad publicas Eccleſias, ut in illis Miſſæ aſſiſtant; & ſæpe cauſſa, quæ Pontificem movet, a ſingularibus cujuſdam meritis oriatur; adhuc tamen privilegii conceſſio in publicum Eccleſiæ bonum dirigitur, quatenus collato beneficio excitantur multi ad ſimilia merita comparanda, & ad peculiaria obſequia, & opera Eccleſiæ utilia peragenda, in quibus publica utilitas emicat.

VIII. Non uniformiter autem in magna frequentia Pontificiorum Privilegiorum pro celebratione Miſſarum in Oratoriis privatis ſe gerit cum omnibus R. Pontifex; ſed ut bonus diſpenſator ſingula perpendens, pro diverſitate Perſonarum, aut meritorum majore, vel minore amplitudine ſolet amplificare, vel reſtringere privilegia, ut aliqua in parte, ſicut æquum eſt, digniores, ac ſpectabiliores Dignitate, Nobilitate, cæteriſque inſignibus prærogativis conſpicui a Reliquis ſecernantur. Gratiarum diverſitates in his præcipue conſiſtunt: 1. quod non omnibus promiſcue Nobilibus in Urbanis Domibus permittantur Miſſæ, ſed ſolum in Domibus Ruralibus, ubi ob difficiliorem acceſſum ad publicas Eccleſias gravior cauſſa ad diſpenſandum movet. Quod ſi alicui Viro Nobili; aut Nobilium more viventi permittitur Sacrificium in Domo Urbana, reſtringi ſolet facultas ad tempus Infirmitatis, quando extra Domum exire, atque ad Eccleſias accedere prohibentur. 2. Quod communiter unica tantum pro ſingulis Diebus Miſſa conceditur; & paucis duæ: Imo quibus nonnumquam ob graves cauſſas moventes duplex Sacrificium conceditur, rariſſime hæc extenſio in Apoſtolico Diplomate exprimitur; ſed ad ſummum Oratoribus pro amplificatione favoris ad ſecundam Miſſam ſupplicantibus petita gratia per ſimplex reſcriptum ſubjectum ſupplici Libello tribuitur. Vidi Privilegium conceſſum ab uno ex RR. Pontificibus valde illuſtri Romanæ Familiæ, quæ aliquo conſanguinitatis vinculo cum Pontifice jungebatur, in quo vix duæ *dumtaxat* Miſſæ quotidie fieri in Oratoriis privatis conceduntur; & Oratoria ipſa determinantur; ita ut neque ad omnes Domos Rurales Indultum protendatur. Vel ipſis Oratoribus Catholicorum Principum ad Aulas Hæreticorum miſſis reſtringitur Papale Breve ad unicam Miſſam, quamvis nullus Dies, nulluſque ex adſtantibus excipiatur. 3. Quod majores Anni Solemnitates excipiuntur; ita ut ferme numquam permittatur Sacrificium in privatis Oratoriis in Feſtis Nativitatis, Paſchatis, & Pentecoſtes: & difficillime quoque obtineatur facultas pro aliis Diebus Solemnioribus, niſi cauſſa In-

firmitatis ſpecialem dilatationem Privilegii impetraverit. Imo ad oſtendendam ſingularitatem extenſionis, & cauſſæ gravitatem, ob quam conceditur, ſæpe genus ipſum Infirmitatis exprimitur, ut in pluribus Apoſtolicis Privilegiis legi; videlicet Crurum, Pectoris, gravis Senectæ, & ſimilium. 4. Quod exigitur præſentia Patris, aut Matris- Familias, ſeu Principaliter Privilegiati; ac raro extendatur privilegium ad ſolam præſentiam Filiorum, aut Fratrum. 5. Quod non ſinantur gaudere privilegio, niſi qui ſunt de Familia. 6. Quod ex Familiaribus illi tantum ſatisfaciant præcepto eccleſiaſtico Miſſæ audiendæ, qui famulatui præbendo actu ſunt neceſſarii. Ab his reſtrictionibus, vel ſaltem ab harum aliqua non arctantur privilegia conceſſa quibuſdam Illuſtrioribus Familiis, quæ pro ipſarum erga Apoſtolicam Sedem majore devotione, ac meritis abundantiore etiam gratiarum copia ab Apoſtolica Sede ſunt nobilitatæ. Alterum etiam diſcrimen in modo concedendi Privilegia Viris Nobilibus, ac aliis More Nobilium viventibus adverti; cum illa ad Viros Nobiles directe dirigantur: At vero pro reliquis Litteræ Apoſtolicæ ad Loci Ordinarium mittuntur. Imo aliquando non in forma Brevis, ſed per mera reſcripta ſupplicibus Libellis ſubjecta Indultum ipſis conceditur. Ferme nulla privilegia Miſſarum domeſticarum Familiis Laicorum conceduntur *in perpetuum* duratura; nam tanta amplitudo Magnis Principibus, & proximis Conſanguineis RR. Pontificum pene ſolum tribuitur. IX. Sunt vero quædam Collegia tantæ Dignitatis, tantæque Nobilitatis ſive inſpecta Perſonarum conditione, ſive inſpecto munere, quod exercent; ut RR. Pontifices voluerint ſingularitate gratiarum proſequi omnes, & ſingulos, qui in illis adſcripti fuerint. Talia ſunt ampliſſima ſane Collegia Auditorum Romanæ Rotæ, Votantium Signaturæ Juſtitiæ, & Abbreviatorum Majoris Præſidentiæ. Quanto honore emineant eadem valde inſignia Collegia, Viri celebres Bernini, Fattinellus, & Ciampinus tradiderunt; Prior de Auditoribus, ſecundus de Votantibus; tertius de Abbreviatoribus diſtinctis Operibus differendo. Unde nec mirum eſt, quod *Motu proprio* Pontifices ſtudium paternæ benevolentiæ ſuæ oſtenderint in perſonas, quæ obſequia, & labores in Apoſtolicæ Sedis honorem, & ſervitia impendunt, eaſdemque condignis majoris favoris, & gratiæ titulis, & pontificiæ liberalitatis beneficiis decoraverint. Hæc plane ſunt motiva, quæ RR. Pontifices expoſuerunt, cum illis facultatem Miſſas celebrandi, vel celebrari faciendi in ipſorum Oratoriis contulerunt Illuſtriſs. Votantibus Signaturæ, qui etiam ſunt de numero Apoſtolicorum Referendariorum, hujuſmodi Privilegium Clemens IX. Conſtitut. edita die 14. Martii 1686. conceſſit. Hanc recitat Optimus Præſul Fatinellus de Fatinelli *de Refferend. Votantib. Signaturæ Collegio* pag. 139. edit. R. An. 1696.; atque in ea licet omnes limitationes reperiantur, quibus ſolent a R. Pontifice limitari privilegia Oratorii Domeſtici cæteris Viris Nobilibus conceſſa; tamen nulla limitatio adhibetur pro duratione Privilegii, ut proinde dimiſſo officio valeant prædicti Votantes Referendarii eodem uti tam in Urbe Romana, quam extra Urbem, ut aperte Clemens IX. tradit. De hoc ipſo Privilegio participant, quantum arbitror, Illuſtriſſimi Auditores Rotæ, quibus antea Clemens VII. Altaris portatilis uſum conceſſerat: Etenim a Paulo III. Anno 1537. die 17. Auguſti communicata illis fuerat participatio Privilegiorum, quæ conceſſa, & *in poſterum concedenda* erant Referendariis Apoſtolicis. Porro Clemens X. Conſtit. 28. Novæ Editionis Bullar. R. Anno 1671. 14 Kal. Januar. privilegia antea conceſſa iiſdem R. Rotæ Auditoribus, innovavit, confirmavitque. Ab Urbano VIII. Conſtitut. edita 13. Kal. Aprilis Anni

1623.

1623. Abbreviatores *Majoris Præſidentiæ* ampliſſimum revera privilegium pro Oratorio domeſtico obtinuerunt: Nam in illo nulli dies feſti, atque ſolemnes excipiuntur, nec ulla limitatio apparet Perſonarum, quibus ſuffragetur ad eccleſiaſticum præceptum implendum auditio Miſſæ in Oratorio Abbreviatoris celebratæ. Imo, ut obſervat Ciampinus Lib. de Origin. Abbreviatorum de Parco Majori cap. 18., Potificium Privilegium de neceſſitate præſentiæ ejuſdem Privilegiati Abbreviatoris ad licitam in illius domeſtico Oratorio celebrationem nihil decernit. Unica hæc erat in Urbani P. privilegio limitatio, quod illud tantummodo duraret, *quamdiu Officia hujuſmodi* (Abbreviatores) *obtinuerint*; *non autem illis dimiſſis*: At Clemens X. P. altera Conſtitut. edita die 30. Auguſti Anni 1670., & a Ciampinio recitata extendit facultatem uſque ad obitum; *dummodo tamen illa* (Abbreviatoris) *Officia per quinquennium exercuiſſe, ſeu obtinuiſſe reperiantur*. Illuſtriſſimis Clericis Cameræ Apoſtolicæ ob *conſpicuam muneris* eorum dignitatem, & aſſiduos graves labores, quos pro Sedis apoſtolicæ ſervitio jugiter *ſuſtinent*, Privilegium pro Oratorio domeſtico Anno 1655. die 18. Novemb. conceſſit Alexander P. VII. cum illis limitationibus quas poſtea Clemens IX. pro Votantibus Signaturæ adhibuit; etſi fortiores dicendi formulas adhibuerit Alexander, ut perpetuitas ejuſdem Privilegii magis muniretur.

X. Noviſſime Benedictus XIV. ampliſsimo Collegio Advocatorum Conſiſtorialium ſimile Privilegium conceſſit; ita tamen, ut illorum quilibet ſpeciales Litteras Apoſtolicas accipere teneretur. Iſtud ipſum, quod ceteris recentius prodiit, nec hactenus editum fuit, meam hanc adornabit opellam.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Inſigne Dilectorum Filiorum Advocatorum Conſiſtorialium Collegium, in quod dudum, cum in minoribus eſſemus, cooptati fuimus, antiquitate, ac dignitate in Romana Curia ſemper commendatiſſimum, atque adeo prærogativis, honoribus, inſignibus, privilegiis, aliiſque Indulgentiis a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris decoratum, & plurimi habitum, haud immerito exigere videtur, ut a Nobis, qui præclara earundem Advocatorum Conſiſtorialium merita, & aſſiduos in Apoſtolicæ hujus S. Sedis obſequium impendendos labores perſpeximus, & experti fuimus, perenne Paternæ Caritatis, Pontificiæque noſtræ Benignitatis monimentum iiſdem impertiatur. Volentes itaque dictis Advocatis Conſiſtorialibus gratiam facere ſpecialem, & earum ſingulares Perſonas a quibuſvis... cenſuris... abſolventes... Motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtra, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine omnibus, & ſingulis Advocatis Conſiſtorialibus, eorumque Coadjutoribus nunc, & pro tempore quandocunque exiſtentibus, ut in privato domus cujuslibet eorum habitationis, etiam in hac alma Urbe noſtra Oratorio ad hoc decenter muro exſtructo, & ornato, ſeu exſtruendo, & ornando, ab omnibus domeſticis uſibus libero, per dilectum Filium Noſtrum in eadem Urbe Vicarium in ſpiritualibus Generalem quo ad Oratoria in dicta Urbe; & quo ad alia extra eandem Urbem per Ordinarium Loci reſpective prius viſitando, & approbando, unam Miſſam pro unoquoque die, dummodo in domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret alteri conceſſa non fuerit, per ſe ipſos, ſi Sacerdotes fuerint, celebrare, ſeu per quemcumque Sacerdotem approbatum Secularem, vel de Superiorum ſuorum licentia Regularem, ſine tamen quorumcumque Jurium Parochialium præjudicio, ac Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, ac Nativitatis D. N. J. C., aliiſque Solemnioribus Anni Feſtis Diebus exceptis, in ſua, aut quatenus Conjugati exiſtant, in eorum reſpective Uxorum,

rum, & Natorum, Conſanguineorum, & Affinium ſecum in ſimul in eadem domo habitantium, ac cujuslibet earum Familiæ præſentia celebrari facere libere, & licite poſſit, & valeant; ita tamen ut Uxores, & Nati, & Conſanguinei, & Affines ſupradicti prædictam unicam Miſſam, ipſis quidem præſentibus audire tantummodo, numquam vero celebrari facere valeant; quodque Familiares eorum ſervitiis actu non neceſſarii ibidem Miſſæ intereſſentes ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia Diebus Feſtis de præcepto liberi minime cenſeantur; Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur, decernentes eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore; ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam per Auditorem, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quoſvis alios quacunque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros judicari, & definiri debere &c. Non obſtantibus, &c. Cæterum hujuſmodi gratiam iis dumtaxat Advocatis Conſiſtorialibus ſuffragari declaramus, & decernimus, qui Apoſtolicas in ſimili forma Brevis litteras in forma ad uniuſcujuſque favorem expediendas obtinuerint, & non alias. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcator. die 28. Febr. 1742. Pontif. N. Anno 2.

XI. An aliis Collegiis extra Urbem ſimile Privilegium conceſſum fuerit? ignoro. Tantum ſcio, quod poſtquam Clemens XI. magnis Privilegiis Ulixiponeñ. Eccleſiæ Patriarchalis Canonicos exornaverat, & poſtquam Joannes V. Portugalliæ Rex piiſſimus magnis honoribus, boniſque cumulaverat inſigne illud Capitulum, Clemens P. XII. valde convenire judicavit Motu proprio ex ſpeciali ſuæ Apoſtolicæ Beneficentiæ largitate Privilegium Miſſarum domeſticarum in ejuſdem inſignia membra effundere; quæ in Conſtitutione die 22. Martii 1738. edita, & inſerta Tomo 14. Bullar. R. Novæ Edit. pag. 229. continetur. Cum autem novas preces idem inclitus Rex erga Canonicos ſuæ Regiæ Civitatis propenſiſſimus pro ampliatione Privilegii addidiſſet; idem Opt. Pontifex alia Conſtitutione edita die 29. Maii ejuſdem Anni clementiſſime annuit. Partem iſtius hoc loco inſerendam duxi, quæ pertinet ad Oratorium privatum, altera parte, quæ reſpicit uſum Altaris Viatici iiſdem Canonicis conceſſum, rejecta ad ſequens Opuſculum.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias Nos, nempe die 22. Martii currentis Anni 1738., ad inſignem dilectorum Filiorum Capituli, Dignitatum, & Canonicorum Patriarchalis Eccleſiæ Ulixiponenſis Occidentalis Ordinem amplioribus Eccleſiaſticæ Dignitatis prærogativis decorandum per quaſdam noſtras deſuper in ſimili forma Brevis expeditas Litteras iiſdem Capitulo, Dignitatibus, & Canonicis Auctoritate Apoſtolica ſub certis modo, & forma tunc expreſſis conceſſimus, & indulſimus, ut moderni, & pro tempore exiſtentes Dignitates, & Canonici Patriarchalis Eccleſiæ prædictæ in privatis domorum ſuæ habitationis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis exiſtentibus Oratoriis, ad hoc decenter muro extructis, & ornatis, ſeu extruendis, & ornandis, ab omnibus domeſticis uſibus liberis per Ordinarios reſpective Locorum prius viſitandis, & approbandis, ac de ipſorum Ordinariorum licentia unam Miſſam pro unoquoque die per ſemetipſos celebrare, ſeu per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum ſecularem, ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem, ſine tamen quorumcumque Jurium

rium Parochialium præjudicio, *ac Paſchatis Reſurrectionis*, *Pentecoſtes*, *& Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti aliiſque ſolemnioribus Anni Feſtis Diebus exceptis*, *in ſua*, *ac Conſanguineorum*, *& Affinium ſecum inſimul in eadem domo habitantium*, *Familiæque*, *& quo ad Oratoria Ruri exiſtentia etiam in Hoſpitum Nobilium ſuorum præſentia*, *etiam per horam poſt meridiem*, *celebrari facere libere*, *& licite poſſent*, *& valerent*, *ac quilibet eorum poſſet*, *ac valeret*, *& alias prout in noſtris litteris prædictis . . . . . continetur*. *Nuper vero cum pro parte Cariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Johannis Portugalliæ*, *& Algarbiorum Regis Illuſtris ſupplicatum fuerit*, *ut Indultum prædictum eiſdem Dignitatibus*, *& Canonicis*, *cum ipſos nonnullis corporis infirmitatibus obnoxios exiſtere*, *& iter facere contigerit*, *extendere*, *& ampliare dignaremur* : *Nos piis ejuſdem Johannis Regis votis hac in re*, *quantum cum Domino poſſumus*, *favorabiliter annuere volentes ſupplicationibus ejuſdem Joannis Regis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati eiſdem modernis*, *& pro tempore exiſtentibus Dignitatibus*, *& Canonicis Patriarchalis Eccleſiæ Ulixiponenſis prædictæ*, *ut ipſi tempore infirmitatum*, *propter quas domo Miſſam audiendi gratia egredi non poterunt*, *prædictam unicam Miſſam in privatis Oratoriis ſupradictis etiam diebus in prædictis noſtris Litteris*; *ut præfertur*, *exceptis in ſua*, *ac perſonarum ſervitiis ſuis neceſſariarum unam*, *aut alteram non excedentium dumtaxat*, *celebrari facere libere*, *& licite poſſint*, *& valeant*; *ac quilibet eorum poſſit*, *& valeat*, *ita ut tam Ipſi*, *quam Perſonæ prædictæ ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia Diebus Feſtis de præcepto liberi cenſeantur*; *ſervatis tamen in reliquis prædictarum Litterarum forma*, *& diſpoſitione*; *eadem auctoritate tenore præſentium concedimus &c. Non obſtantibus omnibus*, *& ſingulis illis*, *quæ in dictis noſtris Litteris voluimus non obſtare*, *cæteriſque contrariis quibuſcumque*. *Datum Romæ apud S.M.M.die* 29.*Maii A.*1739.

XII. Triplicem modum in concedenda facultate Miſſarum celebrandarum in Oratorio pirvatæ domus tenuiſſe R. Pontificem poſt Concilium Tridentinum Ciampinus de Origin. Abbrev. cap. 18. pag. 113. advertit; videlicet per Congregationem Concilii, per Datariam, & per Secretariam Brevium. Olim igitur ſupplices Libelli ut plurimum ad Congregationem Concilii Tridentini Interpretum mittebantur, atque ab ea examinatis precibus juxta illius votum Oratoribus Privilegia Pontificia tradebantur. Quamplures hujuſcemodi Libelli Tomo 41. *Poſition.* continentur; etſi tamen apographa Privilegiorum nulla in Archivvo ejuſdem Congregationis viderim; quæ in Secretaria Brevium ſervantur. Aliquando etiam immediate ab eadem Congregatione Litteræ conceſſum a R. Pontifice Indultum Miſſarum domeſticarum ſignificantes ſcribebantur; licet pene tantum id fieri conſueviſſe adverterim, quando Epiſcopis ſcribere oportebat, ut in Litteris ad Cardinal. Sandoval, & Cardinal. Guevara miſſis, & cap. 14. num. 19., & cap. 17. num. 14. recitatis apparet. Reperi in Regeſtis Sac. Congregationis *ſuper negotia Epiſcoporum & Regularium*, quod aliquando ad ipſam quoque Oratores pro Miſſarum celebratione in Oratoriis privatis confugerent. In Libro Decret. Anni 1615. die 21. Auguſt. fol. 84. duo exempla occurrerunt, ubi poſt Supplicantium libellos ſubjungitur: *Sanctiſſimus D. N. audita Sac. Congregationis ſententia annuit*, *ut concedatur in forma noviſſima*, *& Oratricis* (ſive Oratoris) *vita durante*. Mos confugiendi immediate ad Sac.Concilii Trid.Congregationem duravit uſque ad ætatem Fagnani, qui a Secretis illius fuerat, & ad cap. *in his* n. 18.jam cœpiſſe conſue-

tudinem immediate ad R. Pontificem dirigendi ſupplicem libellos pro Miſſarum celebratione domeſtica tradidit. Cum enim jam regulæ ſtabilitæ forent, quibus Perſonis, quibuſque ex cauſſis a R. Pontifice ſimilia Privilegia concederentur; jam ſuperfluum videbatur alibi preces offerri, quam in Secretaria Brevium, ubi eadem Indulta in forma Brevis deſcribebantur, & Oratoribus tradebantur. Mos iſte adhuc viget, ita tamen ut R. Pontifex adhuc votum, ac conſilium Cardinalium Concilii Interpretum expoſcat, quoties diligentius preces ſunt examinandæ, vel ab Ordinariis Locorum prius neceſſario exquirenda inſtructio, ſeu *informatio* videtur. Si tamen nunc Privilegio domeſticarum Miſſarum in forma Bullæ concederentur, poſtquam Chirographum a Pontifice obſignatum foret, per Datariam tribueretur, quemadmodum Conſtitutio Urbani pro Abbreviatoribus ab illa teſte Ciampino cit. prodiit.

XIII. Etſi vero varios modo tenuerit Pontifex in diſpenſatione ſuorum Privilegiorum pro Miſſis celebrandis in Oratorio privatæ domus, ſemper tamen, ac conſtanter eaſdem pene omnes conditiones, ac limitationes addere conſuevit; formulaſque pene uniformes adhibuit, ac ſolum quædam reſtrictiones expreſſius expoſitæ fuerunt, ut tolleretur omnis occaſio plus æquo, & ultra mentem Pontificis protendendi Apoſtolicum Indultum. Lubet hic ſubjicere formulas plures præcedentium Privilegiorum, ut illis collatis cum conſueta moderna formula appareat conſtans uniformitas, quam ſaltem multis ab hinc annis poſt Concilium Tridentinum retinuerunt RR. Pontifices in ſuis Privilegiis, quæ Viris Nobilibus erogare conſueverunt. Atque in primis unum eligo Privilegium a S. Pio V. conceſſum, quod propter dignitatem Oratoris amplam ſane facultatem continebat.

Dilecto Filio Nobili Viro N.N. Comiti de Portalegre.

PIUS PP. V.

Dilecte Fili Nobilis Vir ſalutem &c. Exhibita Nobis pro tua parte petitio continebat, quod Tu, qui ſexagenarius, vel circa exiſtis, aliquibus interdum etiam præpeditus negotiis non poteras ſingulis diebus pro Miſſa, aliiſque Divinis Officiis audiendis ad publicas Eccleſias commode accedere, cupiebaſque in aliquo privato Oratorio domus, in qua Te pro tempore habitare contingerit, Miſſam, & alia Divina Officia, quoties Tibi placuerit, celebrari facere poſſe, ſi id ex Apoſtolica Conceſſione Tibi liceret. Ac propterea Nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut Tibi in præmiſſis opportune providere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos hujuſmodi tuis ſupplicationibus inclinati, volentes Tibi gratiam facere ſpecialem, Tibi, ut in aliquo privato Oratorio domus, quam Te pro tempore habitare contigerit, decenter tamen ornato, & per Loci Ordinarium approbato, vel approbando, & viſitando, Miſſam, & alia Divina Officia, quoties Tibi placuerit, per idoneos Sacerdotes Seculares, vel cujuſvis Ordinis Regulares celebrari facere, illiſque una cum Uxore, & Familia tua, etiam Dominicis, & aliis Feſtivis Diebus intereſſe libere, & licite poſſis, & valeas, ita quod ad alibi illa audiendum a prædicto Loci Ordinario, vel alio quocumque invitus cogi, aut compelli nequeas, ſalvis tamen Juribus Parochiæ, ſub qua Te morari contigerit, quæ omnino ſolvere tenearis, Auctoritate Apoſtolica præſentium tenore de ſpeciali gratia indulgemus. Decernentes Oratoria hujuſmodi nullo unquam tempore Eccleſiaſtica Beneficia, ſeu illorum membra Te invito cenſeri, aut reputari poſſe. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris

dic

die 26. Maii 1568. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

XIV. Qualis fuerit Litterarum Apoſtolicarum ſub Gregorio XIII., dignoſci poteſt ex ipſius Privilegio, quod Cap. 14. num. 4. recitavimus; licet tamen tanta facultatis amplitudo nonniſi Magnis Principibus tradi ſoleret. Nunc itaque unum ex Privilegiis a Sixto V. conceſſum edo, quod collatum cum aliis ab ipſo conceſſis multo excellit.

Dilecto Filio Officiali Mexicano.

SIXTUS PP. V.

Dilecte Fili ſalut. Eximia devotio dilecti Filii Petri N. Auditoris antiquioris, qui præſidet Regiæ Audientiæ Mexicanæ in Indiis, erga Nos, & Apoſtolicam Sedem promeretur, ut ſuis honeſtis Votis benigne annuamus, quæ ad ſpiritualem ejus conſolationem, & commodum pertinere noſcuntur. Cum itaque, ſicut Nobis exponi fecit ipſe, qui in Mexicana Civitate commoratur, propter quotidianas occupationes ad Eccleſiam ad audiendum Miſſas quotidie, ſicut deſiderat, commode accedere non poſſit, propterea Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi in præmiſſis opportune providere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur illius ſupplicationibus inclinati Diſcretioni Tuæ committimus, & mandamus, quatenus Tu eidem Petro; ut in aliqua parte, ſeu Loco domus ſuæ congruo, & honeſto, per Te, vel alium a Te deputandum approbando Capellam decenter ornatam, & in ea Altare cum debitis honore, & reverentia habere; ac in eadem Capella, & Altari per Sacerdotem idoneum Secularem, vel cujuſvis Ordinis Regularem de ſui Superioris licentia approbatum Miſſas quibuſvis tam Feriatis, quam Dominicis, vel Feſtivis, etiam maxime ſolemnibus nullis prorſus exceptis diebus, & Anni Temporibus, etiam quotidie, ſi ei ita videbitur, ac quando voluerit, etiam per mediam horam ante lucem celebrari facere, ipſo tamen Petro præſente libere, & licite valeat; ita ut idem Petrus Miſſas hujuſmodi audiendo præcepto Eccleſiæ ſatisfaciat; nec ſibi, nec ipſis Præsbyteris, ut præfertur, celebrantibus, id ipſum queat ad culpam imputari; neque alias eorum quiſpiam tali occaſione moleſtari poſſit, aut debeat, licentiam Apoſtolica Auctoritate noſtra concedas non obſtantibus &c. Datum Romæ apud S. Marcum die 17. Septembris 1586. Anno 2.

XV. Sub Sixto V. ex valde probabilibus conjecturis colligo prodiiſſe illas cautiones Sac. Congregationis Concilii, quas Tomo 26. *Poſition.* fol. 192. reperi, & ſupra Cap. XIV. n. 4. indicavi. Ex his autem apprime cognoſcitur, quales eſſe debuerint Apoſtolicarum Litterarum formulæ in conceſſione Miſſarum domeſticarum deinceps cuſtoditæ. Quinque fuerunt *cautiones* a Sac. Congregatione ſtabilitæ, & a Pontifice probatæ. 1. *Ut Oratorium conſtituatur in Loco decenti, & clauſo, viſiteturque, & approbetur ab Ordinario.* 2. *Ut facultas hæc non concedatur niſi Viris, aut Fœminis primariis morbo, aut alia cauſſa impeditis, ne ad Eccleſiam accedant.* 3. *Ut in die Paſchatis teneatur is, cui conceditur, adire Parochialem Eccleſiam.* 4. *Ut id concedatur ſine præjudicio Jurium Parochialium.* 5. *Ut qui ibidem Miſſas audierint, non liberentur ab obligatione accedendi diebus præcepti ad Eccleſiam pro Miſſis audiendis, præter eos famulos, & famulos tantum, qui ſervitio Domini, cui facultas conceditur, fuerint neceſſarii.* Has conditiones ſub Sixto V. poſtea ſervari cæpiſſe arbitror, cum ſubnectantur poſt ſupplicem Libellum in eodem Tomo fol. 190. inſertum, qui, dum Nobilis quædam Fæmina Januenſis poſt mortem Mariti Nobiliſſimi Patricii Januenſis, & antea a Sixto V. propter infirmitates privilegio Miſſarum domeſticarum inſtructi peteret ab Innocentio IX. ſimilem facultatem, narrat Card. Mathei Congregationis Præfectum prius teſtimonium authenticum de ipſius Nobilitate, & Infirmitate quæ-

quæſiviſſe. Etiam tempore Clementis VIII. omnes illæ cautiones in Litteris Apoſtolicis inſerebantur; quarum hoc exemplum profero.

CLEMENS PP. VIII.

Dilecte Fili ſal. & Apoſt. Benediction. Conſolationi tuæ quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere, atque ſpiritualibus favoribus, & gratiis proſequi volentes ſupplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, Tibi, qui, ut aſſeris adeo ſenex (in aliis legi expreſſum Morbum podagræ, aut ſimilem) *exiſtis, ut extra domum ad effectum te ad Eccleſiam pro ſacra Miſſa inibi audienda conferendi exire nequeas, quo fit, ut plerumque fructu ex auditione Miſſæ proveniente deſtitutus remaneas, ut quo ad vixeris, in privato Domus tuæ Oratorio, ad hoc decenter exſtructo, ſeu exſtruendo, ac ornato, ſeu ornando, ac ab omnibus domeſticis uſibus libero, ab Ordinario Loci prius viſitando, & approbando Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, per quemcumque Sacerdotem Secularem, ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem in tua, ac familiæ tuæ præſentia celebrari facere, ſine tamen Jurium Parochialium præjudicio, ac exceptis diebus Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis D. N. J. C., & aliis Solemnioribus Anni Diebus Feſtis libere, & licite poſſis, & valeas Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus &c. Volumus autem, ut alii præter Familiares tuos tuo ibidem ſervitio neceſſarios ibidem Miſſæ intereſſentes Diebus Feſtis de præcepto ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia minime liberi cenſeantur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcat. die* 11. *Decembr.* 1604. *Pontif. Noſtri Anno* 13. Foris a tergo; *Dilecto Filio N. N. Nobili Paduano.*

XVI. Hanc ipſam regulam tenuerunt poſtea reliqui Pontifices, nec mutaverunt, niſi cum ſingularia quædam Privilegia largiebantur, in quibus majorem extenſionem etiam ad Adſtantes, vel quandoque ad Poſteros ipſos, ac ſine exceptione dierum facere voluerunt. Cœpit autem ſub Paulo V. facilius concedi Nobilibus facultas Miſſarum in Oratoriis privatis, etiamſi morbo non laborarent; nondum tamen tunc ita familiariter pro domibus urbanis concedebatur, quam pro ruralium domorum Oratoriis, quantum in Regeſtis Secretariæ Brevium advertere potui. Ne vero in eadem domo plura Oratoria ob cohabitationem diverſorum Privilegiarum eſſent, ſub Paulo V. id in Privilegio expreſſe caveri cæpit, quod ſatis in conditionibus requiſitis in Pauli V. Indulto pro Epiſcopis Hiſpanis, & cap. 14. n. 15. expoſito colligitur. Hanc conditionem conſtanter appoſuerunt in ſuis litteris RR. Pontifices, ut eam Gregorius XV. etiam in privilegio Epiſcoporum Solio Apoſtolico Aſſiſtentium inſerere voluerit. Cum autem plurimum expediret exprimere nomina aliorum, qui de conceſſo Privilegio participare poterant, atque ſimul magis conſulere reverentiæ Sacrificii; propterea ſub Urbano VIII. non ſolum præcedentia omnia, verum etiam Mater, Uxor, Nurus, Fratres, Nati, Nataeque in Indulto exprimebantur; & arbitrio Ordinarii duratura conceſſa facultas ſubjiciebatur. Plura in Archivvo Eminentiſſimi Vicarii hujuſmodi Privilegia legi, in quibus hæc omnia exponuntur. Partem unius inferimus, quod valde Nobili Rom. Fæminæ Anno 1636. conceſſum ab ipſo fuerat, his verbis.

URBANUS PP. VIII.

Dilecta in Chriſto Filia ſalut. &c. Spirituali conſolationi tuæ . . . conſulere . . . volentes . . . Tibi, quæ, ut aſſeris, Terræ, ſeu Loci N. Sabinenſis Diœceſis juriſdictionem habens Marchioniſſa exiſtis; ut in privato Oratorio domus tuæ in Alma Urbe ad hoc decenter exſtructo....per dilectum Filium Noſtrum Vicarium in ſpiritualibus Generalem prius viſitando & approbando, ac

de

de ipſius Vicarii licentia ejus arbitrio duratura unam Miſſam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem &c. in Tua, ac Nati, & Natarum, Familiæque tuorum præſentia celebrari facere... licite poſſis &c. Reliqua ex ſuperioribus ſupplenda omittimus.

XVII. Vidimus etiam in eodem Archivvo Privilegium a prædicto Urbano P. Anno 1643. Nobilibus Romanis Conjugibus conceſſum, in quo hæc verba, *in Veſtra, ac Familiæ veſtræ, nec non Fratrum tuorum Germanorum dilecte Fili, tuorumque Natorum in eadem domo vobiſcum inſimul habitantium præſentia*. Hanc limitationem habitationis *inſimul* poſtea alii Pontifices expreſſerunt, quoties aliquos Conſanguineos, vel Affines participantes de Privilegio commemorabant, licet rariſſime elapſo ſæculo in Apoſtolicis Litteris alii exprimi ſolerent, quam Oratores, ac generatim *Familia*. Nondum porro tempore Urbani VIII. circa Familiares neceſſarios ſervitiis uſurpati conſueverat particula *Actu*; quam illius ſucceſſor Innocentius X. uſurpare cœpit; ut in Brevi conceſſo die 10. Martii 1653. in Regeſtis Archivvi Eminentiſſ. Vicarii obſervavi; in quo etiam fit mentio *Hoſpitium Nobilium*.

XVIII. Ex his dignoſcitur, qualis eſſet formula Privilegii antea a Romanis Pontificibus uſurpata. Ubi vero ob infirmitatem, ſimilemque cauſſam ad omnes dies etiam ſolemniores facultas extendebatur, tunc hanc formulam adhibere conſueverant, quam ex Litteris Apoſtolicis in forma Brevis ſcriptis ab Innocentio X. cuidam Comiti Auſtriaco profero.

INNOCENTIUS PP. X.

Dilecte Fili ſalutem &c. Nuper Nos ſupplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, Tibi, qui, ut aſſerebas, Loci N. juriſdictionem temporalem in eo exercens Paſſavienſis Diœceſis Dominus in temporalibus exiſtis, ut in privato domus tuæ habitationis in Civitate Viennenſi in Auſtria Oratorio, ad hoc decenter muro &c. Feſtis Diebus exceptis in tua, ac Familiæ tuæ præſentia celebrari facere libere, & licite poſſes, & valeres ſub certis modo, & forma tunc expreſſis Apoſtolica Auctoritate conceſſimus, & indulſimus, pro ut in noſtris deſuper in forma Brevis expeditis Litteris continetur. Cum autem, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, Tu Podagra ita laboras, ut domo Miſſam audiendi cauſſa egredi nequeas, & propterea Tibi per Nos deſuper, ut infra, indulgeri ſummopere deſideres, Nos Te amplioribus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis &c. cenſentes ſupplicationibus tuo nomine Nobis denuo ſuper hoc humiliter porrectis inclinati Tibi, ut prædicta infirmitate durante tantum, unicam Miſſam prædictam pro unoquoque die in eodem Oratorio etiam in diebus ſupra exceptis in tua, ac unius perſonæ ſervitiis tuis neceſſariæ dumtaxat præſentia, ac ſervata in reliquis in omnibus, & per omnia Litterarum præfatarum forma, celebrari facere libere, & licite poſſis, & valeas auctoritate prædicta tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in dictis noſtris voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 23. Decembris 1651. Anno 8.

XIX. Aliquando has ampliationes licentiæ celebrari faciendi Diebus Feſtis exceptis concedebant RR. Pontifices Litteris ſimiliter in forma Brevis ad Locorum Ordinarios miſſis. Iſtarum ſpecimen ex Regeſtis ejuſdem Innocentii X. libentius edo, quia magis confirmat quæ in cap. 15. n. 20. diximus.

Venerabili Fratri Epiſcopo Triventino.

INNOCENTIUS PP. X.

Ven. Frater ſalut. &c. Exponi Nobis

nuper

quæſiviſſe. Etiam tempore Clementis VIII. omnes illæ cautiones in Litteris Apoſtolicis inſerebantur; quarum hoc exemplum profero.

CLEMENS PP. VIII.

Dilecte Fili ſal. & Apoſt. Benediction. Conſolationi tuæ quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere, atque ſpiritualibus favoribus, & gratiis proſequi volentes ſupplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, Tibi, qui, ut aſſeris adeo ſenex (in aliis legi expreſſum Morbum podagræ, aut ſimilem) *exiſtis, ut extra domum ad effectum te ad Eccleſiam pro ſacra Miſſa inibi audienda conferendi exire nequeas, quo fit, ut plerumque fructu ex auditione Miſſæ proveniente deſtitutus remaneas, ut quo ad vixeris, in privato Domus tuæ Oratorio, ad hoc decenter exſtructo, ſeu exſtruendo, ac ornato, ſeu ornando, ac ab omnibus domeſticis uſibus libero, ab Ordinario Loci prius viſitando, & approbando Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, per quemcumque Sacerdotem Secularem, ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem in tua, ac familiæ tuæ præſentia celebrari facere, ſine tamen Jurium Parochialium præjudicio, ac exceptis diebus Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis D. N. J. C., & aliis Solemnioribus Anni Diebus Feſtis libere, & licite poſſis, & valeas Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam concedimus, & indulgemus.* Non *obſtantibus &c. Volumus autem, ut alii præter Familiares tuos tuo ibidem ſervitio neceſſarios ibidem Miſſæ intereſſentes Diebus Feſtis de præcepto ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia minime liberi cenſeantur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcat. die* 11. *Decembr.* 1604. *Pontif. Noſtri Anno* 13. Foris a tergo; *Dilecto Filio N. N. Nobili Paduano.*

XVI. Hanc ipſam regulam tenuerunt poſtea reliqui Pontifices, nec mutaverunt, niſi cum ſingularia quædam Privilegia largiebantur, in quibus majorem extenſionem etiam ad Adſtantes, vel quandoque ad Poſteros ipſos, ac ſine exceptione dierum facere voluerunt. Cœpit autem ſub Paulo V. facilius concedi Nobilibus facultas Miſſarum in Oratoriis privatis, etiamſi morbo non laborarent; nondum tamen tunc ita familiariter pro domibus urbanis concedebatur, quam pro ruralium domorum Oratoriis, quantum in Regeſtis Secretariæ Brevium advertere potui. Ne vero in eadem domo plura Oratoria ob cohabitationem diverſorum Privilegiarum eſſent, ſub Paulo V. id in Privilegio expreſſe caveri cæpit, quod ſatis in conditionibus requiſitis in Pauli V. Indulto pro Epiſcopis Hiſpanis, & cap. 14. n. 15. expoſito colligitur. Hanc conditionem conſtanter appoſuerunt in ſuis litteris RR. Pontifices, ut eam Gregorius XV. etiam in privilegio Epiſcoporum Solio Apoſtolico Aſſiſtentium inſerere voluerit. Cum autem plurimum expediret exprimere nomina aliorum, qui de conceſſo Privilegio participare poterant, atque ſimul magis conſulere reverentiæ Sacrificii; propterea ſub Urbano VIII. non ſolum præcedentia omnia, verum etiam Mater, Uxor, Nurus, Fratres, Nati, Nataque in Indulto exprimebantur; & arbitrio Ordinarii duratura conceſſa facultas ſubjiciebatur. Plura in Archivvo Eminentiſſimi Vicarii hujuſmodi Privilegia legi, in quibus hæc omnia exponuntur. Partem unius inferimus, quod valde Nobili Rom. Fæminæ Anno 1636. conceſſum ab ipſo fuerat, his verbis.

URBANUS PP. VIII.

Dilecta in Chriſto Filia ſalut. &c. Spirituali conſolationi tuæ . . . conſulere . . . volentes . . . Tibi, quæ, ut aſſeris, Terræ, ſeu Loci N. Sabinenſis Diœceſis juriſdictionem habens Marchioniſſa exiſtis; ut in privato Oratorio domus tuæ in Alma Urbe ad hoc decenter exſtructo....per dilectum Filium Noſtrum Vicarium in ſpiritualibus Generalem prius viſitando & approbando, ac

de

de ipſius Vicarii licentia ejus arbitrio duratura unam Miſſam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem &c. in Tua, ac Nati, & Natarum, Familiæque tuorum præſentia celebrari facere ... licite poſſis &c. Reliqua ex ſuperioribus ſupplenda omittimus.

XVII. Vidimus etiam in eodem Archivvo Privilegium a prædicto Urbano P. Anno 1643. Nobilibus Romanis Conjugibus conceſſum, in quo hæc verba, *in Veſtra, ac Familiæ veſtræ, nec non Fratrum tuorum Germanorum dilecte Fili, tuorumque Natorum in eadem domo vobiſcum inſimul habitantium præſentia*. Hanc limitationem habitationis *inſimul* poſtea alii Pontifices expreſſerunt, quoties aliquos Conſanguineos, vel Affines participantes de Privilegio commemorabant, licet rariſſime elapſo ſæculo in Apoſtolicis Litteris alii exprimi ſolerent, quam Oratores, ac generatim *Familia*. Nondum porro tempore Urbani VIII. circa Familiares neceſſarios ſervitiis uſurpati conſueverat particula *Actu*; quam illius ſucceſſor Innocentius X. uſurpare cœpit; ut in Brevi conceſſo die 10. Martii 1653. in Regeſtis Archivvi Eminentiſſ. Vicarii obſervavi; in quo etiam fit mentio *Hoſpitium Nobilium*.

XVIII. Ex his dignoſcitur, qualis eſſet formula Privilegii antea a Romanis Pontificibus uſurpata. Ubi vero ob infirmitatem, ſimilemque cauſſam ad omnes dies etiam ſolemniores facultas extendebatur, tunc hanc formulam adhibere conſueverant, quam ex Litteris Apoſtolicis in forma Brevis ſcriptis ab Innocentio X. cuidam Comiti Auſtriaco profero.

INNOCENTIUS PP. X.

Dilecte Fili ſalutem &c. Nuper Nos ſupplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, Tibi, qui, ut aſſerebas, Loci N. juriſdictionem temporalem in eo exercens Paſſavienſis Diœceſis Dominus in temporalibus exiſtis, ut in privato domus tuæ habitationis in Civitate Viennenſi in Auſtria Oratorio, ad hoc decenter muro &c. Feſtis Diebus exceptis in tua, ac Familiæ tuæ præſentia celebrari facere libere, & licite poſſes, & valeres ſub certis modo, & forma tunc expreſſis Apoſtolica Auctoritate conceſſimus, & indulſimus, pro ut in noſtris deſuper in forma Brevis expeditis Litteris continetur. Cum autem, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, Tu Podagra ita laboras, ut domo Miſſam audiendi cauſſa egredi nequeas, & propterea Tibi per Nos deſuper, ut infra, indulgeri ſummopere deſideres, Nos Te amplioribus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis &c. cenſentes ſupplicationibus tuo nomine Nobis denuo ſuper hoc humiliter porrectis inclinati Tibi, ut prædicta infirmitate durante tantum, unicam Miſſam prædictam pro unoquoque die in eodem Oratorio etiam in diebus ſupra exceptis in tua, ac unius perſonæ ſervitiis tuis neceſſariæ dumtaxat præſentia, ac ſervata in reliquis in omnibus, & per omnia Litterarum præfatarum forma, celebrari facere libere, & licite poſſis, & valeas auctoritate prædicta tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in dictis noſtris voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 23. Decembris 1651. Anno 8.

XIX. Aliquando has ampliationes licentiæ celebrari faciendi Diebus Feſtis exceptis concedebant RR. Pontifices Litteris ſimiliter in forma Brevis ad Locorum Ordinarios miſſis. Iſtarum ſpecimen ex Regeſtis ejuſdem Innocentii X. libentius edo, quia magis confirmat quæ in cap. 15. n. 20. diximus.

Venerabili Fratri Epiſcopo Triventino.

INNOCENTIUS PP. X.

Ven. Frater ſalut. &c. Exponi Nobis nuper

nuper fecit dilectus Filius Fabius N. Baro Terræ N. Triventinæ Diæceſis, quod alias Nos ipſi, ut in privatis domorum ſuæ habitationis tam in Civitate Triventina, quam in dicta Terra, aliiſque Locis Triventinæ Diæceſis Oratoriis indulſimus, pro ut noſtris deſuper in forma Brevis expeditis Litteris continetur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ipſe Fabius una cum Familia ſua prædicta timore inimicorum e dicta Terra N. domo abſque vitæ periculo ſæpenumero exire nequeat, & propterea Miſſam prædictam etiam in diebus ſupra exceptis celebrari facere poſſe ſummopere deſiderat: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi deſuper opportune providere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eumdem Fabium amplioribus favoribus, & gratiis proſequi volentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus conſtito Tibi prius de ſupra narratis, ac conceſſione prædicta eidem Fabio, quod ipſe Miſſam unicam pro unoquoque die in prædictæ ſuæ habitationis dictæ Terræ domus Oratorio etiam in diebus ſupra exceptis, ac ſervata alias in omnibus, & per omnia litterarum prædictarum forma, celebrari facere libere, & licite poſſis, & valeat, licentiam Auctoritate noſtra Apoſtolica concedas, & impertiaris. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in dictis Litteris voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcat. die 30. Junii 1651. Anno 7.

XX. Retinent adhuc RR. Pontifices eas ipſas Apoſtolicarum Litterarum formulas, quas elapſo ſæculo in licentiis Miſſarum celebrandarum in privatis Oratoriis uſurpare conſueverant; & ſolum conſtantius exprimi voluerunt Natos, Conſanguineos, & Affines, ut ita quibuſdam immoderate extendentibus Apoſtolica Privilegia occaſio nimis ample interpretandi nomen Familiæ in iiſdem Litteris contentum adimeretur, Addidit Benedictus XIV. in ſuis Privilegiis alia verba, quibus neceſſarium fuerat reſiſtere incommodis ex mala Indulti Apoſtolici interpretatione exortis. Formulam, quæ pro Laicis habentibus Juriſdictionem temporalem in aliquibus Locis adhiberi ſolet, hic ſubjicio; & unam eligo, in qua Privilegium etiam ad Viduam Matrem Privilegiati extenditur. Porro ſimilis eſt formula pro Nobilibus, ſive ex Nobili Genere procreatis; in eo tantum differens, quod pro ſolis Oratoriis Ruri exiſtentibus in aliqua determinata Diœceſi illis tribuatur.

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte Fili, & dilecta in Chriſto Filia ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Spirituali conſolationi veſtræ, quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere, voſque ſpiritualibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & veſtrum ſingulares Perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pænis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum dumtaxat præſentium conſequendarum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus veſtro nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Vobis, qui, ut aſſeritis, Locorum N.N. (exprimuntur Loca Juriſdictionis cum Diæceſi addendo verba *ſeu alterius Diæceſis*) *juriſdictionem temporalem in illis, ſeu eorum altero exercentes Marchio, & Marchioniſſa* (ſi vero alio titulo Comitis, Baronis &c. inſigniuntur, idem exprimitur) *reſpective exiſtitis, ut in privatis domorum veſtræ habitationis in Civitate, & Diæceſi N. exiſtentibus Oratoriis, ad hoc decenter muro exſtructis, & ornatis, ſeu exſtruendis, & ornandis, ab omnibus domeſticis uſibus liberis, per Ordinarium Loci prius viſitandis, & approbandis, ac de ipſius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura unam Miſſam pro uno-*

quo-

quoque die, dummodo in eiſdem domibus celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum Secularem, ſeu de ſuperiorum ſuorum licentia Regularem, ſine tamen quorumcumque Jurium Parochialium præjudico, ac Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis D. N. J. C. aliiſque Solemnioribus Anni Feſtis Diebus exceptis, in veſtra, ac dilectæ in Chriſto Filiæ Marchioniſſæ N. N. Genitricis Tuæ Fili N. quondam Marchionis N. N. Genitoris Tui in dictis Locis juriſdictionem temporalem, dum viveret, exercentis relictæ Viduæ; ac Natorum, Conſanguineorum, & Affinium in eadem domo vobiſcum inſimul habitantium, Familiæque; ac quo ad Oratoria Ruri exiſtentia etiam in Hoſpitum Nobilium, Veſtrorumque præſentia celebrari facere libere, & licite poſſitis, & valeatis; ac veſtrum quilibet, dictaque Genitrix Tua poſſit, valeat, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod Nati, Conſanguinei, & Affines ſupradicti, præter dictam N. (hic Genitricis nomen iterum apponitur) *prædictam unicam Miſſam Vobis præſentibus tantummodo audire, numquam autem celebrari facere valeant, quodque Familiares ſervitiis veſtris tempore dictæ Miſſæ actu non neceſſarii, ibidem Miſſæ hujuſmodi intereſſentes, ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia Diebus Feſtis de præcepto minime liberi cenſeantur. Datum Romæ ſub Annulo Piſcatoris &c.* Signatur Privilegium ab Eminentiſs. Cardinali Apoſtolicorum Brevium Secretario, aut ab ejus Subſtituto, & foris ita ſcribitur. *Dilecto Filio Marchioni N. N., ac dilectæ in Chriſto Filiæ Marchioniſſæ N. N. Conjugibus Nobilibus N., ſeu alterius Civitatis, vel Diœceſis.*

XXI. Iſtæ ſunt Litteræ Apoſtolicæ, quas nos deinde exponemus. Ut vero ſatisfaciam deſiderio eorum, qui forte cupient formulam modo commiſſario ad Ordinarium Loci directam legere, etiam hanc ſubjicio.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabil. Frater Salutem, & Apoſtol. Benedict. Exponi nobis nuper fecit dilectus Filius N. N., quod ipſe, qui, ut aſſerit, More Nobilium vivit, pro ejus ſpirituali conſolatione Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium in privato Domus ſuæ habitationis exiſtente Oratorio celebrari facere poſſe plurimum deſiderat. Nos ipſum N. N. ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes &c. Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus conſtito Tibi de narratis eidem N. N., *ut ipſe in privato Domus ſuæ habitationis in Civitate* N. *exiſtente Oratorio, ad hoc decenter &c. per quemcumque Sacerdotem a Te approbatum Secularem, ſeu de ſuperiorum ſuorum licentia Regularem &c. in ſua, ac N., Familiæque præſentia celebrari facere libere, & licite poſſit, & valeat, licentia auctoritate noſtra apoſtolica concedas, non obſtantibus &c.* Formulam porro ampliationis Privilegii ad Feſtos Dies exceptos proponit Benedictus XIV. in ſuo Opere de Sacrif. Miſſæ Sect. 2. §. 29. & pleniſſime cum ea concinit, quam ſuperius num. 18. deſcripſimus.

XXII. Ne vero prætermittam ampliſſima quædam privilegia, quæ aliquando *Motu proprio* a RR. Pontificibus conceduntur, illa ſeligo, quibus Gentiles tuos, ac proximo Conſanguinitatis gradu ſibi ipſis conjunctos exornare conſueverunt, & ita deſcribi ſolent.

Ad perpetuam rei memoriam.

Singularia, atque eximia dilecti Filii Nobilis Viri N. N. noſtri ſecundum carnem ex Fratre Germano Nepotis, (vel ex Sorore Germana Nepotis,) ac dilectæ in Chriſto Filiæ Nobilis Mulieris N. N. Conjugum in Nos & Apoſtolicam Sedem, fidei, & devotionis, aliaque multa merita poſcunt, ut quæ

ad

ad ſpiritualem eorum conſolationem pertinere cognoſcimus, ea præcipuo paternæ charitatis affectu illi libenter concedamus. Volentes itaque eoſdem N. & N. ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi, eaſque a quibuſvis Excommunicationis ... ſententiis .. abſolventes ... Motu proprio, ac ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eidem N. & N., eorumque Natis, & Deſcendentibus in perpetuum, ut in privatis Palatiorum, & Domorum tam in Alma Urbe noſtra, quam in quibuſvis aliis Civitatibus, Oppidis, Terris, Caſtris, & Locis, in quibus eos pro tempore commorari, hoſpitari, vel eſſe contigerit, exiſtentibus Oratoriis, ad hoc decenter exſtructis, & ornatis, ſeu exſtruendis, & ornandis, ab omnibus domeſticis uſibus liberis, per dilectum Filium Noſtrum, & pro tempore exiſtentis R. Pontificis Vicarium in ſpiritualibus Generalem quo ad Urbem; extra illam vero per Ordinarios Locorum reſpective prius viſitandis, & approbandis Sacroſ. Miſſæ Sacrificium per quemcumq; Sacerdotem. . . ſine tamen quorumcunque Jurium Parochialium præjudicio, in Sua, ac Familiæ Suæ, & quorumcumque aliorum, quos inibi adeſſe contigerit præſentia, etiam in quibuſcunque Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis D. N. J. C., aliiſque Solemnioribus Anni Feſtivis de præcepto Diebus celebrare facere libere, & licite poſſint, & valeant, ac quilibet eorum poſſit, & valeat, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Dat. Romæ.

XXIII. Sæpe etiam aliud ſpeciale Privilegium erogat R. Pontifex ſuis ex Fratre Germano Nepotibus, ut nempe poſſit Sacrificium in domeſticis ipſorum Oratoriis celebrari etiam ipſis abſentibus; atque ſub hac formula erogatur.

Ad perpetuam rei memoriam. Alias Nos Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine dilecto Filio Nobili Viro N. N. noſtro ſecundum carnem ex Fratre Germano Nepoti, ac dilectæ in Chriſto Filiæ Nobili Mulieri N. N. Conjugibus, ac ipſorum Filiis, & Deſcendentibus in perpetuum, ut in Privatis Palatiorum, & Domorum tam in Alma Urbe, quam in aliis Civitatibus, Oppidis &c.) Recitatur præcedens privilegium.) *conceſſimus, & indulſimus; & alias pro ut in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die.... expeditis Litteris, quarum tenorem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus, uberius continetur. Nunc autem præfatum N. eximiorum ejus in Nos, & hanc Sanctam Sedem meritorum intuitu amplioris favore gratiæ proſequi volentes &c. motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus eidem N. ejuſque Filiis, & deſcendentibus in perpetuum, ut in privatis Palatiorum, & domorum, ad eos reſpective nunc, & pro tempore ſpectantium, tam in Urbe, quam in aliis Civitatibus, Oppidis, Terris, Caſtris, & Locis quibuſcumque exiſtentium, ſeu in quibus de præſenti habitant; eos, ſeu eorum aliquem pro tempore habitare contigerit, Oratoriis Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium hujuſmodi etiam ipſis abſentibus in eorum reſpective Familiarium, & quorumcumque aliorum, quos inibi adeſſe contigerit, præſentia celebrari facere libere pariter, & licite poſſint, & valeant; ac quilibet eorum poſſit, & valeat; ſervata tamen, & ſalva in reliquis omnibus remanente Litterarum noſtrarum prædictarum forma, & diſpoſitione, tenore præſentium concedimus ſimiliter, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ ſub Annulo Piſcatoris &c.*

CAPUT XXI.

Exponitur Apoſtolicum Indultum pro Oratorio Privato ſecundum ea, quæ pertinent ad Perſonam Privilegiatam Principaliter.

I. UTILIOREM partem hujus Libelli ſuſcipimus expoſitione Apoſtolici Privilegii, quod tanquam regulam ſtabilem tenere debent, qui obtentam facultatem domeſticæ celebrationis intra rectos limites, uti æquum eſt, continere voluerint. Plurimum equidem expedit unumquemque noſſe, quid ei a R. Pontifice conceſſum fuerit; quidve ad impetratæ gratiæ decentem executionem requiratur; ne aut unquam audeat facere quod ipſi non licet aut non illo modo facere, quo conceſſa fieri debent. Unius Capituli anguſtie non admittit integram expoſitionem Privilegii; Unde in varias claſſes dividendo ea, quæ ſpectant ad Perſonam Privilegiatam; ad Domum, in qua privilegium eſt exequendum; ad Oratorium ipſum, ad Ordinarium Loci; ad Familiares, Conſanguineos, Affineſque Privilegiati; & ad illa, quæ in Oratorio peragi poſſunt, Deo juvante, cujus humiliter lumen veritatis imploramus, ſpartam hanc plene pro modulo noſtræ tenuitatis perficere fatagemus.

II. Id vero primum nobis ſequendum ſtatuimus, quod magis Pontificis intentioni convenire noverimus, etſi forte verba Diplomatis in alium ſenſum poſſent torqueri: Nam in iis, quæ a Superioris prudenti arbitrio vel in Lege decernenda, vel in diſpenſatione a Lege pendent, tota regula operis faciendi eſt ab illius voluntate petenda. Hoc ipſum cum multis Scriptoribus advertit opportune Paſqualigus qu. 677. nu. 4., communiterque tradunt utriuſque juris Interpretes ex Regula 88. in VI. dicente: *Certum eſt, quod is committit in Legem, qui Legis verba complectens contra Legis nititur voluntatem*; & ex Lege *Scire*. D. *de Legibus* declarante, quod *ſcire Leges non hoc eſt verba earum tenere; ſed vim, ac poteſtatem*.

III. Deinde profitemur hanc methodum nos ſervaturos, ut nihil penitus reſtringi patiamur, quod proprio verborum ſenſu retento conceſſum appareat; nihilque permittendum affirmemus, quod aperte a Pontificio Indulto permiſſum non fuerit. Illud enim contradiceret liberalitati Indulgentis, cujus menti ſatis clare manifeſtatæ in plano verborum ſenſu opponeretur: Iſtud plus æquo protenderet indulgentiam Pontificis, qui ſi plura voluiſſet concedere, non minus illa, quam cætera expoſuiſſet. Hinc niſi apertiſſima, evidentique ratione pateſceret omiſſionem alicujus deſideratæ facultatis, quæ aliunde in Brevi Apoſtolico exprimi nec ulli, denegari ſolet, ab oſcitantia & errore Ammanuenſium factam fuiſſe, quamvis in ſupplici Libello plura ſimul Oratores poſtulaſſent ſibi ab Apoſtolica Sede concedi, adhuc ſolum ea, quæ in Pontificiis Litteris continentur, ab Oratoribus peragi poſſent. Idem pari er obſervandum arbitror, etiamſi expreſſe in obtento Indulto majoris momenti eſſent præ illis, quæ ibidem deſunt; niſi tamen quæ ſunt expreſſa, neceſſario ſupponerent reliqua prætermiſſa,

ſine quibus majores gratiæ impetratæ exequi nullatenus poſſent. Rem hanc exemplo declaro. Conceſſerit R. Pontifex pluralitatem Sacrificii in privato Oratorio offerendi; & de alia minore gratia tacuerit, quam ſimul Orator petiiſſet, ut Sacrificium licite ſive in ſua, ſive in ſolius Filii præſentia offerretur. Quamvis enim conceſſum privilegium dignitate, ac raritate alteram prætermiſsam in litteris Apoſtolicis facultatem excedat; tamen licite Sacrificium ſolo Filio præſente offerri non poterit. Manet etenim firma, ac ſtabilis Regula XXVIII. Juris in VI. ita ſonans *Quæ a Jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda*; ac proinde declarans non poſſe ex paritate, aut ex nonnulla ſimilitudine rationis ad alias vel æquales; vel minoris dignitatis gratias conceſſum privilegium extendere. Hujuſcemodi regulam diligentiſſime retinere oportet in omnibus privilegiis, ſecus ex paritate rationis privilegia uni, vel certis Perſonis conceſſa ad alias quoque traherentur, contra apertam ſententiam Alexandri III. Cap. *Sane* Tit. *de Privileg.* dicentis. *Temerarium eſt, & indignum aliquem ſibi ſua auctoritate præſumere, quod Romana Eccleſia alicui (certa ratione inſpecta) ſingularia voluit beneficia indulgere*.

IV. Hæc, quæ Nobis expoſituris Apoſtolicum Privilegium celebrationis Miſſarum in Oratoriis privatarum ædium ſequenda propoſuimus, nimium forte rigorem ſapere videbuntur iis, qui cum ex Regula XV. Juris in VI. legerint convenire, *odia reſtringi, favores ampliari*; potius molliorem interpretationem tanquam opportunam ampliando favori conceſſo amarent. Verum ab æquis Rerum æſtimatoribus probandam non diffidimus cautelam noſtram, quæ alium rigorem non tenet, niſi quem neceſſario natura Privilegiis eximentis ab obſervantia communis Legis Privilegiatum exigit. Libenter enim nos etiam propenſi eſsemus in benigniorem interpretationem, quæ magis ad benevolentiam aliorum animos conciliat: Sed quia omnia Jura poſcunt, ut potius reſpiciamus ad favorem Legis, quæ commune reſpicit bonum, quam ad favorem particularis hominis; propterea ſtrictam illam interpretationem Privilegii ſervare debemus, per quam & nulla in parte a proprietate verborum illius receditur; & minus læditur rigor Legis, cujus vim relaxat. Hinc ſi ageretur de interpretando Privilegio, quod non contra, ſed præter Legem datum eſſet, utique conformes eſsemus laudatæ Juris Canonici Regulæ; quæ Leges pænales, aut favorabiles reſpicit; & uteremur Cap. *Olim* Tit. de *Verbor. Significat.*, aliiſque multis ſimilibus textibus eo reſpicientibus, dum ajunt, quod *Beneficia Principum* ſint *interpretanda largiſſime*. At impræſentiarum agimus de interpretatione Privilegii liberantis ab obligatione ſervandæ Legis non celebrandi in privatis domibus, quam renovavit Concilium Tridentinum, & quæ magno rigore, ac ſollicitudine coſtodita deinceps fuit. Certe in aliis quoque minoris momenti privilegiis conceſſis Templariorum, & Hoſpitaliorum Ordinibus tantum rigorem tenendum eſse jubebat Alexander III., ut moneret Ambianenſem Epiſcopum eadem *plenius advertere*, ut *ſecundum quod inveniret, ita* obſervaret; quia nolebat eos vel minimum tranſcendere limites in illis præfixos, ſed potius *ſic eos* volebat *privilegiorum ſuorum ſervare tenorem, quod eorum metas tranſgredi minime viderentur*. Similia a Concilio Toletano Anni 1590. Par.4.cap.16. circa privilegium exemptionis edita Decreta Vaneſpen Par.3.Tit.12.cap.5. recitat.

V. Ad ſtrictam interpretationem Apoſtolici Privilegii de Oratoriis domeſticis multum me movet prudentia Epiſcoporum vigilantium, ne quis aliud audeat facere, quod manifeſte a R. Pontifice indultum non fuerit. Plu-

Plures etiam declarationes identidem a S.Congregatione Cardinalium Concil. Trident. Interpretum factæ plene inſpecto, retentoque rigore verborum Pontificii Indulti vehementer ad id genus interpretationis me urgent. Præ aliis fuit illa paullo poſt recitanda, Anno 1741. quæ fuit confirmata Decreto SS.P.Benedicto XIV. maxima Fidelium ſollicitudine Eccleſiæ clavum regentis. Qui enim ad iſtam adverterit, quem rigorem tenere debeamus in his interpretationibus faciendis. facile intelliget. Denique me movent ad eundem rigogorem ſervandum Doctores graviſſimi, ac inter ſe unanimes in decidendo, quod diſpenſatio a Lege ſtrictiſſime ſit interpretanda. Legi præ cæteris Sanchez Lib. 8. de Matrimonio Diſp. 1. fuſe diſſerentem, ac multa pro hac propoſitione tradentem, quæ bene in interpretatione Indulti Apoſtolici pro Oratorio domeſtico applicari poſſunt; nam licet melius Privilegium appelletur, quia perpetuum eſt, & fere nunquam, niſi per mortem Privilegiati expirat; tamen quantum attinet ad effectum relaxandi ab onere Legis, cum Diſpenſatione confunditur. Cæterum loquentes de Privilegiis Communi Juri adverſantibus adhuc plurimi, iidemque peritiſſimi Scriptores in eo conveniunt, ut ambigua illorum verba in ſenſum minus alienum a Lege torqueamus; ſicut oſtendit inter alios doctiſſimus Suarez Lib. 8. de Legibus cap. 11., quem ſequitur Gonzalez Lib. II. Decret. Tit. 1. *de Judiciis* cap. 12. num. 7., & Lib. V. Tit. 33. *de Privil.* cap. 7. num. 2. Cum igitur tanta moveant ad ſtrictam, ac rigoroſam interpretationem Pontificii Indulti exponendi, nullus me accuſabit de immoderato rigore, quem intra metas moderationis retinere ſtudebo.

VI. Accedo jam ad priorem partem Privilegii, quæ reſpicit Perſonam, cui indulgetur. Ac primum ſe offert illa conſideratio, nempe invalidum eſſe Privilegium, ſi in ſupplici Libello per obreptionem Orator falſum narraverit, ut Pontificem ad indulgentiam moveret; vel vitio ſubreptionis veritatem neceſſario aperiendam tacuerit, qua cognita Pontifex inanes preces dimiſiſset. Expreſsa eſt enim Innocentii III.cap.20.*Super Litteris* Lib.I. Decret. Tit. 3.*de Reſcript.* deciſio ab omnibus recepta, *eos debere omni commodo Litterarum carere*, qui per falſitatis expreſſionem, vel per veritatis manifeſtandæ ſuppreſſionem mendaces, aut deceptores fuerunt. Addit idem Pontifex nec ignorantiam, ſimplicitatemve, propter quas Orator culpa vacat, ad reſcripti valorem ſuffragari; quoties falſitas expreſsa, vel veritas tacita gratiæ Largitorem ad Privilegium impertiendum moverint. In omnibus Privilegiis, quæ *Motu proprio* Pontificis non conceduntur, iſta militat regula: Cum enim numquam Privilegia impetrari valeant ſine voluntate Largientis; ideo ubi iſta voluntas deeſse præſumatur; (Præſumitur autem, quoties cauſsa deeſt, ſine qua gratiam largiri nemo prudens intendit.) neceſse eſt etiam, quod illa nullatenus valere dicamus. Multo vero magis prædicta regula militat in Privilegiis, & Diſpenſationibus eximentibus a Lege ſeveriſſime cuſtodita; dum pro illis concedendis graves cauſæ requiruntur, ut Superior legitimus, bonuſque Diſpenſator, non perverſus Legis ſubverſor appareat.

VII. Itaque ſi quis ſuam Nobilitatem falſo narraverit, ſciens a R.Pontifice hac de cauſsa Indultum domeſtici Sacrificii concedi; vel narrans ſe de Nobili Genere natum eſse, penitus tacuerit a ſe deinde amiſsam fuiſse nobilitatem, ne hac veritate manifeſtata obſtaculum conceſſioni adjungeret; nullum omnino erit, quod fictis artibus privilegium obtinuit. Neque refert, quod R. Pontifex in ſuis Litteris non conſueſcat apponere illam clauſulam, *ſi vera ſunt expoſita* (eam tamen exprimit cum modo commiſsario Privilegium tribuit:) qua frequentiſſime uti-

tur in aliis Indultis. Etenim *in hujuſmodi Litteris intelligenda eſt hæc conditio*, ut Alexander III. cap. 2. *ex parte* Tit. *de Reſcript.* ait, *etiamſi non apponatur, ſi preces veritate nitantur*. Imo ſatis exprimitur eadem reſtrictio in Papali Indulto, in quo Pontifex *Supplicationibus* Oratoris *nomine ſuper hoc*, ideſt ſuper Miſſam in privato Oratorio celebrandam, *humiliter porrectis inclinatus* Nobilitatem Supplicantis, aut aliam cauſſam moventem exprimit. Facile irrepere poſſunt vitia Privilegiorum, de quibus loquimur, quoties pro cauſſa motiva infirmitas Oratoris exponitur. Enimvero ubi RR. Pontifices cauſſa Infirmitatis Miſſas in domeſticis Sacellis concedunt, eam infirmitatem ſupponunt, ob quam valde moleſtum, ac grave foret Oratoribus, ſi propter Sacrificium ſemper ad publicas Eccleſias accedere cogerentur: Unde quemadmodum diſpenſatio, quæ petitur, per ſe expoſcit gravem cauſſam; ita ſupponi debet ex infirmitate non modicum incommodum ſecuturum Oratori, ut hinc inter diſpenſationem, & cauſſam moventem proportio intercedat. Sufficit advertere ad verba ipſa, quæ ſolent adhiberi in Papali Indulto ob infirmitatem conceſſo, ut inde appareat, qualis a Pontifice infirmitas ſupponatur; eam videlicet ſupponit, ob quam *ad Eccleſiam accedere* nequeunt. Imo aliquando infirmitates ipſas exprimunt, quibus revera acceſſus ad Eccleſias difficillimus foret Oratoribus, uti in Viris valde Senibus, & podagricis, & in Fœminis prægantibus contingit. Cæterum quis credat titulo infirmitatis vel Pontificem Miſsas domeſticas illis indulgere, qui nihil obſtante levi aliquo Valetudinis incommodo, quo forte laborant, nullatenus prohibentur circumcurſare, & quocunque voluerint ſe conferre?

VIII. Quæ dicta ſunt de deffectu cauſsæ moventis, valent etiam, dum cauſſa movens deſſicit poſt impetrationem Privilegiis de quo diſserimus. Diſputant equidem plurimi, & præcipue doctus P. Sanchez Lib. 8. de Matrim. Diſput. 30., ut diſpenſationem ab initio legitime obtentam ceſsante cauſsa adæquate movente, priuſquam executionem ſortiatur, invalidam reddi ſuadeant; & ad hanc rem plurimarum efficacia rationum, & Juris Canonici textibus pugnant. Sane tum ipſa natura diſpenſationis reſtrictionem omnem expoſcens; cum finis, ob quem diſpenſatio a Lege conceditur, illi aſsertioni multum favere videntur; quamvis Tournely Tom. 2. Moral. pag. 215. Edit. Venetæ, & alii quidam repugnent. Meum non poſtulat inſtitutum his inſiſtere: Attamen mea intereſt advertere, quod Pontificis mens in Privilegio Miſsarum celebrandarum in privatis Oratoriis illud limitare intendit ad ſpatium temporis, quo perſeverat Nobilitas, Juriſdictio Temporalis, Infirmitas &c. Id enim clare apparet, dum cauſsa movens fuerit infirmitas, de qua exprimitur coarctatio *durante tempore infirmitatis* dumtaxat. Hanc Limitationem conſtantiſſime in ſuis Indultis inſeri R. Pontifex jubet; & in hac parte ne minimum quidem receſſit a conſuetudine, quæ etiam ante elapſum Sæculum cuſtodiebatur. Ita enim RR. Pontifices rigoroſe hujuſmodi reſtrictionem poſt Concilium Tridentinum retinuerant, quoties ex cauſsa infirmitatis, aut ex aliis gravibus impedimentis Miſsas in privatis Oratoriis concedere non renuebant; ut Tomo 41. *Poſition.* Archivvi Sacræ Congregationis apud S. Petrum obſervaverim ſæpius emendatos fuiſse ſupplices Libellos, qui ab Oratoribus mittebantur, qui ab eis illa limitatio, *durantibus dumtaxat dictis ægritudinibus, dicta infirmitate, dictis impedimentis*, deerat. Porro quanta ex hiſce particulis, & præcipue ex Tò *dumtaxat* conſequatur reſtrictio privilegii, nemo eſt, qui non videat. Eadem coarctatio Indulti uſque ad tempus, quo perſeverat cauſsa mo-

movens, adhiberi ſolet, quando illud conceditur quibuſdam munus aliquod gerentibus, cujuſmodi ſunt Oratores Principum, Civitatum Gubernatores, Magiſtratuum Conſiliarii, aliique ſimiles, pro quibus Privilegium *durante munere* traditur. Plurima hujus generis in Regeſtis Secretariæ Brevium, & Archivvi Eminentiſs. Vicarii Urbis obſervavi. Quare autem non ſoleat exprimere Pontifex ſimilem conditionem reſtringentem Privilegium uſque ad durationem cauſsæ moventis, quando propter Nobilitatem, aut Juriſdictionem temporalem Supplicantium conceditur, non eſt arduum intelligere. Cum enim hæ prærogativæ non tam facile a Privilegiatis ammittantur; propterea etſi ſubintelligatur conditio iſta, videlicet *durante Nobilitate, durante Juriſdictione temporali*; opportune tamen prætermittitur, ne forte moleſtum videatur Privilegiato, ſi de duratione gentilitiarum, perſonaliumque dotum ſuarum quadamtenus dubitaretur.

IX. Perſeverantiam cauſsæ moventis neceſſariam eſse ad conſervationem Apoſtolici Privilegii, de quo agimus, adhuc magis confirmo exemplo illius Indulti, quod viventibus more Nobilium coneditur, in quo tam certo conditio de perſeverantia ejuſdem ſtatus ſubintelligitur, ut quamvis non exprimatur, tamen ſi vel propria electione, vel neceſſitate compulſi deſinant illi vitam more nobilium ducere, illico a Privilegio decidant. Experti ſunt nuper quidam in una Liguriæ Civitate, quibus ſuſpendit prudentiſſime Epiſcopus domeſtica Oratoria, ne gratia Pontificis contra ipſius voluntatem vileſceret, poſtquam videlicet illi officiis vilibus ſponte ſe addixerant, & quamvis pro ſuſpenſione auferenda ad S. Congregationem Concilii confugerint, nondum tamen ab Eminentiſs. Patribus exauditi fuerunt. *Privilegium* enim *omnino meretur ammittere*; *qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate*; ut ſæpe Innocentius III. Tit. *de Privil.*, & maxime in Extravag. edita in Concilio Lateranenſi, & relata Cap. *ut privilegia.* declarat. Addam inſuper nulla ratione judicari poſſe, quod Pontifex ex certa cauſſa motus ad Privilegium pro Oratorio domeſtico elargiendum ſimul intendat extendere conceſſionem ad illud tempus, in quo ſublata cauſſa idem Privilegium injuſtum penitus, iniquum, indecorum evaderet nimiumque Sancta Tridentini Concilii Decreta deſpiceret. Cum igitur ultra intentionem Agentis non extendantur actus, juxta Cap. *Quemadmodum* Tit. *de Jurejurando*; neque etiam ad aliud tempus protendere opus eſt indulgentiæ Apoſtolicæ gratiam, poſtquam cauſſa legitima, & per ſe unice movens ad conceſſionem ceſſaverit. Hinc conſequitur illico ceſſare Privilegium pro Oratorio domeſtico conceſſum Viduæ Mulieri, dum iſta ad inferioris dignitatis ſecundas Nuptias tranſiverit; quia tota ratio Pontificem movens in illius gratiæ elargitione fundatur in prærogativis, quibus durante viduitate Vidua dignitatibus Mariti defuncti potitur; iiſdemque privatur per ſecundas nuptias; ſicut L. *Feminæ*. D. *de Senator*. L. fin. C. *de Incol.* L. 10. & L. *Filii Libertorum* §. *Vidua* D. *ad Municipia.* tradunt.

XI. Si autem opponatur Regula XVI. in VI. affirmans, quod *decet Beneficium conceſſum a Principe eſſe manſurum*: Statim 1. reponimus Regulam reſpicere ad durationem Beneficii poſt mortem Principis, cujus morte non expirat. 2. Aptari tantum illam regulam ex Gloſſæ interpretatione ad eas circumſtantias, in quibus deſinit cauſſa *impellens*, qua ceſſante, quamvis difficilius, adhuc abſolute Princeps Beneficium contuliſſet; non vero quando deſinit cauſſa principaliter, ac unice movens, de qua nos loquimur: *Etenim iniquum incipit fieri Beneficium Principis, ſi adhuc id valere dicamus*; ut loquamur verbis Juſtiniani Imper. L. *ex*

Facto. D. *de vulgari*, ubi deciditur ceſſare Privilegium Patri conceſſum ſubſtituendi alterum Filio furioſo; imo etiam ſubſtitutionem antea factam virtute ejuſdem Privilegii non valere, dum Filius ſanitatem mentis recuperat. Alia quippe eſt ratio Privilegii, aut Diſpenſationis, quæ plenum, conſummatumque obtinuere effectum; alia ratio Privilegii, cujus exercitium unico actu non completur, ſed adhuc illius effectus, uſuſque perdurat aliis actionibus exercendus. Illa quidem non ceſſant, ſi cauſſa ceſſaverit, poſtquam completum effectum obtinuerunt, ſicut in diſpenſationibus matrimonialibus evenit; quoniam tunc ſubintrat Regula 73. in VI. *Factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, a quo non potuit inchoari*. At poſterioris generis privilegia licet durante cauſſa movente bene exequi poſſint; illa tamen ſublata etiam illorum executio illegitima evaderet: maxime cum nihil vetet, ut actiones revocabiles, & ab aliis præcedentibus independentes olim poſſent fieri, quas poſtea facere non licet. Certe qui die feſto, aut eſuriali propter infirmitatem ab audienda Miſſa, & ad eſum carnium diſpenſatur, ceſſante infirmitate penitus indigna foret, & invalida diſpenſatio, niſi aliæ cauſæ ad ſimilem concedendam diſpenſationem vehementer moverent.

XI. Tanti igitur æſtimanda eſt neceſſitas cauſſæ motivæ, ob quam Pontifex Privilegium Miſſarum in Oratorio domeſtico celebrandarum concedit, ut Paſqualigus quæſt. 623. aſſeruit, quod licet in ſupplicatione Orator nullam cauſſam proponeret, ne mendaciter, & ſubreptitie Privilegium conſequeretur; adhuc ſi Pontifex in Indulto exprimeret Nobilitatem, vel aliam cauſſam ex illis, ad quas eſt ſolitus reſpicere in concedendis ſimilibus facultatibus, Indultum nullatenus ſuffragaretur. Veriſſime me judice id affirmatur. Nam ſine gravi cauſſa diſpenſationem a rigoroſis eccleſiaſticis decretis, ac Legibus dare non cenſetur Pontifex; cum *ſubreptitia* potius judicetur diſpenſatio, ſi ſine cauſſa legitima, atque idonea concedatur; ſicut ex Concilio Tridentino ſeſſ. 25. de Reform. cap. 18. diſpenſatio facta in Matrimonio ſine urgente, juſtaque cauſſa *ſubreptitia cenſetur*. Dum ergo Pontifex Nobilitatem expreſſit in Privilegio, aperte oſtendit ſe illam conditionem in Oratore ſuppoſuiſſe, quæ ſufficeret ad obtinendam gratiam; nec tantam cogitaſſe in Oratore audaciam, ut ſine juſto motivo, ac fundamento ad ſingularitatem gratiæ obtinendam inhiaverit. Dum ergo deeſt in Petente præſuppoſita nobilitas nullum, irritumque erit Privilegium, in quo Nobilitas ſupponitur, & exprimitur.

XII. Evenire autem poteſt, ut in Privilegio exprimatur Oratorem eſſe *ex nobili genere procreatum*; cum tamen Orator in precibus non expoſuit, niſi ſimpliciter, ac mere ſe eſſe *Nobilem*, quæ valde diverſa ſunt, ut jamjam dicemus. Undecumque hæc varietas inter Indultum, & Preces derivaverit, quæque aliquando ex errore Amanuenſium contingit; dubitatur, utrum Oratori ſuffragetur Indultum, in quo expreſſa cauſſa movens continet falſum, & alias Orator ſine ſubreptione meram Nobilitatem in precibus expoſuerit, quæ tamen ad movendum Pontificem pro collatione deſideratæ gratiæ juxta adhuc vigentem conſuetudinem ſufficit? In reſolvenda hac quæſtione ad validitatem Indulti facile propenderemus, ſi pro valore Privilegii ſatis eſſet, quod Princeps æque paratus ſit illud conferre ſive una, ſive altera juſta cauſſa ipſum moverit. Verum ut actu collatum Privilegium dicatur neceſſario requiritur re ipſa illud a Principe erogari; & quoad gratiam ipſam non conceſſerit, ſola eſt animi præparatio ad concedendum ſine actuali elargitione. Hoc ipſum itaque applicetur propoſitæ quæſtioni; videlicet in Pontifice eſſe ſinceram præparationem concedendi Sacrificium in privato Oratorio, etiamſi mera Perſonæ Nobilitas in precibus

cibus

cibus exponeretur; reapte tamen Indultum, quod conceſſiſſe ſupponitur, ad ſpecialem nobilitatem a Genere ipſo derivantem unice reſpexit. Niſi ergo priores Litteræ Apoſtolicæ emendarentur novis precibus coram Pontifice in hunc finem fuſis, opus erit alterum Indultum impetrare, in quo mera exprimatur nobilitas; cum illud ſubreptitium caſſumque habeatur, in quo cauſſæ moventis error Indulti ſubſtantiam afficit. Non ſemel contingunt ſimiles errores in aliis Diſpenſationibus, & maxime Matrimonialibus; dumque ad ſubſtantiam conceſſionis pertinent, quantumcumque aliis ex cauſſis gratiam dediſſet Pontifex, tamen irritam penitus reddunt, quam contulit, uti concorditer affirmant Doctores illi, qui de more Curiæ peritiores fuerunt, inter quos Pyrrhus Corradus in Praxi Diſpnſat. Apoſt. lib. 7. cap. 5. valde emicat. Imo neque ſufficit tunc ad expoſitas preces confugere, ut ſubſtantialis error Indulto non noceat; quia iſtud non a precibus, ſed a ſola voluntate concedentis valorem accipit. Plurimum autem expedit id obſervare ad impedienda multa ſubreptionum pericula, quæ aliter ex hominum malitia defluerent. Ratio etiam privilegii hoc ipſum poſtulat, quod non magis extendi poteſt, quam patiatur voluntas Concedentis aperte manifeſtantis fundamentum, cui illam Privilegii conceſſionem innixam eſſe voluit. Denique id ſequi debet Loci Ordinarius, qui in executione Litterarum Apoſtolicarum ad facultatem ab ipſis conceſſam attendere debet, juxta quam approbationem Oratorii concedere, aut negare oportet. Opponet autem forte aliquis cap. *ſuper Litteris* Tit. *de Reſcriptis*: Sed ubi adverterit ibi ſermonem eſse Reſcriptis Juſtitiæ, ſeu ad Lites, me urgere deſinet: cum Privilegium Miſsarum in Oratorio privato gratiæ ſingularitatem involvat.

XIII. Jam vero aperiamus, quod diſcrimen interſit in his phraſibus, quas diverſa Apoſtolica Diplomata adhibent, modo tantum *Nobilem*; modo *ex Nobili Genere procreatum* Oratorem deſignando. Nullus ignorat Nobiles Viros conſtitui vel ex Majorum nobilitate deſcendente in Filios, unde *gentilitia Nobilitas* ſumitur; vel ex favore Principis, aut ex dignitatis, virtutiſque excellentia, unde *Nobilitas acquiſita*, ſeu *gratioſa* comparatur; ac proinde alios origo, alios privilegium nobilitat; ideſt aliqui nobiles naſcuntur, alii primum tales evadunt; & illi quidem *Genere*, ac propagatione; iſti *Perſona* tantum Nobiles ſunt. Itaque Vir Nobilis eſſe poteſt, quamvis ex Nobili Genere non ſit procreatus; imo omnis, a quo primum incipit Nobilitas, Nobilitate Generis caret, & adhuc in numero Nobilium recenſetur. Hoc unum igitur ſufficit, ut quis *Nobilis* appelletur, quod vere inter Nobiles recenſeatur, ſive primum ipſe gradum hunc honoris obtinuerit, ſive a Parentibus illam prærogativam veluti quadam transfuſione acceperit. At qui *ex nobili genere procreatus* dicitur, neceſſe eſt, quod a Majoribus jam nobilitate decoratis natus ſit; quoniam *Genus* hoc idem, quod Parentes, Majoreſque, ſignificat. Hinc Ariſtoteles Lib. 1. Politic. cap. 1. ajebat; *Genere Nobiles eſſe videntur, quibus Majorum eſt virtus, & divitiæ.* Divitias ad virtutem, ac præcipue ad magnanimitatem, per quam maxima nobilitas commendatur, plurimum conferre Livius lib. 32. loquens de Buſa Muliere Genere clara, ac divitiis adnotavit. Præmiſsa hac diſtinctione conſequitur ad Apoſtolici Privilegii validitatem ſufficere, ut Nobilis in propria Perſona ſit ille, qui Nobilis dicitur, ſi nihil aliud Pontifex quam meram Nobilitatem Privilegiati exprimat. At ubi in Pontificiis Litteris *nobili genere procreatus* Orator ſupponitur; niſi hæc nobilitas ipſi vere conveniat, a ſuo robore Privilegium decidit, ut nobiſcum Eminentiſs. Petra, Moſtazo, aliique plurimi conſentiunt, quoniam illud tantum valet, quantum de ve-

veritate cauſsa movens in proprio verborum ſenſu intelligenda gaudet.

XIV. In conſtituenda porro vera ratione Nobilitatis Regionum conſuetudines ſæpe conſulere oportet. Enimvero licet ubique pro Nobilibus certæ quædam conditiones requirantur, ob quas a vulgo diſcreti debitis colantur honoribus; atque etiam ubique Viri Nobiles abſtinere cogantur ab abjectis officiis, quæ ſimul abjectum, ac ſervilem modum vivendi præſeferunt: Alicubi tamen ſine præjudicio, ac obſcuratione nobilitati Viris Nobilibus quædam munera, & opera permittuntur, quæ alibi indigna Nobilibus, ac Nobilitati adverſa æſtimantur. Similiter non ubique uniformis eſt ratio, ut quis primo inter Nobiles accenſeatur. Alicubi ſufficit, ut probetur Avum, Patremque abſtinuiſſe a certis operibus, quæ vilis, aut mediocris fortunæ hominibus conveniunt: Sed alibi altius aſcendere neceſſe eſt: Similiter alicubi parum opitulante longa Avorum ſerie, niſi a Principe ſpecialiter decorentur Nobilium honoribus, vel in aureo Nobilium Libro deſcribantur, numquam ut veri Civitatis Nobiles computantur: Sed alibi tantus rigor non expoſcitur. Demum alicubi patrimonium etiam pingue requiritur, cujus nimia opulentia alibi non deſideratur. Pro varietate ergo Regionum Nobilitas Perſonæ menſuranda eſt; ut quamvis aliqui quarumdam Civitatum Incolæ collati cum Nobilibus aliarum Civitatum ſæpe excellant divitiis, & illuſtrioribus Majorum virtutibus; tamen nondum inter Nobiles computantur, nec proinde iis prærogativis gaudent, quæ Nobilibus Viris conceduntur. Inde fit, ut ſi a Nobilitate intelligantur ſtatim decidere ex Statutis Civilibus Provinciarum, & Civitatum; aut è contra ſtatim ad Nobilitatem conſcendere, qui talia fecerint, vel non fecerint; pariter participare poſſunt, vel carere debent de favoribus ob Nobilitatem conceſſis illi omnes, qui ad eam provecti fuerint, vel ab ea ceciderint. Haec obſervare opportunum duxi, ne cogitemus, quod dum Nobilitatem tamquam cauſſam moventem attendit Pontifex in Privilegio domeſticarum Miſſarum, eoſdem gradus Nobilitatis æqualiter ubique Gentium requirat; cum potius ſeſe attemperet Regionum moribus, illud præcipue ſatagens, ne privilegium vileſcat, ſi promiſcue omnibus tribueret; atque ut illo pæne tantum decorentur, qui in propriis Provinciis, & Urbibus vere nobiles reputantur, & ſunt. Ad eoſdem Regionum mores reſpicere, & ſeſe conformare tenentur Locorum Ordinarii, dum Juris judicio ſervato, ſi opus fuerit, nobilitatem Privilegiati probandam eſſe exiſtimaverint, priuſquam Apoſtolicum Privilegium executioni demandetur; ne forte per ſubreptionem falſo narratæ Nobilitatis Oratores Pontificium Indultum obtinuerint.

XVI. Secundum morem diverſum Regionum etiam reſolvendam cenſeo aliam quæſtionem; qualis nempe ſufficiat, aut deſideretur Nobilitas in eo, qui in Pontificio Chirographo ex *Nobili Genere procreatus* ſupponitur? Utrum videlicet ſufficiat Nobilitas ex parte alterutrius Genitoris, an vero rigoroſa nobilitas amborum Parentum ad valorem facultatis conceſſæ requiratur? Neque enim aptiorem normam ſequendam arbitror in expoſitione Privilegii Apoſtolici præ illa, quæ magis dignitatem ejuſdem ſervat; majori decori, & obſervantiæ Canonum ſuffragatur, ſimulque retinet, quod vigore communis Juris exigitur, ut quis de Nobili Genere procreatus dicatur. Fatemur quidem non eſſe attendendas a nobis eas conſuetudines Locorum, ſi quæ alicubi adeſſent, nimis laxantes, ac deprimentes conditionem Nobilium: Nam quantumvis vigentibus iis conſuetudinibus ibi quidem nobiles reputaren-

rentur viliſſimis addicti negotiis; tamen ſicut ipſi nimis abjectum redderent privilegium veris Nobilibus ad decorem ejuſdem reſervatum; ita ubi veræ Nobilitatis decora omnino abjicerentur, peſſumdarenturque, ibi Privilegium ſupponens veram Nobilitatem in Privilegiato nequaquam extendi Pontifex pateretur. Verum ubi præter communiter retentas conditiones, ſine quibus ex communi Hominum Prudentum, Legumque judicio non ſubſiſtit vera Nobilitas, alia requiſita adduntur, quæ ad Majorem Nobilium Virorum decorem pertinent; indecens non eſt, imo valde dignum, ſi pro illis Regionibus eadem requiſita, & conditiones exigi, ac ſupponi a R.Pontifice exiſtimemus, ut quis ratione Nobilitatis in iiſdem Regionibus apoſtolico privilegio gaudeat. Neque enim hinc aliis honeſtis, & liberalibus illarum Regionum Familiis penitus aditus claudetur ad Pontificium Indultum obtinendum: Nam licet illis deſinit conditiones Nobilitatis ponderandæ ex ſuorum Locorum ſpecialibus Statutis; alias tamen prærogativas ſæpe habent, ob quas facultatem Miſſarum in privatis Oratoriis celebrandarum de Benignitate Apoſtolica ſperare poterunt, ſi Viris illis *more Nobilium* viventibus deſideratum Indultum concedere R.Pontifex judicaverit. Has ratione facile nos evitamus in propoſita reſolvenda quæſtione illam laxiorem interpretationem Privilegii, quam aliqui ſequuntur, ut magis Privilegiatis faveant; ſed revera ſine fructu, cum juxta ſuperius dicta Privilegium obſervationem Legis generaliter receptæ ſolvens, atque remittens in omni rigore exponere debeamus.

XVII. Hoc modo igitur eam quæſtionem reſolvimus, dicentes Filii genitis ex Matre Nobili, & Patre ignobili, vel e contra ex Patre Nobili, Matreque ignobili ſuffragari Privilegium in illis Regionibus, in quibus ignobilitas alterutrius Parentis licet minuat, non omnem tamen in Filiis Nobilitatem impedit. Ex ſola Matre aliquam in Filios Nobilitatem deſcendere non pauci tuentur, qui L. Finali *D. de Senatoribus.* utuntur. Videat Lector Paſqualigum quæſt. 622. n. 2. Card. Petram Tom. 2. Comment. ad Conſtit. 8. Honorii III. ſect. un. n. 25. pag. 425. Ed. R., & Pignatellum Tom. 6. Conſul. 98. n. 44. dicentes a Rota R. ſæpe fuiſſe deciſum, quod Filii de Materna Nobilitate gaudeant, eamque de quocumque Aſcendentium ſuorum accipiant. Injuria itaque nos rejiceremus eorumdem Scriptorum ſententiam pro illis Locis, in quibus Nobilitas ſolius Matris ſufficeret, ut Filii Nobilium prærogativis fruantur; quia hæc Locorum conſuetudo, nec omnino Juri communi adverſa, nec omni rationabili fundamento deſtituta eſſet, ac proinde ſervaret rigorem verborum Apoſtolici Privilegii, in quo Orator ex Nobili Genere procreatus ſupponeretur. Attamen apposite obſervat Moſtazo Lib. 5. de Cauſis Piis cap. 10. n. 39., quod Nobilitas ex parte ſolius Matris in Hiſpaniarum Regnis, aliiſque multis in Locis (ſicut etiam in tota pene Italia) ad conſtituendos Filos vere Nobiles nequaquam ſufficit. Hinc pro illis, aliiſque Regionibus mera Matris Nobilitas ſatis non erit ad ſalvandum in proprietate, ac rigore verborum obvium ſenſum Pontificii Indulti: *qui*, *ut aſſeris, de nobili genere procreatus exiſtis*. Cum enim falſum expoſuerit Orator, vel ſaltem circumſtantiam attenta ſuæ Regionis conſuetudine neceſſario exprimendam tacuerit; ita vel de ſubreptione, vel ſaltem de obreptione accuſabitur, & propter alterutrum vitium ſua virtute Privilegium carebit.

XVIII. Dum vero Filius e Patre nobili eſt genitus, ex Juris regulis, & ex conſenſu Interpretum, Doctorumque de paterna Nobilitate participat, & inter Nobiles reputatur. Extat L. *Partum Ancillæ* VII. Tit. 32. *C. de rei vendicatione*, in qua deciditur, *Partus, quo ad dignitatem, familiam, & honorem,*

Patrem imitatur. Sufficit igitur ad veritatem, rigoremque verborum Pontificii Privilegii conſervandam Nobilitas deſumpta ex ſolo Patre, tanquam ab eo derivans, a quo ſecundum rationem nobilitatis Genus ſumitur. Etſi enim Τὸ *genus* abſolute prolatum tam Agnatos, quam Cognatos complectatur, ut poſcunt de Juſtis Lib. III. Diſpenſat. Matrimon. cap. 2. num. 122., & Corradus Lib. VII. Diſpenſ. Apoſtol. cap. 2. n. 119. Tamen dum de nobilitate agitur, ad ſolum Patrem refertur, a quo proprie Nobilitas in Filiis attenditur. Inde eſt, quod ubi ex parte amborum Parentum deſideratur Nobilitas, ibi quoque id ipſum aperte exprimitur. Ita plane in ſtatutis quorumdam Ordinum Nobilium, Capitulorum, aliiſque pluribus diſtincte traditur. Ita etiam expreſſe poſtulabat Capitulum Argentinenſe allegans *antiquam* conſuetudinem *inviolabiliter obſervatam*, *juxta quam nullum, niſi Nobilem, & ab UTROQUE Parente illuſtrem in ſuum conſortium hactenus admiſerat*, uti Lib. 3. Decret. Tit. 5. *de Præbendis*, *& Dignitat*. cap. *Venerabilis* Gregorius IX. inquit. Ita demum eandem nobilitatem ex utroque Parente exprimunt, qui ſplendorem præcipuum Familiarium afferere ſtudent, ſicut etiam fecit Plinius de Viris Illuſtr. in Pyrro, quem dixit oriundum materno genere ab Achille, Paterno genere ab Hercule. Quia ergo inſpecto communi Juri ſola Nobilitas Patris ſufficit ad aliquem denominandum ex genere Nobilem; iccirco poſt Sanchez Lib. 8. de Matrim. diſp. 19. n. 6. etiam Moſtazus cit. n. 37. affirmat ſufficere ad veritatem conſervandam propriæ ſignificationis verborum Apoſtolicæ Diſpenſationis nobilitatem ex ſolo Patre, quamvis in Hiſpania propter Legem Regiam III. Tit. 21. par. 2. abſolute Nobiles non habeantur, qui ex parte utriuſque Parentis tales non fuerint. Si tamen in aliqua Regione ex ſpecialibus Provinciæ Statutis omni penitus diſpoliarentur Nobilitatis prærogativa Viri Nobiles ex hoc, quod cum ignobili Muliere Matrimonio jungerentur; ac ſtatim inter reliquos Vulgi computarentur negata in Filios cujuſcumque Nobilitatis communicatione; profecto Potificium Indultum juxta morem ejuſdem Provinciæ exponere oporteret. Equidem hæc interpretatio menti Pontificis multum concinit, qui non patitur ſua Privilegia ullibi villeſcere.

XIX. Plura diximus pro interpretatione Privilegii, quando in eo Nobilitas aut abſoluta, & Perſonæ; aut Familiæ, ac Generis exprimitur. Nihil autem hactenus protulimus ad interpretandum Privilegium, quando propter prærogativam Marchionis, Comitis, Baronis, aut ſimilis cum Juriſdictione temporali in Civitibus, Oppidis, aut Terris illud conceditur. Verum ſi plurimum in his exponendis immoraremur, & fucum noſtræ imperitiæ faceremus circa ea, quæ ad Juris Civilis, & Regii Profeſſores pertinent; & extra fines noſtri Inſtituti evagaremur. Manifeſtum autem eſt, quod ex Mente Pontificis non ſufficit merus Titulus Baronis, & Comitis, quo ſæpe multi nulla Feudi proprietate fruentes nuncupantur; Sed requiritur exercitium Juriſdictionis Temporalis in aliquo Loco: ut ex hac conjunctione Juriſdictionis cum Titulo germana ratio Feudi, aut Baronatus in Privilegiato appareat. Multiplex porro eſt Baronum in propriis Feudis juriſdictio, vel in pedagiis, vel in Officialibus creandis, vel pro ſervitute exigenda, vel in aliis ſimilibus dominii dotibus, prout a Supremo Regionis Principe ampliorem auctoritatem obtinuerunt. Jam vero cum R. Pontifex in ſuo Indulto non determinet genus juriſdictionis, ſed abſolute *juriſdictionem temporalem* in aliquo Loco ſupponat; ideo ſufficit, quod Privilegiatus alterum genus illius Juriſdictionis habuerit, quo cauſſa motiva expreſſa in Privilegio vera oſtendatur. Hinc quia in eodem Oppido diverſis Baronibus diverſa

verſa

verſa Jura Baronatus,aut Feudi a Principe poſſunt concedi, atque ita plures ſimul Juriſdictionem temporalem in eodem Loco habere poſſunt; propterea mihi non videtur alienum a veritate, quod illi, ſi pro Privilegio Miſſarum domeſticarum ad R.Pontificem ſupplicaverint, licite obtento Indulto fruantur; cum in utriſque ea reperiantur, quæ veritatem cauſæ moventis Pontificem ad indulgentiam conſervat. Imo ubi plures ſimul in eodem Feudo participant, (Hujus generis Feuda non omnino infrequentia ſunt.) in ſingulis reperitur, quod a Privilegio ſupponitur, & tanquam cuſa movens deſideratur. Sicut autem in Marchione, aut Comite conjuncta Juriſdictio in Apoſtolicis Litteris ſupponitur; ita viciſſim, dum a Pontifice exprimitur Titulus Marchionis, aut Comitis, neceſſario requiritur ad valorem Privilegii, ut Orator eodem Titulo gaudeat. Quapropter etſi frueretur aliquis Juriſdictione temporali, tamen Feudi ratio Titulum nullum Domino conferret; tunc exiſtimo non valiturum Privilegium; quia nempe ſimul Titulus, & Juriſdictio eandem unicam cauſam motivam conſtituunt. Unde pro hujuſmodi Viris Juriſdictionem ſine Titulo habentibus opus erit ad valorem Indulti, quod ex Titulo præſuppoſito non moveatur, ac proinde in ipſius Litteris non exprimatur. Pauca iſta indicaſſe ſufficiat, ne penitus ſiluiſſe videar.

XX. Cognoſcendis porro Perſonis, quibus *tantum* principaliter Indultum Apoſtolicum conceſſum eſt, claram hanc regulam nuper propoſuit & attendendam ſtatuit Benedictus XIV. P. in Decreto ejus juſſu circa celebrationem Miſsæ in privatis Oratoriis edito die 7. Januar. An. 1641., ut nempe advertatur ad Perſonas, *quibus Breve dirigitur*. Facile vero dignoſcitur, quinam ſint illi, quibus Breve dirigatur; cum illos alloquatur Pontifex eos primum abſolvendo ab omnibus cenſuris, *ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt*, *ad effectum* conſequendi Privilegii, cujus propter cenſuras forent incapaces juxta cap. *ipſo Jure* Tit. 3. *de Reſcriptis*. in VI., ubi Gregorius IX. P. in Concilio Lateranenſi evulgata inquit: *Ipſo Jure reſcriptum per ipſum habitus non valeat*, *ſi ab excommunicato ſuper alio*, *quam ſuper excommunicationis*, *vel appellationis articulo fuerit impetratum*. Indicatur inſuper in laudato Decreto aliud evidens ſignum cognoſcendi, quibus Apoſtolicum Breve dirigatur, *nimirum* obſervando Perſonas illas, *quæ a tergo ejuſdem Brevis proprio nomine nuncupantur*. Ex more enim Curiæ a tergo Indulti deſcribuntur nomina eorum, quibus Privilegium ipſum principaliter dirigitur. Quod ſi Amanuenſis culpa nomen alicujus a tergo non poneretur, dummodo aperte initio Brevis illum non minus quam alios Pontifex alloqueretur, omiſſio facta a tergo nihil obeſſet, cum facultas ex verbis ipſius Pontificis profluat.

XXI. Advertere autem opus eſt, quod nonnunquam in ipſo Privilegio conceſſa facultas celebrari faciendi in Oratorio domeſtico extenditur ad aliam, vel etiam plures Perſonas ultra principaliter Privilegiatos. Ita ſæpe R. Pontifex extendit Indultum ad Matrem, aut aliquando ad Fratrem Oratorum; quorum tamen nulla mentio a tergo fit; ſed ſolum eorum, qui principaliter, ac per ſe privilegiati dicuntur. Exemplum habemus in Privilegii formula, quam cap. præcedenti ſumptam ex Litteris Apoſtolicis Benedicti XIV. ſcriptis poſt confirmatum prædictum Decretum protulimus. Cum enim hujuſmodi Privilegia juxta preces Oratorum a Pontifice concedantur; ideo in eos præcipue, ac *principaliter* illa diriguntur, qui preces in ſupplici Libello fuderunt. Jam vero illi tantum Oratores a R. Pontifice conſiderantur, qui ſuo nomine preces fundunt; alii autem, qui in Libello nominantur ab Oratoribus, ut etiam erga illas pignetur Pontifex eandem

gratiam, quam pro ſe ipſis petunt, extendere, ſicut non conſiderantur ut principales Oratores; ita neque ad illos *principaliter* dirigi dicitur Privilegium, neque eorum nomina a tergo deſcribuntur. Hinc etſi Pontifex plene vota Oratorum exaudiens ſuæ gratiæ largitatem in Matrem, in Patrem, in Filios extendat, ut id deinceps in Oratorio domeſtico facere iſti poſſint, quod Oratoribus ipſis conceditur; adhuc tamen alii *principaliter* privilegiati nequeunt dici, præter illos, quorum nomine ſupplex Libellus Pontifici offertur. Liberrime itaque eadem facultate Mater, Fratres, aut Filii Oratorum gaudebunt, quam iſti obtinuerunt, ſi videlicet etiam ad illos eadem omnino facultas expreſſe, ac diſtincte in Litteris Apoſtolicis extenſa fuerit; nec tamen unquam *principaliter* Privilegiati in proprietate ſermonis nuncupabuntur.

XXII. Quare illi, qui poſt Decretum Anni 1740. ſcrupulis angebantur, verentes ab ipſis ſublatam fuiſſe illam facultatem, quam expreſſe in Litteris directis ad Patres, aut Matres-Familias, vel ad Fratres, Filioſque obtinuerunt, nequaquam formidare debent, quamvis ipſorum nomina a tergo illarum Litterarum ſcripta non fuerint; quoniam eo fine prodiit decretum illud, ne amplius ullus auderet contra intentionem Pontificis extendere licentiam Miſſarum celebrandarum in mera præſentia aliquorum de Familia Privilegiati exiſtentium, ſicut paullo poſt latius exponemus. Hinc cum ex diverſis Italiæ Regionibus plurima de mente Decreti ad peritiores Urbis Præſules delatæ fuiſſent interrogationes, ſtatim ab iis, quibus exploratiſſimus erat ſcopus, atque intentio Congregationis Concilii, & SSmi P. Benedicti XIV. ſedatæ fuerunt Animorum anxietates, ut ex certo teſtimonio audivi. Etiam Eminentiſſ. Card. Angelus Maria Querini pietate, ac ſcientiis excellens, cum in ampliſſima ſua Diœceſi ſimiles exortas dubitationum ambages intellexiſſet, Paſtoralibus Litteris Brixienſes ſuos de ſenſu Decreti a R. Pontifice confirmati hoc modo inſtruxit.

Promoſſaſi inopportunamente anche in queſta Dioceſi nel tempo dell'ultima noſtra aſſenza dalla medeſima l'oponione, che in virtù del Decreto Pontificio 3. Decembre 1740. s'intenda onninamente proibito il far celebrare la Santa Meſſa negli Oratorj privati delle Caſe, che ne anno ottenuto ſopra ciò ſpeciale Privilegio Apoſtolico, ogni qual volta alla medeſima non ſia preſente alcuna Perſona di quelle, alle quali principalmente il detto Indulto è ſtato conceſſo, cioè delle nominate a tergo *del Breve; ſtimiamo debito del noſtro uffizio il rigettare l'inſorto dubbio, ed aſſicurare le coſcienze di ognuno, che ſi trova in libero poſſeſſo di detti ſpeciali Privilegj. E qual dubbio può mai ragionevolmente fondarſi, quando in queſti, oltre i Supplicanti notati* a tergo, *ſi trovano alle volte ſpecificati i nomi d'alcuna altra perſona, ed a queſte eſplicitamente ſi legge conceſſo, che eſſe pure* Miſſæ Sacrificium celebrari facere licite poſſint, & valeant? *Chi non vede non doverſi intendere ferita così chiara eſpreſſione del Decreto Pontificio ſudetto, il quale niente accennando circa la reſtrizione de Privilegj ſpeciali, che giornalmente ſi rilaſciano dalla Santa Sede, ſi ferma unicamente a riprovare, e proſcrivere la falſa interpretazione, che viene data a medeſimi da alcuni Dottori, e però ivi ſi dice,* ſublata igitur, & proſcripta quacumque minus germana interpretatione ejuſmodi Brevium, & Indultorum in contrarium hactenus facta; Sanctitas Sua ita declaravit? *Chi non ſa altra non eſſere tale interpretatione, ſe non quella, che ammetteva a far celebrare la Meſſa negli Oratorj privati le perſone tutte genericamente enunziate nel Breve, e però doverſi a quella riferire le parole uſate nell' allegato Decreto,* minime liceat Miſſæ Sacrificium peragi, etiamſi præſens ſit aliquis ſive ex Filiis, ſive ex

Con-

Conſanguineis, ſive ex Affinibus, ſive ex Familiaribus, ſive demum ex Hoſpitibus Nobilibus in eodem Brevi memoratis? *Il voler intender detto Decreto in un ſenſo manifeſtamente oppoſto al teſto non ſolo dei Privilegj, ne' quali ſi fa detta enunziazione generica, ma delli ſpeciali ancora, ove ſi trovano (come ſi è detto di ſopra) oltre i principali Supplicanti notati a* tergo, *eſpreſſi i nomi d' alcune altre Perſone, e ſi eſprime parimenti la grazioſa conceſſione fatta a queſte di poter far celebrare la Santa Meſſa a guiſa delli ſteſſi principali, ſarebbe un non ſaper diſtinguere il Privilegio dalla Legge commune, ne le falſe interpretazioni da eſpreſſioni chiariſſime. Sarebbe, per cagione di eſempio, un credere che il Decreto generale preſcritivo dell'ordinazione da farſi* temporibus ab Eccleſia ſtatutis, *ed in cui ſi leggeſſero condannate opinioni, conſuetudini, e conceſſioni in contrario, veniſſe a diſtruggere i Brevi tutti d'ordinarſi* extra tempora, *che ſi accordano giornalmente dal Ponteſice. Dato in Breſcia li 22. Aprile* 1742.

XXIII. At vero agamus de neceſſitate præſentiæ, quam tempore Sacrificii in proprio Oratorio Privilegiatus habere debet, ut illud licite ſervata Apoſtolici Indulti clauſula, *in tua præſentia*, celebrari poſſit. Etſi aliqui de Familia exiſtentes, aut etiam Conſanguinei, Affineſque Privilegiati participare permittantur de favore huic conceſſo, congruentiſſime tamen præſentia ejuſdem expoſcitur in executione, & uſu Privilegii, quod R. Pontifex impertitus eſt, ut *ſpirituali conſolationi* illius *benigne conſuleret*. Nam omnibus manifeſtum eſt, atque probatum multo magis fine diſpenſationis integre, & adæquate ceſſante diſpenſationem ipſam ceſſare, cujus effectus nondum ſunt conſummati; quam ceſſare debeat Lex ipſa, cum omni penitus ex parte finis Legis ceſſaverit. Dum vero Breve ad plures Perſonas dirigitur *principaliter*, ſufficit, ut altera ex illis adſit Sacrificio, quoniam non plene ceſſat finis diſpenſationis, cum illarum altera ſpirituali Sacrificii conſolatione gaudere cupit. Orta autem eſt controverſia Anno 1739. in Diœceſi Marſicenſi in Lucania, cum Epiſcopus in Oratorio, quod in Terra Brientiæ poſt Indultum a Clemente XII. conceſſum cuidam Baroni, & Baroniſſæ approbaverat ad Miſſarum celebrationem, deinde Miſſas fieri prohibuit; quia ipſis abſentibus illorum Nepotes Miſſæ celebrationem in eo fieri curaverant. Devoluta fuit cauſſa ad Sac. Congregationem Cardinalium S.R.E. Concilii Tridentini Interpretum, apud quam appellaverant Baro, & Baroniſſa, ut nulla, atque irrita ſuſpenſionis pœna ab Epiſcopo illata declararetur. In ſui patrocinium verba Indulti proferebant, in quibus cum dicitur, *in Veſtra, ac Natorum, Conſanguineorum, & Affinium..... Familiæque præſenti ... celebrari facere libere, & licite poſſitis, & valeatis*, contendebant ſufficere, ut aliquis Conſanguineorum, aut Affinium præſens eſſet; nec requiri præſentiam illorum, ad quos R. Pontifex ſuum Breve principaliter dirigit, ſecus neceſſe fore dicebant, ut non ſolum iſti tempore Sacrificii adeſſent, quam reliqui de familia; quoniam ſi illa verba *in Veſtra, ac Natorum &c. præſentia, copulative* ſunt interpretanda, non vero *disjunctive*, ſimultaneam præſentiam poſtulabunt omnium illorum, qui ſimul in Brevi commemorantur. Sicut ergo Domino ſolo præſente poteſt in Oratorio celebrari; ſimiliter ſola Familia præſente abſque Domino celebrari Sacrificium poſſe aſſerebant. Inſuper multorum Scriptorum addebant aperta teſtimonia in eo ferme communiter convenientia, quod extenderent Pontificis privilegium ad meram præſentiam cujuſcunque de Familia Privilegiati; & *in Veſtra, vel Natorum &c.* ſenſu disjunctivo exponerent. Ita Pignatellus Tomo 6. Conſult. 98. num. 99. Moſtazo de

Cau-

Cauſis Piis Lib. 5. cap. 10. num 65. Caponus diſcept. 183. num. 21. Clericatus de Sacram. Euchar. deciſ. 8. num. 47. Byſſus in Hierurgia Tom. 2. V. *Oratoria* §. 15. Novarius in Summa Bullar. Par. 1. Commen. 93. num. 8. Paſqualigus quæſt. 652. Diana, Palaus, Tamburinus aliique.

XXIV. Non obſtante tanto Scriptorum conſenſu ſapientiſſime Sacra Congregatio Concilii die 3. Decemb. 1740. cenſuit *non licere*, ut ideſt *ſine præſentia alterutrius ex dictis Conjugibus, in quos indulti conceſſio directa erat*, Miſſa celebretur in privato Oratorio. *Deinde vero Sanctiſſimus Dominus noſter* (Benedictus XIV.) *reprobat contraria Doctorum ſententia prædictam Sacræ Congregationis reſolutionem nedum approbavit; verum etiam decreto publice evulgando voluit omnibus notum fieri, non poſſe vigore ſimilis Indulti celebrari Miſſam in privatis Oratoriis, quando eidem Miſſæ actu non interſit aliquis ex iis, quibus principaliter Indultum conceſſum eſt: adeo ut ſine præſentia alicujus ex dictis Perſonis minime liceat Miſſæ Sacrificium peragi etiamſi præſens ſit aliquis, ſive ex Filiis, ſive ex Conſanguineis, ſive ex Affinibus, ſive ex Familiaribus, ſive demum ex Hoſpitibus Nobilibus in eodem Brevi memoratis; quippe quibus nil aliud per ejuſmodi Brevia conceditur, quam quod unuſquiſque eorum... Aſſiſtens Miſſæ, quæ celebratur in Oratorio privato in præſentia alicujus ex Perſonis a tergo Brevis proprio nomine nuncupatis, ſatisfaciat obligationi audiendi Miſſam Diebus Feſtis de præcepto. Sublata igitur, & proſcripta quacunque minus germana interpretatione ejuſmodi Brevium, & Indultorum in contrarium hactenus facta Sanctitas Sua ita declaravit, & ſervari omnino mandavit diſtincte præcipiens, ut omnes Epiſcopi, aliique Locorum Ordinarii etiam tanquam a Sede Apoſtolica Delegati executioni, & obſervantiæ hujus Decreti diligenter incumbat per canonicas pœnas contra inobedientes eorum arbitrio conſtituendas.*

XXV. Malui ſeriem Decreti ab Eminentiſs. Card. Gentili Præfecto Congregationis ſubſcripti, & deinde evulgati proponere, ut aperte pateret Locum nullum amplius ſupereſſe immoderatæ amplificationi Indulti Apoſtolici, atque ut inde confimaretur, quod ab inito dixeram, ſtrictam penitus faciendam eſſe interpretationem verborum Privilegii, ſi magis mentem Pontificis ſequi, nec a veritate aberrare cupimus. Revera aliena omnino erat a Concedentis voluntate præfata interpretatio, & nimis extendens gratiam, ultra id, quod particula *ac*, ſive *et* copulantis conditionis expoſcit. Quod enim ob favorem Patris, vel Matris Familias cæteris domeſticis ex uberiore Pontifici benevolentia conceditur, non debet in iſtorum ſpecialem commoditatem converti; ut abſentibus illis, in quos Breve Apoſtolicum dirigitur, gaudere dicantur exercitio ejus privilegii, cujus nullatenus participes forent, niſi ratione Perſonæ principaliter privilegiatæ. Cæterum ita verum eſt, quod Litteræ Apoſtolicæ non permitterent uſum privilegii abſentibus Perſonis principaliter privilegiatis; ut etiam antequam prodiret recitata declaratio S. Congregationis, quibus ob ſingularia merita indulgebat R. Pontifex ampliationem privilegii pro Oratoriis privatis in caſu abſentiæ Perſonarum Privilegiatarum, etiam ſoleret ſingulare, ac diſtinctum Privilegium illis diſpenſare; quamvis hoc ipſum nonniſi Perſonis eximie dignitatis, ac meritorum tribueretur. Hujus nos formulam recitavimus Cap. præceden. num. ultimo, quam qui legerit ſtatim cognoſcet, quanta falſitate laborarent omnes illi, qui propter particulam *ac* inſertam in corpore Privilegii Pontificii exiſtimabant licite fieri Miſſarum celebrationem in privatis Oratoriis præſente aliquo Familiari; quamvis abeſſent Familiæ Patres, ac Matres, quos directe conceſſum Privilegium reſpicit.

XXVI. Egregie autem P. Bardi

Par.

Par.2. Tract.2. cap.3. Sect.8.num.69. & ſeqq. particulam *ac* uſurpatam in Formula Indulti, quod exponimus, copulative, non disjunctive ſumendam eſſe declarat, & hanc regulam valde opportunam proponit. Tunc dictio illa ſenſum disjunctivum reddit, dum duo, inter quos illa particula ponitur, æque, & independenter ab invicem id valent peragere, quod enunciatur. Sint Petrus, & Paulus divites, ac capaces ſinguli eleemoſynam largiri centum aureorum: Dum pronunciamus, Petrus *AC* Paulus eam ſummam poſſunt erogare pauperi, Tò *AC* ſenſum disjunctivum reddit; ita ut quilibet tantam eleemoſynæ copiam dare valeat. At ubi particula eadem ſimul de duobus adhibetur ad aliquid affirmandum, negandumve, quod tamen unus non propria virtute, ſed tantum ex participatione prærogativarum alterius peragere poteſt; tunc Tò *AC* reſpectu iſtius ſenſum copulativum præſefert. Evidens res fit hoc exemplo: Cum dicitur Epſcopus *ac* ſua Familia a Juriſdictione Laicali eximitur, Tò *AC* copulativum ſenſum obtinet, quatenus Familiares illi non niſi per conjunctionem Familiaritatis cum Epiſcopo de privilegio Immunitatis a Laicali Juriſdictione perfruuntur. Hæc eſt regula a P. Bardi expoſita, quæ ſane exponendis Apoſtolici privilegii verbis aptiſſima eſt, cum notum ſit Natos, Conſanguineos, & reliquos participare de Pontificio Indulto propter Patrem Familias, cum quo aliqua ratione connectuntur, atque ad eum pertinent. Ubi ergo hujus præſentia exprimitur ſimul cum Natis, Conſanguineis &c., non in iſtos ſeorſim ab illius præſentia Indultum extenditur; ſed quatenus ſimul cum illo interſunt domeſtico Sacrificio, & ita Miſſæ præcepto in Oratorio privato celebratæ ſatisfaciunt. Quare licet Familiaribus Oratorum ſepæ concedat Pontifex participare de Privilegio iſtis tradito; tamen non eandem facultatem illis tribuit, quam principaliter Privilegiatis indulget.

XXVII. Etſi vere ſervato Privilegii rigore nullus ex Natis, Conſanguineis, & Familiaribus ſatisfaciat præcepto Miſſæ audiendæ, qui iſtius cælebrationi in Oratorio privato ſine præſentia principaliter Privilegiati interfuerit; falſum tamen eſt requiri ad eundem rigorem ſervandum, quod ſimul cum Principaliter Privilegiato debeant Miſſæ intereſſe, ut privilegium pro iſto valeat. Nam quos principaliter reſpicit Pontificium *BREVE*, eos vult R. Pontifex propter ſe ipſos ſpeciali favore proſequi; itaut in executione privilegii non cogantur ab iis dependere, qui ideo de gratia conceſſa communicant ex ſpeciali favore Pontificis, quia cum Principaliter Privilegiatis conjunctionem nonnullam Conſanguinitatis, Affinitatis Familiaritatiſque ſervant. Inde eſt, quod Papale Breve de celebratione facienda coram Natis, aut Familia loquens, adjungit particulam copulantem *ac veſtra præſentia*: At vero de iis agens, ad quos principaliter dirigitur, hæc tantum verba uſurpat: *Veſtrum quilibet poſſit, & valeat*. Igitur ſine præſentia Familiæ poteſt perſona principaliter Privilegiata uti privilegio; non item Familia ſine illius præſentia Miſſam inibi celebrari facere poterit; niſi forte in ipſo Indulto facta fuerit expreſſa dilatatio in favorem Natorum, aut Familiæ; cum Dominus, ſeu Pater abſens fuerit. Hanc extenſionem aliquando Pontifex exprimere ſolet, ac præcipue in Indultis Matribus-Familias conceſſit, ut ita commode Miſſam audire poſſint Nubiles Filiæ, ſi forte Mater e Domo abeſſe contigerit.

XXVIII. Ex eo porro, quod illi, ad quos principaliter dirigitur Privilegium, expreſse permittantur ſinguli gratiis conceſſis frui propter illas particulas: *Veſtrum QUILIBET poſſit, & valeat*; dubium jam nullum eſſe debet, quin, ſi ipſi ſeorſim vitam ducant, & in diverſis domibus ſuam ſolitam habeant habitationem, diſtin-

cta

ſta etiam habere valeant Oratoria, in quorum ſingulis Miſſæ celebrentur præſente illo, qui ſuam ibi ſolitam habitationem fixerit. Etenim dum ad plures æque principaliter Indultum dirigitur, æquivalenter Privilegium eſt multiplex; tantumque valeat, ſi ſimul omnes illi in eodem Oratorio privato Miſſæ interſint, quam ſi unus tantum illorum adeſſet. Quamobrem, quouſque alter illorum vivit, adhuc perſeverat privilegium, quod non amittitur niſi omnium morte ſecuta, aut niſi ſuperſtes Vidua ad alias Nuptias tranſiverit. Ampla forte videbitur prima facie hujuſmodi expoſitio, ac nimium extendens privilegium magno rigore exponendum; quia cum unica Miſſa tantum ad illo permittatur, contingeret in diverſis Oratoriis privatis eodem die duas, aut plures Miſſas celebrari, pro ut bini, vel plures principaliter in eodem Brevi privilegiati fuerint. Non me fugit hæc conſideratio; attamen ſcopo, ac fine privilegii intento nihil in hac extenſione apparet, quod non aperte ex ipſo privilegio confirmetur, & proprio ipſius ſenſu ſervato non muniatur.

XXIX. Et ſane Papale Indultum expreſſe ſingulis illis principaliter Privilegiatis eandem tribuit poteſtatem, quam ſimul omnibus elargitur. Quare ergo altero Conjuge v. g. Ruri degente celebrandi Sacrificium poteſtas in propria Domo Rurali, quæ ſupponitur in privilegio compreheſa, ex eo ſuſpenſionem incurret, quod interim alter Conjux in Civitate, vel in alia Domo pariter a privilegio comprehenſa commoratur? Unus enim per præſentiam alterius exercitium propriæ facultatis libere, & ſine ulla ſubordinatione a Pontifice conceſſæ non accipit. Quod ſi tunc alter eorum a privilegii executione ceſſare cogeretur; quam modicus eſſet fructus ex privilegio a ſingulis præceptus! Imo vanæ evaderent Oratorum preces in eodem ſupplici Libello expoſitæ; cum ſimul æque ipſis a R. Pontifice Indultum tribui exorent, ut unuſquiſque privilegio fruatur, etiam cum in diſtinctis domibus eos habitare contigerit; maxime cum privilegii efficacia æque plures reſpicere non impediatur, quamvis pro ſingulis diſtinctæ Apoſtolicæ Litteræ non deſcribantur. Unitas porro Miſſæ præſcripta ab Indulto, quod æque plures *principaliter* reſpicit, accommode intelligitur, pro ut vel ſimul in una Domo, vel in diverſis domibus illi habitaverint. Si enim ſimul in eadem domo omnes habitent, tunc privilegium etiam ſimul omnes ad modum unius comprehendit; ac proinde pro omnibus illis non niſi unicum Sacrificium in eadem Domo offerri poterit: Si autem in diverſis Domibus ſeorſim ſinguli principaliter privilegiati ſuam ſolitam ducant habitationem, tunc privilegium pluribus æquivalens ſuam exerit æquipollentiam ad tot alia privilegia, quot eſſent neceſſaria, ut ſinguli illorum in propria Domo ſingularem Miſſam celebrari facere poſſent. Quamobrem nec in eodem Oratorio plures Miſſæ unquam juxta præſcriptum Indulti celebrari poterunt, quantumvis unus ex privilegiatis abſens fuiſſet, tempore celebrationis; (Conſtat enim ex mente Pontificis unicum tantum in eodem Oratorio Sacrificium permitti.) Nec vetabuntur diverſis in Oratoriis diverſarum Domorum ſinguli Privilegiati eodem privilegio uti, dummodo Domus illæ ſint *ſolitæ habitationis* ipſorum.

XXX. Quæſivi ſuffragia Scriptorum adjungere, vixque ullum reperi qui in quæſtionem ſolvendam incumberet. Verum nihil efficacius, clariuſque deſiderari poterat ad validiſſimam præcedentium confirmationem illo, quod in evolvendis Regeſtis Eminentiſſ. Vicarii graviſſime occurrit. Nobilis

bilis Mulier Romana prævio judicio SS. P. Benedicto XIV. ſeparatim a Domo Mariti vitam ducens, cum in propriæ habitationis Domo ſibi nullatenus ſuffragari arbitraretur privilegium a Clemente XI.P. ad ſe una cum Marito principaliter directum, quia noverat ab exercitio impetratæ facultatis non abſtinere Maritum; ſupplex ad Sanctiſſimum Patrem confugit, ut ſpecialem ipſi tribueret licentiam in proprio Oratorio celebrari faciendi. His precibus die 15. Maii 1744. *Sanctiſsimus reſpondit, quod Oratrix utatur facultate eidem ad Formam Brevis conceſsa, etiamſi a ſuo Viro moram ſeorſim trahat, viſitato tamen Loco per D. Card. Vicarium, ſeu per alium ab eodem ad ejuſmodi effectum deputandum*. Superfluum viſum eſt Sapientiſſimo Pontifici novum Privilegium concedere, quoniam non carebat ſuo robore illud, quod antea Nobili Mulieri elargitum fuerat, quamvis in altera Domo ſeorſim ab Habitatione Mariti moraretur; unde non jam votis Oratricis annuit, ſed *reſpondit* eam bene exequi poſſe in proprio Oratorio Privilegium, quo prius ſimul cum Marito utebatur; quin propterea hic a priſtinæ facultatis exercitio ceſſare cogeretur.

XXXI. Omnia, quæ hactenus diximus, ſatis oſtendunt Privilegium Apoſtolicum, quod exponimus, eſſe mere *Perſonale*, ſicut communiſſime Scriptores tuentur; non vero *mixtum* ex Perſonali, & Locali. Etenim ad Perſonam propriis nominibus expreſſam dirigitur, & eam præcipue Pontifex *ſpecialibus favoribus proſequi* intendit, quæ ſunt notæ certæ, atque a Doctoribus in deſignando Perſonali Privilegio approbatæ. Locus autem expreſſus in Privilegio; *Domus* videlicet *propria habitationis*; non eſt objectum, & finis intentus a Concedente; ſed unice indicatur tanquam limitans, & determinans Privilegium Perſonæ conceſſum, ne ubique exerceatur. Quis enim ambigat privilegium conceſſum aliquibus celebrandi ſuper Aras Viaticas eſſe mere Perſonale; quamvis exprimantur, determinenturque aliqua Loca, in quibus tantummodo exequi valeat? Revera, ut apte obſervat cum Paſqualigo quæſ. 624. Pignatellus Tomo 6. Conſul. 98. num. 41., nihil ſpeciale Locus præſcriptus in privilegio habet, quod Pontificem movere, aut inclinare poſſit ad illius elargitionem; Cum tamen iſtud neceſſarium foret ad inducendam rationem Privilegii Localis, quod ratione Loci conceditur. Hinc Privilegium Immunitatis, quod Eccleſiis, Monaſteriis, & ſimilibus Piis Domibus tribuitur, ideo *Locale* dicitur; quia ratione Loci Sacri tribuitur, ut ſingularitate privilegii decoretur Locus, qui Sacris Perſonis, Officiis, ac Uſibus eſt deputatus. E contra Privilegium Perſonale potius Perſonæ dotes reſpicit; quemadmodum plane evenit in Privilegio Miſſarum celebrandarum in Oratorio Domeſtico, quod propter Perſonæ nobilitatem, dignitatem, ac merita propria erogatur. Denique tam clare patet ab hoc Indulto Domum Privilegiati reſpici propter meram iſtius commoditatem, ut propterea in hunc finem ſuas Orator preces fuderit; & juxta preces ſimul Pontifex aperte ſignificet determinari privatum Domus propriæ Oratorium, non alium ob finem, quam ut Privilegiatus in eo Miſſas *celebrari facere libere, & licite valeat*.

XXXII. Ex eo autem, quod Privilegium iſtud ſit Perſonale, oritur ratio, propter quam mortuo Privilegiato ceſſat facultas in ipſius Oratoriis privatis celebrandi; neque ad Hæredes pertranſit. Omne etenim Privilegium Perſonale *extinguitur cum Perſona*, ut docet Regula VII. Juris in VI.; quoniam extinguitur, ceſſatque undequaque cauſſa, quæ ad illius elargitionem moverat. Nemo nunc, ut arbitror, de Privilegii hujus ceſſatione ambigit; omneſque norunt ſtatim defuncto Prin-

cipali Privilegiato privatum Oratorium ineptum reddi Divinis Myſteriis, quouſque novum ab Apoſtolica Sede privilegium non obtineatur. Miror autem alicui quandam dubitationem injeciſſe verba illa Indulti, quibus *arbitrio* Ordinarii *duratura* dicitur licentia celebrandi in approbato Oratorio; an videlicet ad terminum ponendum privilegio Miſſarum domeſticarum poſt mortem Privilegiati neceſſe ſit ab Ordinariis licentiam ſuſpendi? Quem ſenſum referant, quidve reſpiciant verba illa, cap. 24. exponemus: Nunc vero tantum advertimus Ordinarii licentiam nihil operari poſſe ultra id, quod a R. Pontifice indulgetur; cum illius expreſſam conceſſionem celebrationis domeſticæ præſupponere debeat tanquam fundamentum approbationis Oratorii, ut inde privilegium executioni tradatur. Igitur ſi per mortem Privilegiati conſummatur penitus efficacia Indulti, ruit fundamentum, cui innititur Ordinarii licentia; eoque ruente una ſimul iſta ad effectum ulterius permittendi eandem domeſticam Miſſarum celebrationem inutilis redditur.

XXXIII. Morte tamen Pontificis non propterea deſinit ipſius privilegium, quod ſive limitatum fuerit uſque ad præfinitum tempus, ſive abſque ulla reſtrictione temporis fuerit conceſſum, in ſuo robore permanebit, quouſque vel præfixum tempus effluxerit, vel Privilegiatus ex hac vita deceſſerit. Hujuſmodi permanentiam vis ipſa privilegii operatur ex Regula XVI. Juris in VI. *Decet conceſſum a Principe Beneficium eſſe manſurum*. Eam confirmat conſuetudo, quæ, ut inquit Innocentius III. relatus cap. 8. *cum dilectus*. Tit. *de Conſuetud.*, *eſt legitima Legum* ac proinde etiam Diſpenſationum a Lege *interpres*. Solent enim mortuo Pontifice Privilegiati obtento frui privilegio. Demum eam approbant Pontifices ipſi; ac noviſſime Benedictus XIV. P. O. M. in decreto laudato an. 1741. illam expreſſe ſupponit. Cum enim Gratia nulla temporis menſura limitatur, & aliunde auctoritate Apoſtolicæ Sedis, quæ numquam perit, conceſſa fuerit, ſemper perſeverat, quouſque Privilegiatus vixerit, niſi a Pontifice Succeſſore forte revocetur.

XXXIV. Nihil autem intereſt ad ejuſdem Apoſtolici Indulti valorem, quod vivente Pontifice concedente primum exequatur. Enimvero ſtatim atque Litteræ Pontificiæ deſcriptæ, ac traditæ fuerint, jus omne obtinuit Orator ad Indulti executionem; & quantum ad Pontificem ſpectabat, integram, completamque Gratiam conceſſerat. Imo Viſitatio, ac Approbatio Oratorii, quæ prius facienda præcipitur, quam Indultum executioni demandetur; non jam eſt relicta Ordinarii arbitrio; quoniam, ut infra Cap. 24. exponemus, non pendet a mero arbitrio illius approbationem concedere, aut denegare, quoties nihil neceſſarium ad decorem Oratorii, & ad conditiones exigitas ab Indulto pertinens deeſſe contigerit. Ex hac autem ratione inferunt communiter Scriptores valere Litteras diſpenſatorias in Cauſſis Matrimonialibus a R. Pontifice conceſſas, licet nonniſi poſt mortem illius a Delegatis Ordinariis exequi poſſent. Et revera id aperte ſumitur ex declarationibus Bonifacii VIII. Cap. *Si ſuper*. Tit. *de Offic. & Poteſt. Judicis Delegati*. in VI., ubi ait. *Si ſuper gratia, cuiquam ab Apoſtolica Sede facta executores fuerint deputati; æquum eſſe cenſemus; ut ſicut ipſa gratia (licet nondum ſit in ejus executione proceſſum) morte non perimitur Concedentis; ſic nec etiam re integra perimatur Executoribus data poteſtas; quam veluti gratiæ prædictæ acceſſoriam, naturam ſequi congruit principalis, ne gratiam eandem vel reddi quandoque inutilem; vel ipſius effectum in tempus longius (cum illius diſpendio, cui facta extitit,) differatur.* Atque hinc ſequitur, quod neque illæ Litteræ Apoſtolicæ, quæ favorem alicui conceſſum Miſſarum domeſticarum continent, ſua efficacia propter

mor-

mortem Pontificis carent; etſi non directe ad Oratorem, ſed ad Ordinarium ipſum mittantur. Nam Litteræ hujuſmodi non quomodocumque Ordinario facultatem concedendi Oratori licentiam Miſſarum in Oratorio tribuunt, ut pro libito hanc ipſam concedere, vel denegare valeat. Non ita a RR. Pontificibus hujuſcemodi Litteræ in forma commiſſaria ad Locorum Ordinarios tranſmitti ſolent, in quibus potius *mandatum* addunt, ut poſitis omnibus conditionibus petitam licentiam *Auctoritate Apoſtolica* Oratori concedere, & indulgere debeant. Quamobrem in his ipſis Commiſſariis Litteris comparant Oratores jus ad gratiam ipſam, quo per mortem Pontificis delegantis, & imperantis executionem gratiæ privari nequaquam debent; maxime cum *Auctoritas Apoſtolica*, per quam Ordinariis commiſit, & mandavit defunctus Pontifex concedere Miſſas in Oratorio domeſtico Oratoribus, nunquam pereat. Cetera nolo addere ad hoc argumentum ſpectantia, quæ ab illis fuſius exponuntur, qui de ſimilibus Diſpenſationibus Pontificiis, & præcipue Matrimonialibus poſt mortem Pontificis concedentis accurate differunt. Potius ad rem meam eligo declarationem S. Congregat. Concilii. In ejus Archivvo Tomo 209. *Poſition.* fol. 59. hic Libellus inſeritur. *N. N. Barone della Terra di Caſtelluccio Dioceſi della Guardia umiliſſimo Oratore dell' EE. VV. gli eſpone riverentemente, come ottenne facoltà dalla fel. mem. d' Urbano VIII. di potere fare dire la Meſſa nell' Oratorio privato del ſuo palazzo, come conſta per Breve ſpedito alli* 12. *Marzo* 1643.; *e perche il Veſcovo della Guardia pretende, che la grazia fattali ſii ſpirata per la morte d' eſſo Urbano VIII.*, *perciò ſi ſupplica di dar ordine al ſudetto Veſcovo, che trovando l' Oratorio con quella decenza, che conviene, non differiſca di dar eſecuzione al ſudetto Breve, conforme e di raggione, che del tutto &c.* His precibus mota Sac. Congregatio die 22. Septemb. 1646. ſtatuit, ut *dentur Litteræ pro executione Brevis, quod non expiravit mortem fel. mem. Urbani VIII.*, ſicut ad calcem Libelli adnotatur. Litteræ autem ad Epiſcopum Guardienſem miſſæ tales fuerunt, quæ pariter in eodem Tomo fol. 82. continentur.

Rme Domine uti Frater.

Breve celebrandi in privato Oratorio per felic. record. Urbanum VIII. conceſſum N. N. non expiravit morte dicti Pontificis, nec propterea hoc prætextu impedienda erit celebratio in futurum. Amplitudini Tuæ ſignificatur, ad hoc ut Paſtorali Pietate removeat novos recurſus ejuſdem Baronis; & Deus eam propitius tueatur. Romæ die 6. Octobris 1646. amplit. Tuæ uti Frater. Pet. Aloyſius Card. Carraffa.

XXXV. At vero nonnullus mirabitur, quod paullo poſt eadem Sacra Congregatio circa hanc ipſam cauſſam contrarium ediderit decretum inſertum quoque Lib. 18. Decret. fol. 355., ubi in Guardienſi legitur. *Die 6. Julii* 1647. *Sac. Congregatio reſpondit gratiam conſtruendi Oratorium privatum expiraſſe per mortem fel. record. Urbani VIII. concedentis, ideo concedendam eſſe Oratori revalidationem.* Verum non ſunt inter ſe contraria decreta iſta, ſi bene inter ſe conferantur diverſæ interrogationes, pro quibus fuerunt condita. Cum enim Baro ipſe in ſuis precibus id ſolum exponeret, quod ex mero Titulo mortis Urbani VIII. repugnaret Epiſcopus exequi Indultum ab ipſo conceſſum; tunc prudentiſſime Sacra Congregatio favore Baronis pro Litterarum Apoſtolicarum executione judicavit. At vero ſagaciſſimus Epiſcopus imprimis reſcripſit Sac. Congregationi die 15. Martii 1647. ſe immerito accuſari a Barone; cum nunquam Breve *coram ipſo pro ejus executione fuiſſet præſentatum; & nondum Oratorii ipſius ædificatio incæpta*: Hinc ſubdebat Epiſcopus: *Gratis igitur aſſeritur (ne dicam calumnioſe) quod eidem per me*

impediatur celebratio. Deinde alias Litteras ſcripſit die 8. Aprilis 1647., in quibus apographum Brevis conceſſi addidit. Extant hæ Tomo 209. *Poſition.* fol. 81. & 82. Omnem ergo difficultatem Epiſcopus in negligentiam Baronis, atque in verba Indulti referebat; ac proinde Sac. Congregatio revalidationem gratiæ Oratori concedendam eſſe reſpondens forte advertit in Urbani Indulto ſpeciales quaſdam clauſulas, quæ in aliis non ſolebant inſeri; ita ut inſpecto Indulto aliud ſtatuendum eſſe duxerit, quam antea juxta tenorem precum Baronis decreverat. Ego quidem videre non potui illud Indultum: Sed ex hac variatione ſententiæ non imprudenter ſuſpicari poſſum ſimilem Clauſularum diverſitatem; maxime cum tam in Litteris Epiſcopi, quam in poſteriori Decreto, de Indulto *erigendi Oratorium* præcipue ſit ſermo. Ceterum in pœnam indebitæ accuſationis Epiſcopi, una ſimul cum negligentia, qua ſine cauſſa Indultum exequi neglexerat, onus poſtulandi revalidationem irrogari poterat. Etſi enim ad tacitam renunciationem Privilegii poſt Inocentium III. cap. 16. *Aſcendentibus*. Tit. *de Privileg. & Exceſſib.* multo majus temporis ſpatium requirant Juris Interpretes, quam trium Annorum periodum; tamen hoc genus Indulti, quod ob ſpiritualem conſolationem Animarum conceditur, non debet, quantum reor, metiri ad normam eorum privilegiorum, quæ ob ſolam utilitatem temporalem conceduntur; cujuſmodi erant decimæ, de quibus loco cit. Innocentius III. loquitur; quaſque cum exigere 40. Annorum tempore Monachi quidam neglexiſſent, propterea earum privilegio ſponte renunciaſſe declaravit. Alia porro eſſe debet ratio cauſſæ, quæ ex propria negligentia oritur; alia cauſſæ involuntariæ: nam ſi hæc longo tempore impedierit exercitium Indulti Apoſtolici domeſticarum Miſſarum; non tamen videtur illud ſua virtute ſpoliatum, quod uſquead mortem Privilegati duraturum conceditur.

XXXVI. De Perſona principaliter Privilegiata inquiri inſuper poteſt, an ſi fuerit impotens ad Eccleſiam accedere Die Feſto, potenſque facile uti obtento privilegio, aſſiſtere Sacrificio, ejuſdemque celebrationem curare in proprio Oratorio approbato teneatur? Si in hac quæſtione ſolvenda Scriptorum numero pugnandum eſſet, vinceret forte negativa reſponſio, quam nomen ipſum *Privilegii* liberum favorem alteri collatum ſignificans a multis extorſit. Attamen nec deſtituitur omnino Scriptorum ſuffragio reſponſio affirmativa, quam præcipue doctus Paſqualigus quæſ. 662., & Auctor Supplementi additi Operi Morali P. Reinfeſtuell tuentur; nec caret probabilioribus argumentis, quæ tum ſeveritas obligationis Miſſam audiendi ſingulis Diebus Feſtivis, ſi non impediant gravia obſtacula, tum ratio ſpecialis Privilegii domeſticarum Miſſarum ſuppeditant. Et quod ad ſtrictum, rigoroſumque debitum colendi Deum per Sacrificium attinet, nullam rationem video, propter quam ab illius privilegii adimpletione liber ille dicatur, cui tam facilis, promptuſque eſt modus preceptum Deo obſequium præbendi; cum aliunde multo majora ſuſtinere cogeretur incommoda, ut grave hoc debitum perſolveret, quod licet ab inſtitutione eccleſiaſtica, & probabiliter apoſtolica oriatur, nonnihil tamen admiſtum habet de obligatione Juris Naturalis, & Divini. Etſi enim a voluntate, ac arbitrio cujuſque pendeat privilegium domeſticarum Miſſarum poſtulare: Tamen cum aliquis illo inſtructus fuerit, eoque uti cæperit, faciliorem ſibi ipſi reddidit viam adimplendi præceptum. Unde igitur excuſationem accipiet prætermiſſi Sacrificii, cum non obſtante impedimento prohibente acceſſum ad Eccleſiam, approbatum, percommodumque Oratorium ex privilegio apoſtolico Eccleſiæ deffectum ſupplens in

pro-

propria domo habeat? Certe ſi cui ex ſpeciali gratia concederetur erigere Oratorium publicum proximum propriæ habitationi, aut aperire privatum aditum in aliquam Eccleſiam, ut commodius Miſſæ aſſiſtere valeret, a nullo excuſaretur, cum impotens ad aliam Eccleſiam accedere, neque proximam valens adire per publicam Januam, adhuc commodiorem modum Miſſæ audiendæ negligeret. Etenim licet ex privilegio ipſi tanta commoditas advenerit, adhuc cum difficiliora non poteſt adhibere media, valde æquum eſt, ut faciliora exerceat.

XXXVII. Inſuper admitto privilegia mere perſonalia pro libito deſeri, aut uſurpari poſſe: At ſemel facto exercitio, de quo agimus, tranſiit Privilegium in Locum ipſum, qui ex privilegio idoneus evaſit poſt Ordinarii approbationem implendo præcepto; ac proinde dilatavit Privilegiati facultatem, ut qui prius ſolum in Eccleſiis præcepto Miſſæ audiendæ ſatisfacere poterat, etiam in Oratorio privatæ domus illiud adimplere poſſet. Dum ergo grave ipſi non fuerit Sacerdotem celebrantem vocare; licet ei deſit facultas ad Eccleſiam accedendi; non intelligitur ei deeſſe copia Sacrificii, cui in Loco apto aſſiſtens feſtivo die Miſſæ præceptum exequatur. Male autem me judice diceretur tunc Privilegium potius gravaminis ſarcinam imponere, quam ſolatium deferre; quoniam non modicum ſolamen eſt etiam deficientibus Eccleſiis alibi commodius Divinis vacare Myſteriis. Cæterum inſolitum non eſt ſæpius quoſdam Privilegiatos ad aliquod præceptum cogi, quod, niſi privilegio inſtructi fuiſſent, ob impotentiam ipſorum non obligaret. Sit aliquis ob ſpecialem gratiam Principis certis capax gaudere prærogativis, & interim occurrat proximorum gravis neceſſitas, cui ille non aliter ſuccurrere poſſit, niſi exercitio utens ſuorum privilegiorum; profecto, ut arbitror, præceptum caritatis tunc exigere conceſſæ facultatis exercitium nemo negaverit. At non diſperam video cauſsam pro exercitio privilegii Miſsarum domeſticarum, quando aliter privilegiatus præceptum Miſsæ audiendæ adimplere non valeat.

XXXVIII. Audebo amplius, cum firma ſteterit præcedens reſponſio, & affirmabo, quod Pater-Familias teneatur exequi Privilegium, ut hac ratione, ſi quis ſuorum Domeſticorum, quem Pontifex participare ſinit de Indulto, ad Eccleſiam die Feſto accedere impotens fuerit, in Privato Oratorio Miſsarum celebrationi aſſiſtere valeat, & præceptum facile exequatur. Sane Pater-Familias ſine gravi ſuo incommodo curare debet, ut omnes de Familia exiſtentes eccleſiaſtica præcepta adimpleant; & hoc maxime, pro cujus executione frequenter Sacri Paſtores (Hoc etiam inſinuabat vehementer S. Carolus in I. Mediol. Synodo.) monere ſolent Familiarum Patres, ut Diebus Feſtivis operam omnem adhibeant, ne Filii, ac Famuli intereſse negligant. Nam ſicut ait S. P. Auguſtinus Lib. 19. de Civit.Dei cap. 16., *qui vere Patres-Familias ſunt, omnibus in Familia ſua tanquam Filiis ad colendum, & promerendum Deum conſulunt*. Hactenus dicta manifeſtant, quam me propenſum ſentiam in affirmativam reſponſionem propoſitæ quæſtioni dandam: Simul tamen nollem a quoquam redargui, cum ſciam caute incedendum eſſe in oneribus imponendis; & tunc maxime, quando plures Scriptores hæc onera non adeſse exiſtimant.

CA-

CAPUT XXII.

De Domo, in qua Privilegiatus exequi poteſt Privilegium Miſſarum celebrandarum in Privato Oratorio.

I. SI Privilegium Miſſarum domeſticarum, quod paſſim Viris Nobilibus a R. Pontifice conceditur, libere permitteret eas celebrari facere in quocunque Oratorio privato, multis certe irreverentiæ periculis obnoxium foret; imo jam inde pateret, quod non alio fine Nobiles, ac Illuſtres Viri idem privilegium ſibi ipſis concedi deſiderarent, quam ut publicæ poſthaberentur Eccleſiæ; non vero ut commodius propriæ devotioni, ac ſpirituali conſolationi ſatisfacerent. Quamobrem ad ſanctius, majoreque cura cuſtodienda Oratoria Rei Divinæ faciendæ deſtinata; atque ad conſervandum finem intentum in apoſtolico favore viſum fuit neceſsarium decernere, ut Oratorium a Privilegiato exſtrueretur *in Domo ſuæ habitationis*, vel expreſſius *in Domo ſolitæ ſuæ habitationis*.

II. Quid vero requiratur ad ſolitam Habitationem fruſtra in verbis Indulti requiritur; cum ab eo ſupponatur, quod ex communiter receptis Juris Regulis, atque ex probata conſuetudine, Doctorumque ſententia ad determinandam ſolitam habitationem attendi, ac deſiderari ſolet. Jam vero quantum mihi licuit deprehendere, non expoſcunt Scriptores velut neceſsariam continuam habitationem in aliqua domo; ut hæc *ſolita* alicujus habitatio dicatur: Potius ſatis eſse concedunt, ut per majorem Anni partem aliquis certam domum habitare conſueſcat. Nam licet multo plura requirantur ad habitationis domicilium in aliqua Regione, aut Civitate acquirendum; quam ad verificandam ſolitam habitationem in certa Domo: Attamen variatum, mutatumque domicilium non intelligitur ex eo, quod Habitator alibi ad breve aliquod tempus ſine animo illic jugiter commorandi ſe transferat; cum domicilium facto, & animo transferatur, ut optime Sanchez Lib. 3. de Matrim. Diſput. 23. num. 2. ex L. *Domicilium* D. *ad Mancip.* adverterat. Dum enim ab uno in alterum Locum aliquis ſe tranſtulerit vel recreationis cauſſa; vel ob aliquod negotium quamprimum expediendum; vel ob alias ſimiles rationes, quæ ſe ipſis aperte produnt non adeſſe animum transferendi alibi habitationem; non propterea prior Locus eſſe Domus ſolitæ habitationis deſinit, quia in alio Loco ſe gerit velut Hoſpes, & Peregrinus. Sicut autem ad domicilium habitationis interruptum, ac deinde reparandum *non ſatis eſt domum aliquem rediiſſe, ſi mente alienus eſt*: Ita neque ad domicilium habitationis interrumpendum ſufficit aliquem ad breve tempus alio ſe transferre, ſi interim conſervet animum redeundi, qui ſimul ex quibuſdam circumſtantiis clare manifeſtetur. Multo igitur magis perſeverat aliqua domus tanquam ſolita habitatio cujuſdam, quamvis ab iſto identidem eam corpore deſeri cum animo redeundi contingat. Hac ſane ex cauſſa nemo ambigit, quin domus illa ſub veræ appellationis, & proprietatis ratione permaneat ſolita alicujus habitatio, etſi identidem Habitator vel rus petat, vel iter aliquod peragat.

III. Similiter conveniunt Scripto-

res

res in eo, quod domus ſtatim evadat ſolita habitatio alicujus, poſtquam aliquam illic moram fecerit, cum animo in illa pro magna Anni parte habitandi. Revera ſæpiſſime, ut refert Fagnanus Lib. 3. Decret. in Cap. *Significavit*: Tit. *de Parochiis, & alienis Parochian.* S. Congregatio Cardinalium Concil. Trid. Interpretum declaravit valida fuiſſe Matrimonia celebrata coram Parocho illius Parochiæ, intra cujus fines ſeſe ad menſem, vel paullo amplius alter Sponſus receperat; quia hæc mora ſatis eſſe poterat ad oſtendendum animum ducendi in eadem Parochia tantam moram, quanta ſufficere videbatur, ut quis in illa non ad inſtar Hoſpitis, ſed tanquam habens Habitationem manere diceretur. Profecto niſi Sponſus in Parochia domum habitationis ſuæ haberet, ab ejuſdem Parocho matrimonio jungi non poſſet, niſi forte recenſeretur inter vagos, ſive in numero illorum, qui nullibi habitationem habent. Nihil autem præjudicat, quod paullo poſtquam aliquis certam domum habitare cæperit cum animo ibi habitationem ſuam protrahendi, ad aliam domum habitandam ſe transferat. Cum enim habitatio ab animo manendi juncta ſimul aliqua mora præcipue denominationem accipiat; quid intereſt, ſi poſtmodum mutato animo deinde Habitator in alteram domum commigret? Non ergo frequens iſta mutatio Habitationum veram alicujus domus habitationem deſtruit, quoties ex circumſtantiis appareat Habitatorem ad illam domum ſincero animo diutius commorandi acceſſiſſe; & aliunde in ea aliquo tempore moram ipſe traxerit: Secus non niſi conſummata longi temporis mora domus aliqua diceretur ſolita cujuſdam habitatio; ac præcedente toto tempore, qui in illa moraretur, hoſpes potius, ac peregrinus vocandus foret, non habitator. At quis propriæ locutionis tenax, ac ſervata hominum conſuetudine tanto appellationum abuſu delectabitur? Quoniam igitur ille hoſpes non dicitur, ex quo habitare cæpit domum aliquam, animumque paratum præſetulit ad illam moram protrahendam; inde conſequitur ſtatim domum evadere, ac dici *ſolitam habitationem* alicujus, quamvis qui animo commorandi ad illam venit, nondum in eadem diuturnam moram duxerit. Enimvero ubi quis pro hoſpite non habetur, jam verus Habitator nuncupatur ex L. 1. §. *Hæc autem verba*. D. *de his qui dejecerunt*. dicente: *Tantum intereſt inter Habitatorem, & Hoſpitem; quantum intereſt inter domicilium Habentem, & Peregrinantem*

IV. Videmus autem nonnunquam Viros aliquos, ac præcipue Nobiles, quotannis partim in una, partim in alia domo commorari; ac poſtquam per unam Anni tempeſtatem domum unam incoluerunt, altera accedente tempeſtate in aliam ſimiliter domum habitandam ſe transferre. Quærat itaque aliquis, an utraque iſta domus pro ſolita alicujus habitatione reputari valeat? Hujus quæſtionis ſolutionem petendam eſſe exiſtimo ex Lib. 50. Pand Tit. primo, in quo ſæpe ſupponitur aliquem habere poſſe duplicem habitationis domum, dummodo *ex æquo* in illis commoretur. Videri poteſt Lex *Labbæo*, & L. *Aſſumptio* §. *Filius* D. *ad Municipalem* &c., quæ ſic ſonat; *Viris* (Alii legunt *Juris*) *Prudentibus placuit duobus Locis poſſe aliquem habere domicilium, ſi utrobique ita ſe inſtruxit, ut non ideo minus apud alteros ſe collocaſſe videretur*. Etiam Bonifacius VIII. cap. 2. *cum quis* Tit. 22. *de Sepult.* in VI. ſupponit, quod aliquis duo habere poſſit domicilia *ſe collocans æqualiter in utroque*. Neceſſarium ergo erit, ut per mediam Anni partem aliquis inhabitare ſit ſolitus utramque domum, unde duplici domo habitationis fruatur. Nam ſi majorem Anni partem tranſigere in una domo, & tribus tantum circiter menſibus incolere alteram conſueſcat, non jam aliam habitationem obtinebit, niſi quam ei præbet do-

domus illa, in qua per majorem Anni partem ſuam habitationem ducere conſueſcit. Iccirco ruralis domus, ad quam aliquis eſt ſolitus accedere *cauſa recreationis*, *aut ad ruralia exercenda*, ut loquitur Bonifacius VIII. P. cap. *is qui* Tit. *de Sepultur.* in VI. non novam habitationis domum præbet Domino, niſi diuturniorem illic moram duxerit, & per majorem Anni partem in ea habitaverit.

V. Dum vero leges requirunt pro duplici habenda habitationis domo, ut æqualiter in utraque domo aliquis habitet, id morali modo, quem Jura ſæpe juxta prudentum æſtimationem conſiderant, intelligitur, ut apte P. Sanchez Lib. 3. de Matrim. diſp. 24. n. 3. obſervavit. Unde tunc ſolum duplicis illius habitationis ratio deſtruetur, ſi notabiliter major, diuturniorque commoratio in una præ altera domo trahatur. Ex his conſequens eſſe puto neminem ſimul tres, aut quatuor habitationis domos habere poſſe; nam cum Leges de duplici tantum loquantur, ac æquale in illis habitationis tempus poſtulent, ſatis innuunt tantum temporis requiri ad veritatem habitationis ſervandam, quantum ſpatio dimidii anni correſpondeat, quod certe impendi non poterit, ſi eodem anno tres, quatuorve domus partitis quatuor Anni tempeſtatibus incolantur. Quare ubi quis ſaltem per mediam Anni partem habitare conſueſcit; ibi ſervato Jurium rigore domus propriæ, ſolitæque habitationis ſtatui debebit.

VI. Diſputant autem ſecum inter Doctores, an ſimul gaudeat aliquis priori habitatione, dum actu reliqua anni medietate ſuam habitationem in altera domo ducit. Viſus eſt in hac re ambiguus Ulpianus relatus Cap. *ejus qui* §. *Celſus* D. *ad Municipia*. Verum valde probabilem reddit affirmativam reſponſionem Bonifacius VIII. P., cum cap. jam cit. *de Sepul.* ait, quod ambæ Eccleſiæ, quibus ſubduntur binæ habitationis domus dividere inter ſe debent canonicam portionem contingentem ex ſepultura illius, qui duplici gaudens habitatione *in Loco Tertio* tumulari elegit. Hanc ſententiam plures libenter ſuſcipiunt; nec dubitant etiam ad valorem Sacramenti Matrimonii ab habente duplicem domum habitationis eligi pro libito poſſe Parochum, intra cujus fines domus una, licet actu non habitata reperitur. Valde quippe hæc interpretatio Legis congrua apparet, utpote favens habenti duplicem habitationem, nec poſcens rigoroſam, ac ſtrictam expoſitionem, cum nulli contrariæ Legi opponatur.

VII. Opportunum duximus iſta præmittere, quibus tutius exponeremus ſenſum Apoſtolici Indulti concedentis in Oratorio domus *ſolitæ habitationis* ſacrificium celebrandum. Poterit ergo quis obtento Privilegio frui, ſtatim atque ad domum aliquam habitandam venerit animo ibi diutius, ſeu per majorem Anni partem habitandi: Nec opus eſt eo uſque diferre exercitium gratiæ, quouſque tantum temporis ſpatium decurrerit, quantum pro ſolita *reali* habitatione requireretur. Poterit etiam proſequi Miſſarum celebrationem in eodem Oratorio, ſi contigerit mutare animum, & de alia habitationis domo eligenda decernere; cum nondum ceſſet eſſe ſolita habitatio alicujus illa domus, a qua aliquis nondum re, & facto diſceſſerit. Poterit demum fieri Miſſarum celebratio in duabus domibus, in quibus Privilegiatus duplicem habuerit habitationem; ita ut etiam pro illo tempore, quo unam domum inhabitat, ſi voluerit aliquo die ad priorem divertere, adhuc poterit in eadem frui privilegio, cum utraque ſit domus ſolitæ ſuæ habitationis.

VIII. E' contra 1. non poterit Privilegiatus exequi privilegium in domo habitationis alterius: 2. in domo, ad quam ſine animo habitandi per majorem Anni partem venerit. 3. in domo, ad quam cauſſa recreationis, vel alicujus negocii peragendi acceſſerit, niſi

niſi in illis pariter per majorem Anni partem morari decreverit. 4. Si habuerit duplicem habitationis domum, ſimul nequit unus, & idem Privilegiatus in utriuſque domus Oratorio Indultum exequi, quod unicam Miſſam tantummodo favore Privilegiati concedit. Singula hæc dicta ſint pro interpretatione illorum verborum Indulti: *in domo ſolitæ habitationis*, nihil hic differendo de Civitate, aut Diœceſi, in qua vigore Indulti eſſe debet domus propriæ habitationis; quoniam de hac quæſtione infra uberius agemus.

IX. Prætermittitur ſæpe in Pontificio Privilegio particula limitans *ſolitæ*, & tantum præſcribitur: *domus habitationis*. Hæc omiſſio majorem exhibet ampliationem gratiæ, nec tantum rigorem exigit, quantus in reliquis poſtulatur, ut in proprio ſenſu tenor Indulti, ac vis illius particulæ ſervetur. Imo videtur, quod mera hæc, aut ſimilis formula: *in privatis domorum veſtræ habitationis Oratoriis*: concedit liberam facultatem celebrandi in quibuſcumque domibus, quæ ſint non aliorum, ſed principaliter Privilegiatorum habitationi tantum deſtinatæ, licet uno, alterove ad ſummum menſe in iſtis eum habitare contingat. Certe pro Oratoriis Ruralibus res evidens eſt, in quibus Privilegiati illi abſque ullo periculo excedendi limites facultatis conceſſæ celebrari Miſſas faciunt, quamvis autumnali tantum tempore cauſſa recreationis, ac valetudinis Ruri in propriis domibus alteri non locatis habitent. Scio quidem pro Oratoriis privatis Ruri exiſtentibus ſpecialem fieri oportere exceptionem; quia cum non familiare, ſed potius infrequens ſit, tamdiu in Villis Nobiles Viros eſſe ſolitos habitare, ut tempus Villicationis tempori urbanæ habitationis correſpondeat; ſi neceſſaria foret juxta proprietatem verborum Privilegii tam longa mora, aut animi præparatio ad habitandum per majorem Anni partem in eadem domo rurali, quemadmodum neceſſarium eſſe obſervavimus ad conſervandum rigorem *ſolitæ* habitationis in domo; ſuperflua ſimul eſſet pene omnibus Nobilibus gratia Pontificis, qui tamen in illius conceſſione bene exploratam habet intentionem Oratorum, eiſque benigne ſuo Privilegio ſatisfacit. Verum ſi verba iſta: *in domo habitationis veſtræ*: juxta rigoroſum ſenſum exigerent tantam moram in domo, quanta exigitur ſuperaddita particula *ſolitæ*; tunc quantumvis aliud cuperet Oratorum intentio, nihil amplius iſti conſequerentur, quam verba Privilegii in propria, ac ſtricta ipſorum ſignificatione concederent; Cum non ab intentione Petentis, ſed ab arbitrio Concedentis amplitudo, vel reſtrictio Privilegii menſuretur.

X. Potius itaque dicamus hoc unice verba illa reſonare, ut domus aliis uſibus non ſit deſtinata, quam ad Privilegiati habitationem quodque aliquo tempore reapſe ab illo habitetur. Ita quadrabit Privilegii expoſitio cum communi conſuetudine, quæ pro interpretatione firmanda aptum ſuggerit argumentum. Præterea, dum Tò *ſolitæ* non apponitur, ſed nude exprimitur in Apoſtolico Indulto *domus habitationis*, iſta duo omnino ſufficient, Primo ut domus ſive in Civitate, ſive Rure nemini locetur, meræque habitationi Privilegiati vel actu deſerviat, vel parata exiſtat: Secundo, ut in illa domo aliquo Anni tempore privilegiatus commoretur, quin requiratur ad executionem Indulti diutius ibi degere. Sicut enim Viri Nobiles diu magis in Civitate, quam Rure habitare ſolent; ita non tam raro evenit, ut illi, qui juriſdictionem temporalem exercent, in loco ſuæ juriſdictionis longam moram protrahant, & brevi ſpatio temporis in Civitate morentur. Quod ergo pro illis valet vigore privilegii conceſſi pro domo habitationis ruralis; valere æquum eſt etiam pro omnibus, quibus privilegium *pro domibus habitationis in Civitate*, *& Diœceſi* ſine particula

tionis propriæ; ut quamvis taceretur in illo verbum *habitationis*, & tantum exprimeretur v. g. *in domus tuæ Oratorio*; ſicut exprimebatur in formula Indulti, quam Tamburinus de Sac. Miſ. c. 4. recitat; adhuc Dominus locatæ Domus in hac nequiret Privilegium, de quo agimus, exequi. Nam abunde ex pronomine *Tuæ* & ex illis verbis: *ab omnibus domeſticis uſibus libero*: Pontificis intentio limitans ad privatum Oratorium Domus habitationis propriæ detegeretur. Id appoſitiſſime obſervavit Paſqualigus quæſt. 633. recte conſiderans tum pronomen illud proprio ſenſu reſpicere domum, quæ actu poſſidetur a Privilegiato; tum alia verba non apte convenire locatis Domibus; cum ad domeſticos Privilegiati uſus pertinere numquam valeat domus, quæ alterius facta eſt habitatio. Quare ſi Pontifex ſingulari penitus Privilegio poteſtatem alicui celebrandi in quocumque Oratorio domeſtico extra domum propriæ habitationis tribueret, eam manifeſte exprimeret, ne ſenſus Indulti ad conſuetas conceſſionum formulas torqueretur. Profecto dum hanc ampliſſimam facultatem concedit Gentilibus ſuis, id ſimul expreſſe exponere non prætermittit, ut patet legenti Privilegium cap. 20. num. 22. deſcriptum. Dicta pro domo locata vellem applicari etiam pro illa domo, quæ nullatenus deſeruit habitationi illius, cui Indultum Pontifex tradidit; ut proinde, etiam in caſu reticitæ particulæ exprimentis habitationem, Privilegiato gratiam apoſtolicam exequi in quacumque domo non licere inferamus.

XV. Antea autem ſuppoſuimus licere Privilegiato uti Privilegio Papali, etiamſi habitationis domum mutaverit. Non pœnitet illud ſuppoſuiſſe, quod receptiſſima praxis a nullo repræhenſa, imo potius Epiſcoporum judicio roborata confirmat. Ut igitur privilegiatus in Oratorio prioris ſuæ habitationis domus, quam deſeruit, non amplius celebrari facere Miſſas poteſt, utpote quia Indultum determinat Oratorium in Loco *propriæ*, ſeu *ſolitæ habitationis*: Ita novum ſibi in alia domo *ſuæ habitationis* aptare poterit Oratorium, in quo, poſtquam ab Ordinario approbatum fuerit, ejuſdem Indulti Beneficio fruatur. Ratio priorem partem aſſertionis demonſtrans ex ipſa Indulti formula, & ſine conceſſionis deſumitur. Habemus etiam declarationem Sac. Congregationis Concilii in Toletana Tom. 27. Decr. fol. 405. ubi cum quæreretur: *An Sacerdos ſive Secularis, ſive Regularis celebrare poſſit in Oratorio prædicto* (privatæ domus) *in caſu, quo in dicta domo non continuet habitare Perſona illa, cui fuit conceſſum Indultum prædicti Oratorii*? S. Congr. die 21. Maii 1672. reſpondit *negative*. Alteram partem ejuſdem aſſertionis ſuadet proprietas Privilegii perſonalis, quod juxta Regulam VII. Juris in VI. *Perſonam ſequitur*; ita ut illius ſit particeps Perſona Privilegiata quocumque ſe conferat. Profecto ſi inſpicimus proprium Privilegii ſenſum, aliud deſiderari non advertimus, niſi hoc unicum, ut Oratorium in domo *propriæ*, ſeu *ſolitæ habitationis* exſtruatur. Quantum vero attinet ad determinationem unius præ altera domo, nihil penitus in illo reperitur; quod tamen videbatur neceſſario exprimendum, ut dubium diſſolveret ita frequens, ac obvium; ſicut frequenter mutari domum habitationis contingit. Cæterum nulla prudens conjectura occurrit, unde vere interpretemur a Pontifice eo ſenſu limitatam domum habitationis propriæ, ut noluerit ultra gratiam perſeverare, ſi habitatio in alteram domum transferretur. Quo enim modo magis poterat inclinare Pontificem una potius domus præ altera, cum aliud in determinatione domus non reſpiciat, niſi & commoditati uberiori Supplicantis proſpicere; & ſimul impedire, ne in alienæ habitationis domo Miſſæ a Privilegiatis celebrare fierent?

XVI. Verum utrum iſta Privilegia-

torum facultas perſeveret, cum in aliam Diœceſim, vel etiam intra eandem Diœceſim ſiſtendo, dum e Civitate ad Rura, aut e contra ſuam transferunt habitationem, in quæſtionem vocatur propter alia Indulti Papalis verba Diœceſim, vel Civitatem exprimentia: *in privato domus tuæ Civitatis N.*, vel *Diœceſis N.*, vel *in privatis domorum veſtræ habitationis in Civitate, & Diœceſi N.*? Dubium aliquibus ingeſſerunt hæc verba tanquam coarctantia executionem Privilegii Perſonalis ad unum tantummodo locum; nec liberam facultatem præbentia, ut in quamcumque Diœceſim, vel Locum Diœceſis habitationem Perſona Privilegiata tranſtulerit, ſecum etiam perſonalem gratiam transferat. Aliquando enim privilegia Perſonæ conceſſa certas limitationes ex voluntate Concedentis habent, a quibus frui gratia conceſſa certis ſolum in Locis coarctantur. Non profero aliena ab argumento hujus Operis exempla, quia unum ſuppeditatur ex hoc ipſo privilegio, quod exponimus; quodque pro domo propriæ, ſeu ſolitæ habitationis reſtringitur, nec ad alias domos extendi poteſt, in quibus hoſpitari, aut brevi tempore Privilegiatum commorari contigerit: Imo ſæpe pro rurali tantum, & aliquando pro ſola urbana habitationis domo conceditur, ſicut infra adnotabimus.

XVII. Propoſitam quæſtionem exponunt Novarius, Paſqualigus, Mottazus, Pignatellus, & præ ceteris Card. Petra Tom. 2. Commen. ad Conſtit. 8. Honorii III. pag. 496. Ed. Rom., qui concorditer obſervant mentionem Diœceſis, aut Civitatis in Apoſtolico Indulto fieri non ad limitationem Privilegii Perſonalis, ſed ad deſignandum, demonſtrandumque Locum, in quo moratur ille, cui Privilegium conceditur, ut inde ſine ulla confuſione, aut ambiguitate diſcerneretur, quem Papale Breve reſpicit. Non poſſumus non libenter ſubſcribere huic interpretationi, quem finis Concedentis confirmat, & propria verborum ſignificatio non reſpuit in illis Indultis Apoſtolicis, in quibus mentio Civitatis, vel Diœceſis non afficit Oratoria ipſa, ſed Perſonam tantummodo, cui conceditur his verbis: *Tibi Diœceſis N...., ut in privato domus tuæ ſolitæ habitationis Oratorio &c.* Hoc modo elapſo ſæculo quædam Privilegia deſcribebantur, quorum exemplar Thomas Tamburinus L. 1. de Sacrif. Miſſæ cap. 4. §. 4. recitat. In hoc autem genere Indultorum, ſi finem inſpicimus Pontificis gratiam indulgentis, nullum fundamentum occurrit, ut illud privilegium ad unam potius, quam alteram Civitatem, ac Diœceſim limitare voluerit; cum unice intenderit Oratorem privilegio inſtruere, per quod commode in Loco propriæ habitationis Miſſarum celebrationi intereſſe valeret. A verborum porro propria ſignificatione non abſceditur, cum illa intelliguntur in ſenſu demoſtrante locum habitationis actu ab Oratore occupatum, dum preces fudit; ut indicata Diœceſi certius pateret, cui gratia concederetur. Imo potius a legitima verborum ſignificatione recederemus, ſi ad peculiaris Diœceſis fines coarctatam voluerimus facultatem, quæ ſolum poſtulat, ut Oratoria ſint in habitationis domo illius, in quem Breve dirigitur; & nullam determinat Diœceſim, in qua obtento Indulto fruatur. Quocirca ſi hoc modo Apoſtolicum deſcriberetur Privilegium, jam Privilegiatus mutatione ſuæ habitationis nullatenus veritatem verborum Indulti violaret, cum unuſquiſque de una in alteram Diœceſim etiam impetrato Privilegio Domeſticarum Miſſarum ſolitam ſuam habitationem transferre poteſt.

XVIII. Nec vero opponatur hanc interpretationem nimis extendere Indultum ipſum, quatenus inde plura Oratoria contra intentionem Pontificis eidem Oratori concedentis licentiam in uno ſolum Miſſam celebrari faciendi permitti videantur. Enimvero hujuſmodi objectio ſimul ſubverteret aliam a nullo reprobatam ſententiam, vide-

videlicet licitum fore Privilegiato uti ſuo privilegio mutata domo ſuæ ſolitæ habitationis intra fines ejuſdem Diæceſis, aut Civitatis, de quibus Indultum expreſſe loquatur; quoniam etiam in hac habitationis mutatione neceſſe eſt communicari pluribus Oratoriis ejuſdem Indulti virtutem, ut in illis Miſſæ peragi valeant. Quod ergo ſine indebita Privilegii Papalis extenſione licite fieri poteſt in diverſis domibus ejuſdem Diœceſis, aut Civitatis; æque fieri poſſet ratione Indulti, in quo Diæceſis domum habitationis expreſſe non afficeret, dum Privilegiatus in aliam Diœceſim ad habitandum commigraret. Præterea magna laboraret æquivocationis ambage, qui talia opponeret, exiſtimans privilegium ex eo duplicari, quod prius in uno Oratorio applicatum alteri ſubinde applicaretur. Falſa adeo, & inepta Apoſtolici Indulti expoſitio procul penitus abigatur, cum unitas, aut pluralitas privilegii inde ſumatur, quod tantum in uno, aut ſimul in pluribus Oratoriis Miſſa celebretur. Quare ſi quis habuerit diverſas habitationis ſuæ domos, & in earum ſingulis Oratoria ab Ordinario approbata, dummodo ſimul in illis omnibus Miſſæ non fierent; ſed tantum in eo celebrarentur, quod in Domo habitationis actualis Privilegiati erectum fuerit; quamvis deinde aliis diebus, quibus ad aliam domum ſe transfert, Oratorio illic extructo utatur, adhuc unitatem Privilegii conſervat, nec pro ſingulis Oratoriis ſingulare Indultum expoſcitur. Tunc igitur ſolum expoſceretur novum Apoſtolicæ Sedis Privilegium, ſi eodem die in diverſis Oratoriis Miſſas peragi deſideraret Privilegiatus; quia ad amplificandum effectum Privilegii nova Concedentis gratia requiritur. At vero cum hodie in uno Oratorio, cras in altero privilegii effectus exercetur, jam non extenditur ipſum privilegium, quod unitatem Oratorii alio fine non reſpicit, niſi quatenus unica Miſſa conceſſa pro ſingulis diebus, in unico tantum Oratorio celebrari poteſt. Si enim in duobus Oratoriis Sacrificium eodem die perageretur, jam non unicam, ſed duas Miſſas a Pontifice concedi oporteret.

XIX. Quam tuiti ſumus ſententiam, confirmari poſſe exiſtimo S. Congregationis Decreto: Obtinuerat quidam Patricius Januenſis Die 28. Aug. 1601. a Clemente VIII. Indultum, quia *continuo Podagræ morbo* laborabat, *ut in privato domus* ſuæ *Oratorio* Miſſam celebrari facere poſset. Verum etſi nulla adjecta in illo legatur reſtrictio pro domo urbana, ſupplicem Libellum, qui extat Tomo 35. *Poſition.* fol. 645., exhibuit iſta continentem. *Cum* N. N. *vigore ſupraſcripti Indulti a Sanctiſſimo impetrati credat, & cupiat Sacrum audire poſſe in Oratorio privato ſuæ domus non ſolum in Civitate, ſed etiam in Villa pro tempore, quo ibi commoratur; Supplicat humiliter S. Congregationi; ut an id ſibi liceat, nec ne, declarare non gravetur.* Jam vero S. Congregatio, ſicut ad calcem Libelli adnotatur, *Die 27. Septem.* 1601. *cenſuit licere, dum tamen id Oratorium Ruri conſtructum habeat eaſdem qualitates, quæ in Brevi exprimuntur.* Quod ergo dictum eſt de valore Brevis etiam extra Civitatem, quando Oratoria Civitatis ab ipſo non determinantur; idem pariter dicendum videtur, de valore ejuſdem extra Diœceſim, ſi Oratoria in certa Diœceſi non fuerint determinata.

XX. Quamvis autem multa dixerimus, ut non omnino recederemus a ſententia Scriptorum, quos Magni facimus; quique forte non de aliis Indultis Apoſtolicis locuti ſunt, quam de illis, in quibus Civitatis, ſeu Diœceſis nomen ad ſolam demonſtrandam Perſonam exprimitur: Attamen conſiderantes verba, quibus frequentius Apoſtolica Brevia deſcribi ſolent, non univerſim verum putamus, ut qui facultate fruebatur in aliqua Diœceſi, vel Civitate Miſſæ celebrandę in approbato privato Oratorio, eadem quoque frua-

fruatur, dum in alia Diœceſi, aut Ruri habitationem fixerit. Advertendum enim eſt, quod non ſolum Diœceſis, aut Civitatis nomen applicatur Perſonæ: *Tibi Diœceſi* N.; verum etiam Oratoriis ipſis: *in Privato domus tuæ habitationis in Civitate N.* (aliquando additur *& Diœceſis* N.) *exiſtente*. Si unice Diœceſis nomen aptaretur Perſonæ, evidenter appareret eo tantummodo fine apponi, ut hinc certa nota Privilegiatus a reliquis omnibus diſcerneretur, qui forte in aliis Diœceſibus ſimili Nomine, Titulo, aut Nobilitatis dignitate inſigniuntur. At nomen Diœceſis applicatum Oratoriis gerere nequit vices demonſtrantis Perſonam; ſed ſolum poteſt determinare Locum, in quo Oratoria capacia Indulti debent eſse conſtructa. Obvius ipſe ſenſus illorum verborum apertiſſime limitationem privilegii pro Oratoriis intra Diœceſim extructis oſtendit. Imo alius eſse non poteſt; nam ſicut Diœceſis nomen aptatum perſonæ determinat Perſonam Diœceſanam; ita nomen Diœceſis aptatum Oratoriis, in quibus ſacrificium celebrari permittitur, Oratoria in Diœceſi poſita ad gratiam exercendam determinant. Inſuper par penitus eſt ratio, quantum ad limitandum Locum pertinet, exigere, ut Oratorium in domo propriæ habitationis erigatur, quam præſcribere, ut in Civitate, vel Diœceſi N. illud ædificari debeat; cum non minus illa, quam iſta conditio Oratorii locum determinet. Quare ſicut propter priorem limitationem ab Indulto exigitam Oratorium in domo propriæ habitationis erigere oportet; Pariter neceſse erit ex aliis verbis Indulti, ut Oratorium intra fines Civitatis N. extruatur, ſi Indultum ad Oratoria exiſtentia in illa Civitate reſpicit; vel ſaltem intra limites Diœceſis N. erigatur, ſi Indultum ad Oratoria in Diœceſi N. expreſse reſpexerit.

XXI. Confirmatur ex modo, quo Orator a Pontifice poſtulans facultatem Oratorii domeſtici pro Civitate N., aut ſimul etiam pro tota Diœceſi N. ſuas preces fundere ſolet. Non illimitatam, aut pro omnibus Provinciis liberam facultatem ſibi concedi poſtulat Orator; ſed pro aliqua Civitate, aut Diœceſi determinata, in qua habitat; cum ſciat multo difficilius impetrari, multoque plures, gravioreſque cauſsas moventes requiri ad impetrandam ampliorem gratiam pro diverſis Provinciis, quam pro una Civitate, aut Diœceſi requirantur. Pontifex ergo reſpiciens ad preces ſuum dirigit Indultum; nec ampliora concedere optime præſumitur, quam ab Oratore ipſo fuerit humiliter ſupplicatum. Quare cum pro interpretationibus faciendis cauſsas rerum diligenter perpendere debeamus, juxta illam regulam Cap. 6. *Intelligentia*. Tit. *de Verbor. ſignificat.* inſertam: *Intelligentia dictorum ex cauſſis eſt aſſumenda dicendi, quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus*; Apoſtolicum Indultum ſolum permittere Miſsarum celebrationem intra Civitatem, aut Diœceſim determinatam conſequitur. Hoc modò cum precibus correſpondet Apoſtolica Gratia, quæ ſæpe in parte tantum illas exaudit; & rariſſime, ultra quam petitur, uberiora concedit.

XXII. Ita vero certum eſt coarctari vigore Indulti Oratorio exiſtentia vel in Civitate, vel in Diœceſi determinata, ut quando Pontifex concedit licentiam tam pro Civitate, quam pro Rure, ſeu Diœceſi, id ſoleat exprimere. Videat Lector formulam a nobis deſcriptam Cap. 20. num. 20. Imo ſæpiſſime Viris Nobilibus, qui Juriſdictionem temporalem nullibi exercent, negat facultatem celebrandi in Oratorio privato Urbanæ Domus, & ſolum pro Domibus Ruralibus eam indulget, & limitat; unde vel novum expoſcere Indultum pro Urbanis Domibus, vel expreſsam ampliationem præcedentis impetrare coguntur, quæ ſæpe etiam merito denegatur. Multo magis idem

evi-

evidens ſit in Privilegiis modo *Commiſſario* elargitis; quæ cum determinate ad certum Epiſcopum dirigantur, illi ſoli a Pontifice neceſſaria facultas tribuitur approbandi Oratorium, quod intra fines propriæ Diœceſis conſiſtere debet; quoniam ad exercendum actum Juriſdictionis in aliena Diœceſi etiam altera Pontificia Delegatione indigeret. Similiter qui cauſſa infirmitatis pro Oratorio privato Urbanæ Domus Indultum impetraverunt, niſi in iſto exprimatur Diœceſis ſine limitatione ſolius Civitatis, quoties extra Civitatem ſe conferunt, licet intra Diœceſim permaneant, adhuc nequeunt in Oratoria villaris domus ſecum transferre Pontificiæ Facultatis indulgentiam. Repetat Lector privilegium Cap. 20. n. 18. editum, in quo Facultas Sacrificii celebrandi *in privato domus* ſuæ *habitationis in Vinnenſi* Urbe extenditur ad Feſta Solemniora, ut durante infirmitate podagræ poſſet *in eodem Oratorio* celebrare facere. Alterum etiam recoli poſſet Indultum eodem Cap. num. 19. recitatum, in quo facultas ad domeſticum Oratorium in *Terra de Piſcolanciano* exiſtens reſtringitur. Demum qui Juriſdictionem temporalem alicubi obtinent, ſimul etiam Diœceſim exprimunt Oppidi ſibi ſubjecti; ut dum Pontifex exprimit in Indulto conceſſionem pro Oratoriis erectis in domibus habitationis propriæ in Locis temporali dominio illorum ſubjectis, libere valeant ibidem domeſticas Miſſas celebrari facere, quamvis Loca ſubjecta in aliena Diœceſi contineantur. Fruſtra autem iſta Locorum aperta expreſſio fieret; ſi unicuique in quacunque Diœceſi ad Locum ſuæ habitationis transferre facultatem Apoſtolici Privilegii liceret.

XXIII. Quod hactenus demoſtravimus, praxi, ac conſuetudine munitur, ut proinde nihil magis ad confirmationem deſiderari oporteat. Vigebat iſta etiam inter crepundia elapſi Sæculi, propter quam Patricius ille Januenſis, cujus ſupra meminimus, de Civitate ad Rus facultatem transferendo etiam limites Indulti tranſgredi verebatur. Medio elapſo Sæculo adhuc perſeverabat, ita ut, cum P. Diana Illuſtriſs. Maraldum Secretarium Brevium Innocentii P. X. hac de re interrogaſſet, iſte reſponderit neceſſarium eſſe alterum Indultum pro iis, qui extra Civitatem, & Diœceſim ſuam habitationem transferunt; ſicut idem Scriptor Tomo 4. Tract. 2. Reſol. 32. teſtatur. Eadem conſuetudo etiam noſtra ætate conſervatur; unde in Secretaria Brevium Apoſtolicorum a Viris peritiſſimis hac de re inſtruuntur, ſi qui contraria opinione cæcutiunt. Imo eamdem rationem eſſe debere egregie monent Viri illi Optimi, ſi domus habitationis in Locum *Nullius Diœceſis* transferatur. Enimvero æqualis omnino urget cauſſa novum Indultum impetrandi a R. Pontifice, cum ſit tranſitus de una in alteram Diœceſim; quam ſi habitatio de Diœceſi in Locum *Nullius* Diœceſis transferatur; quoniam reapsè altetrutra mutatione facta extra Diœceſim in Litteris Apoſtolicis determinatam Indultum extenderetur. Porro illimitatum Privilegium ubique celebrari faciendi ſane rariſſimum eſt. A me vero nullus petat rationem, propter quam Pontifex certæ Diœceſi Indultum affigere ſolet; cum æque commoditas, ac devotio Supplicantis mereantur exaudiri pro alia Diœceſi, ad quam ſuam habitationem transferre voluerit. Etenim in his, quæ ab alieno pendent arbitrio, non eſt neceſſarium motivum ſpeciale alicujus reſtrictionis præter ipſius voluntatem, quæ aliunde prudentibus rationibus ad id faciendum movetur; nec requiritur, ut ſingulis cauſſas moventes manifeſtet. Non modica autem eſſe potuit cauſſa illius reſtrictionis ipſa opportunitas negandi tam amplas gratias, quæ quanto ampliores ſunt, tanto gravius poſtulant fundamentum, ut a Sacris Tridentinis legibus diſpenſatio tribuatur; ne inde facilior via Sacrorum Canonum deſpectui ſternatur.

XXIV. Priuſquam ad alia tranſeam operæ pretium eſt rejicere fraudem, qua aliqui obreptionis vitio a RR. Pontificibus Indultum Miſſarum domeſticarum obtinere ſtuduerant. Noverant iſti facilius concedi Indultum Miſſarum celebrandarum in Oratoriis Ruri exiſtentibus, quod pro aliis Locis nonniſi Viris ſpeciali Titulo illuſtribus conceditur. Suam autem ipſi habitationem continuam habere conſueverant in Locis, quæ licet Epiſcopalis Civitatis prærogativa nondum inſignirentur; adhuc tamen Incolarum copia divitiis, & dignitate, ædificiorumque ſtructura, & amplitudine æquabant, aut forte ſuperabant Civitatem Epiſcopalem, in cujus Diœceſi continebantur. Ut ergo in iiſdem Locis Miſſam intra privata Oratoria celebrari facere poſſent, in ſupplici Libello exprimi Locum ſuæ habitationis, & ſimul cum aliis Oratoriis in ipſorum domibus Ruri exiſtentibus intra eandem Diœceſim conjungi curabant. Hoc modo fucum facientes Pontifici, qui judicabat Locum diſtincte nominatum *Villæ*, ſeu *Ruris* rationem habere, ſicut cætera Oratoria Ruralia in Libello expreſſa Papale Indultum etiam pro illis Locis, Caſtris, ampliſque Oppidis extorquebant. Fraudem, quæ multis antea Annis patrata fuerat, tandem detexit vigilantiſſimus Clemens P. XII., & cum conqueſtus eſſet contra intentionem Pontificis Litteras Apoſtolicas a plurimis extortas fuiſſe; & juſſit, ne aliud deinceps in ſimilibus Indultis exprimeretur, quam Oratoria in domibus habitationis Oratoris Ruri intra Diœceſim N. exiſtentibus; ut proinde neceſſe ſit eas domos eſſe debere in Loco, qui Ruris, ſeu Villæ rationem præſeferat. Porro quis dixerit Villæ rationem præſeferre quædam ampla Oppida, Portuſque Maritimos, in quibus nulla Ruris veſtigia apparent? Pro iſtis igitur Locis requiritur ſingulare Apoſtolicum Breve, ſine quo contra mentem Pontificis Indultum pro Oratoriis Ruralibus extenderetur. Omnes autem obſervant, qua de cauſſa hujuſcemodi diſtinctio Locorum facienda ſit; nam ideo facile R. Pontifex Privilegium Miſſarum in privatis Oratoriis Ruri exiſtentibus concedit, quia difficilior evadit Ruri acceſſus ad publicas Eccleſias, quarum etiam numerus ſolet eſſe permodicus. At vero in amplis Oppidis, in Caſtris, in pluribus Portubus, ſimilibuſque quibuſdam Locis æque commode adiri poſſunt publicæ Eccleſiæ, quam in aliis Civitatibus adeantur.

XXV. Altera reſtrictio in Papali Indulto expreſſa, & domum Privilegiati afficiens verbis iſtis continentur: *dummodo in eadem domo (ſive in eiſdem domibus) celebrandi licentia; quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit*. Quare conſtanter hanc limitationem Rom. Pontifex ſervandam eſſe præſcribat, non omnino mihi notum eſt, licet aliqua nunc ſeſe menti offerant, quæ Pontificis prudentiam in ea figendi demonſtrant. Equidem facile contingeret pro unica Familia ſine neceſſitate, aut ſine conveniente cauſſa domeſticas quotidianas Miſſas multiplicari; cum Pater ſeorſim a Filio, Fratreſque diſtinctum Privilegium impetrantes, etiam ſinguli vellent ſibi peculiariter conceſsa gratia frui, quamvis una ſimul habitarent. Præterea ſæpe contingeret, ut in eadem domo plures Miſsæ celebrarentur, a pluribus Privilegiatis cohabitatoribus, quod ob nimiam frequentiam neſcio quem Canonum Tridentinorum deſpectum præſeferret.

XXVI. Hinc conveniunt inter ſe Scriptores, quod ſi domus aliqua re quidem una, ſed æquivalenter multiplex fuerit, tunc duo Privilegiati in ſe gregatis ejuſdem domus partibus habitantes poſſint ſimul ambo libere ſuum Privilegium exercere. Etenim nihil inde deforme, diſſonumque evenit, quod ſive in diverſis ejuſdem Palatii portionibus per ſe æquivalentibus integræ habitationi duarum domorum duo

Viri

nobiles in Oratoriis exſtructis intra ambitum propriæ habitationis Miſſam celebrari faciant. Et ſane ſi unica domus pariete intermedio in duas partes dividatur, aperte L. *Si quis duo* §. *Si quis partem*: D. *Communia Prædii*. pro duabus accipi poſſe declaratur his verbis: *Si dominus pariete medio ædificato unam domum in duas diviſerit, ut plerique faciunt ... pro duabus domibus accipi debet*. Multo igitur magis illa Palatia pro duplici, imo quadruplici ſæpe domo accipi poſſunt, quæ licet unico ambitu continuo concludantur; tamen vere non tam unam partem alteri contiguam habent, quam potius plura ſimul ſibi cohærentia Palatia diſtinctis tectis, ſcalis, aulis, atriis, cortilibus, januiſque videantur.

XXVI. Dubium itaque non erit, quin diverſæ Familiæ in ſegregatis Palatiorum hujuſmodi partibus habitantes ſimul exercitio Apoſtolici Indulti frui poſſint. Neque quidquam oberit, quod apertus pateat aditus, per quem hinc inde communicantes inter ſe ampliſſimarum domorum, ſeu Palatiorum partes ſubiri libere valeant. Nam ut inquit Bonifacius VIII. P. cap. unico *de Conſecr. Eccleſ. vel Altar.* in VI., *Non unum, ſed plura* (ædificia) *eſſe noſcuntur, quæ quamvis ſibi cohærentia, pariete tamen medio ſejunguntur ..... licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur acceſſus*. Hanc cauſſam eſſe exiſtimo, propter quam, ubi Eminentiſſimi Cardinales in Domibus Paternis habitaverint, non propterea impediunt exercitium Papalis Indulti Fratribus, aut Nepotibus conceſſi, cum interim proprio jure utentes in parte domus ſegregata ſuæ habitationis propriis ſacris uſibus Oratorium erectum habent. Melius reor tutiorem hanc ſeligere cauſſam, cum Indultum Apoſtolicum, de quo loquimur, generatim excludat exercitium facultatis, quoties in eadem domo ſimilis facultas alterius exerceatur. Omnino tamen non deſpuo obſervationem Dianæ Viri celebris, qui T. 4. Tract. 2. Reſol. 30. prædictam limitationem Indulti intelligendam eſſe arbitratur de facultate obtenta per ſimile Indultum; non vero quando alterius facultas provenit a Jure communi, quemadmodum eſt illa, quæ S.R.E. Cardinalibus convenit.

XXVII. Negarunt autem aliqui poſſe ſimul a duobus Privilegiatis exequi Papale Indultum Sacrificii domeſtici in illa domo, quæ licet amplitudine duabus æquipolleat, tamen ſub eodem tecto Locum habitationis ſingulorum continet; nec per diverſas januas, per cortile diverſum, ſcalaſque diſtinctas ſingulis habitatoribus concedit acceſſum; ſed tota æquivalentia a copia cubiculorum in parte ſuperiore, & inferiore Palatii tantummodo ſumitur, ſicut frequentius in amplis domibus contingit. Non ſtatim receſſiſſem a placitis illorum, niſi prius noviſſem, quod in Urbe frequenter Nobilibus habitantibus in ſimilibus ſegregatis Palatiorum partibus inferioribus, vel ſuperioribus abſque ulla difficultate ſimul ambobus Privilegiatis exercitium Apoſtolici Privilegii conceditur. Equidem niſi intentioni Pontificis conformaretur libera iſta facultas, pro duobus Familiis ſeorſim in eodem Palatio habitantibus conceſſa, Romæ nemo eam concedere auderet, ne verbis apoſtolicis adverſaretur. Lubens igitur deſcendo in cæterorum Scriptorum ſententiam, qui ſatis mentis Pontificis congruere putant, ſi domus illa ſimul deſerviens executioni duplicis Indulti tantæ fuerit amplitudinis, ut commodam præbeat duabus Familiis habitationem diſtinctam, atque ita æquipolleat duplici domui; undecumque porro iſta diſtinctio habitationum ſumatur, ſive per ſolam inferioris, ſuperioriſque Patris ſeparationem, ſive per intermedium parietem Palatii partes dividentem. Licet enim Leges poſtremum hunc ſeparationis modum ad oſtendendam diſtinctionem ædificiorum inter ſe communicantium ſuppo-

nant; adhuc Juris Interpretes eaſdem Leges extendunt ad alterum diſtinctionis modum, quo in valde ampla domo multiplex Ordo cubiculorum inferiorum, & ſuperiorum diſtinctis duarum domorum habitationibus abunde correſpondet. Allegat Paſqualigus q. 631.n. 12. Caſtrenſem, alioſque, & Rom. Rotæ deciſionem 411. coram Merlino. Juris Civilis Studioſi, Peritique majora addant. Mihi ſufficit eum rigorem in verbis Papalis Privilegii tenere, quem a R. Pontifice deſiderari demonſtrat uſus coram ipſo libere, & ſine reprehenſione retentus, quique cohæret cum fine, quem ipſe intendit; ut non alibi Indulti favor obtineatur, quam ubi tantus eſt habitationis propriæ locus, quantum altera decens domus habitationis Locum commodum, convenientemque Viro Nobili ſe ſola ſubminiſtraret. Ita ſatis decori, dignitatique Privilegii conſulitur, quæ prudenti judicio hominum non conſervarentur, ſi in domo mediocris amplitudinis, in qua unus Privilegiatus habitat, alter ſimili Privilegio inſtructus ſimul ibi diſtinctis in cubiculis habitaret. Ex hoc autem, quod unica ſit, aut duplex Janua, Atrium, & Scala Palatii, nihil magis additur, aut minuitur de Loco habitationis; ut propter illarum multiplicationem, vel unitatem concedi, vel negari debeat, quod aliquæ domus, & Palatia inſpecta amplitudine, ac commoditate multiplicis habitationis pluribus domibus correſpondeant. Confirmantur hæc omnia Indultis Apoſtolicis, quæ pro aliquibus Nobilibus Viris, ac Mulieribus Romanis ſeorſim habitantibus in ſegregatis ejuſdem Palatii partibus conceſſa in Regeſtis Archivvi Eminentiſſimi Vicarii legi: ut videlicet *in Oratorio privato Appartamenti ab Appartamento* alterius Privilegiati *omnino ſeparati* Miſſæ celebrari poſſent. Duo hujus generis Privilegia reperi a Clemente XII. annis 1729. & 1737. conceſſa quibuſdam Nobilibus Romanis, in quorum Palatiis ſuperiorum, & inferiorum cubiculorum ordo diverſa, & ſeparata *Appartamenta* conſtituit. Similem licentiam pro Miſſarum celebratione in Oratorio privato *Appartamenti ſuperioris* SSmus P. Benedictus XIV. die 20. Septem. 1744. per ſimplex reſcriptum ſupplici libello ſubjectum conceſſit, ut in eiſdem Regeſtis deſcribitur.

XXVIII. Quæret autem aliquis, utrum duo Privilegiati habitationem ſuam ducentes in ſegregatis partibus ejuſdem domus, quæ duabus amplitudine non correſpondeat, Privilegio Apoſtolico in unico domus Oratorio privato ad amborum commoditatem deputato, ſaltem uti poſſint? Prompta profecto adeſſet via implendis amborum deſideriis, ſi intentio Pontificis, rigorque Indulti conſervarentur data facultate cuilibet Miſſarum in eodem Oratorio; quod propterea, ut facilius utriſque pateret, liberum, ac commune relinqueretur. Attamen tanquam aliena penitus a privilegio hæc concordiæ norma rejici debet. Nam ubi Oratorium ambobus commune fuerit, nullus ipſorum poterit in illo Miſſarum celebrationem curare, cum aperte Indultum exigat Miſſas celebrari *in privato domus habitationis Oratorio*, atque ideo expreſſe requirat, ut Oratorium intra ambitum habitationis ad Privilegiatum ipſum proprie pertinentis contineatur. Præterea ſi liceret eodem Oratorio utriſque Privilegiatis communi uti, quia in Loco utriſque communi fuerit collocatum; quare ſimul, eodemque die non etiam ambo poſſent in illo ipſo proprii privilegii facultatem exercere; cum hæc Loci communitas non minus uni præ altero faveat? At quiſque clare videt, quanta hinc abſurditate Privilegium violaretur, cum plures in eodem Oratorio ſingulis diebus Miſſæ celebrarentur. Si vero Oratorium intra habitationem alicujus comprehendatur; jam ad alterum domus habitatorem nullatenus pertineret, qui in parte domus ad alterius habitationem ſpectante nullam poteſtatem actu obtinet; ac proin-

proinde neque in illo Sacrificium celebrari facere poterit.

XXIX. Dum ergo ſimul in domo unica tum re, cum equivalentia duos Privilegiatos habitare contigit, tunc neceſſe eſt illi tantum relinquere executionem Privilegii domeſticarum Miſſarum, pro quo prius in Loco ſuæ habitationis approbatum fuerat Oratorium: Alteri autem nullatenus ſuffragabitur proprium Privilegium, cujus effectum licentia celebrandi in eadem domo Priori conceſſa, & *adhuc durans* impedit. Revera æquitas poſtulat, ut qui prior eſt tempore, potior etiam in Jure habeatur; & cum ſimul duobus nequit eſſe commune aliquod Beneficium, eodem gaudere pergat, qui antea fruebatur. Nemo enim deturbari debet ſine injuſtitia a poſſeſſione, ut alteri faveatur. Poteſt tamen unuſquiſque propria voluntate cedere. Hinc cum Prior ſponte in gratiam alterius Habitatoris ab exercitio privilegii ceſſaverit, tunc liberum erit alteri ſuum exequi; quoniam undecunque oriatur ceſſatio precedentis licentiæ, ſemper implebitur conditio exigita in Apoſtolico Indulto; ejuſque forma integra perſeverabit, dum non niſi unica licentia celebrandi in eadem domo tribuatur. Iſta porro ſpontanea renunciatio pro certis tantum diebus reſtringi non poteſt; ſed abſoluta, & generalis abſque ulla dierum reſervatione eſſe debet. Etenim niſi renuncietur exercitio privilegii ſine ulla exceptione dierum, numquam vere prior licentia Sacrificium offerendi in eadem domo ceſſaſſe diceretur; quoniam non minus illa eſt neceſſaria pro Miſſa quotidiana in Oratorio privato celebranda, quam requiratur, ut feſtivis tantummodo diebus, aut etiam unico Anni die in eodem Oratorio Miſſa celebretur.

XXX. Etſi vero ſuo privilegio uti nequeat ille, qui in ea domo habitaverit, in qua jam alteri adhuc durans licentia Miſſas celebrari faciendi in proprio privato Oratorio conceſſa fuerat, non tamen propterea invalidum redditur ipſius privilegium, cujus efficacia non ſolum reſpicit ad tempus præſens, ſed etiam ad futurum, imo uſque ad mortem Privilegiati extenditur. Quod ergo durante impedimento nequit in aliqua domo exerceri, utique poterit vim ſuam exerere illo tempore, quo obſtaculum ceſſaverit. Nullus autem, ut reor, his merito contradicere poteſt, cum generaliter iſta proprietas conveniat omnibus Privilegiis, Legibuſque reſpicientibus ad opera, quæ longo tempore fieri permittuntur, nec unica actione conſummantur. Enimvero licet aliquo tempore ob deffectum exigitæ conditionis non valeant Privilegia, aut Leges non urgeant; tamen quando evenit exigitam conditionem impleri, & illa valent, & iſtæ urgent; quoniam pro tempore conditionis deſideratæ novæ conceſſioni, ſeu novo præcepto correſpondent. Revera quot Leges ſunt, quæ ceſſatis quibuſdam circumſtantiis obedientiam exigunt, quamvis illis occurrentibus vim præceptivam non exerant? Multa ſimiliter ſunt Privilegia, quæ nonniſi valde poſt conceſſionem ſuum conſequuntur effectum, cum prius obſtaculis intercedentibus illum operari impedirentur. Si quis clara deſideret exempla, habebit plurima ex ſolo genere Indulgentiarum Sanctarum; plurima etiam ex Legibus Eccleſiaſticis de Jejunio, de Officio Divino, Feſtorumque obſervatione habebit. Hinc nobis pugnantibus pro valore Privilegii Miſſarum domeſticis Oratoriis eo tempore, quo ceſſat impedimentum ortum ex ſimili licentia antea alteri in eadem domo habitanti conceſſa, perperam Regula XVIII. Juris in VI. *Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non ſubſiſtit*; ſimiliaque alia Jura opponerentur. Imo potius iſta torquenda forent in Oppoſitores; cum ab initio ſubſiſteret datum Privilegium, de quo nunc differimus, ſecundum quod ad ipſo reſpicitur omne tempus, quo contrarium

abeſt impedimentum. Pro quibus vero militent Jura illa in VI., non eſt mei muneris exponere; ſed interim obſervo ea ſuadere nihil eſſe moliendum ſine debita poteſtate, quæ niſi primum rite, ac valide obtenta fuerit, nequaquam per actus eandem poteſtatem ſupponentes acquiritur. At de Domibus, in quarum Oratoriis Privilegium Pontificium celebrationis Miſſarum exequi poteſt, ſatis diſſeruimus.

CAPUT XXIII.

De Conditionibus requiſitis ab Apoſtolico Indulto pro Oratorio Domeſtico.

I. CUM RR. Pontifices Miſſarum celebrationem in privatis domibus conceſſerunt, ferme ſemper poſtularunt Locum aliquem idoneum eligere; atque in Oratorii formam componere: Imo cum Epiſcopus Parmenſis Anno 1577. interrogaſſet Sac. Congregationem Concilii, an concedi poſſet in domibus privatis Sacrificium *in Loco ibi deſtinato, non tamen Oratorii formam habente, ſi adſit Altare?* reſponſum eſt, quod *oportet Oratorii formam habere*, ſicut Tomo 41. *Poſition.* fol. 61. legitur. Ita etiam Tom. 9. fol. 181. Epiſc. Peruſino reſponſum fuit. Ut autem magis hujuſmodi forma ſervaretur, expreſſe in Apoſtolico Indulto illud eſſe debere *muro exſtructum* exigitur, atque hac conditione, dum conſulitur decori SS. Sacramenti, ſimul cuſtodiuntur antiquiſſimi mores Fidelium, qui, cum poterant, in domibus ipſis Oratoria ex muro, & lapide conſtruebant, imo ſepe conſecrabant; itaut rariſſime, & nonniſi ob nimiam paupertatem Sacella lignea exſtruerent. Verum aliqui Pontificio Privilegio Miſſarum celebrandarum in privatis Oratoriis inſtructi nuper prædictam conditionem violare auſi ſunt, cum portatilia lignea Oratoria parari curaſſent, ut formam ampli Armarii clauſa præſeferrent; aperta autem nonnullam Oratorioli ſpeciem exhiberent. Adverſus hujuſmodi corruptelam expreſſis Indulti verbis enormiter repugnantem Clemens XII. juſſit ab Eminentiſſ. Urbis Vicario ſuſpenſionem ſimilium Oratoriorum ſignificari; ac proinde, dum ab Urbe ſimiles eliminavit abuſus, ſatis docuit, quam vehementer illis debeant reſiſtere omnes Locorum Ordinarii, ſi forte eos etiam in ipſorum Diœceſi gliſcere noverint. En vero Notificationem, quæ fuit edita.

FR. GIO: ANTONIO del Titolo di S. Martino de' Monti della S. R. C. Prete Card. Guadagni della Santità di Noſtro Signore Vicario Generale &c.

Avendo la Santità di Noſtro Signore inteſo, non ſenza ſuo particolare diſpiacere, che molti, a' quali per Breve ſpeciale della Santità Sua, e ſuoi Predeceſſori, ovvero in virtù di Privilegio Apoſtolico, o Reſcritto, è ſtato permeſſo di poter erigere nelle Caſe di loro abitazione l' Oratorio privato, o ſia Cappella, con facoltà di farvi celebrare la Santa Meſſa, ſi abbiano fatto lecito ſtabilire dett'Oratorio in una Credenzone di Legno, o ſia Armario, e di collocarlo in ſtanze eſpoſte, e neceſſarie per gl' uffizj domeſtici; E volendo la Santità Sua rimuovere ſomigliante abuſo, reſo ancora maggiore dall' eſſere notabilmente creſciuti di numero, e che direttamente ſi oppone alla diſpoſizione di ſimili Grazie, e Brevi, quali ordinano, che detti Oratorj debbano

bano eſſer fatti di muro, decentemente ornati, e liberi da ogni uſo domeſtico (ut in privato Domus tuæ habitationis Oratorio, ad hoc decenter muro exſtructo, & ornato, ſeu exſtruendo, & ornando ab omnibus domeſticis uſibus libero &c.) *ma anche contro la riverenza, e venerazione dovuta al Santo Sagrifizio della Meſſa; col tenore della preſente Notificazione, da Noi publicata in virtù dell' Oracolo della ſua viva voce, Noſtro Signore aboliſce, riprova, e ſoſpende tutt' i ſudetti Oratorj, i quali non ſaranno coſtrutti, e fabbricati, ſecondo che ſi preſcrive nell' enunciate parole del Breve, e dichiara, che nella ſteſſa forma debba intenderſi qualunque Indulto, che o per Privilegio, o per Reſcritto della Santità Sua, o de' ſuoi Predeceſſori ſi foſſe ottenuto in ſimigliante materia, con proibire eſpreſſamente a qual ſi ſia Sacerdote di qualunque ſtato, grado, o condizione di celebrarvi la Santa Meſſa, ſotto le pene a noſtro arbitrio, anche riſpetto a quei, che la faceſſero celebrare, Volendo inoltre, e dichiarando Noſtro Signore, che la preſente Notificazione debba principiare ad avere la ſua piena eſecuzione, dopo un meſe dalla data di queſta, e che ſino viſitati i nuovi Oratorj da Noi, o da Perſone da deputarſi da Noi, (le quali ciò dovranno eſeguir gratis) avvertendo, che la preſente Notificazione, pubblicata, ed affiſſa, che ſia ne' luoghi ſoliti, obbligherà, ed aſtringerà nel modo, e tempo ſopra eſpreſſo ciaſcheduno, come ſe perſonalmente gli foſſe ſtata intimata. &c. Data in Roma dalla Noſtra ſolita Reſidenza li 19. Febraro 1738.*

Fr. G. A. Card. Vicario.

N: A. Can. Cuggiò Segr.

II. Circa ſtructuram Domeſtici Oratorii Paſqualigus, Tamburinus, & Croix Lib.6. Par.2. num. 266. nequaquam reprehendendum eſſe exiſtimant morem quorumdam, qui arcum occupantem totam latitudinem Oratorii efformari curant. Nec ego auderem velut alienum ab intentione Pontificis talem ſtructuræ modum reprehendere, ubi non infrequens foret ſimilis conſuetudo: Nam conſiderata Oratorii anguſtia vix modicum ſupereſt pro quarto anteriore pariete, ſi locum aptandæ januæ demimus. Attamen ad finem Indulti plene ſervandum deſiderari tunc deberet tanta januæ amplitudo, quanta ad totum arcum claudendum ſufficeret; ut peractis Divinis Myſteriis clauſum omnino cuſtodiretur Oratorium ad decentiorem ejuſdem cultum, atque munditiam. Ob hunc ſane finem communitur exigunt Locorum Ordinarii murum etiam ex anteriore parte Oratorii; ut non niſi per januam ingreſſus in illud pateat, januaque deinde diligenter clauſa arceantur omnes prophanationes a Loco deputato Divinis Myſteriis, quæ paſſim committerentur, ſi ingreſſus continuo patens, ac omnibus liber relinqueretur. Hinc merito non ſolent eſſe contenti Ordinarii ſolo panno extenſo ante fores, aditumque Oratorii; ſed ligneam poſtulant januam, vel firmos cancellos ſera claudendos, ut tutius impediantur ab Oratorio irreverentiæ occaſiones. Ubi vero Oratorium in parte ædium ſegregata conſtrueretur, ad quam non niſi certis occaſionibus Domini ingredi ſolerent, ut evenit in nobilioribus cubiculis Domus, ac reliquo tempore diligenter clauſam cuſtodirent. Tunc quod janua Oratorio aptata efficeret, abunde obtineretur per januam vicinorum cubiculorum; atque pro hujuſmodi Oratoriis non tanta neceſſaria foret immediatæ illorum januæ cautela, neque tantus rigor neceſſarius eſſet; ſed propter decorem Oratorii ante fores expanſio panni ſufficeret; & bene adhuc ſervaretur illa conditio, quam in Apoſtolicis Indulti exprimendam judicaverant Cardinales Concilii Tridentini Interpretes ſub Sixto V. ut videlicet *Oratorium conſtituatur in loco decenti, ET CLAUSO*, ſicut Cap.20.num.15.diximus.

III. Al.

III. Altera conditio ab Indulto expreſſa poſtulat, ut conſtructio Oratorii ſit *decenter* facta: qualis autem decentia eſſe debeat in Litteris Apoſtolicis non exponitur; quia norma decentia decentiæ privatorum Oratoriorum a publicis Oratoriis ſolo relicto diſcrimine molis apte deſumi poteſt. At vero circa latitudinem Oratorii domeſtici advertendum puto, quod licet minor in illis, quam in publicis deſideretur, tanta tamen pro illis requiritur, quanta commode capiendis domeſticis actu ſimul Sacrificio aſſiſtentibus ſufficiat. Novi equidem adſtantes etiam prope januam Eccleſiarum præceptum Miſſæ adimplere: Verum ſicut omnibus eſt explorata indecentia illorum, qui ſine legitima cauſſa fores Eccleſiæ non intrant; Ita nonnullam indecentiam præſeferunt quædam nimis angusta Domeſtica Oratoria, in quibus commode decem, aut duodecim adſtantes manere non poſſunt; niſi forte aliæ cauſſæ valde graves hanc nimiam anguſtiam excuſent; quemadmodum occurrunt in illis parvis Cellulis, quæ verſæ in Oratorium fuerunt ob reverentiam, & memoriam Sanctorum, qui cum viverent, eas incoluerunt. Etiam D. Carolus in Primo Concilio Mediolanenſi Par. 2. Tit. *quæ pertinent ad celebr. Miſſæ*: mediocrem in Oratoriis amplitudinem poſtulabat. *Nec ita*, ait, *anguſta ſint, ut qui Miſſam audierint, ad oſtium, aut feneſtram ſtare cogantur, aut denique ibi Sacris intereſſe, ubi promiſcue prophanum aliquod exerceatur, quod fieri omnino prohibemus.* Hinc quidam intelligere poſſunt deformitatem propriorum Oratoriorum, quæ diviſione cubiculi Aſſerum ſepimento parant; ac minore illius parte pro Oratorio aſſignata majorem prophanis uſibus ſervant, ubi poſtquam domeſticis operibus, ac forte etiam Ludis vacaverunt, ibidem audent Sacro intereſſe. Digni certe privatione ſingularis privilegii, quo abutuntur tum ſine neceſſitate extra Oratorium Miſſæ aſſiſtentes, tum ligneis tabulis partem unam Oratorii confingentes contra Indulti rigorem, quo illud extrui *muro* deſideratur; ac ſeparari penitus ab aliis prophanis cubiculis præcipitur.

IV. Forte inſurgent quidam obtrudentes exemplum aliquorum Oratoriorum, quæ ſi ego reprehenderem, nimium audax viderer; etſi eorum amplitudo pæne tantum Altari continendo ſufficiat; ut ideo pro Adſtantibus Sacrificio deputetur Aula vicina, e qua in Oratorium aſpectus patet aperta ampla janua, quæ omnem anteriorem partem eorumdem Oratoriorum occupat. Huic difficultati hanc præbebo reſponſionem, quam a Viris optimis non ſemel audivi, dum mihi privatum propriæ domus Oratorium hujuſmodi deſignabant: videlicet Aulam illam ſimul cum Loco Altaris pertinere ad Oratorium; & ideo nonnumquam claudi Locum Altaris, quia ita majori decentiæ, ac nitori ejuſdem conſuliter. Quis ergo reprehendere poterit tam cautam ſollicitudinem? Satis itaque erit, ut etiam clauſo oſtio aſpectum Altaris prohibente nihil ſit in Aulæ ornatu, aut nihil aliud in Aulæ peragatur, quod Locum deputatum Oratorio dedeceat; atque ad nullos alios domeſticos uſus inſerviat. Si autem iſtorum aliqua in illis Aulis agerentur, certe prophanum, & ineptum Oratorium licitæ Miſſarum celebrationi redderent. Etenim ſemel atque Locus Oratorio deputatus, & ut talis ab Epiſcopo, vel ad quem ſpectat, approbatus fuerit, nequit aliis uſibus deſervire, ſive altare ſemper pateat; ſive aliquando lignis, aut panno penitus cooperiatur. Quin potius plurimum deceret, ut operto licet Altari clarum in Aula ſignum emicaret, unde Locus ille tanquam pars Oratorii, & Locus Rei Divinæ deputatus illico ab omnibus dignoſceretur.

V. Pertinet inſuper ad decentiam ſtructuræ Oratorii eam figuram iſti aptare, quæ nullam deformitate præſeferat vel nimia laquearis humilitate,

vel

vel nimia vicinia lateralium parietum, quæ potius oſtenderet Locum aptum atriolo, ſeu ambulacro, quam decenti Oratorio; quod S. Carolus laud. *ad templi formulam*, *ac regulam propius* accedere egregie poſtulabat. Expedit etiam aliqua feneſtra protecta vitris, vel nitida tela Oratorium illuminari; ſecus tenebroſi potius cubiculi vices geret, quam decentis Oratorii. Tollerant alicubi Epiſcopi feneſtras hinc inde in lateralibus parietibus apertas, ut commodiorem relinquant Locum adſtantibus, quando forte nimium illorum copia excreſceret, pluſquam mediocris anguſtia Oratorii patiatur. Has diſplicuiſſe S. Carolo vidimus. Sed non ubique ſemper eadem regula contrariis vigentibus conſuetudinibus ſervari, aut induci poteſt. Sat ergo erit, ut ligneis tabulis, cratibuſque feneſtræ hæ proteganturj ne pæne ſimilia pericula prophanationis ex illis oriantur, quæ non protecta janua Oratorii prudentiſſime timerentur.

VI. An vero præjudicet decentiæ Oratorii, ſi ſuper illud aliquis domeſticus dormire conſueſcat, non fruſtra quæritur, cum nonnullam irreverentiam referat, quam maxime ab Eccleſiis plures Epiſcopi Synodalibus Statutis poſt S. Carolum eliminare ſtuduerunt. Ita enim ille ſtatuit in Conc. Provinciali IV. Tit. *de prophano uſu a Sacris tollendo*: Tom. I. pag. 126. Actor. Eccleſ. Mediol. Edit. Bergom. *Ne Eccleſiæ*, *aut Capellæ*, *aut etiam Oratorii*, *in quo Miſſæ Sacrificium aliquando peragitur*, *tecta palearum acervis*, *neve aliqua lignorum ſtruc onerentur*: *ne item a parte ſuperiori vel cænaculum*, *vel cubiculum*, *vel omnino locum habeant*, *ubi aut dormiatur*, *aut habitetur*, *aut quidquam prophani fiat*. Verum quamvis hæc ſtatuta diligenter ſint cuſtodienda; nec niſi ob maximam habitationis anguſtiam permittendum, ut ſuper fornicem publicorum Oratoriorum, Eccleſiarumve cubicula ad communes uſus deputata erigantur; Adhuc tamen in Oratoriis privatis facilius iſta permittunt aliqui, & ſignanter P. Croix Lib. 6. Par. 2. num. 266. quia rarius occurrit in privatis Domibus tantam cubiculorum eſſe copiam, ut ad cubilia ſingulorum domeſticorum etiam Locus ſuperjacens Oratorio, non deſideretur. Revera ſi aliter provideri nequeat anguſtæ Privilegiati domui, in hac parte nonnihil indulgendum foret, cum decentia requiſita ab Indulto Pontificio proprie reſpiciat ad Locum ipſum Oratorii, non ad Locum Oratorio ſuperpoſitum. Ceterum ſaluberrimo conſilio plurimi Ordinarii tenacius ſequentes ſuæ Provinciæ Synodalia Statuta etiam ſuper Oratorium privatum lecta ad continuum uſum domeſticorum ſterni ægerrime patiuntur.

VII. Poſtulat inſuper Indultum decentiam in ornatu ejuſdem Oratorii; ut nempe Locus peragendis Euchariſticis Myſteriis deſtinatus decorem convenientem obtineat; ſicut Tò *ornatum* expoſcere videtur, ut Novarius in Summa Bullar. Comment. 93. obſervat. Ea itaque parietum, fornicis, ac pavimenti munditics requiritur, quæ Locum tam honeſtum deceat. Laudabile quoque foret, ut nonnullis vel periſtromatum, vel modeſtarum picturarum ornamentis parietes componerentur, unde major reverentia Loco Sacrificiis deſtinato exhiberetur; Adſtantes ad majorem in illo devotionis fervorem accenderentur; & ipſummet Oratorium hac ratione a cæteris prophano uſui deſtinatis cubiculis diſcerneretur, ut opportune Pelizarius S. J. in Manuali Regul. Tract. 8. cap. 2. Sect. 2. num. 140. advertit. Verum ſicut hæc ornamenta nec abſolute requiruntur, nec neceſſaria ſunt in publicis Eccleſiis: ita nec illorum deffectus reddit privata Oratoria *per ſe* inepta Sacrorum Myſteriorum oblationi, dummodo *nihil* in illis *inordinatum*, *aut præpoſtere*, *& tumultuarie accommodatum*, *nihilque prophanum*, *nihil que inhoneſtum appareat*. Etenim iſta non minus juxta

xta Concilium Tridentinum Seſſ. ult. in *Decret. de Sacr. Imaginib.* ab Eccleſiis ſunt eliminanda, quam a reliquis omnibus Locis, quæ circa præcipuam Chriſtianæ Religionis partem, nempe in ſacroſanctæ Victimæ immolatione, Eccleſiarum vices gerunt. Addit Paſqualigus quæſ. 618. num. 3., quod ſervato Induti rigore major quidam ornatus deſideratur in Oratoriis privatis; quia valde congruum eſt, atque conveniens videtur, ut ſaltem decenti, modeſtoque ornatus nitore Privilegiati præſeferant, quanto in honore Locum Sacrificiis deſtinatum habeant, cui altera deeſt ratio venerationem concilians, quamque Oratoriis publicis perpetua dedicatio Divinis Cultibus impetrat. Liceat mihi adhuc aliud addere, ex quo ſimul celebris Scriptoris obſervatio roboretur, ideſt majorem ſæpius exigi poſſe a Privilegiatis ornatum privati Oratorii, quam pauperes quædam Eccleſiæ, etſi publicæ, habere valeant: Quoniam valde indecens foret, ut cætera Domus Conclavi aulæis, ac pretioſis ornamentis ſplenderent, & interim potioris in tota Domo cubiculi Rei Divinæ deſignati parietes nudi relinquerentur. Hæc enim nuditas collata cum ornamentis aliorum cubiculorum indecentiam non modicam exhiberet.

VIII. Sua quoque eſſe debet decentia in Oratoriis circa ſacra vaſa, veſtes, & altare, ſine quibus Sacrificium peragi numquam poterit. Etenim quæ ad dignam Miſſarum celebrationem pertinent, non minus in publicis, quam in privatis Oratoriis ſervanda poſtulat tum Sacrorum Rituum, ac Eccleſiaſticarum Ceremoniarum inſtitutio; cum debita Euchariſticæ Oblationi reverentia, ad quam omnes Ritus, & Ceremoniæ Eccleſiaſticæ ordinantur. Hinc etſi in privatis Oratoriis Miſſæ concedantur, non tamen ſolvi, violarique permittuntur Sacri illi Ritus, qui in quocunque Oratorio bene impleri poſſunt, ac debent; quique non tam ad Locum, quam ad celebrationem ipſam Sacrificii reſpiciunt. Hæc omnia ſupponit Apoſtolicum Indultum, & fruſtra illorum meminiſſet, cum unice reſpiciat privatum Locum, in quo Sacra Agenda ad ſpirituale ſolamen aliquorum permittitur. Sunt etiam iſta omnia per ſe ipſa unicuique nota, ut propterea verba Indulti de iſtis diſtinctam mentionem facientia pæne fuiſſent inutilia. Olim tamen expreſſe in facultatibus Oratoriorum privatorum poſcebatur nitor, decorque Sacræ Suppellectilis; atque a S. Congregatione Concilii, non minus olim, quam etiam nunc identidem expreſſe requiritur, ut ex ſuperioribus recitatis Decretis facile nuſquiſque advertet.

IX. Quæcunque igitur ſunt neceſſaria juxta Eccleſiaſtica Præcepta, & Ritus ad dignam Sacrorum Donorum conſummationem, etiam in Oratoriis domeſticis eſse debent parata. In primis vero valde opportunum foret, un Altare muro, vel Lapide totum exſtrueretur; atque ut hinc magis aperta differentia appareret inter privilegium celebrandi ſuper altare viaticum, ac privilegium celebrandi in privatis Oratoriis. Cum enim illud intinerantibus, aut non valentibus Oratoria ingredi concedatur, permittit Miſsas celebrari ſuper parvum Lapidem conſecratum; ut ſicut integrum Altare Lapideum, imo etiam Ligneum Subſtratorium ſecum transferre perarduum foret; ita nova erigere, ac fabricare molem lapideam in cubiculis propter celebrationem ibi faciendam pæne impoſſibile eſset. At privilegium celebrandi in privatis Oratoriis reſpicit ad Locum certum, ac ſtabilem, ubi facile firmum erigi, ac conſervari poteſt Altare. Quid porro convenientius, quam ut in Oratorio formam ſtabilis Eccleſię præſeferente integrum altare præparetur; cum potius, ac propemodum ſingulare ſignum Oratoria ad celebrandum deſignata a reliquis Locis diſcernens ex permanentis Altaris con-

ſtructio deſumatur? Etiam Sac. Congr. Conc. Altaris molem ex muro compactam deſideraſſe videtur, cum in precibus oblatis a Nobili Muliere Comitis Northumbriæ Regni Angliæ uxore delevit particulas *ſuper Altare portatile*, quas inſerverat; dum domi ſuæ *in Oratorio* Miſſas celebrari faciendi Indultum poſtulabat. Ita plane adverti Tomo 41. *Poſition.* fol. 74. Quocirca aliqui Scriptores neceſſarium omnino exiſtimant, ut Oratoria integram ex lapide, muroque exſtructam molem Altaris habeant; ne ulla in parte a bene receptis, ac ſtabilitis Eccleſiarum conſuetudinibus recedatur.

X. Tantam neceſſitatem integræ molis lapideæ nos admittere, aut exigere non poſſumus. Unde ſi Menſa, & ſuppedaneum Altaris in Oratorio privato eſſent lignea, & in medio Lapidem Conſecratum haberent, dummodo hæc lignea moles parieti aptaretur, nec præſeferret Altaris Viatici formam, ſed potius fixi Altaris & formam exhiberet, & ſtabilitatem aliquam imitaretur; tunc ſtante præſenti conſuetudine, quæ nonnumquam permittit in Eccleſiis Altaria portatilia in hunc modum parata, tolerari poſſet. Adhuc enim nonnullum diſcrimen inter privilegium Miſſarum in Oratorio privato, & alterum privilegium pro uſu Altaris Viatici appareret. Hanc conceſſionem factam cenſeo in decreto S. Congregationis Rituum die 10. Novemb. Anni 1612. relato a P. Merati: ſed clarius in altero Decreto die 3. Decemb. Ann. 1661. *in una Nullius Loci Cirignolæ*, ubi habetur: *Habens Indultum a Sede Apoſtolica erigendi Oratorium privatum in propria Domo, ſi quis voluerit ibi ædificare Altare ligneum, non indiget facultate apoſtolica, dummodo Altare ligneum cum Sagro Lapide parieti colligatum ammovibile non ſit, & Altaris portatilis imaginem non præſeferat.*

XI. Quamvis vero egregie in Oratoriis privatis integra Altaris moles ex muro, aut lapide effingatur, adhuc totum illud Altare non conſecratur, niſi excipiamus quædam Oratoria in Epiſcopalibus, Religioſiſque Domibus erecta; aut forte quædam exſtructa intra Magnorum Principum Palatia, ac eximiorum Virorum Collegia, in quibus cum perenniter duratura ſupponatur facultas privatæ celebrationis Miſſarum, dedecere non videtur aliquam in illis Oratoriis Solemnitatem fieri, quæ conſecrationi Altaris conjungitur. Cauſſas autem, propter quas prætermittuntur hujuſcemodi Conſecrationes Altarium in privatis Oratoriis, accipiat Lector a Cap. 12., ubi de hoc argumento diſſeruimus. Exſtructa itaque mole, ac menſa Altaris aptari in ejus medio debet parvus lapis antea conſecratus ab Epiſcopo, vel ab altero Præſule habente ſimilem facultatem Altarium conſecrandorum; atque firmiter hunc lapidem ſtabilire oportet, eodem plane modo, quo juxta Sacrorum Rituum Regulas in menſis non conſecratis publicorum Oratoriorum parvi illi lapides conſecrati ad licitam Sanctorum Myſteriorum celebrationem collocantur. Unicum autem eſſe debet Altare, quod ad quotidianum conceſſum Sacrificium ſufficit. Imo multum dedecerent plura Altaria in domeſticis Oratoriis, cum juxta magis receptas conſuetudines, in illis tantum permittantur publicis Oratoriis, ac Eccleſiis, quæ a multis Fidelibus frequentantur, & magno numero Miſſarum quotidie abundant. Quare non alia ex cauſſa Benedictus P. XIII. conceſſit in Capella Palatii Nobilis Marchionis de Maximis quotannis Die 16. Martii ſecundum Altare erigi, niſi quia illo die voluit publicæ Eccleſiæ rationem habere illud Oratorium, quod a Petro de Maximis Canonico Vaticanæ Baſilicæ exſtructum fuit eo loco, in quo S. Philippus Nerius Anno 1583. Die 16. Martii Paulum de Maximis a mortuis excitaverat. Quia ergo Locus ille dignus erat ſpecialibus prærogativis,

inter plura Privilegia Indulgentiarum, & duarum Miſſarum pro ſingulis Anni diebus, exceptis tantum ſolemnioribus; hoc aliud omnino ſingulare conceſſit erigendi alterum Altare, ut commode illa die Miſſarum numerus plurimum augeretur ad explenda vota multorum Fidelium illac convenientium, & ad celebrius recolendam memoriam patrati miraculi. Hæc privilegia Anno 1732., *quatenus opus eſſet*, confirmavit Clemens XII., & Reſcriptum Pontificium Die 8. Junii publicis in Actis Lorenzini fuit inſertum.

XII. Non vacat hic uberiora addere de Altari domeſtici Oratorii, neque de ejus Icone, Suppedaneo, Graduque ſuſtinendæ Cruci cum Crucifixo, & Candelabris cum Candelis idoneo, aliiſque ad Pallium Altaris, ac Sindones, ſeu *Tobaleas* pertinentibus; Cum hæc omnia tam exigantur in Oratoriis privatis, quam in publicis omnibus deſiderentur. Quare immerito a Nobis iſtorum omnium ſingularis expoſitio deſideraretur, quæ a Scriptoribus Ritualiſticis, & Liturgicis eſt petenda. Præterire autem nequeo unum advertere, quod, niſi obſervaretur etiam in Oratoriis privatis, indecentiam non modicam, deformitatemque oſtenderet: videlicet Altare non in angulo Oratorii aptandum eſſe; ſed in medio, ſive poſtea pro majori amplitudine Loci, aut anguſtia immediate Parieti adhæreat, ſive nonnihil ab iſto remotum fuerit. Hanc ſane conſuetudinem tenuerunt Veteres tam in parvis, quam in amplis Eccleſiis, in quibus unicum erigentes Altare, illud non ad latera, ſed in medio ſtatuebant, tanquam in nobiliori, & adſtantibus patentiore Sede.

XIII. Aliud inſuper indicandum occurrit, quia forte a quibuſdam Privilegiatis non attenditur, eſſe ideſt neceſſarium Umbraculum ex ſerico panno, vel alia decenti materia ſuſpenſum ſuper Altare, quod loco veterum Ciboriorum Eccleſiaſtica conſuetudine ad impedienda pericula deturpationis Altaris ex forte cadentibus lapillis e fornice, aut laquearibus diligentiſſime uſurpatur. Ciboria Veteres erigebant tum ſuper majus, cum ſuper minora Sacellorum Altaria, ut bene ex Hairulpho Monacho Lib.III.Chron. Centulen.cap.3. diſcimus, & Anaſtaſius in Leone III. tradit. Nullam pariter diſtinctionem majoris a minoribus Altaribus oſtendit Synodus Colonienſis Anni 1280. Can. 6., cum generatim juſſit; *ut furſum ſuper Altare ad latitudinem, & longitudinem Altaris pannus lineus extendatur, ut defendat, & protegat Altare ab omnibus immunditiis, & pulveribus deſcendentibus*. Nullum pariter fit diſcrimen in Ceremoniali Epiſcoporum, quod Lib. 1. cap. 12. ſolum excipit Altaria, quibus Ciboria vel marmorea, vel alterius firmæ materiæ ſupereminent. Quod ſi nonniſi fere alibi Umbraculorum uſum in Eccleſiis cernimus, quam ſuper Altare majus; id evenit, quia minora Altaria parieti adhærentia ut plurimum ſufficienter proteguntur ab arcu Capellæ, cui ſubjici ſolent; ita ut arcus illi anguſtiores Ciborii vices propemodum gerant. Etiam in Cemeteriis, quæ ſub arcu aliquo erigebantur, Altaria Ciboriis carebant, ut in opere erudito Cemeteriorum Boldetti Iconographia illorum Altarium exhibet. Nequeunt igitur permitti in Oratoriis privatis Altaria ſine umbraculis, ne a ſuperiori tabulatu immunda decidant; imo nec deberet Altare illo carere, etſi fornicatum eſſet Oratorium, ſecus pulvis valde frequenter domeſticis ſupra eundem fornicem ambulantibus Sacram Menſam fœdaret.

XIV. Altaribus Oratoriorum Privatorum, ubi amplitudo Loci permitteret, congruentiſſime Cancelli aptarentur, ut etiam in hac antiquitus recepta, & plurimum deinceps cuſtodita diſciplina privata Oratoria cum publicis conformarentur. Enimvero quæ ratio movebat Majores Noſtros tum Latinos, tum Græcos ſingula Altaria Can-

Cancellorum ſepimento munire, ne Laici, & maxime Fœminæ proxime ad Altare auderent accedere, & Cancellos ingredi, intra quos tantum, vel ſoli Presbyteri, vel ad ſummum cæteri Clerici ſtabant: Ipſa eadem pro privatis Oratoriis militat, atque urget. Revera in his idem Sacrificium peragitur, ob cujus reverentiam Laicorum nemo ſine convenienti, gravique cauſa appropinquare poterat ſub pœna anathematis inflicta a Concilio Romano Anni 964., quam Benedictus XIII. P. ad varios abuſus nonnullarum Urbis Eccleſiarum extirpandos ſpeciali Decreto renovavit, unde abſterrerentur Laici temere intrantes Capellarum Cancellos, dum in illis Miſsæ celebrabantur, etiamſi turba Populi non cogeret Adſtantes Locum Altari proximum occupare. Difficile autem anguſtia privatorum Oratoriorum obſervationem ſanctiſſimæ hujus conſuetudinis permittet. Unde ſicut etiam in publicis Eccleſiis nonnumquam ſine culpa ingrediuntur Laici Capellarum Cancellos, quia aliter nequeunt Miſsæ aſſiſtere: Ita pariter permitti poterit defectus Cancellorum in privatis Oratoriis, ne inde minuatur ſpatium neceſsarium, ut domeſtici commode Sacrificio offerendo adſtare valeant. Quapropter etiam ſine Cancellis poterit cuſtodiri in privato Oratorio a Laicis debita reverentia, dum nemo illorum genuflectere in Suppedaneo Altaris, aut nimis proxime accedere ad Altare audeat. Hoc modo nec minuetur per Cancellorum ſtructuram Oratorii privati ſpatium, nec a devotis Adſtantibus quidquam patrabitur, quod alienum fuerit a fine ob quem Cancellorum uſus eccleſiaſtica vigente diſciplina obtinuit.

XV. Optabile porro foret ad pleniorem Oratorii decentiam, ut parva Cellula immediate cum Oratorio communicans haberetur, quæ ad inſtar *Sacriſtiæ*, Sacrive *Veſtiarii* præberet celebraturo Sacerdoti commoditatem ſecreto orandi ante, & poſt Sacrificium, & ſe Sacris Veſtibus induendi; quæque demum apta eſset cuſtodire Sancta Veſtimenta, ac Vaſa Sacra ibi in præparatis, affabreque compoſitis, ac caute claudendis armariis collocanda. Profecto conſuetudo erigendi Cubicula Eccleſiis proxima, quæ *Secretarium*, & *Veſtiarium* olim vocabantur, ac infimo ævo *Sacriſtia* nuncupata ſunt, omnes illos fines præcipue reſpiciebat. At quam pauca ſunt privata Oratoria, quæ Sacriſtiolæ appendicem habeant! Condonandum vero id erit ob domorum anguſtiam, vel ob domeſticorum cubiculorum ordinem non facile permittentem alicui parvi Paratorii ſpecialem deputationem. Iccirco neceſſarium erit parare in Oratorio ipſo abachum, aut menſam decentem, ſuper quam collocentur Sacræ Veſtes a Sacerdote ſumendæ, ne cogatur eas de Altari ipſo accipere, quod non ſemel a Sacra Rituum Congregatione prudentiſſimis Decretis vetitum P. Merati Commen. in Rub. Gavanti Tom. I. pag. 314. & 317. Edit. Rom. demonſtrat.

XVI. Erit inſuper valde congruum in aliqua decenti capſa, armariove ab aliis prophanis uſibus libero diligenter reponere Sacram Suppellectilem, ne forte a prophanis manibus tractetur, & variis incommodis, ac irreverentiæ periculis expoſita deferatur. Quanta enim cura ſervari debeant Sacra Vaſa, quantave diligentia cuſtodiendæ ſint Sacerdotales Veſtes, oſtendit uſus, ob quem fuerunt priut Deo dicata per benedictionem, an-conſecrationem; ac confirmat pereus nis Eccleſiæ diſciplina, qua Sacrum Miniſterium cuſtodiæ Clericorum deputabatur. Porro quia crimini vertendum putabant veteres Patres, ſi alibi ſacra Vaſa, Veſteſque aſſervarentur, quam in Sacrario, aut ſimili alio loco honeſto ad Eccleſiam ſpectante: Inſuper quia recentes Eccleſiæ Ritus, niſi gravis cauſa aliud ſuadeat, ſevere poſtulant cuſtodiri Sacram Suppellectilem in Loco non prophano; (Equidem inter alia honoris

ſigna rebus ſacris debita etiam Loci dignitas, atque honeſtas requiritur.) Propterea ſano, ſaluberrimoque conſilio deſiderare ſolent Locorum Ordinarii, ut in Oratoriis domeſticis, a quibus deeſt ſpecialis Cella Sacriſtiæ vices ſupplens, conſtruatur armarium decenti ſtructura, colloceturque intra ipſum Oratorium; quatenus & Sacrum Miniſterium diligenter cuſtodiatur, & Locus, in quo conſervatur Sacra Supellex, ſit reliquis privatæ domus cubiculis convenientior, atque decentior.

XVII. Quicumque meas haſce legerit de *decentia ornatus* Oratoriorum commentationes, non pauca advertet, quæ de priſtina diſciplina tantummodo indicantur, nec antiquorum teſtimoniorum authoritate muniuntur: Attamen non ideo me, quantum de aliena benevolentia polliceor, redarguet. Debui nonnulla veteris diſciplinæ ſemina contingere, ut quæ ſingulariter ad ſcopum faciunt, firmiora apparerent: eas autem enucleate expendere non potui, ne nimium extra præfixam ſemitam vagarer. Cæterum nihil de antiqua diſciplina indicavi, quod in eruditis Bona, Martenio, Thierſio, Georgio, Catalani, aliiſque non reperiatur largo ſtylo expoſitum. Ejuſdem brevitatis deſiderio motus, & in unicum finem argumenti Operis intendens prætereo omnia illa, quæ ad ſacram ſuppellectilem attinent; cum eadem omnia ſupponat Apoſtolicum Indultum, quod nos exponimus.

XVIII. Altera conditio ſæpius forte violata præſcribitur in Papali Privilegio, ut nempe Oratorium privatum debeat eſſe *a domeſticis uſibus liberum*. Hoc idem vehementer inculcabat S. Carolus loc. cit. primi Conc. Mediolanen., & propterea ſtatuebat, *ne* Oratoria *ſint in interiorum ædium partibus, in quibus Domini, vel Familia frequentius verſentur; ſed commodo, & honeſto loco a cubiculis, tricliniis, & ab aula ſeparata*. Quam juſte, ſancteque exigat R. Pontifex illam conditionem, dignitas, & reverentia, cujus ſit particeps Locus ad divinorum donorum conſecrationem deſtinatus, luculentiſſime perſuadet. Si enim veram, intimamque cauſſam ſcrutemur, cur Patres, Sacrique Canones tam fortiter arceant prophana omnia officia ab Eccleſiis, aliam profecto non inveniemus, niſi quæ profluit ex dignitate Loci, in quo divina myſteria peraguntur. Fateor equidem non modicam eſſe diſparitatem inter Oratorium privatum, & publicum. Nam cum iſtud præmiſſa dedicatione ad divinum tantum cultum evadat *ſacrum*; etiam ſacrilegam reddit operationem prophanam in eodem ſine neceſſitate peractam; ut eſt ibidem dormire, comedere, civilia negotia tractare, & ſimilia agere. Non ita vero prophana actio in privato Oratorio facta Sacrilegii macula inquinatur. Quoniam Oratorium illud privatum Locus *Sacer* non eſt, ſive quia deſit *Conſecratio*, aut *Benedictio*; ſive quia per ſe perpetuo ad divinum unice cultum non deſtinatur. Attamen qui prædicta opera in privato Oratorio agere ſine neceſſitate auderet, adhuc peccati reus eſſet, tanquam inobbediens apoſtolicis mandatis præcipientibus ſpecialem reverentiam illi Loco deferendam eſſe, qui uſque dum perſeverat aptus Sacrificio celebrando, debet etiam ſecerni a cæteris domus cubiculis, in quibus domeſtica exercitia, hac humana officia peraguntur. Quare ſi contingeret hoc genus irreverentiæ Oratorio privato irrogatæ ad gravitatem peccati pervenire, opus erit in Sacramento Pœnitentiæ aperire circumſtantiam hujuſmodi, unde & gravitas culpæ exoritur, & illius ſpecies cognoſcitur. Non ambigimus autem, quod aliquando ad gravitatem culpæ pervenire poſſent prophanæ actiones in Oratorio approbato ad Miſſarum celebrationem peractæ, ſi nempe frequenter in eodem prophana opera fiant; cum hæc frequentia deſpectum oſtendat.

XIX. Vereor, quod ſæpe Pontificia Facultate abutantur aliqui Privilegiati; & illi maxime, qui nihil ſolliciti-

liciti pro debita reverentia Oratorii non ſolum per illud tranſire ſolent, velut per unicum medium ad alia ſubeunda cubicula; verum nonnumquam in Oratorio ipſo fixa armaria communibus veſtibus, aliiſque rebus domeſticis continendis deſtinata collocant. Certe tunc, quod liberum eſſe debet ab uſibus domeſticis, non mero Dei cultui addictum manet Oratorium, ſed ad alios etiam fines domeſticos deputatur, & cum magno dedecore in Sacrificium ipſum redundante ad inſtar aliorum communium cubiculorum æſtimatur. Neſcio autem, an ſimiles abuſus, qui gravem per ſe exhibent irreverentiam, (Prophana etenim actio, ſi frequenter fiat, plurimum auget delictum.) ſemper prætextu ignorantiæ, aut inadvertentiæ excuſari poſſint. Nam rariſſime ſinceræ videntur hujuſmodi excuſationes; cum nemo, ſine temeritatis vitio, uti debeat privilegio, niſi prius bene de illius conditionibus inſtructus fuerit. Excuſant autem ſe aliqui allegantes neceſſitatem ortam aut expropriæ domus ſtructura; propter quam nequeunt ad alia cubicula accedere, niſi tranſeundo per Oratorium; aut ex anguſtia domus, ob quam tantum non ſupereſt commodum rebus domeſticis curandis, niſi aliqua illarum portio in Oratorio ipſo collocetur. Vanæ tamen, & inutiles ſunt hæ defenſionis technæ. Nam quando neceſſitas liberum non ſinit habere a prophanis uſibus Oratorium, etiam impedit Apoſtolici Indulti exercitium. Si porro carere exercitio domeſticarum Miſſarum moleſtum eſt Privilegiato, neque ſit ipſi moleſtum alio modo providere, ut integræ ſerventur conditiones illæ, ſine quibus R. Pontifex domeſticam celebrationem non patitur. Alia quippe eſt ratio, cum fortuito, ac ex cauſſa extraordinaria coguntur Privilegiati aliquem uſum domeſticum in Oratorio facere; alia vero cum aſſidue, aut frequenter in Oratorio prophana Opera fiunt. Semel, aut iterum neceſſitate cogente etiam in pubblicis Eccleſiis licet comedere, ac dormire: At ſine cauſſa, ac frequenter id ſine gravi culpa fieri nequit.

XX. Dum ergo Oratorium privatum præſcriptas in Privilegio Pontificis, a cujus arbitrio non minus pendet permittere domeſtica Sacrificia, quam limitare requiſita pro idoneo Oratorio, conditiones non habuerit, undecunque defectus iſte promanet ſive ex culpa, ſive ex neceſſitate Privilegiati, deſinit eſſe Locus aptus Divinorum celebrationi. Enimvero deficiente conditione deficiente conditione deficere neceſſe eſt etiam Indulti beneficium, quod Benefactor omnimodo ab illa dependere voluit. Arbitror autem, quod Oratorium jam antea ab Ordinario approbatum, & poſtea factum inutile ad Privilegii Apoſtolici executionem propter uſum prophanum, non ſtatim iterum evadat idoneum, ac capax Miſſis celebrandis, cum prophana ab illo removentur; ſed neceſſariam eſſe novam Ordinarii approbationem exiſtimo. Etenim par mihi ratio videtur ſive Oratorium ineptum reddatur Sacrificio, quia ab uno in aliud domus cubiculum transferatur; ſive tantummodo quia uſus prophani in Loco prius unice deſignato ad Divinorum Myſteriorum oblationem permiſſi fuerint. Revera alterutra ex his cauſis ſuperfluam reddit priorem approbationem, quæ ſuppoſitis omnibus requiſitis ab Indulto Papali ultimo exigitur, antequam Miſſæ actu in Oratorio celebrari poſſint. Nihil vero refert, quod in Oratorio antea reddito inutili Miſſis celebrandis per prophanorum uſuum in illo factorum admiſtionem relinquatur Altare cum cæteris ornamentis: quia ſemel ſublata capacitate Loci ad Sacrificium celebrandum, neque Altare, neque Ornatus, neque alia qualiacunque hujuſce generis ad facultatem celebrationis Miſſarum impertiendam ſufficiunt. Unde ſicut non ſuffragatur prior approbatio, dum Oratorii privati Lo-

ti Locus in altera domus parte deputatur: Ita neque proderit præcedens approbatio, quamquam ad reddendum Oratorium idoneum celebrationi removeantur prophani illi uſus, a quibus inutilis facta fuerat prior approbatio.

XXI. Illuſtrat quadamtenus rem iſtam Regula, quam Sacri Ritus, Canoneſque præſcribunt, ut iterum celebrare liceat Sacrificium in aliqua Eccleſia, quæ pollutionem paſſa fuerit. Cum Eccleſiam pollui contigerit, non tantum cauſſas prophanationis removere ſufficit; ſed neceſſarium eſt iterum determinatis ceremoniis, ac precibus in priſtinam reſtitui puritatem. Qiod ergo facit reconciliatio in polluta Eccleſia, id Oratorio Domeſtico per uſus prophanos reddito inepto nova Ordinarii approbatio præſtat. Ad hæc: Nonne translato Oratorio domeſtico de Loco ad Locum, iterumque reſtituto in priorem domus partem neceſſaria eſt nova illius approbatio, quia prior ſuum terminum in translatione conſequuta fuit? Ita Tamburinus, Pignatellus, Paſqualigus, Moſtazo, multique alii ſine hæſitatione affirmant. Mihi itaque ſimili de cauſſa videtur nova Oratorii approbatio neceſſaria, dum illud vel ex negligentia, vel ex neceſſitate Privilegiatus prophanaverit. Etiam Tamburino Opuſc. de Miſſa Cap. 6. §. 4. n. 10. viſa fuit neceſſaria nova approbatio hujuſmodi Oratorio Domeſtico prophanato. Quamobrem quot forte iterum deberent ab Ordinario approbari Oratoria, quæ cum primum libera eſſent a domeſticis uſibus, poſtea ex his ipſis Divinorum Myſteriorum celebrationi inepta evaſerunt!

XXII. Profecto ſi hujuſmodi defectus irrepſiſſe certo conſtaret, quantumvis deinde ad normam Apoſtolici Indulti fuiſſent a domeſticis uſibus repurgata Oratoria, deberent mea ſententia (Hanc lubens aliorum graviori judicio ſubmitto, nihil confidens in mearum opinationum animadverſionibus.) Privilegiati quamprimum novam expoſcere Ordinariorum approbationem, ut Miſſæ in iiſdem celebrarentur. Nec ſuffragari poſſe videtur, quod Miſſæ aliquæ, aut etiam plures in illis celebratæ fuerint, poſtquam inepta evaſerant. Nam quod antea ex defectu poteſtatis fieri non poterat, perſeverante eodem defectu numquam licitum evadit, quemadmodum Regula XVIII. Juris in VI. ſuperius indicata, & huc apprime pertinens ſuadet. Imo quamvis alicubi Miſſæ peractæ fuerint, ubi celebrari non licebat; non ideo ex mera Miſſarum actione aptus iiſdem iterum celebrandis Locus aliquis redditur; ſed potius tanto creſceret peccatum permittentium. Miſſas in Loco non apto, nec approbato, quanto major numerus illarum excreſceret. Hinc, niſi me mea fallat opinio, arbitror privatum Oratorium, poſtquam ineptum evaſit ad Sacrorum celebrationem, ita quod nova egeat Ordinarii approbatione, ut iterum licite in eo Miſſæ celebrari poſſint; numquam capax celebrationis evadere, quantumvis non modico ſpatio temporis poſt hujuſmodi inhabilitatem contractam Sacrificium ibi oblatum fuerit. Semper enim manet inhabile Oratorium, niſi perfecte impleantur Apoſtolici Indulti conditiones, quæ poſcunt approbationem ab Ordinario faciendam pro Oratorio, quod per ſe ineptum Divinis Myſterii ſupponitur. Scio equidem ex probata plurimorum Scriptorum ſententia, quod Eccleſia antea polluta non indiget ſpeciali repurgatione, ſi pluribus menſibus poſt pollutionem contractam Miſſæ adhuc in eadem peractæ fuiſſent; quoniam injuria Eccleſię irrogata jam omnino remiſſa, & plene purgata longa intermedii temporis intercapedine, ſacrificiorumque continuatione cenſetur. Verum hæc ratio uſurpari non debet pro Oratorio privato, a quo non tam ſuſpenditur facultas Miſſæ celebrandæ, ſicut evenit per pollutionem Eccleſiæ, quam penitus aboletur; neque majorem

rem Locus ille retinet prærogativam prę aliis reliquis prophanis Locis;egetque nova approbatione; ex qua ultimo compleantur requiſita ab Apoſtolico Indulto, ut Locus alias ineptus Miſſis faciendis iterum ad eaſdem celebrandas idoneus evadat. De hac Ordinarii approbatione cap. ſeq. loquemur.

XXIII. Cum ingenue dixerim, quod mihi videbatur congruentius Papali Privilegio, & de peccato accuſandos eſſe cenſuerim Privilegiatos in illo Oratorio celebrationem Miſſarum curantes, quod ſimul deſeruit quibuſdam domeſticis uſibus; caute negavi hoc genus peccati eſſe proprie ſacrilegium, & cauſſas protuli, quibus id merito negaretur. Neque enim omne irreverentiæ vitium Loco irrogatum ſimul etiam ſacrilegum eſt, niſi Locus ſacer fuerit, in quo perpetratur. Potuimus igitur appellare peccatum irreverentiæ, quod per uſum prophanum Oratorii privati committitur, quin ſimul illud in Sacrilegii ſpecie computaremus; quoniam reverentia ſpecialis debita Oratorio privato non a propria illius ratione provenit, ſed a mero Pontificis R. præcepto, quo domeſtici uſus a Loco Sacrificiis offerendis deputato eliminantur. Atque hinc ſequitur Oratorium privatum per quamlibet perverſiſſimam actionem proprie non pollui, cum ſolus ille Locus proprie polluatur, qui Sacer eſt, Deoque ſpecialibus Ritibus, ac Ceremoniis dedicatus, quæ in privatis Oratoriis Laicorum propter cauſſas Cap. XII. abunde expoſitas non adhibentur. Non ambigo autem, quemadmodum nec alii dubitaverunt Scriptores, ac præcipue Croix Lib. 6. Par. 2. n. 66., peculiarem irreverentiæ culpam committi ab illo, qui in prædicto Oratorio domeſtico peccare auſus fuerit. Etenim ſi ob reverentiam ipſi debitam jubet Pontifex domeſticos, quamvis *per ſe* licitos, & honeſtos actus, uſuſque ab eodem arcere; quanto magis opus eſt in illo Loco impedire omne peccatum, ex quo gravior, pejorque in illum redundat deſpectus, ac irreverentiæ vitium? Si porro idem privatum Oratorium fuiſſet Deo ſpecialiter dedicatum, conſecratumque tunc dubio procul omnem prophanationem ſacrilegam efficeret, cum Sacrum, ac Religioſum evaſiſſet; neque ad arbitrium Privilegiati in commune cubiculum verti poſſet, ſicut reliqua Oratoria domeſtica non conſecrata, aut benedicta, poſſunt converti; ut uno conſenſu tradunt Paſqualigus, Novarius, Pignatellus, Moſtazo, Card. Petra; cæterique vel ab ipſis laudati; vel etiam a me perlecti.

XXIV. Hac de cauſa, & ob defectum *Benedictionis* fatentur omnes Privata Oratoria non eſſe Sacra, aut Religioſa Loca. Ex hoc autem conſequitur, quemadmodum concorditer Viri illi celebres, cæterique docent Oratoriis privatis nequaquam convenire privilegium Immunitatis, quod Locis Sacris debetur. Ad rem hanc Barboſa de Jure Eccleſ. Lib. 2. cap. 8. n. 28. Novarius Comment. 72. n. 85. Card. Petra Tom. 1. Com. pag. 391. Ed. R. Pignatellus Tom. 1. Conſult. 93. n. 2. Paſſarinus &c. laudant declarationem factam a S. Congregatione Cardinalium ſuper Negotia Epiſcoporum, & Regularium die 17. Nov. 1617. in una Marſicenſi, Addit Leurenius in Lib. 3. Decr. quæſt. 1013. aliam declarationem S. Congregationis Immunitatis in *una Peruſina* die 9. Decembris 1631. Nemo vero opponat Gregorium IX. P. Lib. III. Decretal. Tit. 49. *de Immunit.* Cap. 9. dicentem Eccleſiæ non conſecratæ convenire immunitatem his verbis: *Eccleſiæ, in qua Divina Myſteria celebrantur, licet adhuc non extiterit conſecrata, nullo jure privilegium Immunitatis adimitur, quia obſequiis Divinis dedicata nullius eſt temerariis auſibus prophananda*. Nemo, inquam, iſta opponat, quia licet Eccleſiæ illæ, de quibus loquitur Gregorius, carerent conſecratione; non carebant alia Benedictione, per quam *obſequiis Divinis dedicatæ* erant; ac proinde *Sacræ* evaſe-

ſerant, dignæque Privilegio Immunitatis. Etſi enim Sæculo 13., quo in Sede Petri ſedebat Gregorius IX., plurimæ alicubi etiam Majores Eccleſiæ ex nonnullorum deſſidia, vel alia de cauſſa ſine ſolemni conſecratione relinquerentur, ſicut etiam indicabimus cap.3. ſequ. Opuſculi; Attamen jam alium Ritum dedicandi Eccleſias minore Solemnitate per ſimplicem *Benedictionem*, antequam in illis fierent Sacrificia, viguiſſe credimus. Profecto ex MS. Pontificali circa illa tempora ſcripto, & in Bibliotheca Angelica Urbis cuſtodito, quod Joſeph Catalani Vir clarus *Eccleſiæ Barenſis* inſcribit, apparet tunc introductum fuiſſe morem, ut opera aliorum Sacerdotum Epiſcopi in his uterentur, quæ ad novam faciendam Eccleſiam antea ab Epiſcopis tantummodo peragebatur: Unde ibi extat hic Titulus: *Ordo ad Eccleſiam fundandam per Epiſcopum, vel ipſius Capellanum*. Sicut ergo in Eccleſia fundanda alterius Sacerdotis officio utebatur Epiſcopi, nihil pronius, quam ut etiam ab eodem juberent præmitti aliquam novæ Eccleſiæ dedicationem; quæ interim, quantum ad reddendum Locum idoneum celebrationi Divinorum Myſteriorum, suppleret vices conſecrationis, cujus officium utpote majore pompa, & apparatu Ceremoniarum peragendum integre inferioribus Sacerdotibus committi non poterat. Benedicta itaque Eccleſia, atque ita *obſequiis Divinis dedicata* privilegio Immunitatis Gregorio IX. P. declarante, ac jubente gaudebat. Cæterum utut Eccleſia, de qua loquitur Gregorius, conſecratione caruerit, an carebat pariter ea *dedicatione*, quæ in primi Lapidis impoſitione pro Eccleſiæ ſtructura peragitur? Per hanc igitur dedicationem Locus ille Sacer, aptuſque Immunitatis privilegio evaſerat. Hinc, ut tradit P. Sanchez Lib. IX. de Matrim. Diſp. 15. num. 36., propter illam Benedictionem in primi lapidis fundatione idoneus ſtatim Locus evadit ſepeliendis Fidelium Cadaveribus, quæ nonniſi in Loco Sacro tumulari debent.

CAPUT XXIV.

De Viſitatione, & approbatione Oratorii privati ab Ordinario facienda.

I. HONORII, & reverentiæ erga Divinum Altaris Sacrificium in domeſticis Oratoriis conceſſum parum conſultum fuiſſet, niſi R. Pontifex deputaſſet Locorum Ordinarios, ad quos ut generaliter pertinet cura vigilandi ſuper rectam Sacramentorum adminiſtrationem, & maxime circa Miſſarum celebrationem; ita ſpecialiter ſpectaret *prius viſitare, & approbare* Oratorium, antequam in eo Miſſæ celebrarentur. Multum ſane expediebat hanc ſubjectionem propriis Ordinariis a Privilegiatis exigi, qua & Paſtorum dignitas magis a ſubditis venerationi haberetur, & conditiones in Litteris Apoſtolicis deſideratæ tutius obſervarentur. Quam frequenter ſubreptionibus, obreptionibuſque a Pontificis clementia Indultum Miſſarum celebrandarum in privatis Domorum Oratoriis extorqueretur: Imo quid pronius, quam aut negligi præſcriptas in Privilegio conditiones; aut tranſgredi limites privilegio prefixos; niſi proprio Ordinario rationem reddere debuiſſent Privilegiati tum de veritate cauſſæ, qua moverunt

runt Pontificem ad Indulti conceſſionem; tum de ſollicita obſervatione eorum quæ verbis ipſis Privilegii ſervanda jubentur.

II. Inſuper hæc ipſa neceſſitas Viſitationis, & Approbationis Oratorii ab Ordinario faciendæ nonnulla oſtendit antiquæ Epiſcopalis Poteſtatis veſtigia, qua ante Concilium Tridentinum libere in privatis domibus Miſſas celebrandas concedere poterant. Enimvero licet in Concilio ſponte Epiſcopi antiquis ſuis hujuſmodi juribus renunciaverint; adhuc R. Pontifex, dum ſibi unice reſervatam exerit poteſtatem, non patitur penitus Locorum Ordinarios deſeri, ſed eos ſecum veluti conſortes aſſumens Juriſdictionem aliquam exercere circa Oratoria ipſa deſiderat, ita ut numquam Apoſtolicum Privilegium ſuam exerere efficaciam velit, niſi iiſdem approbantibus Oratoria, in quibus tantum exequi poſſit. Atque hinc emicat, quam libenter R. Pontifex ſtudeat, ubi aliter Eccleſiarum utilitas, aut prudentior adminiſtratio non poſtulat, potius amplificare, quam Epiſcoporum jura reſtringere. Hinc etiam patet, quam bene provideatur recto Animarum regimini, cum illamet ſubjectio Oratoriorum approbandorum proprio Ordinario reddat Paſtorem vigilantem, an Privilegiati ipſi Diebus Feſtivis Miſsæ Sacrificio interſint.

III. Eſt igitur neceſsarium ad executionem Pontificii Indulti prius Oratorium viſitari ab *Ordinario Loci*, ſicut expreſse Indulti verba expoſcunt; ita ut viſitationis munus ab eo peragendum exigatur, qui exercet Juriſdictionem in *Loco*, ubi erigitur Oratorium, quique uſum privilegii poteſt ſuſpendere, ſi forte extra illius fines Privilegiati exorbitaverint. Imo privilegium ipſum Miſsarum domeſticarum in privato Oratorio, quod juxta Conſtitutionem Gregorii P. XV. omnibus Epiſcopis Solio Pontificio Aſſiſtentibus conceditur, aperte poſtulat, ut prius Oratorium in Urbe ab Apoſtolico in Spiritualibus Generali Vicario, extra Urbem a Locorum Ordinariis viſitetur, & approbetur. Quamvis enim Epiſcoporum Venerabiles Perſonæ plurimo ſint dignæ honore; tamen quæ alieni ſunt juris, a nemine invadi poſsunt, ne hierarchicus Eccleſiæ Ordo turbetur. Ob hanc cauſsam adhibet Pontifex in Privilegio nomen *Ordinarii*, non nomen Epiſcopi, cum aliqui Apoſtolica Auctoritate fulti Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem certis in Locis penitus exemptis exerceant, quamvis Epiſcopali Ordinatione conſecrati non fuerint. Conſtanter hanc Ordinariorum approbationem etiam immediate poſt Concilium Tridentinum, & deinceps poſtularunt RR. Pontifices; unde licet Nobilis quædam Vidua Hiſpalenſis poſceret a R. Pontifice, ut Indultum committeret Priori Monaſterii B. Mariæ Ordinis Carmelitarum Hiſpalenſis, S. Congr. Concilii, a qua preces hujuſmodi examinabantur, judicavit eſſe concedendum Indultum, *dum tamen Oratorium ab Ordinario viſitetur, & approbetur*; ſicut legi in Tom. 26. *Poſition.* fol. 207., ubi continentur ea, quæ tempore Card. Mathei ejuſdem Præfecti decreta fuerunt. Quare tunc ſolum viciniori Epiſcopo, aut alteri committebatur privati Oratorii viſitatio, & approbatio, quando graviter ſuſpectus Ordinarius ab Oratore allegabatur. Hac de cauſsa S. Congregatio Conc. die 14. Januar. 1575., *cenſuit committendum Epiſcopo Trojanenſi viciniori* approbationem Oratorii cujuſdam Comitis Lerinenſis Diœceſis, *quia* videlicet *Ordinarius allegatus fuit ſuſpectus* in precibus Oratoris contentis Tomo 41. *Poſition.* fol. 132. Simili ex cauſſa alter Viſitator deputatus fuit ab eadem Sac. Congregatione Die 7. Decemb. 1678., ut in Regeſtis adverti.

IV. Non eſt porro neceſſarium, ut per ſeipſum Ordinarius Oratorium viſitet, qui ſuas vices alteri committere ſolet, quin inde ulla ſequatur abſurditas. Neque enim ſeveriorem diligentiam Epiſcoporum deſiderat Pontifex in curanda reverentia Sacrificii intra

Oratoria domeſtica; quam idem tum ex debito Paſtorali, cum ex præcepto Concilii Tridentini Seſſ. 22. excubare teneantur in omnibus propriæ Juriſdictionis Locis, ut cum debita reverentia Miſſæ celebrentur; quod tamen etiam per alienum idoneum miniſterium procurare valent. Hinc in Litteris Apoſtolicis, & illis maxime, quæ ad Ordinarios Locorum ſcribebantur, RR. Pontifices aliquando expreſse dicebant Ordinarium poſse *per alium* a ſe deputatum viſitare Oratoria. Hanc formulam Sixtus P. V. in Litteris cap. 20. num. 14. editis adhibuit.

V. In Viſitatione attente obſervat Ordinarius, qui zelo devotionis ardet erga Divina Myſteria, & debitam apoſtolicis mandatis obedientiam præbet; an omnia, quæ juxta Indulti tenorem deſiderantur ad domeſticam celebrationem, ſive Locum, ſive Structuram, ſive ornatum Oratorii, Sacræque Supellectilis reſpiciant, bene diſpoſita, & præparata fuerint? Certe plurimum expedit ante approbationem diligenter obſervare, an omnes conditiones, & requiſita a Pontificiis Litteris exigita, aut præſuppoſita reperiantur; ne ſi illorum aliquod defuerit, irrita penitus approbatio reddatur. Revera ſi contingeret (Hoc vix ſuſpicari auderem in tanta pietate, ſanctaque ſollicitudine Ordinariorum, niſi aliquando a Delegatis Viſitatoribus deciperentur.) aliquod approbari Oratorium non ſervatis Indulti conditionibus, adhuc illud ineptum foret Divinis Myſteriis; quia dum Pontifex approbationem Ordinarii requirit, non illius arbitrio ſubjicit conditiones in Privilegio expreſſas; ſed potius Viſitationem ab Ordinario faciendam jubet, ut deſideratæ conditiones ſecurius ſerventur, & integre executioni tradantur. Quare nimis ab eodem Ordinario jura propria excederentur, ſi ſibi liberum fore judicaret diſpenſationem Privilegiato in his concedere, quibus Pontifex gratiam ab ejus tantum voluntate non minus in conceſſione, quam in adjectis reſtrictionibus dependentem coarctare voluit. Hinc ſicut præmiſſis cæteris conditionibus, ac requiſitis, ſi deſit Viſitatio, & Approbatio Ordinarii, Indultum Apoſtolicum effectu caret; quia nondum impleta eſt Indulti conditio: Ita pariter etiam facta approbatione omni effectu carebit Indultum, ſi aliquod aliud requiſitum defuerit, quod non minus, quam Viſitatio, & Approbatio Ordinarii, a Pontifice ad executionem Privilegii exigitur. Addo generatim irritum, ac inane eſſe, quod *contra formam reſcripti* fit, ut Innocentius P. III. Cap. *Cum dilecta* Lib. 2. Decret. Tit. 3. *de Reſcriptis* declarat; ſi videlicet Agens non alia, quam in illius Reſcripti virtute operetur. Ad inſtar itaque meri Cognitoris ſe gerit Ordinarius circa ea, quæ requirit Indultum, cujus formam plus cæteris exacta diligentia exercere ille debet, cui in eiſdem Apoſtolici Privilegii Litteris ſpecialis prærogativa ſuam ſimul ſuperaddendi approbationem conceditur.

VI. Facta Viſitatione Oratorii, repertiſque in eo, quæ rigore Indulti ſervato deſiderantur, æquitas poſtulat, ut Ordinarii ſuam approbationem concedant ſive verbo tenus, ſive Chirographo ſpeciali, prout diverſarum Regionum mos ſuadebit, aut ſaltem opportunum Ordinario videbitur. In Urbe approbatio Oratorii ab Ordinario in ſcriptis fieri ſolet, & ſubjici Apoſtolico Indulto hoc modo.

Cum ſupradictum Oratorium exiſtens in domo N. N. de mandato noſtro viſitatum fuerit, & inventum ab omnibus domeſticis uſibus liberum, decenter Muro exſtructum, & ornatum, Sacriſque Supellectilibus bene refertum, licentiam arbitrio noſtro duraturam, ut ibidem Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium juxta formam ſupradictarum Litterarum Apoſtolicarum celebrari poſſit, exceptis Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis D. N. J. C.

aliiſ-

aliiſque Solemnioribus Anni Feſtis Diebus exceptis, nempe Annunciationis, Aſsumptionis B. M. V. (Aſcenſionis D. N. J. C.) *Omnium Sanctorum, Epiphaniæ, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, in Domino concedimus; & impertimur. Datum Romæ ex Ædibus Noſtris. Hac die &c.*

N. N. Card. Vicar.

N. N. Secretarius.

Injuſte autem prorogari, aut denegari nequit approbatio, ne inde gravamen ſuſtineant Privilegiati, & injuria R. Pontifici irrogetur; cum ſine cauſsa ipſius privilegia ſuſpenderentur. Equidem qua ratione conquerebatur Honorius III. Epiſt. ad Archiepiſc. Pariſienſem ,,quia Apoſtolicæ Sedis gratiam Minoritis conceſſam ubique celebrandi Epiſcopi aliqui mipedire, conabantur; merito alii Pontifices corripere poſſent illos Epiſcopos, qui facultate Miſſarum in privato Oratorio carere Privilegiatos neglecta approbatione compellerent.

VII. Quouſque tamen non approbaverit Loci Ordinarius Oratorium, quamvis injuſte illud approbare repugnaret, adhuc Privilegium nequit exequi; cum una ex conditionibus a Pontifice ſeveriſſime exigita tunc deeſſet. Aſperum quidem videtur, ut quia ſupremo Eccleſiæ Paſtore gratiam impetravit, adhuc ex mera alterius injuſta repugnantia ab illius executione abſtinere cogatur. Verum ſatius eſt aliquando Privilegiatum ſentire gravamen, quam laxare habenas multis, qui cum negligerent omnia requiſita ad decentiam Oratorii præmittere, ac propterea approbationem nequaquam obtinerent, ſæpe Ordinarios calumniarentur, quod injuſte approbationem denegarent, & falſis prætextibus deſpicientes juſtam illorum repugnantiam audacter in privato Oratorio Miſſas celebrari facerent. Revera ſi ſemel petita ab Ordinario, & injuſte negata approbatione liceret Indultum exequi; ſtatim non exiguus pateret aditus, ut deſpectui haberentur ſuſpenſiones privilegii Miſſarum domeſticarum, quibus aliquando ob non ſervatas Indulti conditiones Locorum Ordinarii privata quædam Oratoria afficere, atque obſtringere tenentur. His præcavendis periculis approbatio, quæ ad ſubſtantiam Privilegii ſpectat, ut bene obſervant Moſtazo Lib. V. de Cauſ. Piis cap. 5. num. 79., & Paſqualigus quæſ. 620. num. 9., abſolute exigitur, & prius reapſe dari deſideratur; quia nullum valere Reſcriptum, aut Privilegium ſupponitur, niſi vere illa exiſtant, quæ ad valorem, & executionem in ipſo deſiderantur, quacunque porro ex cauſſa ſive juſta, ſive injuſta defuerint. Quot enim effectu carent Privilegia tum Secularia, cum Eccleſiaſtica a certis conditionibus dependentia, licet injuſtum ab aliquo opponatur obſtaculum, propter quod conditiones exigitæ adimpleri non poſſunt? Patienter itaque Privilegiatus ferre deberet injuriam ſibi irrogatam, quo uſque Ordinarius ab injuſta ſententia decederet, ſive ſponte, ſive R. Pontificis reprehenſione perterritus; qui in pœnam pervicacis reſiſtentiæ merito alteri munus Viſitationis, & Approbationis delegare poſſet.

VIII. Perperam porro Ordinarius ille ſine cauſſa approbationem denegans ſe defenderet illis verbis Indulti: *ac de ipſius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura*; unde exiſtimaret pro ſuo arbitratu poſſe licentiam concedere, aut denegare. Hæccine malæ cauſſæ peſſima patrocinatio? Parum aberit, quin ex his verbis ſimul inferatur inutiliter poſtulari a Pontifice licentiam celebrari faciendi Miſſas in Oratorio privato, cum eadem licentia ab Ordinarii arbitrio dependeat. Verum ſuam obviam, propriamque interpretationem demus verbis prædictis, quæ quibuſdam in meridie caligantibus obſcura viſa ſunt. Cum R. Pontifex omnem irreverentiæ occaſionem a Sacrificio in privatis Oratoriis conceſſo auferre ſtuderet, non minus ſapienter providere vo-

voluit incommodis, quæ occurrere poterant, antequam primo privilegium operi mandaretur; quam aliis multis, quæ deinceps contingere poſſunt, cum Privilegiatus aſſiduum uſum apoſtolicæ gratiæ proſequitur. Ut enim periculoſum fuiſſet permittere celebrationem Miſſarum in Oratorio, niſi prius ab Ordinario viſitaretur & approbaretur; Ita multo majoris periculi res fuiſſet, ſi facta approbatione Oratorii non amplius vigilare oportuiſſet, ut omnia recte peragerentur. Omnibus ergo periculis ſimul providens Ordinariorum vigilantiæ commiſit prius viſitare, & approbare Oratorium, ne unquam vel ſemel in illo Divinorum Myſteriorum conſecratio fieret ſine debita decentia, & honore; deinceps vero aſſidue excubare, ut æquali cum reverentia illic Sacrificia offerrentur impediendo, ac ſuſpendendo licentiam celebrandi in iiſdem Oratoriis, ſi contingeret præſcriptas conditiones violari, quæ non ſolum cum primo approbantur, quam etiam pro omni alio tempore, quo facultas celebrandi in illis perſeverat, a Privilegiatis cuſtodiri debent. En itaque ſenſum illorum verborum; en ſcopum Pontificis, qui voluit auctoritati Ordinariorum Oratoria primum approbata ad exercitium Apoſtolici Indulti ſemper ſubjecta, ut ſine limitatione temporis ipſi poſſent gratiæ proſecutionem ſuſpendere, quoties contra Indulti formam aliquod irrepſiſſet incommodum. Ecce demum quam exacte provideat Pontifex R. quibuſcunque periculis qualicunque tempore oborturis, ſive dum Privilegiatus primo incipit privilegio uti, ſive dum de illius Beneficio gaudere proſequitur.

IX. Quamvis vero pendeat ab Ordinarii arbitrio continuatio licentiæ celebrandi in privato Oratorio, non tamen ille ex mera voluntate, & nulla legitima, gravique cauſſa movente licentiam ipſam auferre, aut ſuſpendere debet. Etenim eadem regula, quæ jubet apoſtolicæ gratiæ non reſiſti injuſte negando approbationem Oratorii, jubet etiam non ſuſpendere effectum, ne inique privetur Privilegiatus beneficio, cujus privatio durior evaderet, quanto ex illius exercitio uberiorem antea conſolationem percæperat. Quare *arbitrium* Ordinarii ſit boni Viri arbitrium, ut Leges quoque humanæ poſtulant, eaque præcipue, quæ Lib. 50. Digeſt. Titul. 17. L. *in Perſonam* D. *de diverſis Regul. Juris antiqu.* hoc modo ſonat: *Ubicunque in bonæ fidei judiciis confertur in arbitrium Domini, vel Procuratoris, ejus conditio pro boni Viri arbitrio hoc habendum eſt.* Ubi autem arbitrium boni Viri fuerit, procul dubio juxta Juris regulas dirigetur, quæ præſcribunt Majoris conceſſiones manuteneri, quoties nihil contrarium menti Concedentis reperiatur.

X. Vigilant itaque optimi Locorum Ordinarii, ut in privatis Oratoriis ſerventur omnia, quæ Indultum poſtulat: Si vero repererint exacte ſingula obſervari, nec mutatam eſſe in pejus Privilegiati conditionem, tunc ab injuſta iſtius vexatione cavent. Enimvero quæ ad impetrandum conſenſum Ordinarii prius ſufficiebant, ſimul pariter ſufficiunt, ne deinceps revocetur. Si autem noverint aliquam prætermitti conditionem ab Indulto exigitam, tunc arbitrio ſuo opportuniſſime utuntur ſtatim ſuſpendendo illam licentiam, quam licet pro domeſtica celebratione ſolus Pontifex, non Ordinarius tribuat; tamen idem Pontifex ab arbitrio iſtius pendere licentiam traditam tum in prima illius executione, cum in ejuſdem proſecutione expreſſe voluit. Hac ratione ſequuntur vigilantiſſimi Ordinarii mentem Pontificis, qui Privilegium conceſſit ſub certis conditionibus reſpicientibus decorem, & reverentiam Euchariſtici Myſterii; nec abutuntur Pontificis gratia; qui cum abſolute potuiſſet eximere Oratoria privata ab Ordinarii Juriſdictione, voluit illius curæ eadem ſubjicere, ut conſulen-

lendo dignitati Sacrificii pariter honori, & authoritati Ordinarii proſpiceret. Si tamen æquitatis regulis violatis Ordinarius ſuſpenderet licentiam celebrandi, adhuc cogeretur Privilegiatus ſuſpenſionis onus patienter ſuſtinere, uſque dum vel ab Apoſtolica Sede ſuſpenſio auferatur; vel ab Ordinario ipſo retractetur. Ita plane ſe gerunt illi, qui ſeſe gravatos injuſte a ſententiis Ordinariorum ſuſpendentium Miſſarum celebrationem in Oratoriis privatis exiſtimantes ad Pontificem convolant, ut cognita injuſtitia ſuſpenſionis latæ in priſtina jura reſtituantur. Ita Anno 1744. aliqui ex una Liguriæ Civitate, ut ſententiam Epiſcopi Ventimillien. adverſus privata Oratoria illorum latam reſcindi impetrarent, ad Sac. Congregationem Concilii convolaverunt; quamvis inutili hactenus conatu, cum legitima, ac prudenti de cauſſa ſagax Epiſcopus ſuſpenſionem inflixiſſe oſtenderit. Operatur ergo ſuum effectum Oratorii ſuſpenſio facta ab Ordinario, licet injuſta, ſicut injuſte negata approbatio Oratorii exercitium Privilegii impedit; quia ut ſuperius dicebamus, melius, ſapientiuſque judicavit R. Pontifex abſolute deſiderare conſenſum Ordinarii ad licitam Indulti executionem, quam quibuſdam falſo prætexentibus injuſtitiam ſuſpenſionis anſam præbere audendi in propriis Oratoriis proſequi Miſſarum celebrationem non obſtante Ordinarii ſuſpenſione. Addo declarationem Sac. Congregationis Concilii *in Toletana*, in qua I. Loco *quæritur*: *An in Oratorio hujuſmodi per Ordinarium viſitato, & ad formam prædicti Indulti approbato quilibet Sacerdos Secularis, ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularis, qui gaudet ex Auctoritate pariter Apoſtolica privilegio, quod poſſit in Eccleſiis, in quibus alias Divina Officia Interdicto durante quomodolibet celebrare permiſſum fuit; vel in privato Oratorio ad divinum cultum tantum deputato ab Ordinario viſitando, & deſignando etiam tempore Interdicti, cui ipſe cauſſam non dederit &c. Miſſam celebrare. Poſſit celebrare in caſu, quo Ordinarius prædictæ licentiæ ejus arbitrio remiſſæ declaravit diſſentire, eandemque proinde revocavit?* Nulla in quæſito ponitur cauſſa determinata ad revocationem licentiæ movens; neque limitatur ad juſtam, ſed interrogationis tota vis collocatur in eo, quod Ordinarius conceſſam licentiam retractavit. Attamen nulla facta diſtinctione inter juſtam injuſtamque retractationem die 21. Maii 1672. reſpondit *Ad I. Negative*. Extat decretum in Regeſtis Sac. Congregationis Lib 27. Decr. fol. 404. & ſeqq.

XI. Quærat autem aliquis, qui fiet, ut unquam licite poſſit Ordinarius licentiam celebrandi in privatis Oratoriis ſuſpendere, cum iſta novæ viſitationi non ſubjaceant, & ſine viſitatione æquum non videatur ſuſpenſionis ferre ſententiam, ne ſine cognitione cauſſæ pœnam injuſte inferri contingat? Paucis me expedio ab hac quæſtione obſervans nullo jure, nullove Apoſtolicæ Sedis præcepto prohiberi Ordinarium a nova privatorum Oratoriorum viſitatione. Imo potius opportunum foret aliquando in generali luſtratione Diœceſis ad Nonnullorum Oratoria privata divertere, ut illa arceantur mala ob quæ Eccleſiaſticus Mos identidem publica Oratoria viſitandi retinetur. Certe propriis oculis cernerent Epiſcopi, quanta ab aliquibus irreverentia irrogetur Locis primum deſignatis ad Miſſarum celebrationem; ac forte frequentius ſuſpenſionis ferrent judicium. Niſi penitus deſipiam, ipſum Cap. Finale Tit. *de Cenſibus*, in quo aliqui putant vetitam novam Oratoriorum privatorum viſitationem, illa iterum poſſe viſitari non vetat. Attamen, ſi praxim conſulimus, raro contingit ſemel approbata Oratoria iterum ab Ordinariis viſitari, niſi dubium prudens eos moveat, quod in quibuſdam privatis domibus irreverenter, & contra formam Papalis Indulti Res Divina

na peragatur. Habent Locorum Ordinarii rationabiles cauſſas, propter quas raro iterum eadem Oratoria viſitaturi in privatas domos divertunt: Nam multo plura incommoda obortura in publicis Eccleſiis timentur, ſi diutius differatur earum viſitatio, quam ſint illa, quibus probabiliter ſuſpicari poſſint obnoxia privata Oratoria. Vel ipſamet Nobilium Perſonarum dignitas multum diligentiæ pollicetur, ne facile Privilegio Apoſtolico abutantur. Hinc tranquillius poſſunt de illorum ſimul pietate, aut attentione Ordinarii confidere; ac proinde, cum tantis paſtoralis curæ opprimantur laboribus, parcere majori fatigationi, quam frequens domeſticorum Oratoriorum viſitatio expoſceret. Suo igitur muneri ſatis eſſe factum non imprudenter exiſtimant Ordinarii, ſi ſolum tunc ad eadem Oratoria viſitanda accedant, cum prudens dubitatio ipſorum animos occupaverit; vel ab aliis moniti fuerint, quod a quibuſdam Privilegiatis limites Papalis Indulti tranſgrediantur, & indecore Sacrificium in ipſorum domibus celebretur.

XII. Qualiſcumque vero fiat viſitatio Oratoriorum domeſticorum, aggravari non debent *procurationi* ſolutione Privilegiati. Aliqua tamen procuratio in quibuſdam Locis ab Ordinariis vigente conſuetudine licite exigitur. Nam etiam pro hac viſitatione militat eadem ratio, quæ pro alimonia Viſitatoris procurationem diſcretam concedit dari in viſitatione cæterarum Eccleſiarum, ut unuſquiſque Operarius non propriis, ſed alienis ſtipendiis vivat. Solum Gregorius IX. P. voluit exemptos a Procuratione ſolvenda illos Monachos, qui forte plus æquo frequenti viſitatione Oratoriorum in Granciis erectorum aggravabantur. Unde Lib. III. Decret. Tit. 39. *de Cenſibus* Cap. *Auctoritate* inquit: *Auctoritate præſentium inhibemus, ne quis pro eo, quod in Oratoriis, quæ in Granciis veſtris habetis, interdum aliqui veſtrum celebrant, procurationes, quæ ratione viſitationis debentur, a vobis exigere, vel extorquere præſumat.* Multa ad hoc caput ſcripſit Fagnanus, ad quem ablego Lectore miſta ſcire deſiderantem.

XIII. Unicum autem Oratorium pro qualibet domo habitationis propriæ Privilegiatorum approbari debet, cum hanc unitatem aperte inſinuent Privilegii verba, quæ numero ſingulari *Oratorium* fere ſemper deſignant; nec in plurali Oratoria exprimere ſolent, niſi quando ad domos habitationis tam in Civitate, quam Ruri exiſtentes Indultum extenditur. Hinc adverti in Libro 38. *Poſitionum* fol. 9. 12. & 265. S. Congregationis Concilii, quod cum aliqui poſtularent Indulti antea conceſſi extenſionem ad aliquem alium Domeſticum ægra valetudine laborantem, aperte extenſio dabatur, *ſi Sanctiſſimo viſum fuerit*, pro eodem Oratorio, in quo prius Miſſæ in illa domo celebrari poterant. Etiam Sac. Congregatio Cardinalium ſuper negotia Epiſcoporum, & Regularium cum ex ſpeciali Pontificia Delegatione dediſſet licentiam Miſſarum celebrandarum in domo cujuſdam Baroniſſæ, ſimul prohibuit, ne duo ſimul in eiſdem ædibus approbarentur Oratoria; atque in hunc modum ſcripſit Epiſcopo Venuſino die 4. Maii Anno 1604. prout reperitur in Regeſtis ejuſdem Anni fol. 53. *Non piace alla Sagra Congregazione, che la Moglie del Barone N. N. poſſa fare celebrare dentro il Palazzo ſuo in due Capelle; ma che ne elegga una ſola, la quale ſia ben' accomodata, ed ornata ad arbitrio di V. S., e che da lei ſe le conceda per queſta la facoltà di far celebrare, ma con dichiarazione, che ciò ſia ſenza pregiudizio del propro Paroco, e così eſſa Signora, come tutte gli altri della propria Caſa ſiano obbligati nelle Feſte principali, e particolarmente nella Paſqua di Reſurrezione andare a ricevere il Santiſſimo Sagramento alla Parochia; così dunque potrà Lei in virtù della preſente eſſeguire*

eſſegaire. Quod non placuit Eminentiſſimis Patribus, nec placere debet ulli Locorum Ordinario; Nam etſi alia non ſuaderent hujuſmodi limitationem unius Oratorii; ſaltem inde majori, ac decentiori cuſtodiæ ejuſdem Oratorii opportuniſſime conſulitur. Etenim ſæpe evenit minori diligentia cuſtodiri plura quam unum. Hanc conſuetudinem conſtanter retentam ab Eminentiſſimis Urbis Vicariis in ipſorum Archivvo obſervavi; itaut tunc ſolum in eodem Palatio, ſeparatiſque *Appartamentis* diverſa approbent Oratoria, quando in illis habitant plures Privilegiati, & aliunde Palatium pluribus domibus vere æquivalet.

CAPUT XXV.

De Conſanguineis, Affinibus, Familiaribus, & Hoſpitibus, qui participant de Apoſtolico Indulto principaliter Privilegiati.

I. RIGOREM, quem ſervari oportere in expoſitione Pontificii Privilegii Miſſarum intra Oratoria privata celebrandarum ſuperius Cap. 21. demonſtravimus; multo magis retinere debemus illud interpretantes ſecundum ea, quæ pertinent ad Conſangnineos, Affines, Hoſpites, Familiareſque Privilegiati, ne conceſſam a R. Pontifice gratiam ad alios dilatemus, ad quos nulla ratione extenditur. Facilius autem crederemus excuſari poſſe, qui ſimilis amplificationis vitio laborarunt, ſi Apoſtolici Diplomatis verba ambigua, & obſcura eſſent. Quamvis enim etiam ſtante Privilegii obſcuritate magis propendere oporteat in ſtrictiorem interpretationem, ne nimis relaxetur licentia Eccleſias publicas deſerendi, neve violentur regulæ ab omnibus probatæ de ſevera interpretatione facienda Privilegiorum communibus Legibus adverſantium: Attamen a diſcreto Cenſore condonari deberet hujuſmodi error, cui occaſionem dediſſent obſcura Indulti verba, & propenſio ad favendum aliis, in quam Viri Ingenui pronius flectuntur; ac tunc maxime, quando certo non conſtat, quod a participatione alicujus gratiæ aliqui excludantur. Verum quis patietur nos, aut Alios; ſi nullatenus dubitando de legitimo ſenſu verborum Apoſtolici Privilegii, nitideque intelligendo juxta Indulti formam aliquos tantummodo ex Familiaribus, ac Domeſticis participare de conceſſa gratia ad limitationes in Privilegio factas non reſpiceretur, ſed potius diceretur has fuiſſe ex mera *Curiæ Romanæ* conſuetudine inſertas; ac proinde nullos limites Perſonis de Privilegio domeſticarum Miſſarum participantibus præfigere?

II. Unde modus tam inſolitus interpretandi Apoſtolicæ Sedis Privilegia deſumi poſſet, nemo prudens intelligit. Imo potius unuſquiſque cordatus conſiderat hac ratione aperte illudi, depravarique Privilegia Papalia, quæ equidem non ſunt deterioris conditionis, quam cætera qualiacumque. Si hoc modo tuto tranſgredi liceret fines Pontificii Indulti limitantis Perſonas, ad quas extenditur conceſſa gratia ſatisfaciendi eccleſiaſtico præcepto Miſſæ audiendæ in Oratorio privato; libere ſtatim poterunt perverti reliquæ omnes conditiones ab eodem Indulto exigitæ; & ſine periculo perverſæ uſurpationis licebit unicuique Privilegiato in tanta

am-

amplitudine ſuum dilatare privilegium; ad quantam ampliſſima Apoſtolica Privilegia eximiis Familiis conceſſa extenduntur. Non negavero igitur *ex ſtylo Curiæ* ad quoſdam tantum Familiares, Hoſpiteſque effundi ſolere participationem Beneficii promanantis ex Privilegio, quod alicui Patri-Familias principaliter conceſſum eſt; quia nempe communiter in ſimilibus Privilegiis R. Pontifex illas reſtrictiones apponere ſolet. Affirmabo etiam ego lubens *ex ſtylo Curiæ* id fieri; ita tamen, ut hoc ſit dicere *ſtylum Curiæ R.*, quod eſt dicere conſuetudinem frequentius a R. Pontifice retentam. Verum nego, conſtanterque pernegabo has ipſa reſtrictiones non eſſe juxta ipſarum rigoroſam, propriamque ſignificationem diligentiſſime ſervandas, quia communiter in ſimilibus Privilegiis præſcribuntur. Numquid enim quod ſub certis tantum conditionibus faciendum conceditur, illis violatis fieri poterit, quia paſſim eædem conditiones adduntur, dum ſimiles facultates diſpenſantur? An minus explorata evadit mens Concedentis, ſi ſemel tantum præfixis limitibus aliquid conceſſiſſet; quam ubi ſæpius idem concederet ferme ſemper eaſdem limitationes facultatis determinando? Profecto ipſamet aſſidue, tenaciterque retenta formula præfigens in conceſſione Indulti conſuetos limites multo evidentius demonſtrat, quouſque Pontifex ſuum privilegium extendi jubeat. Hinc licet Indulta Apoſtolica multa Indulgentiarum Sanctarum, & Diſpenſationum Matrimonialium frequentiſſime ſpeciales limitationes adhibeant, non tamen illis neglectis conceſſa gratia unquam ſuffragabitur. Imo Indulta ipſa celebrationis Miſſarum in Oratoriis privatis fere communiter eandem tenent formulam circa Locum, decentiam, & approbationem Oratorii, unicumque Sacrificium: nec tamen ſine manifeſto errore ullus dicet hujuſmodi conſuetas formulas violari poſſe.

III. Inſuper ita certum eſt non ultra fore progrediendum, quam Indultum permittat in reſtrictione Perſonarum participantium de gratia conceſſa principaliter Privilegiato, ut cum R. Pontifex quoſdam majoribus dignos favoribus uberiore beneficentia proſequitur, nequaquam in ſuis Diplomatibus inſerit formulas reſtringentes, ſed alias amplificationem Privilegii declarantes uſurpat. Viciſſim quia phraſes aliquando adhibitæ in forma Indulti torqueri a nonnullis ultra limites ab ipſo intentos intellexerat; propterea Pontifex ad omnes falſæ, laxæque interpretationis fraudes, occaſioneſque auferendas, alias locutiones magis manifeſtantes Apoſtolicæ Conceſſionis terminos ſubſtituit. Hinc cum prius in Indultis frequenter nomen *Familiæ* adhiberetur, illudque vocabulum, quod aliunde a Juris Conſultis teſte Barboſa de Appellativor. verbor. ſignificat. Appel. 94. multifariam ſumitur, aliqui Scriptores latius extenderent, quam menti Pontificis congrueret; propterea clariora verba uſurpari cœperunt, cum videlicet ad alios Domeſticos, ac Familiares principaliter Privilegiati facultatem ſatisfaciendi præcepto Miſſæ coram ipſo celebratæ in Oratorio privato extendit. Solent autem, ut plurimum exprimi in Privilegio *Nati*, *Conſanguinei*, *Affines*, *&* *Familiares* Privilegiati; atque de his omnibus nos ſingillatim agamus, ac ſervato debito rigore interpretationis nomina illa attente exponamus; ut inde exploratum habeamus, qui nam poſſint Miſſæ præcepto ſatisfacere in Oratorio privato, quoties de illis omnibus, aut ſaltem de aliquibus in Pontificio Indulto fit mentio.

IV. Inter illos, qui de Apoſtolico Privilegio participes a R. Pontifice fieri ſolent, inprimis ſunt *Nati*, ad quos Patris commoda congruentius extenduntur. Nomine vero Natorum intelliguntur tam Filii, quam Filiæ, etiam naſcituri, aut naſcituræ; quoniam, ut adnotat laudatus Barboſa *Appellati-*

vo 159. *Natus* pro *Naſcituro* aliquando accipiatur. Hinc cenſeo abſque immoderatæ amplificationis vitio comprehendi ſub nomine *Natorum* in Papali Indulto Filios, Filiaſque etiam poſt Indultum genitos. Nam hanc extenſionem non tam *Natorum* vocabulum admittit, quam praxis confirmat. Non diſſimulo autem, quod aliquando Nati futuri in Privilegio exprimebantur, idque in Indulto ab Innocentio XI. die 18. Junii 1680. conceſſo Nobilibus Conjugibus Romanis uſurpatum adverti his phraſibus: *in Veſtra, & futurorum Natorum præſentia*. Verum opportune *futuri* Nati in eo privilegio expreſſi fuerant, quod alterius Privilegii antea conceſſi Genitoribus Oratorium ampliatio fuerat, ut ex apographo ſervato in Regeſtis Eminentiſſimi Vicarii apparet; & alias Oratores ipſi adhuc omni prole carebant. An vero ſub *Natorum* nomine ab Indulto comprehendantur etiam Filii Spurii, aut Naturales inquiri poteſt? Sed nullum horum nomine *Natorum* comprehendi exiſtimo, quia magis obvius ſenſus illius nominis eos tantum præſefert, qui per legitimum matrimonium ſunt geniti. Si tamen per ſubſequens Matrimonium, vel a Principis authoritate legitimarentur, ſicut tunc evadunt legitimi; ita nihil illis deeſt, ut in numero cæterorum Natorum computentur, quantum ſufficit ad participandum de paternis Privilegiis. Quoties autem legitimi non evaſerint, ſicut vilis conditionis homines reputantur; ita nimis, ac proinde contra mentem Pontificis vileſceret Indultum Miſſarum domeſticarum, ſi ad eoſdem flecteretur. Semel in Regeſtis Sac. Congregationis Concilii Lib. 9. Litter. fol. 288. cuidam Illegitimo ſpecialibus ſane ex cauſſis privilegium hujuſmodi conceſſum reperi, atque ea conditio expreſſa fuit, propter quam fuerat ſingularis facta diſpenſatio.

V. De Filiis adoptivis eſſe poteſt pariter difficultas, quia licet legalis adoptio ſæpe transferat omnia Jura paterna in Filios adoptivos, *Nati* tamen non ſunt ipſius Privilegiati. Libentius audirem alios hanc quæſtionem ſolventes, cum in nullum Scriptorem eam proponentem inciderim. Verum cum tacere omnino non debeam ſemel dubio propoſito, propterea quid mihi videatur, modeſte profero; nimirum poſſe adoptivos durante adoptione de Privilegio Apoſtolico participare: Etenim quamvis nihil clarum ex illius verbis eruatur; locum tamen habere poterit Epicheja, maxime cum veriſimile non videatur, quod Pontifex excluſum intenderit a Beneficio Patri conceſſo illum Filium, quem juxta communes Leges, probatas quoque, receptaſque in Jure Eccleſiaſtico, participem cæterorum Adoptantis bonorum adoptio reddidit. Certe protenſa gratia in hujuſmodi Filios nec vileſcit, cum ejuſdem dignitatis cum Patre adoptante participes fiant; nec periculum, aut occaſio plus æquo ſolvendi obſervantiam Canonum præcipientium publicas adire Eccleſias propter Miſſæ auditionem inde ſecutura timetur.

VI. Extendi inſuper ſolet Papale Indultum ad *Conſanguineos* Privilegiati, quos ſine ulla limitatione reſpiciens illorum neminem ex Aſcendentibus, Deſcendentibus, & Collateralibus ſanguineis cognatione conjunctis excludit. Imo quia Sacri Canones in ſupputandis gradibus conſanguinitatis plures complectuntur, quam Civiles Leges ſoleant: (Ubi enim Canones duos tantum gradus, Jus Civile quatuor numerat.) Ideo etiam in participatione Indulti Apoſtolici juxta Eccleſiaſticas Regulas interpretandi conſequitur multò plures eodem gaudere poſſe, quam ſi gradus conſanguinitatis juxta Civilis Juris regulas ſupputarentur. Ad quartum autem uſque gradum incluſive extendi poteſt Indultum, quia præſens Eccleſiaſtica Diſciplina ad cæteros inferiores gradus non amplius reſpicit, poſtquam impedimentum Matrimonii ex carnali cognatione ortum intra quartum gra-

dum coarctavit. Propter Conſanguinitatis titulum Pignatellus Tom. 7. Conſult. 98. n. 103., & Paſqualigus quæſt.654. n.7. exiſtimarunt participare de privilegio domeſtici Sacrificii Filios Spurios, quos nemo negaverit jure naturæ inſpecto conſanguineos eſſe Privilegiati, e quo nativitatem traxerunt. Sed de Filiis Spuriis paullo ante ſum locutus. Revera ſi eos dixerimus titulo carnalis conjunctionis ab Indulto comprehenſos, nec eos expungere poterimus, quos forte a Legibus ipſis humanis damnatus concubitus generavit; atque ita ad abjectiſſimas Perſonas extendendo tantæ dignitatis Privilegium, quomodo hujus decori conſultum eſſet?

VII. Complecti præterea ſolet Indultum ipſum abſque ullo diſcrimine *Affines* Privilegiati; ac proinde quemadmodum Affinitas orta ex Matrimonio extenditur uſque ad quartum gradum juxta Eccleſiæ ſanctiones reliquis remotioribus Affinibus nulla ratione conſideratis; ita etiam participatio Privilegii ad Affines omnes uſque ad quartum gradum in ſenſu proprio Indulti dilatatur. Non credimus autem a R. Pontifice Beneficii tam ſingularis fuiſſe participes factos Affines ex illicito concubitu, quos potius & culpæ gravitas, & dedecus ex turpi ſcelere in perſonam redundans ab omni communicatione gratiarum excludit. Ideo vero magna Apoſtolicæ Sedis clementia omnes Agnatos, & Cognatos Privilegiatorum ſæpe capaces reddit participationis Indulti pro domeſtico Sacrificio, ut quia in Civilibus Rebus ſæpe omnes ſanguine conjuncti cum Patre-Familias ex iſtius prærogativis plurima experiuntur commoda, etiam ſpiritualis conſolationis utilitatem ex ejuſdem Privilegio Miſſarum perciperent.

VIII. Video tamen hic ſuboriri dubium, utrum ſi duo ſint ſimul a Pontifice principaliter Privilegiati, v. g. duo Fratres, & alter eorum præſens non fuerit, dum Miſſæ in privato Oratorio celebrantur, adhuc qui Affines abſentis fuerint, non vero præſentis ſatisfaciant præcepto eccleſiaſtico Miſſam illam audiendo? Inutilis, ac nimis ſcrupuloſa forte nonnullis videbitur quæſtio iſta, quæ me judice talis non eſt; quia quando Privilegiatus Affinis adeſt, tunc video cauſſam, propter quam Pontifex Indulti communicationem in alios Affines extendit: At ipſo abſente ratio movens ad hujuſcemodi extenſionem penitus ceſſat. Hinc perpendens in proprio rigoroſo ſenſu Indulti verba nullum adverto fundamentum concedendi valorem ejuſdem gratiæ pro Affine Fratris abſentis; ſicut nullum fundamentum occurrit extendendi eandem gratiam, quando abeſt ille unus, in quem tantum Papale Breve dirigitur. Ex hoc enim quod duos ſimul principaliter reſpiciat idem Privilegium, duplici tamen diſtincto Privilegio juxta accommodatam ſingulis Privilegiatis affinitatem interpretando æquivalet. Si vero duo illi Privilegiati eſſent Maritus, & Uxor, tunc quocumque horum præſente Affines alterius ſatiſfacerent præcepto; quia qui uni conjugi Affinis eſt, cum altero conſanguinitate conjungitur; unde licet ceſſaret titulus Affinitatis, titulus conſanguinitatis vigeret.

IX. Exigit autem aperte Indultum, ut Nati, Conſanguinei, & Affines *in eadem domo inſimul* cum Principaliter Privilegiato *habitent*, ſi concomitanter de privilegio participare voluerint. Convenientiſſima ſane eſt iſta conditio, ne privatum Oratorium ad inſtar publicæ Eccleſiæ conventum Exterorum admittat. Hinc ſi finem ipſum Privilegii inſpicimus, ad meram commoditatem habitantium in eadem domo reſpicit; itaut futura eſſet nimium immoderata deſertio publicarum Eccleſiarum, cum eadem gratia generatim omnibus Conſanguineis Affinibuſque Privilegiati ſeparata in domo habitantibus concederetur. Imo adhuc valde minueret frequentiam Eccleſiarum, quoties iiſdem liceret in Oratorio privato

vato Conſanguinei, vel Affinis præceptum audiendæ Miſſæ adimplere, ex hoc tantummodo, quod in eadem domo habitarent, quamvis *inſimul* non viverent. Quot enim ſub eodem tecto, vel in diverſis ejuſdem domus partibus Cognati, & Affines habitant, nihil tamen inter ſe commune habentes, & ſeparatim viventes? Detur ergo paſſim libertas omnibus illis, ut de Privilegio conceſſo alicui participent, & ſtatim magis deſtitui publicas Eccleſias diebus feſtivis tempore publici Sacrificii videbimus. Iſta incommoda prudenter arcet R. Pontifex dumque Cognatis Agnatiſque permittit gaudere de ſpirituali conſolatione Privilegiati, illorum omnium habitationem in eadem domo *inſimul* requirit.

X. Hæc porro dictio *inſimul*, ut Barboſa Tract. *de Dictionib. uſu frequen.* Dict. 164. obſervat allegans varios Digeſtorum textus, *connexitatem* ſignificat. Hoc ſenſu eam uſurpat etiam Bonifacius VIII. cap. 1. Tit. 4. *de Conſuetud.* in VI. Imo Latini Scriptores, Florus Lib. 1. cap. ult., & Statius 1. Syl. v. 36. ad indicandam conjunctionem eadem voce utuntur, ut Annotator L. Flori in Indice V. *Inſimul.* advertit. Clarius, ut puto, exprimitur aliquorum conjunctio illo adverbio compoſito, quam exprimatur ſimplici adverbio *ſimul*; quamvis etiam Tò *ſimul* à Cicerone frequenter uſurpari in prædictum ſenſum idem Barboſa Dict. 369. admonuerit. Jam vero ex vi iſtius dictionis *inſimul* conſequitur talem deſiderari conjunctionem habitationis inter Conſanguineos, & Affines Privilegiati ad participanbam Indulti gratiam, ut non ſufficiat illos habitare in eadem Domo, niſi ſimul illorum omnium habitatio unica, & eadem fuerit. Imo ſi in pleno rigore retinemus ſenſum illius particulæ *Inſimul*, fere ſemper neceſſe erit arctare communicationem Privilegii ad illos tantummodo, qui ad eandem Familiam Privilegiati pertinent; cum vix aliter cogitari poſſit, qua ratione unum habitationis Locum tenere valeant Viri Nobiles, niſi unicam Familiam conſtituant. Certe ubi fuerint diverſæ Familiæ Nobiles, etiam fere ſemper pro ſingulis Familiis ſolent eſſe ſeparata habitationis Loca diſtinctæque Manſiones.

XI. Fateri autem cogimur, quod ſi contingeret Conſanguineos, vel Affines in eodem penitus habitationis loco habitare cum principaliter Privilegiato, adhuc ſententia noſtra participarent de iſtius privilegio, quamvis diverſam conſtituerent Familiam, propriiſque ſumptibus & ſeparata menſa viverent. Me movet in hanc ſententiam Indultum ipſum ſolum exigens in Conſanguineis, & Affinibus (eadem eſt ratio de Natis, quoties iſti diſtinctam Familiam conſtituerent:) præter titulum Conſanguinitatis, vel Affinitatis ſimultaneam habitationem cum Privilegiato; quæ omnia ſimul abſolute conjungi poſſent non obſtante Familiarum ſeparatione. Mirabitur forte aliquis nos hic recedere a multis Scriptoribus qui ut rigidiorem ſenſum Indulti cuſtodirent, a participatione Indulti excluſos voluerunt illos Conſanguineos, Affineſque, qui propriis proventibus viventes commenſalitatem cum principaliter Privilegiato non ſervabant. Ita egregie tuebantur Diana Tom. 4. Tract. 2. Reſol. 41. Paſqualigus quæſt. 649. Pignatellus citat. Conſult. 98. num. 95., & Moſtazo Lib. 5. cap. 10. num. 63. Attamen priuſquam nos veluti immemores rigoris ſervandi in Apoſtolici Indulti expoſitione aliquis accuſet, advertere debet laudatos Scriptores conſideraſſe veterem Privilegii formulam, in qua tantum nomen *Familiæ* exprimebatur. Igitur Viri illi optimi prudenter obſervabant neminem, quantumvis Affinem, aut Conſanguineum, participem fore gratiæ conceſſæ, niſi ea omnia reperirentur, quæ ad Familiæ, ac Familiaris rationem exiguntur, videlicet alii commu-

nibus redditibus Privilegiati; atque appoſitiſſime ex hoc inferebant merum titulum communicationis privilegii a ſola unitate Familiæ ſumi oportere. Nos pariter ambabus ulnis amplecteremur commentationem hujuſmodi, ſi recens Indulti formula in hac particula cum vetere concordaret. At placuit Pontifici diſcernere Natos, Conſanguineos, Affineſque Privilegiati a Familiaribus, & cum prius illos quoque pertinere vellet ad eandem Familiam, ut participarent de conceſſo Privilegio; nunc tantum poſtulat, ut *inſimul* cum eodem Privilegiato habitent. Hinc nos neque laxare Indultum, nec a proprietate verborum illius recedere audemus.

XII. Poſtquam Privilegium favore ſpirituali Natos, Conſanguineos, & Affines affecit, *Familiam* Privilegiati commemorat, ut de iitius privilegio etiam illa aliquam experiatur conſolationem, & fructum. Patet autem, quid hic Familia ſignificet: Nam licet identidem *Familiæ* vocabulum & *Filios-Familias* demonſtret, ut habetur L. *Quod ſi nolit* §. *Ait Pedio D. de Edilicio Edicto*; & Agnaticiam Cognationem complectatur, ut L. *Qui in adoptionem D. de Adoption. & Emancipationib*: Tamen cum diſtincte Cognatis, Agnatis, & Filiis indicatis nomen Familiæ adjungitur, non alios exprimit, niſi eos qui ſervitio addicti fuerint. Revera frequentius Jura, quantum obſervari, hoc ſenſu illam vocem uſurpant, ut Lib.21.Digeſt.Tit.1.*De Edilic.Edit*.L.*Ædiles*: Lib.39.Tit.4.*de Publican.Vectigal. & Commiſſis*: Lib. 43.Tit.16.*de Vi*, *& Vi armata* L.1. §. *Quoties*, ubi ad ſalvandam proprietatem nominis *Familiæ* unicum Servum ſufficere dicitur. Aptatur inſuper idem nomen Servis cap. 3. *De Familiis Eccleſiæ* Lib.I.Decr.Tit.18.*De Servis non ordinandis*, ut ibi Gonzalez commentatur. Servos igitur Privilegiati hoc loco deſignat Indultum vocabulo *Familiæ*; eoſque ſubinde *Familiares* vocat.

XIII. Quid autem requiratur ad Familiarem denominandum plures Scriptores inquirunt, inter quos Lanfranchum Zacchiam *de Salario* qu. 50., & Auguſtinum Barboſam Tract. *de Appellat.&c.Appel*.96.allego. Otio abuterer, ſi omnia vellem expendere ad Familiaritatem ſpectantia, cum mihi pauca ſufficiant rem meam proxime contingentia; & advertere neminem eſſe Familiarem alicujus, niſi ejus ſervitiis fuerit deputatus, & ſumptibus ſui Domini vivat. Scio quidem plurimos adſcribi in numero Familiarium Pontificis, aut Magnatum, qui tamen nullum actu famulatum præbent. Hos appellatione potius Familiares dicamus, quam reapſe tales; quamvis hæc ipſa Familiaritas plurimum ad honoris amplitudinem, & ad multorum privilegiorum participationem iiſdem proſit. At juxta communis Juris rigorem proprie Familiares ii ſunt, qui vere Domino famulantur, ſive immediate illi inſerviendo; ſive mediate, quædam peragendo officia ad ejuſdem famulatum ordinata. Quia vero ſæpe multi proprio Domino deſervientes coguntur extra illius Domum manere, uti ſunt Villici, Æconomi, Simileſque extra Domini domum habitantes, ut rite injuncta munera redundantia in ſervitium illius peragere valeant; propterea ad Familiaritatem aſſidua mora in eadem habitationis domo cum proprio Domino non eſt abſolute neceſſaria.

XIV. Revera multi ſunt R. Pontificis, Cardinalium, & aliorum R. Curiæ Præſulum Familiares, qui ex hoc titulo non modicis prærogativis fruuntur; quamvis extra Palatium propriorum Dominorum commorentur, & illac ſolum accedant, cum identidem urget neceſſitas exhibendi officia proprii famulatus. Hinc obſervo a Bonifacio VIII. P. Cap. *Licet*: *de Privileg*. in VI. aliquos appellari *Familiares Domeſticos*; quod inutiliter diceretur, ſi conditio Familiaritatis per ſe exigeret in eadem

Do-

Domini domo habitare; & niſi aliquando vera Familiaritas eſſe poſſet, quin cohabitatio hujuſmodi reperiatur: Etenim nomen *Domeſtici* ex cohabitatione derivare appoſite Paſqualigus quæſ. 653. num. 3., & Barboſa Appellativo 78. tradunt. Imo nec officit Familiaritatis rationi, quod aliquis non aſſidue proprio Domino deſerviat: Secus quot forent delendi e numero Familiarium Magni Principis, Præſuliſque, cum raro illi propriis Dominis famulatus officia exercere cogantur! Sufficit itaque, ut ille ſit per ſe continuo addictus Domini ſervitio in aliquo munere, licet munus ipſum aſſiduam, aut frequentem Familiaris occupationem non requirat.

XV. Altera conditio jam indicata ad Familiares conſtituendos, quod nempe vivant impenſis Dominorum, communiter a Doctoribus admittitur, atque ab omnibus Juribus ſupponitur; cum nemo continuis deſtinatus obſequiis, ac famulati fraudari mercede conveniente neceſſariaque ſuſtentatione debeat. Hac de cauſſa Familiares ſolent etiam appellari Commenſales Dominorum, quatenus ejus expenſis nutriuntur. Ita expreſſe quoſdam Clericos Familiares Epiſcoporum Bonifacius VIII. P. Lib. 6. Decret. Tit. 12. *de Verb. ſignific.* Cap. ult. vocat iſtorum *Domeſticos Commenſales*. Maxime obſervare hanc conditionem oportet; cum ſæpe aliqui mercedem quidem conſtituant quibuſdam Famulis, ut identidem nonnulla præbeant ſervitutis officia; ſed quia raro illorum opera utuntur, propterea tantam iiſdem mercedem non ſubminiſtrant, quanta pro ipſorum ſuſtentatione requiritur. Hi enim Familiares vere non ſunt, ſed, ut bene loquitur Paſqualigus quæſ. 657. num. 3., *ſolum cenſentur locare operas ſuas pro illo ſervitio, pro quo mercedem recipiunt.* Quare nemo inter proprios Familiares reputabit unquam illos artifices, quibus licet ſtabiliverit mercedem annuam ob ſervitia identidem præſtanda, tamen nec ipſorum tantum miniſteriis vacant; nec de ipſorum tantum ſumptibus aluntur.

XVI. Ut vero quis dicatur vivere ſumptibus Domini, non eſt neceſſe ei determinate cibos miniſtrari; cum paſſim loco ciborum certam pecuniæ ſummam tribui videamus. Nihil quippe intereſt, qua ratione vel immediate, vel mediante pecunia cibus ſubminiſtretur. Etenim ſive de proprio Cellario, ſive ſtipendio conſtituto Dominus Familiares paſcat, ſemper Domini ſumptibus vivere illi dicuntur. Familiares ipſi R. Pontificis ſolum panem quotidie a Pontifice, reliqua autem ad victum neceſſaria numerata pecunia accipiunt; nec tamen Familiaritatis ammittunt proprietatem, neque deſiderata carent commenſalitate, cujus effectus vel ciborum reali diſtributione, vel pecuniæ ad cibos emendos numeratione obtinetur. Quia vero non infrequenter contingit Familiares quorumdam Dominorum debita mercede fraudari; itaut ſepius jejunare, ac etiam fame perire cogerentur, ſi unde viverent, aliter non haberent: Propterea opus eſt hic obſervare, quod adhuc permanet Familiaritas, quamvis actu a propriis Dominis alimonia non ſubminiſtretur, dummodo tamen iſti famulos ſuos alere teneantur. Enimvero etſi actu victum Domini non ſuppeditent, actu tamen Familiares acquirunt jus, quo Dominos ad eis conſtitutam ſolvendam mercedem etiam coram Judice compellere valent. Si porro ſponte quis famulari elegerit, ſperans quidem aliquid ex Domini benevolentia, & in ſignum grati animi obtinere; ſed de mercede, aut quotidiana alimonia non paciſcens: Is certe in numero Familiarium computari non poterit, qui ad eam Familiam nullatenus pertinere creditur, quem Pater-Familias ex debito juſtitiæ alere non tenetur.

XVII. Præmiſſis conditionibus neceſſariis ad Familiaritatem appa-

ret,

ret, quantæ amplitudinis foret Privilegium Apoſtolicum Miſſarum celebrandarum in privatis Oratoriis, ſi nullum Familiarem exciperet. Certe tunc poſſent ſatisfacere Miſſæ præcepto in iiſdem, quotquot ſive in Domo ſemper manerent parati ad famulatum principaliter Privilegiati, ſive extra domum illius habitarent, addicti tamen officiis conducentibus, & ſpectantibus ad ejuſdem commoditatem, atque ſervitium. Hinc Paſqualigus quæſ. 650., & Moſtazo loc. cit. num. 63. veriſſime, quantum arbitror, concedebant Famulis Ruri degentibus, & aſſiſtentibus ad opus rurale poſſe vigore Indulti ſatisfacere præcepto Eccleſiaſtico audiendæ Miſſæ, quando e Villa ad Civitatem venientes Sacrificio in Oratoriis privatis ſuorum Dominorum interfuiſſent: quia nihil refert quocunque Loco Familiaris habitet, quando merus Titulus Familiaritatis ad participationem Indulti ſufficeret. Addam præterea, quod poſſent participare de Privilegiati privilegio cæteri alii multi Familiares, qui in propriis domibus habitantes tunc ſolum accedunt ad Domini domum, quando rara occaſio accidit ſui famulatus præſtandi, propter quem tamen ſtipendio Domini continuo aluntur. Imo cur etiam non participabunt illi Familiares, qui ad meram pompam a Dominis in numero Familiæ adſcribuntur aſſignata illis pingui, aut ſufficiente ad victum mercede?

XVIII. Prudentiſſime igitur Rom. Pontifex ſolet reſtringere ad certos limites Indultum reſpectu Familiarium, ne immoderate frequentia Fidelium ad publicas Eccleſias minuatur. Fere ſemper limitat gratiam ad eos tantummodo Familiares, qui *ſervitiis* Privilegiati *tempore Miſſæ* in Oratorio celebratæ *actu* ſunt *neceſſarii*. Hoc modo dum ſatis conſulitur Dominorum neceſſitati, ſimul publicarum Eccleſiarum nimia deſertio impeditur. Inſolitum autem non eſt, nec ſine exemplo, quod aliquorum Privilegiorum quidam ſolum, non omnes Familiares participes fiant; ut a varietate munerum, ac famulatus etiam petatur fundamentum illius concedendæ, vel negandæ communicationis gratiarum, quæ Dominis conceſſæ fuerunt. Revera ut Familiares Epiſcoporum gaudeant privilegio fori, ſufficit eos ab Epiſcopo mercedem accipere, licet in Epiſcopali Palatio non ſemper habitent: At ut Clericus poſſit ab Epiſcopo ex titulo Familiaritatis Ordinationem accipere, per triennium cum eodem aſſidue commorari, & ipſi præſentialiter inſervire debet. Alia addere exempla ex Zacchia laud. pronum foret: ſed hoc unum ſubjicio, quod proximius nos afficit; & ex Bonifacius VIII. P. ſumitur Cap. *Licet*: Tit. *de Privileg.* in VI. ubi ait: *Cum conceditur ſingulari Perſonæ, ut* in Eccleſia *tempore Interdicti celebrare valeat, vel audire Divina, ejus Familiares Domeſtici ad audiendum cum ea, & celebrandum ſibi Divinum Officium licite admittuntur; non ſic autem in Familiaribus alicujus Conventus, ſeu Collegii eſt cenſendum &c.* Quia ſolum Familiares domeſtici, illi nempe qui ſemper in alicujus domo habitant, neceſſarii eſſe ſolent, ut cum debito decore ad Eccleſiam Dominus accedat, propterea illi tantum de privilegio Domini audiendi Sacrum tempore Interdicti participant; E contra ceteris Familiaribus, cum Domino non deſerviant ad ſimilem comitatum, in eadem gratia communicare nequaquam conceditur. Quod itaque Familiaribus neceſſariis honeſto comitatui Dominorum privilegiatorum tempore Interdicti conceſſit Bonifacius VIII.; hoc idem ſolent concedere RR. Pontifices Familiaribus *actu neceſſariis* ad ſervitia præſtanda Dominis Privilegiatis, dum in iſtorum privatis Oratoriis Miſſa celebratur.

XIX. Quapropter inſpecto fine, propter quem extenditur ad Familiares aliquos Papale Indultum, quod exponimus, multum prodeſſe cenſeo exemplum a Bonifacii VIII. P. verbis deprompt-

promp-

promptum; Ut quemadmodum neceſſitas Familiarium ſolam dignitatem Perſonæ reſpiciens movet ad extendendum privilegium tempore Interdicti; ita movere poſſit ad alterius privilegii extenſionem tempore domeſtici Sacrificii mera neceſſitas Familiarium reſpectu Status, & Dignitatis Privilegiati. Etenim non minus grave ſæpe, moleſtumque eſt Viro, Matronæque Nobili quibuſdam Familiaribus proprio decori convenientibus carere, quam grave foret illis carere, qui ſervitiis immediate Perſonam propriam afficientibus ſunt neceſſarii. Hinc incredibile videtur R. Pontificem, dum in ſuo Privilegio reſpexit ad Familiares neceſſarios ſervitiis Privilegiatorum, ſimul non reſpexiſſe ad neceſſitatem, quæ derivat ex propria conditione, & gradu illorum; maxime cum in conceſſione ſuarum gratiarum nolit æquale pene gravamen inferre, quam ſit beneficium, quod indulget; nec in tanta neceſſitate Privilegiatos conſtituere, ut ſi velint obtento frui privilegio, magnum incommodum attenta propria dignitate ſubire cogantur. Nemo igitur dubitat, quin Familiares neceſſarium Dominis præbentes ſervitutis officium inſpecto convenienti decore eorumdem vere participent de Pontificio Indulto; & aſſiſtentes Sacrificio celebrato in privato Oratorio coram principaliter Privilegiato eccleſiaſticum præceptum Miſſæ audiendæ adimpleant.

XX. Quamvis vero iſta extenſio verborum Indulti ad Familiares neceſſarios decori Privilegiatorum vere admittatur, adhuc tamen aliqui nimis ample, & contra mentem Pontificis hanc ipſam extenſionem faciebant; nulloque penitus facto diſcrimine omnes Familiares, qui ſervitiis neceſſariis addicti erant, licite, & libere in eodem Oratorio poſſe præceptum Miſſæ feſtivæ adimplere affirmabant; etiamſi hæc famulatus neceſſitas tempore Sacrificii non urgeret. Huic nimiæ extenſioni repugnarunt Pontifices, & expreſſe tradiderunt illos ſolum Familiares de Indulti favore participare, qui *actu tempore Miſſæ* neceſſarii fuerint principaliter Privilegiatis; quique proinde pro eo tempore, quo Miſſa celebratur, neceſſarium famulatum præbent. Alia igitur ſervitia, quantumvis neceſſaria, ſed nullatenus pertinentia ad tempus, quo Miſſa celebratur, non ſufficiunt Familiaribus ad Indulti participationem; cum illa ſervitia tantum ſuffragari poſſint, quæ tempore Sacrificii occurrunt, ſive poſtea Perſonam Privilegiatam immediate, ſive ſecundum ipſius convenientem decorem reſpiciant.

XXI. Quando Indultum cauſſa infirmitatis, aut ſpecialis cujuſdam cauſſæ extenditur ad omnes Dies Solemniores, tunc ſolent RR. Pontifices numerum Familiarium determinare, & limitare favorem ad *unum tantummodo* Familiarem Infirmo tempore Miſſæ neceſſarium; quia in his Majoribus Anni Feſtivitatibus ægre patiuntur in privatis domibus Sacrificia offerri, ac plures a publicis Eccleſiis abeſſe. Hinc rariſſime ad duos Familiares neceſſarios Infirmo extenditur Indultum; idque ſemel tantum gravi conſiderata neceſſitate cujuſdam Nobiliſſimi Romani Viri Infirmi conceſſum a Clemente XI. Die 2. Septemb. 1701. in Archivvo Emi Vicarii reperi. Imo pro his Diebus nullatenus Indultum extenditur ad Conſanguineos, niſi forte etiam ipſi ob ſimiles infirmitates expreſſe comprehendantur. Etiam in hac parte cuſtoditur rigore ille, qui pariter ineunte elapſo Sæculo vigebat, quando videlicet pæne tantum propter infirmitatem concedebatur Indultum Apoſtolicum Miſſarum in Oratorio privato celebrandarum. Quocirca Tomo 38. *Poſition.* adverti eo tempore preces oblatas S. Congregationi Concilii, ut prævio ejus voto a R. Pontifice ægrotus Filius, aut Cognati minus recte valentes impetrare poſſent extenſionem Privilegii, quod

quod prius Patri, aut Matri, aut alteri Cognato ab Apoſtolica Sede conceſſum fuerat.

XXII. Mallet autem nonnullus ad auferendas animorum anxietates, ut etiam in aliis omnibus Pontificiis Privilegiis, quæ ſine cauſſa infirmitatis conceduntur, ſimul exprimeretur numerus Familiarium neceſſariorum, qui tuto poſſent in Oratorio privato admitti, ut ibi Miſſæ præceptum adimplerent. Quid deinceps ſint Pontifices pro ſua prudentia, ac temporum circumſtantiis determinaturi exploratum mihi eſſe nequit. Nunc tamen ubi quidam ſeminarium dubitationum, & ſcrupulorum eſſe putant: Ego admiror RR. Pontificum clementiam, qui cum bene noverint non æque omnibus Privilegiatis ſufficere poſſe eundem numerum Familiarium pro ſuis neceſſariis actualibus ſervitiis tempore Sacrificii, imo aliquando propter ſpeciales circumſtantias eidem Privilegiato plures Familiares eſſe poſſe neceſſarios actu tempore Miſſæ, quam in aliis circumſtantiis; cum, inquam, hæc bene noverint, ferme numquam numerum præfigunt, ne ullus Privilegiatus ex hujuſmodi limitatione moleſtiam, gravamenque aliquando pati cogatur. Numerus itaque modo major, modo minor eſſe poterit illorum Familiarium; qui de privilegio participant, juxta majores, vel minores Privilegiatorum actuales neceſſitates tempore Miſſæ occurrentes. Hinc eundem numerum potius determinabit præſens neceſſitas Privilegiati modo ſupra expoſito attendenda, quam valeat pro omnibus circumſtantiis ſingulorum aſſignari.

XXIII. Exiſtimarem autem tuto poſſe unum Familiarem deputari tanquam neceſſarium ad inſerviendum Sacerdoti celebranti, quando neque Privilegiatus, neque illius Filius, Conſanguineus, aut Affinis hoc munus ſponte ſuſciperet. Nam tempore Sacrificii profecto actu inſervit Privilegiato, qui Sacerdoti in ejuſdem gratiam Celebranti miniſtrat. Conſtringere autem Privilegiatum, aut ipſius Cognatos, Affineſque ad deſerviendum Sacerdoti Sacrificanti nulla Lex jubet, neque Indultum requirit, a quo illis omnibus abſolute conceditur adimpletio præcepti eccleſiaſtici per hoc, quod in privato Oratorio Miſſæ aſſiſtant. Tuto inſuper poteſt alius Familiaris admitti ad idem præceptum implendum; cum ad omnes eventus unus ſaltem famulus ſemper tanquam neceſſarius ſervitiis Domini prudenter judicetur. Si vero Fœmina principaliter privilegiata fuerit, tunc una ancilla ei legitime conceditur, ut actu parata ad ſuccurrendum Dominæ adſit, ſi forte ejus opera eguerit. Quamvis enim nihil actu pro tempore Sacrificii Domino Famulus, aut Dominæ Ancilla deſervire videantur; tamen in eo tunc neceſſarium præſtant ſervitium, quod actu vigilent ad illorum ſubſidium; ſi inopino aliquid tunc temporis accideret. Ancillam potius pro Fœmina Privilegiata commemoro, quam Famulum; quia magis, & quidem prudentiſſime ad inſerviendum muliebribus neceſſitatibus idonea eſt Fœmina præ Viro. Hinc Innocentius XII. die 23. Octobris 1694. cuidam Romanæ Baroniſſæ conceſſit Indultum Miſſæ domeſticæ in ſua, *ac perſonarum ex ſua Familia fœminini ſexus dumtaxat ſervitiis ſuis tempore dictæ Miſſæ actu neceſſariarum præſentia*; ſicut in Regeſtis Eminentiſs. Vicarii fol. 124. legi. Si tamen loco Ancillæ Famulum Domina elegerit, non propterea limites Indulti tranſgreditur cum jam non ſoleat a RR. Pontificibus determinari in Indulto Perſona Fœminini ſexus, etiamſi ad Nobiles Mulieres dirigatur.

XXIV. Anceps porro fueram, utrum Indultum principaliter duo reſpiciens plus æquo ampliaretur, quando unuſquiſque illorum ſuum ad proprias neceſſitates Famulum in Oratorio adſciſceret, etiamſi unus ad ſecuritatem & decorem amborum ſufficeret? Verum

rum conſiderans virtute, & æquivalentia Indultum juxta numerum Privilegiatorum multiplex fore, iccirco alienum mihi non eſt viſum quidquam a mente Pontificis, ſi unuſquiſque iſtorum id facere valeat, quando ſimul cum alio Miſſæ adfuerit, quod poſſet agere, ſi ſolus Miſſæ intereſſet. Hinc cum Clemens X. die 31. Julii 1673. in Indulto duabus nobilibus Romanis Fæminis Amitæ, & Nepoti adſtantium numerum determinaret, & Sacrificium celebrari in ipſarum, *& unius Perſonæ pro qualibet illarum dumtaxat præſentia*, conceſſit, ſicut in Regeſtis illius Anni in Archivvo Eminentiſſ. Vicarii adnotavi; multo magis dubitavi, utrum alius Famulus, ſi neceſſarius eſſet ad cuſtodiam Conſanguineorum, & Affinium, in Oratorio privato poſſet præcepto Miſſæ audiendæ ſatisfacere; cum Indultum Familiares non ad aliorum, ſed ad Privilegiati ſervitia (*Tuis ſervitiis*) reſpiciat? Quam reſponſionem eligerem, nullus Scriptorum, quem legerim, me edocuit, quoniam de ſolo Famulo Hoſpitis illi loquuntur. Opportunum autem arbitror ante reſponſionem prius reſpicere ad principaliter Privilegiati conditionem, an videlicet ipſe curam omnium domeſticorum, tanquam Caput, & ſupremus totius Familiæ Gubernator habere debeat: An vero circa Affines, & Cognatos nullam curam gerat, nec ſpeciali ratione ad illius gubernationem pertineant? Ex hac diverſitate muneris ſolutionem peti poſſe exiſtimo: Etenim ſi principaliter Privilegiato ſuorum Affinium, Cognatorumque ſingularis cura incumbat dum Famulus in iſtorum neceſſariis ſervitiis occupatur, ſimul Privilegiato deſeruit; quoniam domus Gubernator, & Rector ex proprio munere pro omnibus Domeſticis excubare cogitur. Hac de cauſſa nemo negaverit, quod Patris-Familias neceſſaria ſervitia dicantur, quæ fuerint Filiis illius poteſtati ſubjectis præſtita. Similiter propria alicujus ſervitia dicuntur, & ſunt, quæ Patri, Matri, Uxori, Fratribus, Sororibuſque illius impenduntur; cum reſpectu omnium teneatur aliquis curam exercere quando aliter per ſe ipſos ſuis neceſſitatibus providere nequeunt, & aliunde nulla cauſſæ ab iſtorum cura gerenda ipſum excuſat. At cum Agnati, Cognatique non pendent a cura principaliter Privilegiati, non video, qua ratione iſtius ſervitiis neceſſariis deſervire ille dicatur, qui iiſdem Conſanguineis famulatur. Quamobrem nequaquam probabile videtur, quod Frater v. g. Privilegiati, cujus gubernationi non ſubiicitur, poſſit ſecum proprium Famulum in Oratorio admittere, ut Eccleſiæ præcepto de Miſſa audienda ſatisfaciat. Etenim cum aliqui Familiares Cognatorum de Privilegio participare ſinuntur, etiam in Litteris Apoſtolicis exprimuntur, ut ſæpe in Archivvo Eminentiſs. Vicarii adverti. Quamobrem Papale Indultum non eadem latitudine reſpicit Conſanguineos, & Affines, qua reſpicit Principaliter Privilegiatum, quantum pertinet ad Familiares actu neceſſarios ſervitiis tempore Miſſæ. In exemplum adduxi Fratrem, ut hinc pateat quid circa reliquos Conſanguineos, & Affines dicendum videatur.

XXV. Dixi hactenus de Familiaribus neceſſariis præſcindendo a ſpeciali decore cujuslibet Privilegiati, quia pro varietate Locorum Temporum, & Dignitatis Perſonarum plures, vel pauciores exiguntur, aut ſufficiunt Familiares, qui domi manentibus propriis Dominis ſemper aſſiſtant. Alicubi, quod etiam obſervavit Eminentiſs. Card. Petra Tom. 2. Com. Ed. R. pag. 500. n. 63., Matronæ Nobilis domi commorantis decentia poſtulat præſto habere aliquem Epheſum præter Ancillam proxime ipſi famulantem. Alicubi, quod attendit Paſqualigus quæſt. 658. n. 9., Præfectus cubiculi deſideratur. Erunt itaque hi pariter alicui Privilegiato forte neceſſarii actu tempore Miſſæ. Laude dignos commendo illos Dominos,

qui cum proprio decori conſulunt ſecum Familiares quoſdam etiam tempore Sacrificii adſtare jubendo, talem inter illos ordinem ſtatuunt; ut omnes vel poſt, vel ante domeſticam Miſſarum celebrationem in Eccleſia Sacrificio aſſiſtere valeant. Verum quod a quibuſdam Dominis facile obtineri poteſt propter copiam Familiarium, non debet eſſe regula cæterorum; qui ſicut incommodum ſubire cogerentur vel in propria Perſona, vel in rebus domeſticis, ſi in parvo numero Famulorum eandem normam tenerent; ita ob Gratiam Apoſtolicam comprehendentem Familiares actu propriis ſervitiis neceſſarios licite, ac libere poſſunt conceſſo jure uti; dummodo tamen Indulto non abutantur ſinendo Familiares actu tempore Miſſæ vere non neceſſarios in ipſorum Oratorio Miſſæ aſſiſtere, qui non alibi, quam in publica Eccleſia præceptum eccleſiaſticum implere poſſunt. Cæterum quamvis ſine ulla gravi moleſtia poſſent vices ſuas alternare Familiares in aſſiſtentia præſtanda Dominis, ac proinde bene omnes ad Eccleſiam Die Feſto accedere poſſent; adhuc tamen Eccleſiæ præcepto ſatisfaciunt illi Familiares præſentes Sacrificio oblato in Oratorio privato, quando actu tempore Miſſæ neceſſariis Domini ſervitiis vacant. Nam Indultum ab obligatione accedendi ad publicam Eccleſiam die feſto, ut Miſſæ præceptum adimpleatur, non eximit Familiares actu neceſſarios tempore Sacrificii ſub conditione, quod alia hora diei ſine gravi incommodo ad Eccleſiam accedere nequeant; ſed abſolute illis concedit præceptum implere, dum actu ſervitium neceſſarium Dominis tempore Sacrificii impendunt.

XXVI. De Sacerdote celebrante in privato Oratorio coram Privilegiato inquiri poteſt, an Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat? Diſtinguere autem opus eſt inter Sacerdotem Familiarem Privilegiati, & Sacerdotem hac familiaritate carentem. Bene etenim in Sacerdote Familiaritas ab onere celebrandi pro Privilegiato ſeparantur; quia omnis Sacerdos eleemoſynam accipiens pro Sacrificio offerendo illud ſecundum voluntatem Benefactoris perficere tenetur; quin propterea ejuſdem Familiaris conſtituatur. Alia quippe eſt ratio operam ſuam in alterius ſervitium obligantis alia ſeſe obligantis ad aſſidua ſervitia Domini, a quo viciſſim victualia ſubminiſtrentur ut hinc commenſalitatis conditio in Familiaribus exigita obtineatur. Nulla vero dubitatio eſſe debet, quod ubi Sacerdos ſe addixerit alicujus Nobilis Privilegiati ſervitio præſtando unice in domeſticæ Miſſæ celebratione, atque ejuſdem ſtipendiis vivat, vere illius Familiaris efficiatur. Etenim ad Familiaritatem comparandam non eſt neceſſarium talibus deputari muneribus, quæ continuam, aut majorem dierum partem requirant. Utinam quotquot Nobilium Familiæ adſcripti ſunt Sacerdotes, propriæ tantum dignitati, ac conditioni munera peragenda ſuſciperent: Eos certe non dolerent Boni, vel æconomicis negotiis addictos, vel villibus deputatos miniſteriis; ſed potius eos viderent ſolum rebus divinis vacantes in ædificationem totius Familiæ; aut ad ſummum liberali Viro convenientibus exercitiis ſcribendi, & docendi occupatos. Propter Divinorum Myſteriorum celebrationem, & propter inſtructionem cæterorum Familiarium, imo omnium Domeſticorum adſcitos fuiſſe tempore S. Joannis Chryſoſtomi in domibus Laicorum Sacerdotes alibi vidimus; atque ad hunc finem tum Principes, tum alii Nobiles in propriis Palatiis Presbyteros advocabant, & in numero Familiarium adſcribebant, ut ex Conſtantini, Caroli, aliorumque Regum, Magnatumque geſtis aliqua hujus Operis Capitula declararunt. Quod ſi alia illis nonnunquam munera peragenda committebantur, honorificentiſſima hæc ipſa erant, Sacerdotalique Dignitati non incongrua; imo ſæpe in Bonum etiam Spirituale Reipublicæ redundantia.

tia. Si vero cætera Officia abjecta, ac penitus terrena ex aliquorum Nobilium Laicorum ſocordia, avaritia, & incogitantia domeſticis Sacerdotibus exercenda committebantur, tunc vehementer reſiſtebant Epiſcopi, Concilia redarguebant, & ipſamet Sacerdotii excellentia repugnabat.

XXVII. His de Sacerdote Familiari præmiſſis ad quæſtionis reſolutionem accedo; atque nihil hæſitans ſecurus affirmo Sacerdotem Familiarem in Oratorio celebrantem præcepto eccleſiaſtico ſatisfacere, cum nullus magis ſit neceſſarius tempore Sacrificii Sacerdote celebrante. Quamobrem non tenetur ipſe in publica Eccleſia Miſſæ aſſiſtere die feſto, quamvis nullam penitus inde moleſtiam pateretur; quia adimpleto alicubi præcepto nihil amplius ab Eccleſiaſticorum Canonum hiſce temporibus vigentium rigore præcipitur. Hæſeram autem aliquando, imo verebar limites Apoſtolici Privilegii excedere idem affirmans de Sacerdote inter Familiares principaliter Privilegiati non adſcripto. Adverteram quippe alios participantes de conceſſo Indulto vel Conſanguinitatis, vel Affinitatis, vel Familiaritatis titulo gaudere, ſi ſingularia illa Privilegia favorem ad omnes Adſtantes dilatantia excipiantur. Attamen mature perpenſis omnibus, ac judicio alieno prudenti prius inveſtigato abſque ulla exceſſus nota affirmari poſſe arbitror qualemlibet Sacerdotem approbatum oblatione Sacrificii in Oratorio privato Eccleſiæ præceptum adimplere. Ipſa Papalis Privilegii formula munit, ut reor, reſponſionem; Nam dum facta mentione eorum, qui de gratia participant, declarat alios adſtantes non eximi ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia; expreſſe ad *intereſſentes*, proinde ad eos, qui aſſiſtunt, non ad Sacerdotem, qui offert, verba dirigit. Quid vero magis opportunius erat, quam uti generalibus verbis complectentibus Sacerdotem non Familiarem, ſi neque iſte ab eadem obligatione eximeretur? Imo potius ut aperte oſtenderetur ex conceſſione Apoſtolicæ Sedis quemcumque Sacerdotem alias a ſuis immediatis Superioribus approbatum celebrare poſſe in eodem Oratorio, atque in illo ſatisfacere præcepto eccleſiaſtico; liberam facultatem tribuit Privilegiato, *quemcumque* Sacerdotem ſine reſtrictione Sacerdotis Familiaris advocare. Certe ubi non permittit R. Pontifex extraneo Sacerdoti adimplationem præcepti in Oratorio privato alterius; neque etiam concedit, ut valeat in illo celebrare; ſed limitat celebrationem ad Perſonam Privilegiatam, ſi hæc Sacerdotio præfulgeat. Nonnumquam hanc coarctationem faciunt RR. Pontifices, ne videlicet nimis amplificetur Privilegium. Eam adverti factam in Privilegio, quod Clemens XI. P. die 10. Februarii 1716. Reverendiſſimo Candido Caſſina Canonico S. Mariæ Tranſtyberim, & primo, peritiſſimoque Magiſtro Ceremoniarum Capellæ Pontificiæ limitata gratia ad Miſſam *per te ipſum* celebrandam conceſſit. Extat in Regeſtis Brevium illius Anni pag. 81. in Archivvo Eminentiſs. Vicarii. Cæterum niſi Sacerdos in Oratorio privato propter Privilegiatum Celebrans ſatiſfaceret Eccleſiæ præcepto de Miſſa audienda, vel celebranda die feſto, nimis iſte gravaretur Apoſtolico fruiturus Beneficio pene coactus inter Familiares ſuos Sacerdotem adſciſcere; cum non ita frequenter reperiantur Sacerdotes, qui commode poſſint ad Eccleſiam accedere, ut ſemel ab ipſis in privata domo peracto Sacrificio iterum Miſſarum celebrationi aſſiſterent.

XXVIII. Ad alios Commenſales continuos Privilegiati, licet nullo cognationis vinculo ipſi conjunctos, imo pro victu, & habitatione pretium ſolventes tum pro ſe ipſis, cum pro famulis, ſi quos habuerint, extendi participationem Apoſtolici Indulti aliqui ſcripſerunt, & forte non ſine probabilitatis ſpecie, quando Indulti formula *Domeſticos* ſine reſtrictione reſpiciebat. Verum præſens Privile-

gii formula non amplius ſinit hujuſcemodi Convictoribus favere; cum prætermiſſo nomine Domeſticorum eos tantum de gratia participare deſignat Papale *Breve*, qui vel Conſanguinitatis, Affinitatiſque nexu Privilegiato copulantur; vel Familiares fuerint neceſſaria illi ſervitia præbentes. Quicumque ergo voluerit, Commenſales prædictos nuncupet Privilegiati Familiares; De nomine ego non diſputabo ſciens a peritis Latinæ Linguæ, & a Tullio ipſo Lib. 7. Famil. Epiſt, 28. ad Tironem frequenter cum aliquo convivantes illius Familiares nuncupari. Alia tamen eſt Familiaritas orta ex conſuetudine Amicorum; alia vero, quæ ſumitur a famulatu, in cujus mercedem Dominus propriis, non alienis proventibus Famulos alere debet. Addam inſuper vera propriaque ratione ad Familiam non pertinere illos Commenſales; quibus convictus de communibus Patris-Familias redditibus non tribuitur; ſed propter ſolutam pecuniam locatur. Denique neque poſſumus in numero Hoſpitum participantium de Privilegio hos commenſales reponere; quia Hoſpites propriam in Hoſpitio non habent habitationem cum ſolum ad modicum tempus illic commorentur, vel ſaltem animum diutius ibi habitandi non præſeferunt. Quare Lib. IX. Digeſt. Tit. 3. *de his, qui effuderint; vel dejecerint* Leg. 1. §. *Habitare Hoſpites*, dicitur, quod *Hoſpes non ibi*, ideſt in Hoſpitio *inhabitat, ſed tantiſper hoſpitatur*. . . *Multum autem intereſt inter Habitatorem, & Hoſpitem, quantum intereſt inter domicilium habentem, & peregrinantem*. At continui Convictores, de quibus eſt ſermo, nonne veram habitationem in eadem domo Privilegiati habent?

XXIX. Sed agamus jam de Hoſpitibus in domo Privilegiati, quos participes Indulti reddit R. Pontifex in ſignum majoris benevolentiæ erga Privilegiatos ipſos, quibus valde gratum evadit conſortes ſui beneficii habere in propria domo Hoſpitantes. Viſa fuit etiam conveniens hujuſcemodi ampliatio; quia ſæpe non modicum moleſtiæ Ruri Hoſpitibus Nobilibus neceſſitas adimplendi eccleſiaſticum præceptum in publica Eccleſia pareret, cum viarum campeſtrium arduitas, ac Eccleſiæ diſtantia difficilem, laborioſumque acceſſum reddat. Ne nimium dilataretur licentia Apoſtolicæ Gratiæ, ſolet limitari facultas ad ſolos *Hoſpites Nobiles*, & *ad Oratoria Ruri exiſtentia*. Hac reſtrictione apparet, quanta cum diſcretione ſe gerat Pontifex; qui vult quidem ſuis beneficiis Viros Nobiles a cæteris diſcernere, ſed ſimul nullam anſam præbere, ne ſine cauſſa legitima publicæ Eccleſiæ deſerantur. Qualis vero eſſe debeat Nobilitas Hoſpitum ex dictis ſuperius de Nobilitate in Privilegiato exigita deprehenditur. Imo cum abſolute *Nobilis* ſupponitur ab Indulto Hoſpes, inferendum puto non ſufficere meram Nobilitatem illius ex parte *Matris*, quæ neque ad abſolute *Nobilem* denominandum Privilegiatum ſufficit. Inſolitum etenim foret in iiſdem Litteris alio ſenſu Tò *Nobilem* ſumi reſpectu Hoſpitis, quam reſpectu Privilegiati ſumatur. Si vero de Privilegiato Nobilitas Generis in Brevi exprimeretur; adhuc ſufficeret Hoſpiti Nobilitas in Perſona; quia verba Indulti Nobilitatem Generis in Hoſpite non requirunt, cum eum *Nobilem* eſſe debere tradunt. Aliqui autem in numero Hoſpitum Nobilium recenſebant quoſcumque Divites, qui tamen villibus muneribus non vacarent. At hi vocabulo *Nobilis* in Privilegio uſurpati ſane abutebantur: Cum enim jam nullus audeat contra mentem Pontificis pro privilegii validitate pugnare, dum ab illo ſupponitur *Nobilis* Privilegiatus, qua ratione ad Divites non Nobiles privilegium æque ſupponens Hoſpites Nobiles extendere licebit? Certe ſi Pontifici arriſiſſet ad alios Hoſpites more nobilium viventes ſimilem indulgentiam elargiri, non ei ignotum erat vo-

ca-

[illegible], quo illos quoque complecteretur.

XXX. Brevis autem eſſe ſolet mora Hoſpitum in aliqua domo, ut Juliani Lege paullo ante laudata dicebatur; nam ſi diuturnam ibi moram aliquis duceret non jam Hoſpes, ſed vere habitator haberetur. Hinc propter brevitatem moræ non raro Hoſpites cum Peregrinis eodem ſenſu confunduntur. Hoc ſenſu Cicero 1. Academ. ſimul iſta connexuit: *Peregrinantes, erranteſque tanquam Hoſpites*. Quamobrem Hoſpes proprie ille dicitur, qui ad aliam Civitatem, vel Oppidum acceſſerit hoſpitaturus; cum nemo in propria Civitate peregrinari dicatur, ut idem Tullius de Amic. innuit his verbis: *Cives potiores ſunt, quam Peregrini*. Binæ hæ Hoſpitum proprietates inſinuant 1. ab Indulto excludi eos, qui cum morentur in eadem Villa, in qua Privilegiatus villicat, ad illius forte domum velut Hoſpites acceſſerint. 2. Sufficere ad participationem Indulti, quod aliquis pranſurus apud Privilegiatum venerit. Primum forte diſplicebit nonnullis tanquam valde rigoroſum; Secundum vero nec mihi videbatur facile concedendum tanquam magis amplificans facultatem deferendi Eccleſias. Attamen ſicut inſpecta proprietate Hoſpitis non potui repugnare Paſqualigo quæſt. 653. n. 3., Moſtazo cap. 5. cit. n. 67., aliiſque affirmantibus valere communicationem Privilegii pro Hoſpitibus ad prandium a Privilegiato invitatis; etſi eo maxime fine invitarentur, ut hac ratione capaces Indulti reddantur: Ita æquum mihi videtur aliam rigoroſam Hoſpitis proprietatem ſervare, quæ, ut etiam obſervat Jacobus Facciolatus in ſuo Calepino V. *Peregrinus*, & V. *Hoſpes*, non nullam præſefert diverſitatem inter Locum proprium Hoſpitis, & Locum, ubi aliquantulum hoſpitatur. Favet Hoſpitibus invitatis ad prandium ſaltem alicubi retenta praxis, cui ſine certo fundamento reſiſtere non ſum auſus. An vero faveat alicubi praxis, etſi Romæ, quando idem Ruſticum Hoſpitem, & Privilegiatus, non [illegible], nec fui ſollicitus de hac re interrogare; cum firmum mihi ſit, nec immerito, regulam præfixerim ex praxi explanare Indulti Apoſtolici expoſitionem, quando rigori verborum praxis non obviet.

XXXI. De Famulis porro comitantibus Hoſpitem Nobilem nihil ſtatuit Pontifex in Privilegio; atque hinc pauci quidam occaſionem ſumpſerunt extendendi etiam ad illos participationem gratiæ, qui non minus eſſe poſſunt neceſſarii Hoſpiti, quam Famuli ſint neceſſarii Privilegiato; Ne Moſtazo cit. n. 66. & Clericato de Euchar. deciſ. 8. n. 49. optimis Viris ita ſentientibus ſubſcribam, plura me prohibent; & in primis ipſum ſilentium Pontificis, a quo non debuiſſent præteriri Famuli comitantes Hoſpitem, ſi in eos quoque ſuæ indulgentiæ beneficia effundere voluiſſet. Ut enim cæteros, quos prudenter judicavit in participatione gratiæ comprehendere, aperte indicavit; profecto nec Hoſpitum famulos omiſiſſet, quos non ignorabat neceſſarios illorum decori, ac comitatui. Imo in Privilegio, quod Innocentius X. die 10. Martii 1653. ſuo Eleemoſinario tradiderat, expreſſe conceſſum adverti, ut Miſſa celebraretur etiam in præſentia Hoſpitum, & *eorum Familiarium ſervitiis* ipſorum *tempore dictæ Miſſæ actu neceſſariorum*. Apographum vidi in Regeſtis Archivvi Eminentiſs. Vicarii. Quod ergo ſemel expreſſum fuit, ſemper aperte in Litteris Apoſtolicis inſereretur, ſi ex mente Pontificis Indultum ad Hoſpitum Familiares neceſſarios extendi poſſet. Inſuper ne Scriptoribus illis adhæream, me prohibent communes, ac probatiſſimæ Juris Regulæ, quæ vetant in interpretatione Privilegii diſpenſantis ab aliqua generali Lege transgredi vel minimum limites præfixos ab illius verbis in proprio rigore exponendis; vetantque ſimul privilegia uni, vel certis Perſonis conceſſa

ceſſa

ceſsa ad alios extendere propter paritatem rationis. Revera ſi liceret ad Hoſpitum Famulos Indultum amplificare, quia ſimilis ratio militat inter Famulos Hoſpitis, ac Famulos Principaliter Privilegiati; quomodo cohiberi poſsent plures aliæ amplificationes, quas forte quis tentaret pro aliis Nobilibus, licet non Hoſpitibus; pro aliis Conſanguineis, licet in eadem domo non habitantibus. Sed qui limites teneri poterunt ſemel diſruptis repagulis ſtabilitis in forma ipſa Privilegii. Demum nonne etiam circa Famulos Privilegiati tantus rigor requiritur, ut neceſse ſit eos inter Familiares eſse adſcriptos ad participationem Indulti? Multo igitur convenientius videtur eadem gratia carere Famulos Hoſpitis, qui cum Familiaribus Privilegiati numerari nequeunt. Pertinebit itaque ad Privilegiatum ipſum curare, ut tempore Sacrificii nihil deſit Hoſpiti in neceſsariis ipſius ſervitiis, & quemadmodum ad illum pertinet Hoſpitis cura, ſimul ad eum ſpectabit alium deſignare Familiam, ſi quis fuerit, qui Famulatui neceſsario præſto adſit. Hoc modo, dum Hoſpiti plene conſulitur, nullus admittitur ad ſatisfaciendum præcepto eccleſiaſtico in Oratorio privato, præter illos, quos expreſſe participare de Induito Pontifex concedit. Etenim Familiaris Privilegiati ad ſervitium neceſsarium Hoſpitis deputatus ſimul neceſsariis ſervitiis Domini tempore Sacrificii vacare intelligitur id exequendo, quod a Domino ſuo Hoſpitalitatis munus expoſcit.

CAPUT XXVI.

Oſtenditur neminem in Oratorio privato ſatisfacere præcepto Miſſæ audiendæ, qui de Apoſtolici Privilegii participatione non gaudet.

I. INDULTI Pontificii debito ſeverato rigore recenſuimus omnes, qui in illo comprehendi ſolent, & qui poſſunt ſatisfacere eccleſiaſtico præcepto Miſſam Diebus Feſtis audientes in Oratorio privato illius, ad quem Apoſtolicæ Litteræ principaliter diriguntur. Licebit igitur unicuique, cui aditus in privatum Oratorium a Privilegiato permittitur; Miſſæ aſſiſtere, ac pro pietatis fervore de Sacrificii fructu participare; quia ubicumque, ſive palam, ſive privatim Deus colatur Euchariſtiæ Victimæ immolatione, ſemper erit Deo cultus acceptus, ac Sacroſancta Victima ſuæ efficaciæ beneficia in omnes devote adſtantes derivabit. Attamen quantum ſpectat ad Præcepti Eccleſiaſtici adimpletionem, nullus Feſtivis Diebus illud implebit, inter comprehenſos a Papali Indulto non continetur, niſi in publico Oratorio Miſſæ interfuerit. Manifeſta res eſt ex poſtremis Privilegii verbis, quibus ne quidem omnes Familiares principaliter Privilegiati patitur ſatisfacere eidem præcepto R. Pontifex, ſupremus Eccleſiaſticus Legislator, & Sacrorum Canonum cuſtos dicens *Volumus autem, quod Familiares ſervitiis tuis non neceſſarii ibidem*, ideſt in Oratorio privatæ domus, *Miſſæ intereſſentes ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia Diebus Feſtivis de præcepto minime liberi cenſeantur*.

II. In tanta claritate non viderant adhuc pauci quidam Scriptores penitus labefactatam ipſorum opinionem, qua

qua falſo exiſtimabant ubique præceptum Eccleſiæ adimpleri ab omnibus indiſcriminatim, quocumque Loco Miſſa celebraretur. Nullum enim exſtare Cononem, nullum vigere præceptum putabant, quibus Locus Miſſæ audiendæ limitaretur. Noverant quidem illi aliquando coactos fuiſſe Fideles ad propriam Parochiam accedere Diebus Feſtis, ut ibi piis Operibus vacarent; & Sacrificio adeſſent; Sed ſimul noverant veterem hanc ceſſaviſſe diſciplinam. Quare cum ratum, certumque haberent Miſſas quacumque in Eccleſia poſſe a Fidelibus teneri ſingulis diebus feſtis; neque etiam ullum privatum excipi Oratorium arbitrabantur, quoties ibi ſpeciali Diſpenſatione, ac Privilegio Miſſarum celebratio concederetur. Sublata neceſſitate adeundi proprias Parochias nulla alia ſupererat Eccleſiaſtica Lex ipſis judicibus, nullaque conſuetudo vim Legis gerens urgebat, quæ Locum Miſſarum audiendarum determinaret, ut præceptum reſpiciens auditionem Miſſæ impleretur. Hinc inferebant liberum unicuique fore, quantum neceſſitas puſtulat exequendi illud præceptum, ubicumque ſe præſentem ſiſtere Sacerdoti celebranti, ſive in privata domo, ſive in area, ſive in omni alio Loco, dummodo ex legitima facultate ibidem Sacerdos Sacris operaretur. Quamobrem ipſorum ſententia hoc ipſo Locus aliquis omnibus nullo facto diſcrimine Perſonarum ſive domeſticarum, ſive extranearum idoneus evadebat ad ſatisfaciendum Præcepto Eccleſiaſtico, quod licite vel ſinente neceſſitate, vel ex Privilegio Apoſtolico Miſſæ ibi celebrarentur.

III. Ab hac illimitata poteſtate Fidelium implendi ubique præceptum Miſſæ audiendæ non patiebantur Scriptores illi excipi Oratoria in domibus privatis erecta, atque ex Pontificio Privilegio apta Myſteriorum Divinorum conſecrationi; quamvis adverterent ad inſertam in Privilegio reſtrictionem, quæ facultatem adimplendi præceptum prædictum in Oratorio privato nonniſi pro quibuſdam determinatis Perſonis concedebat. Quare ne rebelles viderentur apertis apoſtolicis declarationibus, neve ſemel ſtabilita retractarent, per alias vias effugere tentarunt. Unum ex illis legi dicentem: *prædictum privilegium ſub illa forma conceſſum ſic eſſe explicandum, ut non audientes, ſed celebrantes adſtringat; ita ut nemini ibidem concedatur poteſtas celebrandi, niſi aliquis ex Familiaribus vellet ibidem Diebus Dominicis, & Feſtis audire, ut præcepto Eccleſiæ ſatisfaciat.* Alterum etiam legi hanc commentationem verbis Indulti aptantem, quod *Curia Romana, ob aliquos bonos reſpectus vult tenere modum loquendi juxta Sacros Canones, ac Ritum antiquum .... non autem juxta conſuetudinem communiter receptam, quæ abſtulit obligationem audiendi Miſſam de præcepto in propria Parochia.* Ad has opinationes hæſerunt duo alii Scriptores, quos nomino, nempe Ferdinandus Krimer in Lib. 3. Decret. Tit. 48. num. 3668., & Patritius Sporer Tract. III. de II. Præcep. Decal. cap. 4. Sect. 1. §. 4., licet ille contentus fuerit ſenſum opinionis prædictæ exponere; iſte confeſſus ſit contrariam ſententiam *veriorem* eſſe; ideo, inquit, *ſoleo ſuadere in praxi, nolentes tamen non urgere.* Hoc conſilium P. Sporer laudavit P. Croix Lib. 3. Par. 1. n. 628.

IV. Quot ſcateant abſurditatum, incommodis recitatæ commentationes Apoſtolici Indulti nemo jam eſt, qui non videat, & qui ab illis longe non recedat. Nam quorſum facta mutatione veteris diſciplinæ in Indulto oportebat illam limitationem inſerere? Cur priſtini rocoluntur mores ſervandi, dum ſimul major occaſio illos deſerendi ſuppeditatur? Quo bono R. *Curia ſtylum* hunc conſtantiſſime ſervat, ſi ubicunque Præcepto Eccleſiaſtico Miſſæ Feſtis Diebus audiendæ ſatisfieri licet? Imo cur de Familiaribus non neceſſariis tantum ſit ſermo

in

In illa reſtringente Periocha Papalis Indulti, cum generaliter omnes antiqua Eccleſiæ diſciplina ad proprias Eccleſias accedere compellebat? Sufficit verba ipſa Litterarum Apoſtolicarum inſpicere, ut inde appareat inſinuari, quod noſtra adhuc ætate ſeveriſſime faciendum jubetur. Sed etſi nulla Lex adeſſet præcipiens Miſſam audiri in Eccleſia Feſtis Diebus; ſatis Legis vigorem habet voluntas Pontificis expreſſe coarctans licentiam ſatisfaciendi præcepto in Oratorio privato, & paucis eam concedens, quos iccirco diſtincte enumerat, ne ab aliis publicæ Eccleſiæ deſerantur. Dum nobis de voluntate præcipiente Pontificis conſtat, opus non eſt aliam veterem Legem quærere, quæ ut ejus poteſtate diſſolvi, ita ejus arbitrio renovari potuit.

V. At forte ne præcipientem Legem non ſonat verbum *volumus*, quo nihil aptius, nihil vehementius in omnibus Legibus ad præceptum ferendum reperitur? Addatur Decretum juſſu Clementis XI. editum Ann. 1703., a quo cum plures exceſsus contra limites propriæ facultatis patrati recenſerentur, ſubdit: *Demandando propterea ulterius, & declarando in omnibus hujuſmodi caſibus Perſonas quaſcunque, dictas Miſſas audiendo, nullatenus Eccleſiæ præcepto ſatisfacere*. Aperta adeo viſa ſunt Anacleto Reinfeſtuell Lib. III. Decret. Tit. 41. num. 18. verba iſta Clementis, ut ipſo teſte *per hæc omnis conatus Doctorum*, qui aliter interpretabantur (pauci tamen hi erant) *Clauſulam* jam recitatam Indulti, *irritus* appareat. *Dicitur enim in decreto QUASCUNQUE PERSONAS nullatenus ... ideſt nullo modo, nullave ratione ſatisfacere: Et certe, qui etiam de his verbis Decreti adhuc dubitaret nodum in ſcirpo inique quærere, & textum contra mentem Legiſlatoris injuſte torquere videretur. Hinc caute legendi, & non amplius ſequendi ſunt Doctores contrarium docentes*. Libenter protuli pauca hæc ex laud. Scriptore, quem lubentius a quibuſdam audiri non dubito. Novit Decretum Clementis XI. Leurenius Soc. Jeſu in Lib. 3. Decret. Tit. 41. quæſ. 975., nec aliter illum excuſat, cujus primo loco num. 3. verba retulimus, niſi quia ante Clementem ſcripſerat: (verum etiam antequam ſediſset Clemens, communiter illi Scriptori alioquin perito reſiſtebant cæteri teſte Paſqualigo quæſ. 659. num. 4.) & Tamburinus Lib. 1. Methodi celebr. Miſsar. cap. 4. num. 36. de altero, cujus ſecundo loco num. 3. verba deſcripſimus, dixit: *in ejus ſententiam pedibus ire non poſſum*; *quia magnam mihi vim facit dicta probibitio* (de illa loquitur, quæ in Privilegio poni ſolet: *Volumus &c.*) *tam expreſſa, & abſoluta Pontificis*. Aliæ declarationes S. Congreg. Concilii huc revocari poſsent: Unam addo *in Toletana* Tom. 27. Dec. fol. 405., ubi quærebatur VI. loco: *An quilibet alius Secularis, aut Clericus, licet non Familiaris prædicti Domini, qui prædicto Apoſtolico Previlegio gaudeat, prædicto præcepto Eccleſiæ ſatisfaciat in prædicto Oratorio, vel caſu præſens, vel conſulto accedens Miſſam audiendo*. Die 21. Maii 1672. Reſpondit S. Congreg. ad VI. *negative*.

VI. Sed adhuc inquiramus, utrum veriſſime diceretur nullam extare Legem Eccleſiaſticam, quæ locum implendi præceptum Miſſæ audiendæ Diebus Feſtis limitet. Certe hanc gravem Legem ſupponere videtur in ſuo Diplomate R. Pontifex, dum Familiares non neceſſarios ſervitiis Privilegiati *ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia Diebus Feſtivis de præcepto minime liberos eſſe* decernit. Eam igitur diligentius requiramus, ſi forte nobis innoteſcat. Fatemur autem inprimis, ac lubentes profitemur non ſolum ceſsaviſſe veterem morem, quo omnes ad eandem Eccleſiam convenire cogebantur, etiamſi plures in eadem Civitate eſſent Eccleſiæ; Verum etiam penitus ſublatam eſſe neceſſitatem ad propriam Parochiam, ſeu Titulum accedendi.

De

De priori conſuetudine Veterum Berlendi de Oblat. Par.1. §.8.; de altera vero Martenius Lib.I. de Ant. Eccleſ. Rit. cap.3. ar.9. num.3. plura erudite proferunt. Illam reparare concupiverat Epiſcopus quidam medio circiter elapſo Seculo; Sed quia, dum unitatem Populi cum Epiſcopo confovere ſtudebat collectis ſimul omnibus in Matrice Eccleſia, animorum tranquillitatem immoderato zelo turbaverat; iccirco S. Congregatio Cardinalium Concilii Trid. Interpretum Die 14. Novembris 1637. graves ad illum litteras dedit, ut a ſe editum Decretum attemperaret, quo præceperat omnibus utriuſque Sexus prius Feſtis Diebus Miſſæ Majori intereſſe, quam in aliis Eccleſiis Miſſas audirent &; inobedientiæ delictum a ſe tantum abſolvi poſſe reſervaverat. Non eſſe cogendos Fideles ad Miſſam in Eccleſia Cathedrali celebrandam etiam declaravit S. Congregatio Cardinalium ſuper negotia Epiſcoporum, & Regularium, ut Nicolius in Floſculis V. *Parochus* num. 11. refert; & Decreta Die 14. Decem. 1592., & Die 16. Maii 1593. emanata allegat.

VII. Alteram vero diſciplinam ita vehementer quidam Parochi, & Epiſcopi Sæculis XV., & XVI. retinendam contenderant, ut ad ſedandas lites contra Religioſorum Ordines excitatas oportuerit Sixtum IV., Leonem X., & S. Pium V., alioſque RR. Pontifices ſuarum Conſtitutionum Apoſtolicarum auctoritate ſuprema declarare, quod libere Fideles in illorum Eccleſiis poſſent Feſtis Diebus tum ſacras Conciones audire, cum Divinis adſtare Officiis, Miſſæque præceptum adimplere. Noviſſimis temporibus priſtinæ lites iterata ventilatione ſopitarum diſcordiarum alicubi excitatæ ſunt, ſed velut favillæ jactatæ in apertum aerem Deo animos conciliante extinctæ fuerunt. Conſtans etenim perſeverat Eccleſia in deliberationibus prudentibus Concilii Tridentini *Decr. unico de Obſerv., & Evit. in celebr. Miſ.* monendo, non cogendo *Populum*, *ut frequenter ad ſuas Parochias ſaltem Diebus Dominicis, & majoribus Feſtis accedat*; tantoque libentius id facit, atque ferventius pro illis Locis, in quibus Parochi inter Miſſarum ſolemnia verbum Dei annunciant Populo, monitaque ſalutis frequenter Audientium auribus inſinuant. Quocirca S. Congregatio prædicta ſuper negotia Epiſcop. ſolum hortandos, non cogendos eſſe Fideles ad Miſſam in Parochia audiendam Die 10. Octob. Anni 1581. in una Compſana apud laud. Nicolium declaravit.

VIII. Etiam in Regeſtis Congregationis Concilii Tom. I. Decret. fol. 35. reperi reſponſum datum Anno 1573. Epiſcopo Ugentino, quo dicebatur non poſſe Fideles excommunicatione cogi, ut ad Eccleſiam Parochialem accedant: Et fol. 118. aliud Decretum legi, quo auferebantur illata a quibuſdam obſtacula, ne libere a Fidelibus Regularium Eccleſiæ adirentur. Similia obſervavi Tomo 41. *Poſition.* in Archivvo apud S. Petrum, ac præcipue fol. 56., ubi inſeruntur ſupplices Libelli a Procuratoribus Generalibus Ordinum Auguſtinenſium Eremitarum, & Minorum Conventualium S. Congregationi Card. Interpretum Concilii adverſus Archiep. Lancianenſem oblati, qui ſuis ſubditis ſub rigore Cenſurarum Eccleſiaſticarum, & mulcta pecuniaria Miſſam Parochialem ſingulis Feſtis Diebus audire juſſerat. His Libellis S. Congreg. Die 6. Julii 1576. reſpondit *id non potuiſſe ex Decretis Concilii præcipi ſub hujuſmodi cenſuris, & pœnis*. Eadem ad calcem ſimilis Supplicis Libelli Procuratoris Generalis Carmelitarum Cardin. Alciatus adnotavit. Alterum ibidem fol. 40. legi Libellum Fratrum Minorum de Obſervantia Conventus Piſini in Provincia Croatiæ, qui conquerebantur ab Epiſcopo vetitum ipſis fuiſſe Diebus Feſtis in propria Eccleſia Miſſas celebrare, priuſquam Seculares Presbyteri eas in ſuis Eccleſiis celebraſſent. Huic pariter Libel-

Libello reſponſum fuit, quod Epiſcopus id *non potuit prohibere ex Decretis Concilii*; ſicut Card. Alciatus Præfectus adnotavit. Denique in laudato Tomo fol. 11. cum proponeretur a nonnullis hoc dubium: *Quomodo practicandum, quod dicitur de Populo, ut conveniat parochias, præſertim in Oppidis, & Villis, ubi magis neceſſarium eſt id, quod dicitur* (in Concilio Tridentino) *Seſſ. 22. Decreto de Obſerv., & Evitand. in celebr. Miſſæ, & Seſſ. 24. cap. 4*? Idem Cardinalis iſta refert: *Congregatio cenſuit non poſſe neque mulctis, neque pœnis aſtringi*. Similia ſumuntur ex eodem Tomo 41. *Poſition.* fol. 87. & 99., cum videlicet Anno 1575. Epiſcopi Nolæ, & Civitatis Ducalis ad Miſſam Parochialem omnes cogere cogitaverant. Numquam igitur probatus fuit poſt Concilium Tridentinum zelus quorumdam, qui arctare præcepto Parochianos, eoſque pœnis conſtringere cupiebant, ne a Parochiali Miſſa Diebus Feſtis abeſſent. Solum aliquando approbavit S. Congregatio Concilii Interpres Conſtitutionem Synodalem, qua cavebatur *Diebus Feſtis in Eccleſiis Parochialibus, niſi poſt Miſſam Parochialem, poſſe ab aliis Miſſas celebrari*. Hujuſmodi Conſtitutionem Franciſcus Gratianus in ſua Synodo Amerinenſi habita circa medium elapſi Sæli ediderat, eamque *obſervandam eſſe* S. Congregatio cenſuit, ut Tomo 209. *Poſitionum* fol. 1. narratur.

IX. Quamvis autem nullum urgere præceptum Miſſam Diebus Feſtis audiendi aut in Cathedrali, aut in Parochiali Eccleſia fateamur; non iccirco exiſtimare debemus liberam adeo relicta fuiſse Populo facultatem, ut ubicunque Miſsæ celebrarentur, ibi præceptum eccleſiaſticum Miſsæ audiendæ adimpleri poſſit. Enimvero ſi tandiu laborare oportuit, ut Regularium Eccleſiæ omnibus patentes, ac publicæ in numero earum eſsent, in quibus ſinguli Adſtantes Miſsam audiendo Diebus Feſtis ſatisfaciunt prædicto præcepto; quis credat, quod privata omnia Oratoria ſublata neceſſitate adeundi proprias Parochias ſtatim ad ejuſdem præcepti adimpletionem pro omnibus indiſcriminatim idonea evaſerint? Advertendum quippe eſt, quod licet laxata fuerit norma veteris Diſciplinæ peculiarem Eccleſiam determinantis, in qua ſeſe præſentes ſiſtere Fideles in publica Collecta, & ibi Sacrificio aſſiſtere tenerentur; Non ideo vetus ſublata fuit Diſciplina exigens Loca Divino tantum Cultui dedicata, & deſignata, ac viſitata ab Epiſcopo, ut in iis licet Sacrificium offerretur. Imo potius conſtantiſſime hanc Legem retinuit Eccleſia; eam in Concilio Tridentino confirmavit; & non alibi permittendam fore ab Epiſcopo Miſsarum celebrationem iterum decrevit.

X. Hæc eſt illa Lex, quæ coarctat Fideles, ne alibi præcepto Miſſæ devote, & attente audiendæ, quam in Locis ab Eccleſia ipſa probatis ad licitam Miſsarum celebrationem ſatiſfacere valeant. Etenim duo iſta ſejungi nequeunt, videlicet præceptum audiendæ Miſsæ; & neceſſitas Miſsam eo Loco audiendi, quo tantum licite celebrari poteſt pro illis, qui præcepto ſatisfacere debent. Profecto ſi hæc duo ab invicem ſeparemus, unum alteri repugnabit; & dum unum præceptum Miſsam reſpiciens implebitur, aliud præceptum violabitur, quo Locus limitatur, ubi unuſquiſque libere ad Miſsam audiendam accedere poteſt Fruſtra itaque quærimus Legem Eccleſiaſticam ſpecialiter præcipientem Fidelibus in hoc, vel in illo loco Miſsam audire; cum extet aperta Lex Eccleſiæ jubens non alibi, quam in certis Locis Miſsas permittere. Neque apud Veteres, quando vigebat diſciplina, ut in unica tantum, atque in Matrice Eccleſia Fideles Feſtis Diebus præceptum Miſsæ audiendæ adimplerent, Legem ullam reperi, quæ expreſse determinaret Locum implendi preceptum: Adhuc tamen talem Legem viguiſ-

guiſſe ex hoc manifeſto ſigno dignoſcitur; quod non alibi quam in determinata Eccleſia pro univerſo Populo Miſſæ Feſtis Diebus celebrarentur: ita ut norma præcepti ex modo, quam diſciplina Eccleſiaſtica ſubminiſtrabat, ſatis detegatur.

XI. Inde igitur, nec aliunde Legem limitantem, & præfigentem certa Loca pro adimpletione præcepti Miſſæ Feſtivæ repetimus, quod Concilium Tridentinum præciſa neceſſitate Populorum in privatis Domibus, & extra Oratoria dedicata, & approbata ad Divinum tantum cultum Miſſas celebrari prohibuit. Hinc penitus ſubtrahitur facultas Miſſæ præcepto ſatisfaciendi in Locis a Concilio prohibitis: & e contra libera perſeverat poteſtas illud idem implendi in aliis Oratoriis, Eccleſiis, Lociſque omnibus, in quibus nullam limitationem Tridentini Patres fecerunt. Ut enim Loca vetita a Concilio inepta convenienti, ac licitæ Sacrificiorum oblationi evaſerunt; ita reliqua in Concilii Decreto non comprehenſa celebrationi idonea, ſinguliſque Fidelibus apta ad præcepti perfectam executionem perſeveraverunt. Et ecce modum, quo confirmamus alibi dicta de privatis Epiſcopalium, & ReligioſarumDomorum Oratoriis; quæ icirco apta eſſe quibuſcunque Fidelibus illa ingredientibus ad ſatiſfaciendum Eccleſiaſtico Præcepto indicavimus quia eadem Oratoria nullatenus fuiſſe comprehenſa in Tridentinis Prohibitionibus oſtendimus. Similiter quia a Concilio non fuerunt reprobata Sacrificia, quæ ſæpe in Campis, aut in Areis Offerri Populorum neceſſitas poſtulat; propterea qui illis devote adſtiterit, etiam Eccleſiæ præceptum adimplebit.

XII. Dicet forſitan aliquis eam limitationem a Concilio Tridentino factam ſtatim auferri per Apoſtolici Privilegii conceſſionem, quo Oratoria domeſtica idonea redduntur ad Sacrificiorum oblationem: unde id ſolum me probaſſe contendet, neminem videlicet ſatisfacere præcepto, priuſquam in privatis Oratoriis Miſſæ celebrari licite poſſint. At ſemel conceſſa licentia celebrandi per Pontificium Indultum illico conſequi liberam omnibus facultatem adimplendi integre eccleſiaſticum præceptum, ſi in eodem Oratorio conceſſæ celebrationi Miſſarum adeſſe voluerint. Huic objectioni ſtatim reſponſionem repono, advertens aptitudinem, quam Oratorium privatum obtinuit ex Pontificio Privilegio, ad normam Privilegii metiendam eſſe; ita ut ſi ab illo nulli limites præfigantur, nec Perſonarum ulla fiat exceptio tunc Oratorium privatum cuicunque Adſtantium proſit; ſicut Oratoria publica, quæ ſine diſcrimine Perſonarum a Concilio Tridentino Sacrificiis idonea approbantur. Si vero Privilegium Papale certos præfixerit limites, ac pro certis Perſonis beneficii largitatem coarctet, ultra illas favorem extendere non licebit. Non ignoro autem, quod a R. Pontifice poſſint ad talem prærogativam evehi privata quædam Oratoria, ut inſpecta facultate ſatisfaciendi præcepto Miſſæ publicis Eccleſiis æquipolleant. Similis amplitudinis privilegia Magnis Principibus, Gentilibus ſuis, Oratoribus Orthodoxorum Principum ad Reges hæreticos miſſis, & aliis valde paucis nonnumquam R. Pontifex elargitur. Hujus generis privilegia Cap. 20. num. 22. recitavimus; in quibus expreſſe conceditur poſſe Miſſas in privato Oratorio celebrari in præſentia Familiæ, *& quorumcunque aliorum, quos inibi adeſſe contigerit*: neque in illis particulæ limitantes Perſonarum numerum adduntur. Communiter tamen in cæterorum Nobilium Oratoriis juxta formam Indulti ad paucos Familiares tantummodo facultas dilatatur, paucíſque conceditur ibi Miſſæ præceptum implere. Qua ratione ergo præter fines ſtabilitos Privilegium effundemus, a quo non minus pendet aptitudo Ora-

torii ad licitam Miſſarum celebrationem, quam determinatio Perſonarum de illo participantium?

XIII. Etſi autem aperte Pontifex in privilegio Extraneos non excluderet, ſatis iſti excluſi intelliguntur illa manifeſta excluſione Familiarium actu non inſervientium neceſſariis Privilegiati ſervitiis; cum iſti præ reliquis ad Familiam pertinentibus potius ad participationem gratiæ admitti potuiſſent, ſi melius non judicaſſet R. Pontifex ad paucos Indultum reſtringere. Imo ex præteritione Exterorum evidentius eorumdem excluſionem colligo. Etenim hæc eſt omnium Privilegiorum *Perſonalium* proprietas alias Perſonas non afficere præter illas ad quas dirigitur. Exemplis porro Veterum Apoſtolica Privilegia limitantia ad ſolos Privilegiatos facultatem ſatisfaciendi Diebus Feſtis Miſſæ præcepto non deſtituuntur. Quin potius mihi videntur hujus generis fuiſſe licentiæ illæ, quas olim Epiſcopi præbebant in gratiam Nobilium, & quarum nos minimus Cap. 11. Recolat Lector, quæ ex Seculis 13. 14. & 15. ibi indicavimus; & cum viderit eaſdem *alicui Nobili* dari ſolitas, & ad Particularem Perſonam præcipue reſpexiſſe, facile intelliget perſonalia fuiſſe privilegia quæ alias extraneas Perſonas non complecterentur, neque omnibus promiſcue ſinerent derelictis Eccleſiis in privato Oratorio Miſſæ aſſiſtere.

XIV. Evidentius adhuc id mihi apparet, cum obſervo in pluribus Regionibus, quorum Statuta Synodalia de licentiis Miſſarum celebrandarum in domeſtico Oratorio ab Epiſcopo concedendis *alicui* Perſonæ recenſuimus, adhuc viguiſſe præceptum, ut Plebs Diebus Dominicis in propria Parochia conveniret. De Treccorenſi, Nannetenſi, & Turonenſi Eccleſia Synodales Conſtitutiones ad Sæcul. XIV. & XV. pertinentes illic recitavimus; & tamen Martenius ſupra num. 6. laudatus ex iiſdem Eccleſiis commemorat Decreta, quo Sæculo 14. Plebem ad propriam Parochiam accedere, indictaque excommunicationis pœna adverſus inobedientes Miſſæ aſſiſtere cogebant. Quomodo autem iſta cohærere poſſunt, niſi dicendo Privilegium ſolis Privilegiatis conceſſiſſe in privato Oratorio Miſſæ præceptum adimplere, quod cæteri Miſſæ Parochiali aſſiſtendo implere compellebantur? Addo antiquiora, videlicet Concilium Agathenſe Can. 21., in quo, niſi deſipiam, videre puto expreſſe limitatam in propriis Oratoriis Miſsæ auditionem ad meram Familiam, cum qua diſpenſabatur *propter fatigationem*; dum interim reliqui ad Parochias accedere deberent, *in quibus legitimus, ordinariuſque eſt conventus*. Canonem recitavimus Cap. XI. num. 6. Prudentiſſime autem facultas ſatisfaciendi Præcepto Eccleſiaſtico in Oratoriis privatis ad paucos in Privilegiis Apoſtolicis reſtringi ſolet. Enimvero cum cauſa movens ad Legis generatim omnes obligantis diſpenſationem non ſit communis, æquum eſt etiam, ut diſpenſatio non ad omnes promiſcue, & ſine limitatione extendatur; ſed ſolum pro ut ad alicujus juſtum ſolamen, ac ſpiritualem conſolationem ſufficit. At ſatis diximus ad argumentum hujus capitis, quod ſeorſim pertractare maluimus, quamvis initio præcedentis aliqua præmittere voluerimus, quibus vanas interpretationes a quibuſdam uſurpatas in expoſitione Papalis Privilegii, & hoc loco a nobis rejectas labefactari, ac confutari non dubitamus.

XV. Quæret vero aliquis, utrum unuſquiſque ſaltem teneatur præcepti eccleſiaſtici cauſa in privato alterius Oratorio Miſsæ aſſiſtere, cum impotens fuerit Die Feſto Eccleſiam adire, & facile ei aditus in domum Privilegiati pateat? Huic quæſtioni cito negative reſpondeo: quia licet Oratorium illud ad ſatisfaciendum præcepto ſit idoneum aliquibus, quos complectitur Privilegium; pro cæteris

tamen

tamen non eſt locus aptus. Quare deficiente Oratorio idoneo ad præcepti executionem, neceſse eſt etiam ut præcepti obligatio tunc ceſset. Nihil autem addendum occurrit reſponſioni, cujus veritatem nuper dicta demonſtrant. Hinc eſt quod Extraneus in Oratorio Privilegiati non jam implebit præceptum eccleſiaſticum Miſſæ audiendæ; ſed dum ibi Miſsæ interfuerit, naturale præceptum perficiet, quod aliquorum ſententia urget, ut Die Feſto aliqui *externus* Deo cultus offeratur; atque opere pio penſum ſervitutis Deo debitum etiam ab his, reddatur, qui ad Eccleſiam accedere non poſsunt. Si porro loqueremur de Familiaribus, aut de cæteris, qui in Oratorio privato bene poſsunt præceptum eccleſiaſticum adimplere, tunc alteram reſponſionem adhiberemus eodemque modo quæſtionem reſolveremus, quo ſimilem aliam expendimus Cap. 21. num. 36., ad quem locum mitto Lectorem meum; cum obligatio Miſsæ audiendæ Diebus Feſtivis omnes legitime non impeditos vehementer urgeat, eademque ſit ratio reſpectu Privilegiati, ac reſpectu cæterorum qui vigore Apoſtolici Privilegii Oratorium privatum æque idoneum habent ad præcepti adimpletionem, quam idonea ſint pro omnibus Oratoria publica.

CAPUT XXVII.

De Diebus, in quibus ab Apoſtolico Privilegio Miſſa in Oratorio Privato celebrari conceditur.

I. SOLET R. Pontifex in Privilegio, quod expendimus, *unicam* tantummodo *Miſſam pro unoquoque die* concedere. Imo unica tantum celebranda permittitur, quando Indultum ſimul ad plures principaliter dirigitur; itaut pro numero iſtorum iterari in eodem Oratorio non poſſit. Conferantur Privilegia uni tantum conceſsa cum aliis ad plures ſimul directa, & penitus concordia in verbis coarctantibus unitatem Miſsæ apparebunt. Non eſt injuſta hujuſmodi limitatio, etſi Privilegium in plures principaliter directum pluribus æquipolleat; cum iſta æquipollentia in eo reperiatur, atque conſiſtat, quod alterutrius Privilegiati præſentia ad licitam celebrationem in privato Oratorio faciendam ſufficiat; & quod Singuli in ſeparatis ſuarum habitationum Domibus ſimul privilegio uti poſſint. Quod ſi de ejuſdem Domus Oratorio loquamur, par penitus eſt ratio, ſive plures *inſimul* Privilegiati cohabitent, ſive ad unius tantum habitationem pertineat. Etenim, quantum reor, iccirco unius Miſsæ reſtrictio adjungitur, ne pluritate Miſsarum Privilegiati raro ad Eccleſiam accedentis nimia deſſidia foveatur; ne minuatur numerus publicarum Miſsarum; ne Oratoria privata pene æmulentur proprietates Eccleſiarum; ne plus æquo diſpenſetur in communi Lege ſine valde rationabili, aut neceſsaria cauſsa; ne demum periculum ſubſit irreverentiæ, quod forte facilius contingeret in frequentiore domeſtica Miſsarum actione.

II. Tanti eſt æſtimanda limitatio unius Miſsæ, ut qui Pontificii Privilegii limites tranſgredi auderent, eodem penitus deſpoliari mererentur. Unde quod Alexander III.Cap.4.*Dilecti*

cti Filii. Lib.V.Decr.Tit.32.dicebat, bene in hoc eventu poſſet applicari: *Pro certo ſciatis*, ait *quod Nos conceſſa vobis privilegia decurtabimus*, *cum Eccleſiæ Rom. ſcriptis authenticis obviare minime timeatis*. Graviter etiam peccaretur ab eo, qui ſecundam Miſſam in Oratorio privato vel celebraret, vel celebrari faceret. Quoniam ſicut illud Oratorium pro altera Miſſa eſt Locus omnino ineptus; ita conſentientibus concorditer Doctoribus grave peccatum committeretur celebrando Sacrificium, ubi celebrari non debet, quamvis contemptus abeſſet. Ita plane tradunt Suarez in 3. Par. quæſt. 81. Sect. 3. Layman Lib. 5. Tract. 5. cap. 5. num. 2. Carmelitæ Salmanticenſes Tract. 5. de Sacrif. Miſſæ cap. 4. Punct. 2. num. 49., aliique multi, quos recenſere abſtineo; cum perſuaſum habeam in re, ac præcepto tanti momenti tum obligationem parendi graviter urgere, cum tranſgreſſionem gravem reddi ob irreverentiam magnam, quæ Eucharisticæ Victimæ irrogaretur.

III. Semel tantum poteſt in privato Oratorio iterari Sacrificium, nempe cum alicui conceſſum fuerit etiam pro die ſolemniori Nativitatis D. N. J. C. ibi Miſſæ aſſiſtere. Enimvero a Sanctiſs. P. Benedicto XIV., cum in minoribus conſtitutus a Secretis eſſet Sac. Congregationis Concilii, die 16. Decemb. Anni 1724. quæſtio iſta propoſita fuit: *An in Oratorio privato, in quo cauſſa Infirmitatis a Sede Apoſtolica conceditur, ut Miſſa die Nativitatis Domini celebretur, tres Miſſæ ab eodem Sacerdote celebrari poſſint, vel unica tantum Miſſa ſit celebranda?* Multis ex cauſſis prudentiſſimus Præſul ſuadebat indulgendum fore piis deſideriis Privilegiati eo die ſolemni, quo licet Fideles non teneantur ullo ex præcepto tribus Miſſis intereſſe; tamen ſolent trina Miſſarum celebratione ferventiorem pietatis affectum oſtendere, ob quem longa conſuetudine, atque ab ætate S. Teleſphori P. Eccleſia permittere, imo deſiderare in ſingulis Sacerdotibus triplex Sacrificium conſuevit. Quas rationes protulerit doctus Secretarius idem ipſe refert in ſuo erudito, utilique Opere de Sacrif. Miſſæ Sect. 2. §. 3. Prodiit hinc die 20. Januar. Anni 1725. hujuſmodi reſponſio ab Eminentiſs. Patribus: *Ad Primam dubii partem affirmative*; *&* *ad ſecundam negative*. Quia vero Miſſæ nocturnæ penitus prohibitæ fuerunt; & excepta prima Miſſa Dominici Natalis in nocte ipſa ſolemniter celebranda aliæ Miſſæ privatæ ex iteratis deliberationibus Sac. Congreg. Rituum etiam in illa nocte fuerunt vetitæ; propterea nullus ſine ſpeciali Privilegio, & Diſpenſatione Apoſtolica poterit primam Miſſam in nocte Nativatis D. in privato Oratorio celebrari facere. Hanc facultatem inſertam legi in iis Litteris Clementis XII., quas recitabimus num. 17.

IV. Miſſa, quæ in Oratoriis conceditur, *per quemcumque Sacerdotem ab ordinario* (Loci) *approbatum Secularem* celebrari poteſt, ut loquitur Privilegium. His verbis oſtendit Pontifex, quam ardenter deſideret Locorum Ordinarios vigilare, ne res divinæ indecore ab ullo Sacerdote tractentur; & quam diligenter conſervationi Jurium Epiſcopalium proſpiciat. Novi equidem Locorum Ordinarios in approbatione Oratoriorum domeſticorum nullum ſolere excipere Sacerdotem ex his, qui ab ipſis generalem facultatem in propria Diœceſi celebrandi obtinuerunt. Hinc Croix, Pelizarius, & alii quidam Scriptores non incogitanter concedunt ſufficere generalem approbationem Sacerdotis. Verum neque debitandum eſt Ordinarios poſſe nonnumquam aliquibus Sacerdotibus approbationem negare, ut in privato Oratorio celebrent, ſi nempe cauſsæ legitimæ eos ad hanc exceptionem moverint. Profecto inſolitum penitus non foret, ſi quibuſdam daretur poteſtas celebrandi in una Eccleſia, non in altera, in uno, non in altero Oratorio. At non val-

valde frequentes ſunt cauſſæ, quæ tantam attentionem requirant. Cæterum etiam olim in Privatis Oratoriis Sacerdos celebraturus tum in Oriente, cum in Occidente ab Epiſcopo deſignabatur; ſicut fuſe diximus Cap.XI. Interim vero fuit neceſſario exprimenda approbatio Ordinarii pro Sacerdote celebraturo, ne eveniret, quod nonnunquam in domibus Laicorum in Oriente Cap. cit. advertimus, ut extranei Sacerdotes rejecti, ac ſuſpenſi a propriis Epiſcopis ad Sacrificia peragenda admitterentur. Privilegia hujuſmodi Synodus Ticinenſis Sæculo IX. impedire ſtuduit poſtulens, ut extranei Sacerdotes *ab Ordinatoribus ſuis commendatitiis Litteris comitati* ab Epiſcopis *probarentur*: ſicut num.19. cap.11. admonuimus,

V. Poſſe etiam Miſſam in Oratorio conceſſam celebrari per quemcunque Sacerdotem *de Superiorum ſuorum licentia Regularem* permittit Pontifex, ut faciliorem executionem Privilegii reddat. Hinc cum ante Sæculum elapſum aliquando limitari ſoleret facultas Presbyteri Regularis, *in defectum Presbyteri* Secularis; ſicut Tomo 41. *Poſition.* Congregat. Concilii ſæpius adverti; tamen hæc reſtrictio poſtea ſublata fuit. Appoſite vero in Sacerdote Regulari poſtulatur *licentia Superiorum ſuorum*, quibus ille plene ſubjicitur, & ab eorum nutu pendet; Alias nonnumquam Regulari Diſciplinæ adverſarentur, ſi occaſione Laicalium Oratoriorum libere extra Clauſtra exire Regulares Sacerdotes, neglectoque propriarum Eccleſiarum ſervitio alibi ſacrificare poſſent. Quapropter ubi prudentiſſime non præſumeretur licentia (Tacita enim, vel præſumpta ſufficit judicio Dianæ Tract.2. Reſolut.43. & aliorum, quia non eſt tam magni momenti facultas, ut expreſſa neceſſarios exigatur:) proprii Superioris, nec licebit Regulari in prædicti Oratoriis Miſſas facere, nec Privilegiatis illum ad Miſſarum celebrationem admittere. Crederem tamen adhuc Eccleſiaſtico Præcepto ſatisfieri, quando Miſſam repugnantibus Superioribus in Domeſtico Oratorio auderet ſacrificare Regularis Sacerdos; cum licentia exigita ab Apoſtolico Privilegio meram ſubjectionem ſubditorum erga proprios Rectores reſpicere videatur.

VI. Etſi vero nihil amplius concedatur communiter Viris Nobilibus in Oratorio privato, quam unica Miſſa quotidiana; ampla adhuc foret conceſſio, niſi aliqua Dierum limitatio adderetur, ac forte pene immemores nonnulli evaderent ſimul cum cæteris Fidelibus in Eccleſia conveniendi, ſi paſſim omnibus Privilegiatis eadem Miſsa abſque ulla exceptione Feſtorum concederetur. Tantam negligentiam non tolerat R. Pontifex; & licet ampliſſimis principibus, atque Magnatibus nullum limitet diem, quos aliunde ſæpe publicis Chriſtianorum collectis adfuturos ſperat, ut cæteris minoris fortis hominibus teſtimonia publica ipſorum pietatis deferant; Reliquis tamen ſolet limitare majores Anni Solemnitates his verbis: *Paſchatis Reſurrectionis*, *Pentecoſtes*, & *Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti*, *aliiſque Solemnioribus Anni Feſtis Diebus exceptis*. Optabile quidem foret, ut quod retroactis temporibus obſervabatur, etiam noſtra ætate ab omnibus Fidelibus ſervaretur: Raro forte videremus Viros Nobiles ab Eccleſiis Die Dominico abeſse, quantumvis inſtructi forent privilegio domeſtici Sacrificii. Hinc S. Carolus in Concilio Mediolanen. I. Tit. *Quæ pertinent ad celeb. Miſſæ* ajebat: *Cui autem id permiſſum fuerit*, (nempe Sacrificium in privato Oratorio) *Is eo* (privilegio) *rarius utatur*, *ne diſtracti homines illa commoditate Eccleſiam Dei minus frequentent*, *quod exemplo etiam noceat aliis*. Attamen quia res ad Diſciplinam ſpectantes nonnumquam variantur, propterea non eſt mirum, quod ut indulgeatur neceſſitatibus, aut ſaltem commodis uberioribus aliquorum, mitis ſit, & liberalior Pontificis beni-

benignitas licentiam præbens in privatis domibus celebrandi cum ſola reſtrictione Dierum Solemniorum. Cum enim tot cauſſæ occurrant diſpenſandi gratias Miſſarum celebrandarum in Oratoriis privatis; etiam conveniens videtur eaſdem ad plures Dies Feſtos extendere: Imo idcirco multi Nobiles enixe privilegium deſiderant, ut quod moleſtum foret ipſis in Eccleſia implere, præceptum Miſſæ audiendæ promptius in proprio Oratorio adimplere valeant.

VII. Cæterum etiam Veteres, quantum arbitror, non raro in concedendis Miſſis intra privata Oratoria ſolos Solemniores Dies Feſtos excipiebant. Plurima quidem proferri poſſent Patrum, Canonumque teſtimonia, quibus Populos nullo perſonarum facto diſcrimine ad publicam ſynaxim convenire conſueviſſe diſcimus. Verum tantum iſta ſuadent non ſemper viguiſſe in Eccleſiis conſuetudinem frequenter permittendi Miſſas domeſticas. Si autem conſideremus ea tempora quibus ſimilis ætati noſtræ vigebat mos facilius cum Viris Nobilibus diſpenſandi pro celebratione Sacrificii in ipſorum Oratoriis, reperiemus non infrequentes fuiſſe conceſſiones valde ſimiles conceſſionibus, quæ hactenus a R. Pontifice tribui ſolent. E Sæculo VIII. labente non obſcura mihi apparent indicia ſumenda a Libro VII. Capitul.cap. 431., quæ oſtendunt domeſticum Sacrificium tantum peragi potuiſſe ferialibus diebus. His ſimilia ſtatuuntur in Capitulari Aquiſgranenſi Caroli M. Anno 789. num.9. (Extant Tom.3. Collect. Concilior. Harduini :) ubi nempe jubetur, *ut in Diebus Feſtis, vel Dominicis omnes ad Eccleſiam veniant; & non invitent Presbyteros ad domos ſuos ad Miſſam faciendam*. Attamen ſingulari cauſſa poſcente cenſeo tunc Epiſcopos ita licentias ſuas coarctaſſe. Enimvero ea tempeſtate tam immoderate Miſſæ domeſticæ multiplicabantur, ut ſubinde Patres gravibus incommodis ſubortis reſiſtendo laborare debuerint; atque etiam ſevere alicubi in privatis domibus Sacrificia prohibere neceſſarium duxerint. Ubi autem caute, & intra debitam moderationem coercebantur Viri Nobiles in exercitio poteſtatis Miſſarum domeſticarum, tantum limitationis rigorem fuiſſe præceptum non legi. Poſſem hic revocare Synodum Ticinenſem Sæculo IX. celebratam, quæ propterea tacet de ulla dierum reſtrictione, quia tunc Itali diſcrete, & laudabiliter in ſuis domibus *jugiter myſteria divina exerceri* curarent. Poſſem etiam alia addere teſtimonia D. Gregorii, aliaque forte non pauca, quæ decurrentes veterem diſciplinam retulimus, & quæ nullam dierum exceptionem exprimunt. Attamen non multum in his immoror, ne forſan his exemplis ſerveriorem apparere præſentem Privilegiorum Apoſtolicorum rationem, quam Veterum fuerit conſuetudo, aliquis judicet.

VIII. Veroſimile autem non videtur ab Epiſcopis in Solemnioribus Anni Diebus Sacrificium in Oratoriis privatis ſine graviſſima cauſſa unquam fuiſse permiſſum; cum potius maxima ſedulitate in Majoribus Solemnitatibus non tantum Fideles Laicos, ſed etiam Clericos, atque Sacerdotes alicui Eccleſiæ non addictos cogere ſtuderent vigilantiſſimi Paſtores, ut ſecum Deo ſolemne ſervitutis, & latriæ obſequium Sacrificio præberent. Pulcherrimum hanc ad rem monumentum occurrit ex Synodo Arvernenſi Anni 535. Can.15. depromptum, quo ita ſtatuitur: *Si quis ex Presbyteris, aut Diaconis, qui neque in Civitate, neque in Parochiis eſſe dignoſcitur, ſed in Villulis habitans, in Oratoriis Officio Sancto deſerviens celebrat Divina Myſteria, Feſtivitates præcipuas, Domini Natale, Paſcha, Pentecoſten, & ſi quæ principales ſunt reliquæ Solemnitates, nullatenus alibi, niſi cum Epiſcopo ſuo in Civitate teneat. Quicunque etiam ſunt Cives natu majores pari modo in Urbibus ad Pontifices ſuos in prædictis*

Feſti-

Feſtivitatibus veniant. Quod ſi improba temeritate contempſerint, iiſdem Feſtivitatibus, quibus in Civitatibus adeſſe deſpiciunt, communione pellantur. Similia habemus in Concilio Aurelianenſi IV. Can. 5. *Quiſquis de Prioribus Civibus Paſcha extra Civitatem tenere voluerit, ſciat ſibi a cuncta Synodo eſſe prohibitum; ſed principales Feſtivitates ſub præſentia Epiſcopi teneant, ubi ſanctum decet eſſe Conventum*. Videri poſſunt his aſſimilia in Concilio Aurelianenſi I. Can. 25., & Epaonenſi Can. 35. Addi pariter plura poſſent ex Sacramentariis, Ordinibuſque Liturgicis, quæ frequentiam Cleri, ac Sacerdotum Epiſcopo miniſtrantium in majoribus Solemnitatibus oſtendunt. Unde incredibile mihi videtur iiſdem diebus permiſſum fuiſſe Presbyteris Sacrificium offerre in privatis Oratoriis, cum ad ſolemnem Sacrificii oblationem eorum opera Epiſcopi ipſi indigerent. Licet ergo nulla exprimatur dierum exceptio pro Miſſis ibi celebrandis, prudenter adhuc ex eo conjicitur facta reapſe exceptio, quod Epiſcopi Presbyteros in Oratoriis Miſsas celebraturos non concederent; cum aliunde (Ita cavere ſolebant M. Gregorius, & alii, ſicut cap. 11. demonſtravimus.) nullus poſset in proprio Oratorio pro ſuo arbitrio Miſsam celebrari facere; ſed quoties celebrandum erat, ab Epiſcopo Presbyter poſtulabatur.

IX. Apertum vero ſuggero teſtimonium, quo ſine dubio conſtet olim quoque ſaltem apud aliquos Veteres morem fuiſse expreſse excipiendi Majores Anni Solemnitates, ne in illis Miſsæ in privato Oratorio celebrarentur. Celebris eſt Canon. 35. Conc. Agathenſis, in quo excipiuntur *Paſcha*, *Natalis Dom.*, *Epiphania*, *Aſcenſio D.*, *Pentecoſtes*, *Natalis S. Joannis Baptiſtæ*; *& ſi qui maxime dies in Feſtivitatibus habentur*. Iſtam reſtrictionem dierum libentius retentam fuiſse in Eccleſiis inſinuare videtur Gratianus, qui propterea laudatum Canonem in Collectione Decretorum Diſt. 1. *de Conſecr.* inſeruit. Eandem limitationem frequenter Epiſcopos licentiam concedentes Miſſarum domeſticarum retinuiſse non ambigo. Utinam reperire potuiſsem Indultorum formulas, quas ipſi uſurpare conſueverunt. In his confidiſſem ſimul legere exceptionem Dierum Solemniorum, quæ tam bene cultui ſolemniori præbendo ſimul ab omnibus in Eccleſia congruit. Certe Hugo Guidardius in ſua Provinciali Beneventana Synodo Anni 1374. præceperat; *ne in Feſtis præcipuis* celebraretur in privatis Oratoriis; *Sed aliis diebus*, *& hoc*, ut ipſe ajebat, *debet continere licentia*, *quando conceditur a Diœceſano*.

X. Jam vero deſiderabit aliquis ſcire, propter quam cauſsam R. Pontifex in Privilegiis Miſsarum domeſticarum generalem formulam adhibeat *ſolemnes dies feſtos* excipientem, nec diſtincte omnes hujuſmodi Dies enumerantem? Ego quidem plene eam aperire non valeo: Video tamen etiam in hoc loquendi modo R. Pontificem imitatum eſse Veteres, ac maxime Canones laudatos Agathenſis, & Arvernenſis Concilii, ubi numeratis quibuſdam diebus ſolemnibus cæteros ſimili generali dictione complectitur. In hac generali exceptione ſolemnium Feſtorum, quæ Apoſt. Indulto fit, putant quidam comprehendi illos etiam Dies Solemnes particularium Diœceſium, in quibus Privilegium eſt exequutioni tradendum. Aliqua veriſimilitudinis ſpecie gaudet iſtorum ſententia, quam Gavantus in Par. I. Rub. Tit. 20. in fine ſecutus eſt; & quorumdam Locorum conſuetudo confirmat. Hinc inter alias optimas Conſtitutiones Synodales editas An. 1740. ab ampliſſimo Patriarcha Aquilejenſi Daniele Delphino cap. 14. *de Celebr. Miſſ.* reperitur exceptum Feſtum Patronorum Martyrum Hermagoræ, & Fortunati. Magis in hanc ſententiam aliquis poterit moveri, quo attentius conſideret ſingulas fere

Regiones hanc conſtanter rationem, moremque tenuiſse, ut ſolemnitatibus majoribus in univerſa Eccleſia ſplendidius celebrandis ſpecialia quædam Feſta ſimili celebritate recolenda ſuperadderent. Revera in Concilio Agathenſi ſpecialiter excipitur Feſtum Præcurſoris, quia ſine dubio in illis Provinciis ſingulari quodam devotionis affectu, ac pompa colebatur. Non ſtatim ego his obſervationibus innitens reprehendere auderem illos Privilegiatos, qui etiam in ſolemnitate Patroni principalis Diœceſis vellent de Apoſtolica Indulgentia frui: Nam dum certo non conſtat exceptio, nemo cogitur ſuo Jure carere. Addo Patroni Feſtum non recenſeri in Decreto paullo poſt recenſendo Sac. Congreg. Rituum. Imo adverto, quod cum a Sac. Congreg. Concilii Anno 1699. in Neapolitana quæreretur, an Regularibus liceret Miſsas celebrare in Oratoriis privatæ domus *diebus exceptis in Indulto, vel Synodali Conſtitutione Diœceſana*? Reſpondit die 30. Maii *ad 3. negative pro diebus exceptis in Indulto*: At pro diebus exceptis a Diæceſana Conſtitutione nihil hujuſmodi declaravit, licet etiam de illis expreſse inquireretur. Quale autem aliud Feſtum poteſt in Synodis Diœceſanis colendum præcipi, niſi fuerit Patroni Diœceſis?

XI. Ad ambiguitates autem adimendas circa Dies ſolemnes in Privilegio exceptos Sac. Rituum Congreg. interrogata ab Archiepiſcopo Calliguritano declaravit die 17. Nov. An. 1607. *in privatis Oratoriis & privilegiatis*, non poſse celebrari Miſsam *in Natali D., Epiphania, Feria V. in Cæna D., Paſchate, Pentecoſte, Annunciatione, Aſcenſione D. N. J. C., Aſſumptione B. M. V., Feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum*. Hoc decretum recitavit P. Merati in ſuo Indice n. 74. cum omnibus his Feſtis. Neſcio autem, an Typographorum ſaltu, vel alio quoppiam errore irrepſerit ſuppreſſio Feſti *Aſcenſionis Dominicæ*, quod tacent ferme omnes Scriptores, dum idem Decretum commemorant; Imo cum illud in Scriptorum Editionibus inter dies exceptos non legiſset P. Croix, poſse eo die Miſsas fieri in Oratorio privato ſine hæſitatione dixit Lib. 6. par. 2. n. 271. Ipſe etiam Meratus, dum ejuſdem Decreti meminit in Par. 1. Rub. Tit. 20. pag. 293. Edit. R. Feſtum Aſcenſionis reticuit. Fruſtra illud quæritur apud Nicolium, Barboſam, Dianam, Pittonum, & alios. Hinc etiam omittitur a pluribus Ordinariis Locorum, dum recenſent dies exceptos. Solum expreſse illius meminit Pelizarius in Manuali Tract. 8. cap. 2. num. 148. Contuli Decretum cum authenticis Regeſtis Sac. Congreg. Rituum, & in Libro Decret. Anni 1607. fol. 323. legi inter Feſta excepta etiam *Feſtum ASCENSIONIS D. N. J. C.* Revera tam Feſtum hoc, quam cætera in Decreto laud. recenſita valde ſunt ſolemnia, & in univerſali Eccleſia jam a multis ſæculis ſingulari celebritate venerata. Operam luderem monumentis Veterum Martyrologiorum, Patrumque id demonſtrando; cum eam provinciam feliciter expleverint Viri eruditiſſimi Thomaſinus Florentinius, Martenius, Baillettus, & ne alios commemorem, Clariſs. Socii Bollandiani.

XII. Nonnullam vero differentiam facientes aliqui inter primum diem Paſchatis, ac duos ſequentes, quæ integre feſtivos adhuc colit Eccleſia, poſtquam ceſsavit vetus diſciplina feriandi per integram Hebdomadam, (Perſeveravit vetus diſciplina uſque ad tempora Gregorii IX., ſicut ex ipſius Decretorum Lib. 2. Tit. 9. *de Feriis* cap. 6. diſcimus.) Propterea exiſtimant limitationem in Privilegio factam de Paſchate tantummodo primum diem feſtum illius, non vero duos ſequentes afficere. Idem ſimiliter de duobus conſequentibus Feſtis Diebus poſt primum diem Pentecoſtes affirmant. Huic expoſitioni Privilegii Apoſtolici favent plurimi Scriptores, quos allegat, & ſequitur Paſqualigus quæſt. 639.: Cum autem illis noviſſime D. Cardin. Petra Tom. 2. Com. Ed. R.

pag.

pag.501. n.65., & P. Merati pag. 293. cit. ſubcripſerint, libenter etiam ego ſubſcribo. Revera communi judicio ſolemnior eſt dies ille, quæ proprie recolit Myſteria Reſurrectionis Dominicæ, & Spiritus S. diſcenſum ſuper Apoſtolos, quam alii ſequentes, ad quos Solemnitas extenditur. Hinc etiam olim multo plura Solemnitatis Signa illis prioribus diebus edebantur, ſicut declarant antiqui Ordines Eccleſiaſticorum Rituum collecti a Martenio Lib. IV. de antiq. Eccl. Rit. Cap. 25., apud quem Lib. 3. de Antiq. Monach. Ritib. cap. 11. n. 1. lego deſcriptum ex Libro Uſuum Ciſtercienſium alios dies ſequentes habitos fuiſſe *ſolemnes, ſicut Feſtum alicujus Apoſtoli*.

XIII. De Feſto Annunciationis adnotare opus eſt cum P. Merati, quod ſi contingat transferri in alterum diem poſt Paſcha non ſolum translatione Officii, ſed etiam translatione Solemnis Feſtivitatis; tunc quo die celebrabitur Feſtum illud, eodem etiam Miſſæ domeſticæ prohibentur. Veriſſime autem, & æquiſſime id aſſeritur: Nam cauſſa excipiendæ illius Feſtivitatis non pendet determinate a die 25. Menſis Martii; ſed unice reſpicit diem, in quo ſolemniter tam Sublime Myſterium ab Eccleſia recolitur, itaut in quemcumque diem transferatur ſolemnitas, ſimul etiam neceſſitas ſatisfaciendi Eccleſiaſtico præcepto auditionis Miſſæ in Eccleſia publica transferatur. Quamobrem juxta præſentes Eccleſiaſticos Ritus, ſi incidat Feſtum Annunciationis in Feria V. Cœnæ Dominicæ, ſicut tunc Feſtivitas non transferatur, quantum ad obligationem colendi Diem Feſtum Sacrificio, licet transferatur *Officium* Annunciationis ad primam diem non impeditam poſt octiduum Paſchæ; Ita neque tunc transfertur exceptio facta in Privilegio, quæ unice pro eo die militat, in quo Miſſæ audiendæ præceptum urget.

XIV. Sed hic requirat aliquis cauſſam, propter quam inter Dies Solemnes recenſeatur dies Cœnæ Dominicæ, quem præſens Eccleſiaſtica Diſciplina feriatum a laboribus ſervilibus non habet. Imo neque inter Latinos a Gregorio IX. loc. cit., & inter Græcos a Manuele Comneno in Lege edita Dierum Feſtorum apud Balſamonem ad Tit. 7. *Nomocan. Photii* recenſetur. Importuna ſane inquiſitio, quæ longius in eo morari cogeret, quod ad expoſitionem Apoſtolici Privilegii non pertinet. Dicam igitur, quod Sacra Congregatio Rituum declaravit Feria V. in Cœna D. celebrari non poſſe in privatis Oratoriis, non quia *Feſtus* ſit ille dies, & neceſſitatem inducens audiendi Miſſam; ſed quia illo die Eccleſiaſtica Diſciplina Miſſæ privatæ celebrationem non tolerabat. Adhuc eadem conſuetudo perſeverat, quam ne ullus violaret, Clemens XI. mandato ejus auctoritate vulgato a Cardin. Carpineo Urbis Vicario die 15. Decembris Anni 1712. admonuit. De Miſſarum privatarum vitanda celebratione Feria V. in Cœna D. alia collegit diligentiſſimus P. Merati in Par. IV. Rub. Miſſ. Tit. 8. n. 8. pag. 1041. edit. R. Addidit Eminentiſſim. Card. Archiepiſcop. Bononienſis, nunc Summus Pontifex Benedictus XIV. in ſua Notificat. 18. Tomo 2. aliud Mandatum juſſu Clementis XI. P. a Cardinale Paracciano Urbis Vicario evulgatum Die 3. Aprilis 1719., ubi iſta inſeruntur. *La Santità di Noſtro Signore inerendo ai replicati Decreti della Sagra Congregazione de Riti ſtrettamente incarica a tutti i Reverendi Sacerdoti di non celebrare Meſſe private non ſolo nel Venerdì, ma anche nel Giovedì, e Sabbato della Settimana Santa tanto negli Oratorj privati, che nelle Chieſe pubbliche Secolari, e Regolari in qualſivoglia modo privilegiate, non oſtante qualſivoglia privilegio, o conſuetudine in contrario*.

XV. Apprime concinunt hujuſmodi decreta veterum Ritibus: Nam licet olim in quibuſdam Eccleſiis pro varietate Ceremoniarum, & Myſte-

riorum Cœnæ Domini recolendorum plures Miſſæ ſolemniter celebrarentur, alia pro Pœnitentium reconciliatione, alia pro Chriſmatis benedictione, alia pro Cœna Dominica, & alicubi quarta pro Baptizandis, ut Martenius laud. cap. 22. ex vetuſtis Sacramentariis demonſtrat: Attamen nullæ privatæ Miſsæ, quantum prudenter conjicitur, celebrabantur; Imo ſimul Populus, & præcipue univerſus Clerus ad ſolemnis Miſsæ actionem conveniebat. Hinc vetuſtiſſima pariter eſt conſuetudo Communionis totius Cleri, quæ in Miſſa Solemni illo die tradebatur. Hujus meminere Theodulphus Aurelianenſis, Joannes Abricenſis, Ordo R. antiquus, aliique plures Miſsales Codices; eamque Ritu veteri a Græcis ſervatam Leo Allatius Lib. 3. de Eccleſ. Occiden.& Oriental.conſen.aſseverat. Qua vero ratione privatæ Miſsæ illa Die celebrari poterant, cum omnes ſimul Sacerdotes Epiſcopo celebranti aſſiſterent, & ab ejuſdem manibus Sacram Euchariſtiam ſumerent? Ceterum etſi Dies Cœnæ Dominicæ feſtiva non ſit, quatenus Eccleſia non obligat Fideles vel a ſervilibus feriare operibus, vel Miſsæ aſſiſtere, & maxime cum jam a Pontificatu Urbani IV. commodior alia Anni Dies deſignata fuerit ad Sacram Cœnam Euchariſticam feſtiva ſolemnitate colendam: Adhuc Dies illa Cœnæ D. tot Solemnitatum Officiis tranſigitur, & colitur, ut bene inter Dies Solemnes recenſeri debeat.

XVI. Accidit autem hanc Diem evadere Feſtivam occurrentibus Feſtis vel Annunciationis Marianæ, vel Sanctiſſimi Joſeph ejuſdem Virginis Deiparæ Sponſi. Poſt Paſchalem Hebdomadam iſtorum memoria differtur, ne Myſteria recolenda illo die omittantur: Attamen non debere differri obſervantiam Diei Feſti abſtinendo ab operibus ſervilibus, & aſſiſtendo Miſsæ Sacrificio ſapienter decreverunt Alexander P. VII., ejuſque Succeſsores, qui ſimul conceſserunt tunc eadem Feria ante Solemnem Miſſam nonnullas privatas celebrari; ita ut dum conſulitur commodo Fidelium præceptum eccleſiaſticum adimplentium, nullum præjudicium Ritui Communionis Cleri inter Solemnia Miſsarum diſtribuendæ inferatur. Extant Decreta S. Rituum Congregationis hac de cauſsa edita Die 13. Septemb. Anni 1692. probante Innocentio XII., & Die 12. Sept. Ann. 1716. probante Clemente XI., quibus Ordinarii Locorum providere monentur; *ut eo die aliquæ quidem Miſſæ privatæ ante celebrationem Miſſæ Conventualis celebrandæ pro præcepti adimplemento non deſint*; *ſed tamen propterea antiquus mos communionis Cleri in Miſſa ſolemni ejus diei, quo Eccleſia SS. Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem, & memoriam recolit, ſumma religione hactenus obſervatus, nullatenus omittatur*. Jam vero habens Privilegium pro Oratorio Domeſtico quæret, an ad præceptum eccleſiaſticum implendum incidente Feſto S. Joſeph poſſit Feria V. in Cœna D. in proprio Oratorio privatæ Miſsæ beneficio uti? At ſincere aperiens quod ſentio, reſpondeo non licere; cum videam cauſſam, propter quam tunc ſolvitur privatarum Miſsarum prohibitio, unice reſpicere ad favorem Communitatis, publicamque neceſſitatem Fidelium, non vero privatæ Familiæ commoda conſiderari. Enimvero ob meram paucorum commoditatem, aut quorumdam utilitatem receptas communiter, ac diligenter cuſtoditas eccleſiaſticas obſervationes deſerere immoderatus, ac illegitimus exceſsus videtur. At Populorum neceſſitates plurimum valent, ut nonnihil rigor Eccleſiaſticæ Diſciplinæ remittatur. Memini M. Leonem Dioſcoro Alexandrino Epiſcopo ſcribentem conſuluiſſe, imo juſſiſse iterationem Sacrificii Diebus Feſtis, ut omnium Populorum neceſſitatibus, qui ſimul ad unicam, eandemque Miſsam convenire nequibant, convenienter conſuleretur, quamvis antiquus Mos unius Miſsæ celebrandæ jamdiu obtinuiſset.

XVII. Qua-

XVII. Quare generaliter prohibitam celebrationem privatam Sacrificii in Die Cœnæ D. conſiderans, neque mihi videntur permiſſæ privatæ Miſſæ eodem Die in Oratoriis privatis Religioſarum Domorum, aut in aliis Oratoriis privatis, pro quibus nulla in Apoſtolico Indulto limitatio Dierum ad Miſſarum celebrationem inſerta legitur. Nam ita privilegia ſunt intelligenda, ut nihil conceſſum alleratur, niſi ſingulariter ſit expreſſum, quod ob ſingularitatem in eiſdem Privilegiis concedi deberet. Imo ſuperat omnem Fidem a R. Pontifice majora in Oratorio privato permitti circa Miſſarum celebrationem, quam permittantur in Oratoriis publicis; quorum tamen plurima ſcimus juxta conſuetudines eccleſiaſticas, & declarationes S. Congregat. Rituum carere facultate celebrandi in Die Cœnæ D., eandemque facultatem tantum concedi Eccleſiis Majoribus, Parochialibus, & Regularium, in quibus ſimul propter Diem ſequentem ſervatur Euchariſticum Sacramentum. Securius autem exiſtimo ad licitam celebrationem Miſſarum in Oratorio privato in Die Cœnæ D., non ſufficere Privilegium ſine ulla exceptione Dierum conceſſum, poſtquam didici ſingulari Privilegio a Clemente XII. Die 4. Decemb. Anni 1734. exornatos fuiſſe piiſſimos Conjuges Regios Jacobum Magnæ Brittaniæ Regem, & Clementinam Magnæ Brittaniæ Reginam, (Obiit iſta 18. Jan. 1735. clariſſimis relictis eximiæ pietatis exemplis, & meritorum magnorum ubertate dives.) ut *in privatis Oratoriis* ipſorum *in Sacratiſſima Nocte Nativitatis*, *ac etiam in ipſo Die Feſto Nativitatis* celebrari facere poſſent Sacrificium; & inſuper *unicam Miſſam Diebus Cœnæ Domini*, *&* *Sabbathi Sancti ſingulis Annis per quoſcunque Sacerdotes ab Ordinariis Locorum reſpective approbatos Seculares*, *ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regulares*, in ſua, *ac Principum Natorum*, *ac Familiarium utriuſque Sexus* ſuorum *eorumdemque Principum*, *& quorumcumque aliorum*, *quos inibi adeſſe contingerit præſentia celebrari facere libere*, *& licite* poſſent, ac valerent; *ac quilibet* ipſorum *poſſit*, *& valeat*; *itaut nec Majeſtatibus* ipſorum, *nec Sacerdotibus ſic celebrantibus id ad culpam valeat quomodolibet imputari*.

XVIII. Vetitum porro eſſe Sacrificium quibuſcunque in Oratoriis privatis Feria VI. in Paraſceves nullus ambigit, qui novit priſtinam adhuc ſervari vetuſtiſſimam conſuetudinem Græcæ, Latinæque Eccleſiæ, quæ prohibet illo Die, in quo cruentum recolitur Crucis Sacrificium, incruente Divinam Hoſtiam immolari. Hinc nonniſi Miſſa *Præſanctificatorum* conceditur in iis Eccleſiis, in quibus Feria præcedente conſecrata Hoſtia in hunc finem conſervatur. Similiter in Sabbatho S. penitus jam abuſus, quotquot alicubi irrepſerant celebrandi Miſſas privatas, ſublati fuerunt Decreto Sac. Rituum Congregationis Die 11. Februar. Anni 1690. apoſtolica auctoritate Alexander VIII. Die 11. Martii roborato, ac poſtea a Clemente XI. in Mandato Anni 1712. Die 15. Decemb. per Cardinalem Carpineum Urbis Vicarium promulgato. Dederat aliquibus occaſionem celebrandi illa Die incidens Feſtum Annunciationis B. M. V. At tranſlata incidente Feſtivitate in Feriam II. poſt octavam Paſchatis opportune huic incommodo conſultum fuit: Hoc etiam nonnumquam feciſſe Veteres reperimus; dum anticipabant, vel poſtponebant idem Feſtum, ne violaretur diſciplina, juxta quam tunc temporis a Sacrificio in triduo præcedente Reſurrectionem Dominicam abſtineri conſueverat. Placuit Eccleſiæ circa Sæculum XIV. Miſſam in nocte Reſurrectionis aſſignatam retrahere ante meridiem Sabbathi; ſed antiquum tenaciter conſervavit Ritum prohibitis Miſſis privatis omnibus hac una excepta Conventualiter celebranda: Hinc nonniſi ex ſingulari In-

dulto, & ob graviſſimas cauſſas conceſſum fuit ab Innocentio XII. Conſtit. 26. in Bullario Romano recen. edit. Mainardi in Capella Regia S. Mariæ de Attoccha Ord. Prædicator. Diœceſis Toletanæ tres Miſſas privatas abſolutâ Miſſa Solemni celebrare. Pariter ſpecialiſſimam hujuſmodi gratiam in ſuperius recitato Privilegio datam fuiſſe adnotavimus, quam pariter aliis nonnullis ob graves cauſſas noviſſime Benedictus Papa XIV. conceſſit.

CAPUT XXVIII.

De Sacris Functionibus, quæ in Oratorio Privato fieri prohibentur.

I. TERMINOS expoſitioni Pontificii Privilegii pro celebratione Miſſarum in privatis Oratoriis ea diſtincte oſtendentes, quæ in iiſdem fieri prohibentur, tandem conſtituimus. Semper R. Pontifex in Apoſtolicis Diplomatibus Indultum concedere *ſine quorumcumque Jurium Parochialium præjudicio* expreſſe declarat. Idque communiter in omnibus Indultis poſt Concilium Tridentinum a RR. Pontificibus conſueviſſe in Tomo 41. *Poſition.* Sac. Congreg. Concilii & in Regeſtis Apoſtolicorum Brevium adverti. Nihil autem æquius decerni poterat, cum Beneficium uni conceſſum injuriam alteri, aut gravamen irrogare non debeat. Non ſemel reperi in Juſtiniani Legibus, & Caroli M. Capitularibus ſimiles cautelas adhibitas in Eccleſiarum, Oratoriorumque ædificatione; ne videlicet cæterarum Eccleſiarum Jura invaderentur. Eo quoque collimabant Canonum Statuta,& in Libris Sacramentariis Titulo *de Ædificatione Eccleſiarum* renovata, quibus cavebatur, ne Epiſcopus aliquod novum Oratorium prius exſtrui permitteret, quam dos a Fundatore aſſignarentur. Hanc integritatem Jurium Parochialium Honorius III. Cap. *In his* Tit. *de Privileg.* conſervari mandavit, cum Minoritis conceſſit, ut *ubique fuerint, ſine Parochialis Juris præjudicio celebrare valeant*. Nec ipſi Bulgari interrogantes Nicolaum P. V. de Oratoriis privatis ambigebant nullum ex his inferri debuiſſe præjudicium Parochialibus Juribus, ut Cap. XI. n. 31. indicavimus. Eandem conditionem Sæculo XIV. Epiſcopos in ipſorum Chirographis pro Miſſarum celebratione in Oratoriis privatis conceſſa inſerere conſueviſſe bene conjici poteſt ex Synodo Beneventana, cujus decreta Cap. XI. num. 32. recitavimus.

II. Quæ vero ſint Jura Parochialia hactenus vigentia fuſe Barboſa *de Offic. & Poteſt. Parochi* recenſet. Noſtra non intereſt diligenter iſta enarrare, cum ſufficiat ſupponere, quod a nemine in dubium vocatur, Parochorum Jura præcipue Decimis, Oblationibuſque; in Matrimonii, Baptiſmatis & Paſchalis Communionis adminiſtratione; atque in Sepultura Eccleſiaſtica conſiſtere. Nullum ex hujuſmodi Juribus a Parochis auffertur, dum illorum Parochianis privilegium Miſſarum in privato Oratorio conceditur. Et quantum ſpectat ad Decimas, Oblationes, ſeu Primitias, quæ Parocho in pluribus Locis ad ipſius ſuſtentationem, aut Parochiali Eccleſiæ ad nitorem, ornatumque tribuuntur, ſervato antiquiſſimo more, qui olim vigebat, etiam poſtquam a Fidelibus non modica fuerant bona ad Sacrorum Miniſtro-

ſtrorum, Templorumque ſuſtentationem, & decorem aſſignata: Quantum inquam, ad hæc ſpectat, notiſſima res eſt non violari per privilegium domeſtici Sacrificii; ſecus Parochi propriis proventibus carere cogerentur. Ob hunc maxime finem Leges paullo ante indicatæ exigebant in Fundationibus Oratoriorum propriæ, ac ſufficientis Dotis aſſignationem. Dotationum plurima monumenta habemus in Antiquitatib. Italicis Lud. Muratorii; apud quem Differt. 56. Tom. IV. pag. 785. Chartam Dotationis Oratorii factam Anno 916. a Rotruda, & Gomberto legi. Lubeat autem ſubnectere querelas, quas coram Ludovico II. Imperatore Patres Concilii Pariſienſis Anno 855. Capitular. Par. 2. cap. 12. fuderunt de quibuſdam Laicis, qui Decimas Parochiis debitas ſuis Oratoriis dabant. Ita ergo ajebant. *Canonibus præfixum eſt, ut Decimæ juxta Epiſcopi diſpoſitionem diſtribuantur. Quidam autem Laici, qui vel in propriis, vel in Beneficiis ſuis habent Baſilicas,* (Nomen Baſilicæ Privatis quoque Oratoriis attributum fuiſſe non ambigitur; idque præcipue Monaſticis Oratoriis ſolebat imponi.) *contempta Epiſcopi diſpoſitione non ad Eccleſiam, ubi Baptiſmum, & Prædicationem, Manus impoſitionem, & alia Chriſti Sacramenta percipiunt, Decimas ſuas dant; ſed propriis Baſilicis pro ſuo libito tribuunt; quod omnibus modis divinæ Legi, & Sacris Canonibus conſtat eſſe contrarium. Unde Veſtram Poteſtatem, ut eos corrigatis, expetimus.*

III. Alterum Parochorum Jus, quod in Baptiſmatis adminiſtratione conſiſtit, a nullo invadi poſſe ſine Canonum deſpectu exploratiſſimum penitus eſt. Revera Cathecumenos baptizare, & per Baptiſmum intra Ovile Eccleſiæ recipere munus Paſtorum eſt, atque Rectorum. Imo olim frequentius pene ſoli Epiſcopi baptiſma conferre ſolebant, atque, ut ajebat Tertulianus Lib. de Bapt. cap. 17., *dandi* (Baptiſmum) *jus habet Summus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus; dehinc Presbyteri, & Diaconi.* Etiam Veteres permittentes Oratoria privata expreſſa cavebant, ne in illis Baptiſteria erigerentur, aut Baptiſmus tribueretur: Id ex Conciliis Calcedonenſi, & Trullano; ex Litteris Grægorii M., & Zachariæ P.; ex Edictis Juſtiniani, & Leonis Sapientis Imperat.; ex Statutis Hincmari, aliorumque Epiſcoporum, & Synodorum nos ipſi Capp. VIII., & XI. paſſi indicavimus. Qui porro ex eruditiſſimis Scriptoribus Vicecomite, Martenio, Berti; atque ex Sapientiſſimo P. Benedicto XIV. Notific. I. noverit ſæpe olim in Civitate unicum Baptiſterium erigi conſueviſſe, ut in eo omnes Cathecumeni Sacro Lavacro mergerentur, clarius advertet ab antiquis Patribus in Oratoriis Privatis nequaquam adminiſtratum fuiſſe Baptiſma. Opus igitur erit ſpeciali Epiſcoporum diſpenſatione, ut Infans in Oratorio privato Salutaribus Undis regeneretur: Imo propria poteſtate abuteretur Parochus ipſe, ſi in privato Oratorio baptizare auderet; cum etiam Parocho præſcriptæ ſint Leges baptizandi in publico Baptiſterio, niſi valde gravis neceſſitas prætermiſſis omnibus Solemnitatibus Eccleſiaſticis baptizare in privata Domo Infantem jubeat. Huc ſpectat Decretum in Clementina Unica *de Baptiſ.* Tit. 15., quo vetitum fuit, ne quis alibi, quam *dumtaxat in Eccleſiis* aliquem (*niſi Regum, aut Principum, quibus valeat in hoc caſu deferri, Liberi extiterint,*) baptizaret. Juxta hanc Legem S. Carolus in Paſtorali Inſtructione Baptiſmatis, ita præcepit Parocho. *Neque autem in privatis Ædibus, Oratoriis, aliove Loco, præterquam in Eccleſiæ Parochiali, Baptiſmalive ſolemniter baptizabit.* Extant Par. IV. Actor. Eccleſ. Mediolan.

IV. Non minore evidentia patet integrum permanere Parochorum Jus circa celebrationem Matrimonii, etiamſi Privilegio Apoſtolico Miſſæ in dome-

domeſtico Oratorio concedatur. Etenim juxta Decretum Concilii Trident. Seſs. 24. *de Reform, Matrimon.* cap. 1. Matrimonium valide celebrari non poteſt ſine proprii Parochi, aut alterius vices ejus gerentis præſentia. Etiam Veteres Patres deſiderabant, ut Matrimonium in Loco publico, ac nonniſi in Eccleſia celebraretur: Unde dicebat Tertullianus Lib. de Monogamia fieri pariter Matrimonia *coram Epiſcopo, Presbyteris, Diaconis, intervenientibus etiam IN ECCLESIA Viduis*: & Iſaac Epiſcopus Lingonenſis Tit. V. cap. 6. ſtatuit, quod *Nuptiæ fieri debent IN ECCLESIA coram Populo*. Ita plane Veterum Sacramentaria, ac Liberi Rituales a Martenio Lib. I. de Ant. Eccl. Rit. Cap. 9. Ar. 5. editi, atque etiam Euchologium Græcorum pag. 314. Ed. Ven. declarant; in quibus Miſſa celebranda pro Sponſo, & Sponſa deſcribitur, ac Benedictio ſuper illos facienda a proprio Sacerdote in Eccleſia proponitur; quamvis tamen nonnumquam Sacerdotes in Domo Nubentium Sponſis ad thalamum ſtantibus iſtum benedicerent. Addit eruditiſſimus Monachus vetitum aliquando fuiſſe ſub anathematis pœna Matrimonium celebrare in privatis Oratoriis; atque ad hanc rem Guillelmi Majoris Statuta Synodalia Andegavenſia, & Triſtandi Archiepiſc. in Synodo Senonenſi art. 4. cap. 5. ex Tomo V. & XI. Spicilegii Acheriani allegat. Revera etiam olim Matrimonia celebrari in privata Domo, & Oratorio rariſſime permittebatur; atque illud pene tantum conceſſum fuiſſe in Oratoriis Regiis ex Theophane Lib. 4. num. 35. advertimus. De Joanne Patriarcha CP. refert Theophilactus Simocata Lib. I. Hiſt. Mauritianæ, quod a Mauritio Imperat. rogatus ejus Nuptiis in Palatio benedixit. Aliud exemplum a Matthæo Pariſio ſumit Martenius art. 2. num. 4., nempe ex Matrimonio Friderici Imperat. cum Eliſabetha Angliæ Regis Sorore. Perſeverat hactenus hæc diſciplina, & nonniſi ex ſpecialibus Epiſcoporum Diſpenſationibus graviſſima ſolum cauſſa urgente concedendis extra publicam Parochialem Eccleſiam celebrari Matrimonia permittuntur.

V. Multo magis in Eccleſia tantum proclamationes ad detegenda futurorum Conjugum impedimenta fieri debent, cum in Oratoriis privatis nullam penitus utilitatem pareant. Ante Concilium Lateranenſe IV. jam alicubi, ut videri poteſt in Ritualibus a Martenio editis, ſolebant denunciationes hujuſmodi *in Eccleſia* fieri, & ab eodem Concilio Can. 51. *ad alia generaliter* Loca promulgata fuit hæc conſuetudo; *ut cum Matrimonia fuerint contrahenda, IN ECCLESIIS per Presbyteros publice proponantur*. Renovavit Statuta Lateranenſia Concilium Tridentinum Seſs. 24. cap. 1.; juſſitque, ut fierent *ter a Proprio contrahentium Parocho tribus continuis Diebus Feſtivis IN ECCLESIA inter Miſſarum Solemnia publice*. Sicut enim ad Jura Parochorum illæ pertinent, ita in Eccleſia publica coram omnibus, non in privato Sacello futurum Matrimonium eſt denunciandum.

VI. Etiam Ritus Purificationis Mulierum poſt Partum in privato Oratorio peragi nequit. Enimvero licet ex mera Fidelium pietate in exemplum B. Virginis Mariæ ſacra hæc ceremonia a Parientibus retineatur, ac proinde proprie inter Parochorum Jura non revocetur; adhuc Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Die 18. Novem. Anni 1662. referente Van-eſpen Par. 2. Tit. 2. de Baptiſ. cap. 5. num. 9., qui non refugit ejuſdem Congregationis Decreta ſequi, a proprio Mulieris Parocho vel a Presbytero ipſius delegato eſſe faciendam declaravit. Ita quoque Diœceſanæ quædam Epiſcoporum Conſtitutiones non ſolum recentes, ſed etiam vetuſtæ edixerunt; ex quibus mihi occurrit illa Nicolai Galant Archiepiſcopi Andegavenſ. in ſua Synodo Anni 1270. Tom. II. Spi-

Spicil.pag. 213., quam hic revocari poſſe arbitror. Utrumque horum, videlicet Benedictionem prædictam nec ad propria Jura Parochorum pertinere, & tamen a Parocho fieri debere, declaratum reperio a S. Rituum Congregatione Die 10. Decem. Anni 1703., cui inter varia dubia de Juribus Parochialibus ſexto loco iſtud fuit propoſitum: *An benedictiones Mulierum poſt Partum... ſint de Juribus mere Parochialibus?* Reſpondit S. Congregatio *negative*: *ſed Benedictiones Mulierum.. eſſe faciendas a Parocho*. Alias declarationes S. Congregationis ad hanc rem pertinentes Monacellus Tom.I. Tit. 10. Formul. 18., & Pignatellus Tom.V. Conſult.76. proferunt. Ubi ergo viget tam pia, & ubique dilatanda conſuetudo, non poſſet Benedictio illa fieri in privato Oratorio niſi aut impetrata prius Ordinarii licentia, aut ſaltem a proprio Parocho obtenta facultate; maxime cum Canones eam conſuetudinem approbantes a Puerpera *Eccleſiam* adeundam eſſe commemorent. Etiam inter Græcos Puerperæ purificationem accepturæ ſe Eccleſiæ ſiſtunt, imitantes BB. Virginem Deiparam, quæ ad Templum poſt partum acceſſit, ſicut legitur in Oratione, quam recitandam ſuper Puerperam Græcorum Rituale in Goarii Opere pag.267. Edit. Ven. Anni 1730. proponit. Imo apud Græcos Mater ipſa partus accubitu exiiens propriis in ulnis ad Eccleſiam ſolet recentem Prolem deferre.

VII. Accedo ad alterum Parochorum Jus diſtribuendi Communionem Paſchalem, quod non obſtante Privilegio Apoſtolico Miſſarum in Oratorio privato intemeratum conſiſtit. Non eſt opus multa dicere; cum ex generali Statuto Concilii Lateranenſis IV. cap. 21. decernentis *a proprio Sacerdote* ſuſcipi debere *ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum*, conſequatur neceſſitas; ut unuſquiſque Fidelis, niſi ſpecialem vel a Pontifice, vel ab Epiſcopo diſpenſationem impetraverit, ad propriam Eccleſiam Sacramentum Euchariſticum ſumpturus in Paſchate accedere teneatur, ſi vult præcepto eccleſiaſtico, uti par eſt, obedire. Revera finis ipſe tam neceſſariæ Conſtitutionis etiam ad Locum, videlicet ad Eccleſiam Parochialem reſpicit, ut ſaltem ſemel in Anno propriæ Parochiæ ſe ſiſtant Fideles, a quibus olim ſingulis Dominicis, Feſtiſque Diebus frequentabantur. Quocirca Clemens VIII. P., dum Anno 1592. Conſtitutionem edidit adverſus quoſdam Parochos, qui ſuos ſubditos in Paſchate a ſe ipſis immediate accipere compellebant Sacramentalem Abſolutionem, ſignificavit ſufficere, *ut Seculares Chriſti-Fideles Sacramentum Euchariſtiæ Die Feſto Paſchalis Reſurrectionis IN PROPRIA PAROCHIA ab eorum Parocho ſumant*. Ita vero grave eſt præceptum accipiendi Communionem Paſchalem a Parocho, ut cum RR. Pontifices ampliſſima ſuis Gentilibus privilegia pro Communione Euchariſtica in privatis ipſorum Oratoriis percipienda tribuant, expreſſe Communionem Paſchalem excipiant. Verba Privilegii Cap.29. num. 7. recitabimus. Eandem exceptionem conſtantiſſime tenuiſſe Pontifices, cum cauſa Infirmitatis Miſſas in Oratorio domeſtico, & Communionem Euchariſticam concedebant, ſæpiſſime adverti Tomo 41. *Poſitionum* in Archivvo S. Congreg. Concilii, in quo plures hujus generis Privilegiorum adumbrationes continentur.

VIII. Demum violari non debere Jus Parochorum in Sepultura, ac Funere manifeſte conſtat ex Decretis Bonifacii VIII. P. cap. 1. Tit. *de Procurator.* in VI., & cap. *Dudum* §. *Hujuſmodi*. Lib.3. *Clementin.* Tit.7. *de Sepultur.*, aliiſque plurimis decernentibus per ſe ſpectare ad proprium Parochum ſuos Defunctos Parochianos Eccleſiaſticæ Sepulturæ tradere, & de proventibus funerum participare. Declarationes Sac. Congregationis Concilii huc pertinentes legi poterunt apud Monacellum in Formul. Fori

cleſ. Tit. 13. num. 75.) Id etiam ex eo patet, quod Oratorium domeſticum per ſe idoneum non ſit tumulandis Fidelibus, quorum cadavera in Loco Sacro ex antiquiſſima traditione ſunt recondenda. Imò licet Oratorium privatum evaſiſſet Locus Sacer; adhuc in illo permittere Sepulturam alicujus non expediret: Nam Mortuorum Sepulcra illic præparari eſt æquum; ubi libere Fideles ad orationes fundendas, & ad ſuffragia præbenda accedere valent. Inter Græcos ſub Leone Sapiente quorundam morem tumulandi cadavera Chriſtianorum in Oratoriis privatis Cap. XI. n. 12. deteximus quamvis illum præter generalem conſuetudinem eccleſiaſticam eveniſſe non dubitemus, cum e contra ſciamus Cæmeteria communia parari conſueviſſe, in quibus frequenter Fideles orationibus, aut etiam Sacrificio ſuffragaturi Animabus Defunctorum convenirent. Cæterum ubi irrepſerat mos ſepeliendi aliquem Defunctum in privatis Oratoriis, facile occaſionem præbuit magis reddendi publica eadem Oratoria, atque in illis Sacrificii oblationem frequentandi; ſicut in Oriente ſub Leone Sapiente contigiſſe eodem cit. Cap. advertimus. Hæc, quæ de Sepultura Fidelium diximus, ad illas Eccleſias extendere non debemus, quæ licet conſiderata Loci ratione publica non ſint, quia videlicet ipſarum janua immediate Viæ, aut Solo publico non adhæret; de publicitate tamen participant, quatenus in Piis, ac Religioſis Domibus ſunt ædificatæ, in quibus ſervata Diſciplina eorum, qui ibi morantur, vel aliis ſpecialibus cauſſis urgentibus nulla omnino publica Eccleſia exſtruitur. Hujuſmodi enim Sacra Ædificia aliunde exempta a Parochorum Juriſdictione Eccleſiæ publicæ vices ſupplent, & ſicut retroactis Sæculis in Monachorum Baſilicis intra Clauſtra exſtructis Fidelium cadavera nonnumquam tumulabantur; ita in ſimilibus Eccleſiis etiam nunc locus Sepulturæ eſſe poteſt, dummodo tamen aliunde jure ſepeliendi Defunctos quoſcunque gaudeant illi, ad quos earumdem Religioſarum Domorum interiores Eccleſiæ pertinent.

IX. Omnibus prædictis Juribus Parochialibus ſalvis adhuc acriter nonnulli Parochi contedebant ad ipſorum Juriſdictionem pertinere quaſdam Functiones Eccleſiaſticas, quas etſi negare non auderent licite fieri in Majoribus Eccleſiis Cathedralibus, Collegiati, & Regularium, in quibus, vel ex Pontificum RR. Privilegis, & Exemptionibus; vel ex longa conſuetudine; vel ex dignitate, ac copia Cleri in iiſdem adſcripti ſolemniter peraguntur; In aliis tamen minoribus Eccleſiis, & Oratoriis non tantum privatis, quàm publicis celebrari non patiebantur. Hinc cum inter Parochos, & Confraternitates Seculares, earumque Capellanos, ac Officiales frequentiſſimæ lites excitarentur, maturo examine in Congregatione SS. Rituum pluribus quæſtionibus ponderatis neceſſe fuit determinare, quid ſine præjudicio Parochialium Jurium in aliis Eccleſiis, etiam non Parochialibus, non Regularibus, non Collegiatis, permittendum foret. Contendebant enim Parochi celebrationem Miſſarum Solemnium ſive pro Vivis, ſive pro Defunctis; Benedictiones, & Diſtributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum, Ignis, Seminis, Ovorum, & ſimilium; Denunciationes demum Feſtivitatum, & Jejunorum in Hebdomada occurrentium computanda eſſe inter Jura Parochialia; ac propterea ſine Parochorum conſenſu in aliis Eccleſiis nullo ſpeciali privilegio, aut conſuetudine, aut epiſcopali licentia inſtructis peragi non poſſe tuebantur. Hæc omnia in S. Congregatione Cardinalium ſuper Ritus Eccleſiaſticos præfectorum habita Die 10. Decemb. Anni 1703. ad debitum imponendum finem controverſiis, & contentionibus Parochorum fuerunt examinata; & quamvis propria iſtorum Jura ſarta, ac integra cu-

cuſtodirentur, tamen deciſum fuit nullam ex prædictis Eccleſiaſticis *Functionibus*, Ceremoniis, & Benedictionibus ad mera Parochialia Jura pertinere; itaut libere in aliis Oratoriis, & ſine injuria Parochorum fieri poſſent. S. Congregationis Decretum approbavit die 12. Januar. 1704. Clemens XI. P. O. M., atque hac ratione litium occaſiones ceſſaverunt. Extat integrum Decretum in Bullario ejuſdem Pontificis pag. 562. Edit. R. Anni 1723. Hujus auctoritate Decreti innixæ Societates Laicorum, ubicunque Oratorium habuerint, etſi privatum, dummodo ab Ordinario fuerit in illis Miſſarum celebratio conceſſa, prædictas Ceremonias Eccleſiaſticas peragunt.

X. Quærat ergo aliquis, an hæc omnia pariter expleri valeant in ceteris Oratoriis privatis; quoniam limitationibus in Apoſtolico Privilegio præfixis nihil obeſſe videatur, ſi ibi eadem concedantur, quæ in Oratoriis Sodalitatum Laicalium permittuntur? Antequam reſolutiones, declarationeſque jam indicatæ prodiiſſent, tutius a domeſticis Oratoriis Miſſa ſolemniter cantata, Benedictiones, & diſtributiones Cinerum, Candelarum, & Palmarum ablegari poterant; quia nondum penitus apertum, exploratumque omnibus erat, utrum illa ad claſſem Jurium Parochialium revocarentur. At ſemel poſita declaratione S. Congregationis Rituum, qua prædictas Sacras Ceremonias ad Jura Parochialia non pertinere oſtenditur, ſublatum fundamentum eaſdem ab Oratoriis privatarum Domorum excludendi forte alicui videbitur. Non erit itaque inutilis quæſtio propoſita, cum tamen communis praxis, quæ eſt legitima interpres Apoſtolici Privilegii domeſticarum Miſſarum, mihi ſuppeditet graviſſimum argumentum, ut primo ab Oratoriis privatæ Domus excludam facultatem ſolemniter Miſſam cantandi; qua excluſa reliquas ſolemnes ceremonias longe ablegandi ab Oratoriis privatis facilior modus pateſcit. Quod autem vigeat communis conſuetudo nunquam ſolemniter Miſſas cantandi in privatis Laicorum Oratoriis, etiam illis in quibus omnes promiſcue Adſtantes Præcepto Eccleſiaſtico ſatisfacere poſſunt, non eſt opus multa dicere; quia unuſquiſque idoneus teſtis eſſe poteſt.

XI. Imo rariſſima etiam ſunt illa Oratoria ſive in Epiſcopiis, ſive in Monaſteriis erecta, in quibus ſolemnia Miſſarum cum cantu, & reliquo ſacræ pompæ ſplendido apparatu celebrentur. In Archiepiſcopali Capella Mediolanenſi hujuſcemodi magnificentiam adhibitam aliquando fuiſſe Parte V. Actor. Eccleſ. Mediolan. legimus; verum id ipſum S. Carolus in *Inſtitutione Familiæ Archiepiſc.* perraro concedebat. Hinc Titulo *de Præfecto Oratorii* ſtatuit, quod cum in Capella Miſſæ Sacrificium ab aliquibus *Præſulibus, præſtantive dignitate Viris hoſpitio ſuſceptis Domi* (Archiepiſcopalis) *fiet*, *audieturve*; *cum item vel ii, vel aliæ inſignes Perſonæ precibus veſpertinis.* Ad has enim quotidie fundendas ſimul omnes Familiares Archiepiſcopi congregabantur.) *intererunt*, *Muſici veniant*, *qui ſacras illas functiones muſicis modulationibus decorent*. Pariter in nonnullis Regularium Capellis intra clauſtra erectis alicubi cum cantu, & cæteris Solemnitatibus Miſſas celebratas fuiſſe, aut etiam celebrari mihi notum eſt. Sed etiam ipſi hanc conſuetudinem merito intra anguſtos limites cohibent, ac pene tantum ſemel in Anno recurrente die Feſto illius Sancti, cui ſpecialiter Oratorium dedicatum fuit, ſequuntur. Imo communiter Regulares, etſi in ipſorum Cœnobiis privata Oratoria valde inſignia ob memoriam Sanctorum, qui prius eo loco aut habitaverant, aut in Domino obdormierant, magno honore cuſtodiant; numquam in illis Miſſas cantant. Tanta ſolemnitas ſolum adhibetur in iis Sa-

cris Ædificiis, quæ exſtructa fuerunt in quibuſdam Religioſis Domibus, & ad inſtar Eccleſiæ interioris ſe habent. Quamvis enim Eccleſiæ iſtæ omnino publicæ conſiderata Loci ratione dici nequeant; cum aditus ad illa e Via publica immediate non pateat; in illis tamen aliquando celebrantur Divina Myſteria, ſicut in reliquis Eccleſiis celebrari ſolent. Extant in Urbe hujuſmodi interiores Eccleſiæ in Ædibus Presbyterorum Secularium Congreg. Miſſionis, atque in Collegio Urbano de Propaganda Fide, quæ publicarum vices gerunt; atque in illis omnes Solemnitates Eccleſiaſticæ Feſtis Diebus explentur. Etiam in Collegii Capranicenſis Capella, quæ ſub invocatione S. Agnetis V. & M. quondam, *ut aſſeritur, primo in Urbe conſtructa* fuit (ſunt verba conſtitutionum Collegii cap. 1.) ſæpe cum cantu, & Solemnioribus Eccleſiæ Ritibus Sacrificia celebrantur. Solemnitas Miſſæ cantatæ in Laicalium Confraternitatum Oratoriis peragenda conceditur; etſi forte hæc ipſa Oratoria intra Domos Religioſas exſtructa januam Loco publico immediate correſpondentem non habeant. Hac facultate gaudere prædictas Confraternitates declaravit Sac. Rituum Congregatio, dum in Decreto ſupra laudato ad X. dubium reſpondit: *Licere Confratribus dumtaxat in Feſtivitatibus Solemnioribus ejuſdem Eccleſiæ*, *vel ORATORII* curare celebrationem Miſſarum Solemnium. Hoc ipſum antea ab eadem Congregatione *in Brunduſina* ſub Die prima Junii 1601. deciſum fuerat.

XII. Ut vero permitterentur Miſſæ Solemnes in Oratoriis, quantumvis privatis Confraternitatum, & aliarum quarumdam Religioſarum Domorum prudentiſſima cauſſa movebat: Cum enim multi ſoleant congregari Fideles ad Divina Officia, quotquot videlicet ſunt adſcripti in Cathalogo Confratrum, vel in numero Alumnorum intra illas Religioſas Domos commorantes, bene iiſdem etiam Miſſarum Solemnitas indulgeri poterat, quę Oratorio ad multorum commoditatem, atque frequentiam deputato, nequaquam dedecet. Par quippe mihi videtur ratio pro hujuſmodi Oratoriis, licet privatis, quæ olim Oratoriis intra Monaſteria ædificatis ſuffragabatur. Erant ſana etiam iſta privata, quatenus Laicis inacceſſa, nec libere omnibus patentia: At quia in illis omnis Monachorum cætu Feſtis, & Dominicis Diebus cogebatur, tantaque copia Adſtantium cogregabatur, quanta Solemniori Pompæ Sacrificii congruebat; propterea a Monachis Miſſæ, Pſalmodia, alique Preces, ac Eccleſiaſticæ Ceremoniæ cum cantu, & magna celebritate peragebantur; & tunc maxime, quando numerus Sacrorum Miniſtrorum a Monaſteriis non deerat. Quanta Solemnitate Monachi Miſſas, cæteraque Divina Officia in privata ipſorum Baſilica celebrarent, manifeſte illa multa demonſtrant, quæ ab erudito Martenio in Opere de Antiquis Monachorum Ritibus colliguntur. Imo non paucæ ceremoniæ poſtea in Ritum communem Eccleſiæ receptæ, ac in Solemnitatibus frequentatæ a Monaſticis Inſtitutionibus originem traxerunt. Sicut igitur, dum olim ſimul multi congregarentur, apte Solemnia Miſſarum concedebantur, quamvis omnino publicum Oratorium, aut Baſilica non eſſet: Ita ſine ullo Sacrorum Rituum abuſu Oratoriis Confraternitatum, quantumvis privatis, & intra Domos Religioſas exſtructis eædem Miſſæ Solemnes concedi potuerunt. Quia vero hæc ipſa Solemnitas melius peragitur in Oratorio publico, ac præcipue in Eccleſiis, in quibus frequentior ſolet Populorum turba confluere; ideo limitata fuit conceſſio in Oratoriis Piarum Sodalitatum *dumtaxat* ad *Feſtivitatem Solemniorem*; ad illam nempe, quæ majorem Confratrum, aut aliorum Fidelium numerum invitare, ac congregare ſolet. De aliis autem

tem Locis Piis, quorum ſupra meminimus, longe diverſa eſt ratio.

XIII. Ecce hinc detectam deformitatem, quæ ſtatim ſeſe prodit, quoties Miſſa domeſtica ab Indulto Apoſtolico conceſſa in Oratorio privatæ domus ſolemniter cantaretur. Ipſamet ſacra pompa, ac ſpendida majeſtas Ceremoniarum Eccleſiaſticarum, quæ in Miſſa ſolemni adhibentur, anguſtiæ Oratoriorum domeſticorum repugnant. Imo quamvis iſta ampliſſima forent, adhuc repugnat abſentia Populi, ad cujus maxime inſtructionem plurimæ Ceremoniæ Miſſæ ſolemnis ſunt ordinatæ. Certe ſi cogitemus, qua de cauſſa olim ſolemnior apparatus ceremoniarum numeroſior Sacrorum Miniſtrorum comitatus, vocumque modulatus concentus in celebratione Divinorum Myſteriorum adhibeatur: Si iſta cogitemus, quam aliena ſit, & incongrua Solemnitas Miſſarum in privatis Oratoriis, in quibus ſoli Domeſtici aſſiſtunt, illico innoteſcit. Enimvero cum ſimul Populus vel in Cathedrali Eccleſia, vel in propriis Titulis congregabatur Feſtis Diebus, propterea etiam ſolemniore pompa, & cantus ſuavitate a Presbyteris, & Clero Divina Obſequia perſolvebantur. At e contra cum Miſſas faciebant Sacerdote in privatis Locis, ac ubi Populo non patebat acceſſus; tunc Sacrificium Majores noſtri, ſicut Nos etiam facimus, ſine hujuſmodi ſolemnitate offerebant. Rem inutilem hic aggrederer, ſi perſuadere vellem in eo præcipue poſitum fuiſſe diſcrimen inter Miſſas publicas, atque privatas quod illæ in Eccleſia, ad quam Populus conveniebat, ſolemniter cantarentur: Iſtæ vero in privatis Oratoriis ſine cantu, & ſine Populi frequentia fierent. Lectorem meum ad doctum Cardin. Bona Lib. I. Rer. Litugic. cap. 13. n. 4. interim ablego. Nemo porro moveatur, cum legerit nonnunqnam aliquem Miſſas cantaſſe, quamvis in Oratorio privato eaſdem celebraviſſe dicatur: Nam aliquando *Tò Miſſas cantare*, etiam de Miſſis privatis uſurpatum reperitur. Habeo exempla in Gloſſario Cangiano V. *Miſſa*: Unum ex Lib. I. Conſtitut. Hirſaugenſ. cap. 86. ubi dicitur: *Sacerdos, ſi privatam Miſſam cantare voluerit, innuit Converſo cum ſigno crucis, quod eſt ſignum cantandæ Miſſæ*: Aliud ex Libro Ordinis MS. S. Victoris Pariſienſis cap. 32. *omni tempore ante Miſſam Majorem.... poſſunt privatæ Miſſæ cantari*. Alia addi poſſunt ex Concilio Moguntino ſub Leone III. cap. 43., ex antiquis Statutis Cluniacenſium, & ex Libro Uſuum Ciſtercenſium, quæ apud Bonam laudatum n. 5. habentur. Porro *cantare Miſſam privatam* non incongrue dicebatur, cum inter Latinos verbum *cantare* ſæpiſſime, imo præcipue uſurpetur, quoties laudibus aliquis attollitur. At vero, quæ major Deo laus canitur, quam cum Sacrificium Euchariſticum offertur? Cæterum ſi excipiamus vel Cappellas magnificas in Palatiis Principum, quas Scriptores veteres cum publicis Eccleſiis comparabant ſive inſpecto numero Nobilis Cleri ibidem miniſtrantis, ſive conſiderata majeſtate Loci, ſive denique attenta copia, & dignitate eorum, qui in Palatinis Capellis Miſſæ aſſiſtere conſueverant: Inſuper ſi excipiamus Oratoria Monaſtica, in quibus, ut antea diximus, omnes ſimul Monachi diebus Feſtis ad Synaxim congregabantur: Si, inquam, iſta tantum excipiamus, vix ullum puto apud Veteres exemplum proferri poſſe celebratarum Miſſarum in privatis Oratoriis cum omni illa pompa, & ſplendore, quem pro Miſſa ſolemni Sacri Ritus inſinuant, atque deſcribunt. Imo Sacramentaria, Ordines Romani, cæterique Codices Liturgici inter Miſſæ Solemnis ritus eam in Eccleſia celebrari debere ſupponunt.

XIV. Quare mihi videretur gravi animadverſione corripiendus non tam Sacerdos Miſſam ſolemniter in privato Oratorio celebrans, quam Privilegiatus eadem ſolemnitatem permittens, dignus propterea privatione, aut ſu-

ſuſpenſione Apoſtolici Privilegii in pœnam propriæ temeritatis, qua fines Privilegii tranſgreſſus fuiſſet. Etenim omni procul dubio contra Pontificis intentionem iſta ſolemnitas adhiberetur, quæ licet non uſurparet Parochorum Jura; adhuc non modicum turbaret ſtabilitum, receptumque ordinem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, juxta quam hujuſmodi ſolemnia tantum celebrantur in Eccleſiis, ac Oratoriis publicis, in quibus frequens Populorum conventus eſſe ſolet. Revera quis credat conceſſa domeſtica Miſſarum celebratione ad unicum finem ſatisfaciendi privatæ devotioni Privilegiati, ac ipſius Familiæ, ſimul a Pontifice traditam fuiſſe licentiam ſolemniter Miſſam in privata domo celebrandi; cum hæc ipſa facultas vix ſemel in Anno in Oratoriis Sodalitatum concedatur, licet illà conſentiente Epiſcopo exſtructa fuerint, & inter Loca Religioſa, ac Immunitatis Privilegio inſtructa numerentur? Quis credat Pontificem R. diligentiſſimum, ac ſingularem Sacrorum Rituum cuſtodem tantam licentiam Privilegiatis tradidiſſe, quibus ſufficit Miſſa privata, ac privato modo peracta? Quamvis igitur expreſſe non determinaverit Pontifex in formula Privilegii Miſſam *privatam*; ſatis tamen adhuc hujuſcemodi limitationem attentis Eccleſiæ ritibus, ac conſuetudinibus exponit tum finis Privilegii, tum privatum domicilium, in quo Privilegium habet ſuum effectum, tum denique ſilentium Miſſæ ſolemnis, cujus aperta mentio ob novitatem, ac ſingularitatem gratiæ fieri debuerat.

XV. Excluſa poteſtate celebrandi Miſſas ſolemniter, & cum cantu in Oratorio privatæ domus, ſponte conſequitur arcendum fore ab iiſdem Incenſi uſum, copiam Clericorum Miniſtrantium, aliaſque ſimiles ceremonias, quæ in Miſſis privatis juxta Rubricas Miſſalis adhiberi nequeunt, ut diſcretio illarum a Miſſis ſolemniter cantatis fiat. Pacem ſimiliter poſt Orationem *Domine Jeſu &c.* dandam non eſſe a Celebrante in Oratoriis privatis inde conſtat, quod Generales Rubricæ Par.2.Tit.10.n.3.eam dari in Miſſis privatis prohibeant; quoniam dignitas Sacerdotis non aliis immediate pacem dare permittit, quam Diacono in proprio miniſterio actu miniſtranti inter Miſſarum ſolemnia. Quia vero concedit Rubrica etiam in privatis Miſſis *per inſtrumentum* Sacerdoti *porrectum a Miniſtro* pacem mittere ad Prælatos, Magnates, inſigneſque Viros præſentes; propterea hoc ſpeciale honoris, ac reverentiæ ſignum denegandum non videtur, ſi forte eximii Viri in privato Oratorio Miſsæ aſſiſterent. Ita factum fuiſse ab Eminentiſſimo quodam magni nominis, ac pietatis Cardinali non valde ante audivi: Is enim cum Sacrificio devotiſſime in proprio Oratorio vacaret, pacem per Oſcillatorium ad Præſulem præſentem miſit. Quamobrem ſi quæ ceremoniæ reſpicientes meram Perſonarum dignitatem fieri in Miſſis privatis conceduntur; cujus generis ſunt accipere Paramenta e medio Altaris, *Bugia* uti, ante inchoationem Sacrificii ſeſe inclinare verſus præſentem Epiſcopum, magnumque Virum; Has ipſas in Oratorio privato bene peragi poſse non ambigo, cum nihil inde ſolemnitatis ſingularis Sacrificio hujuſmodi cæremoniæ ſuperaddant.

XVI. De adſperſione Aquæ benedictæ, qua Sacerdos celebraturus Fideles adſtantes adſpergit, nunc ſermonem inſtituimus; & abſque ulla ambiguitate eam nullatenus fieri poſſe in privatis Oratoris tuemur. Enimvero illa Aquæ adſperſio, quæ ex Rubricæ præcepto ante Miſsam peragitur Diebus Dominicis, quamdam ex recepta conſuetudine ſapit ſolemnitatem, propter quam ſolum adhiberi ſolet in Eccleſiis, in quibus Miſsa *Conventualis*, ac ſolemniter cantatur. In aliis minoribus Eccleſiis, quamvis contingat aliquod Solemne Feſtum ibi Die Dominica celebrari; ſimiliter in reliquis Eccleſiis,

in

in quibus tantum Miſſa privata dicitur, niſi Parochialis fuerit, quæ Conventualis locum tenet. Sacro illa Ceremonia non permittitur. Quare licet in Oratoriis Laicalium Confraternitatum plures ſacras functiones fieri poſſe ſine Jurium Parochialium præjudicio Sacra Rituum Congregatio Decreto ſuperius laudato declaraverit; nihil tamen in eo de hac adſperſione legitur, de qua forte ne cogitaverant quidem illæ Piorum Fidelium Sodalitates, eam proprie Parochialibus Eccleſiis convenire ſcientes. Profecto ſi ſolemniter Aqua adſpergere Adſtantes auſi fuiſſent Capellani, aut Rectores Confraternitatum; ſtatim vehementerque reſtitiſſent Parochi, qui minoris ſolemnitatis Benedictiones in iiſdem Oratoriis fieri non tollerabant. Dum ergo nihil in Decreto de hujuſmodi adſperſione Eminentiſs.Patres decreverunt, mihi argumento eſt nullatenus dubitatum, quod illa inter Ceremonias ferme unice Parochis convenientes recenſeretur. Revera Canones, Rituſque veteres illam aſperſionem a Parocho in Eccleſia Parochiali, ad quam Populus conveniebat, Diebus Dominicis fieri poſtulabant. Videat eruditus Lector Canonem IV. Conc. Nannetenſis, Capitulare Hincmari ad ſuos Parochos cap. 5. Leonem IV. P. de Cura Paſtorali, Capitularia Caroli M. Lib. 5. cap. 210. &c., & jam proprie ad ſolos Parochos pertinuiſſe Populum in Eccleſiis aqua benedicta adſpergere libenter confitebitur. Negari tamen non debet, quod etiam in Monaſteriis ſacer hic ritus obſervaretur; cum eruditus P. Brunus in Expoſit. Miſſæ pag. 37. Edit. Veronen. plura monaſtica protulerit teſtimonia, quæ id confirmant. Facile vero mos iſte derivavit in alias Eccleſias Regularium, ac Conventuales, in quibus ſicut libere Populo patet aditus ad Sacrificia, atque in illo ſplendide Divina Myſteria celebrantur; etiam hæc, aliæque plures ceremoniæ, quæ primum ferme tantum in Parochiis ſervabantur propter Populum, ab iiſdem Eccleſiis adoptatæ fuerunt.

XVII. Quamvis autem negaverimus in privatis Oratoriis hanc ſolemnem adſperſionem fieri poſſe, non repugnamus etiam in illis poſſe a Sacerdote Aquam Ritu Eccleſiaſtico benedici; quin Domeſtici, aut Sacerdos celebraturus e publica Eccleſia vaſculum Luſtralis Aquæ ſumere cogantur. Enimvero teſte P. Merati in Rub. Miſſ. pag. 1316. Ed. Rom. Par. 4. Tit. 19. num. 2. ſine ullo piaculo etiam in Loco non ſacro Aqua benedici poteſt; unde cum ceſſaverit mos, qui adhuc Sæculo XIII. vigebat, præcipue in Anglia, ut frequenter a Clericis ad domos ſingulorum Aqua deferretur; nulla ratione reprehendendus videtur ille Sacerdos, qui Aquam benedixerit in privato Oratorio; in quo nonniſi decentiſſime vaſculum aptatur; ut priuſquam ad Altare accedat, ea dem juxta Rubricarum monitum ſigno crucis facto ſe muniat.

XVIII. Nunc loquamur de Benedictionibus Cinerum, Candelarum, & Palmarum, quas licet Moltazo Lib. 3. de Cauſſis Piis cap. 10. n. 58. in Oratorio privatæ domus non ægre tulerit; nos tamen longe ab illo ablegari oportere arbitramur, cum ad finem, propter quem vel olim inſtitutæ, vel in Eccleſia retentæ fuerunt illæ Benedictiones, attente advertimus. Hæ quippe potiores ſunt cauſſæ iſtorum Sacrorum Rituum; videlicet, ut aſperſione Cinerum Populus publicæ quadamtenus Pœnitentiæ ſubjiciatur: ut accenſis Candelis ſuperſtitio Lupercalium reprobaretur, & publicum a Chriſtiano Populo Deo obſequium præbeatur: ut denique Palmis delatis ſolemnis a Fidelibus Chriſti triumphus oſtendatur. Jam vero ecquis non videt ob has cauſſas pene tantummodo majoribus Eccleſiis prædictas ſacras ceremonias congruere. Ego quidem nimis evagarer iſtas Benedictiones late exponendo, de quibus luculenter

ter differunt doctiſſimi Scriptores Vicecomes, Martenius, Gavantus, Merati, Berti, & alii. Hinc tantummodo rem meam præſentem facere ſtudebo. Fateor itaque ex Decreto S. Rit. Congregationis Die 28. April. Anno 1607. in Oſtienſi, cujus meminit P. Merati in ſuo Indice num. 55., *regulariter* poſſe illas Benedictiones, & diſtributiones fieri *in omnibus Eccleſiis, tam Collegiatis, quam Parochialibus, tam Secularibus, quam Regularibus*. Fateor inſuper ex altero Decreto ſæpius memorato Anni 1703. Benedictiones hujuſmodi non pertinere ad jura *mere* parochialia; atque in Oratoriis aliquarum Sodalitatum ſine ulla alieni Juris uſurpatione ab Epiſcopo concedi poſſe. Attamen ſicut nemo ignorat iſtarum Benedictionum Solemnia ex prudenti Epiſcoporum mandato licite prohiberi in minoribus quibuſdam Eccleſiis, ac ubi modicus eſſe ſolet numerus Fidelium: (Hoc ipſum nonnullis Decretis Sac. Congregationis ſuper negotia Epiſcoporum, & Regularium Hieronymus Nicolius in Floſculis Verbo: *Benedictio*; & Monacellus Formul. Fori Eccleſiaſ. Tit. 13. num. 60. &c. confirmant.) Multo magis hæc ipſa Solemnia eliminari a privatæ domus Oratorio unuſquiſque intelliget. Denique conſideremus Ritum, quo juxta Rubricas illarum rerum benedictiones, ac diſtributiones fieri debent; & nihil evidentius apparebit, quam penitus dedecere in illo Oratorio fieri, in quo nec uſus Incenſi, nec Aquæ Luſtralis adſperſio permittitur, & ubi pauci cauſſa ſolius Sacrificii intereſſe poſſunt. Imo neque approbanda videretur in Oratoriis Domeſticis Cinerum antea in Eccleſia benedictorum ſuper capita Adſtantium diſtributio. Nam quamvis hujuſmodi diſtributio aut nullam, aut permodicam Solemnitatem præſeferat; atque ideo juxta quarumdam Nobiliſſimarum Eccleſiarum morem fieri permittatur a quocumque Sacerdote Miſſam privatam in Eccleſiis celebrante, ut ita facilius pia vota Fidelium impleantur, quibus in die Cinerum moleſtum foret tempus Conventualis Miſſæ expectare: Adhuc in Privilegio Apoſtolico, quod expendimus, aliud nihil præter Miſſam concedi ſolet. Hinc quod proprie ad Miſſam *dumtaxat* non pertinet, illicitum ſapit exceſſum, ſi a Sacerdote in Oratorio privato peragatur.

XIX. Quamobrem omnes illæ functiones, quæ ex Ritu Eccleſiaſtico inter Miſſarum celebrationem a Sacerdote Sacris Veſtibus induto fieri poſſunt in Eccleſiis publicis, aut ſaltem in Oratoriis deputatis ad multorum conſuetum conventum, cujuſmodi ſunt Oratoria Sodalitatum Laicalium; illæ, inquam, Functiones cum Papali Privilegio domeſticarum Miſſarum non cohærent, quia alienæ ſunt, & per ſe non ſpectantes ad privatæ Miſſæ celebrationem, quæ tantum ab illo conceditur. Sint igitur multæ Benedictiones, ſint denunciationes Feſtorum, ſint ſacræ Conciones licite intra Miſſarum actionem, nec ullum præjudicium inferant Juribus Parochialibus, qui iſta peregerint, ſicut ſæpe deciſum fuit, & præcipue in Decreto S. Rituum Congr. Anni 1703.; numquam tamen in Oratorio privato a Sacerdote ſacris operante horum aliquid licite fieri poterit. Quare ſi ad inſtructionem Familiæ verba ſalutis annunciare voluerit Sacerdos, eamque monere de Jejuniis ſervandis, ac de proximis Feſtis inſtruere; egregie quidem id faciet in Oratorio, in quo ſacra colloquia optime, & decentiſſime habentur: Sed aliud eſt hæc officia peragere cum ſignis publici miniſterii, quæ ad Locum publicum pertinent; aliud ea explere tanquam privatus Inſtructor, & Catechiſta.

XX. Ad confirmationem eorum, quæ diximus, unum advertere lubet, videlicet RR. Pontifices aliquando in ſuis Privilegiis pro Oratorio privato præter Miſſarum celebrationem, ſimul ex-

expreſſe conceſſiſſe *alia Divina Officia* in illis peragenda. Ita plane Gregorius XIII. in Privilegio Patribus Societ. Jeſu conceſſo, & a nobis cap. 18. num. 3. recitato aperte tradidit. Ita etiam legitur in amplo illo Privilegio S. Pii V., quod ſupra cap. 20. num. 13. recitavimus; ita quoque conceſſerunt Leo XI., & Paulus V. in altero Privilegio, cujus ex Regeſtis Eminentiſſ. Vicarii cap. 18. num. 9. meminimus; in quo videlicet licentia tribuitur *celebrari faciendi Miſſæ Sacrificium, ac alia Divina Officia, & ſolemniter, & cum omnibus ceremoniis, & ritibus eccleſiaſticis .... citra Euchariſtiæ conſervationem*. At vero in Oratoriis privatæ Domus jam nunc aliud vel ipſis ſuis Gentilibus R. Pontifex præter Miſſam non ſolet concedere, abſtinetque in ſuis Privilegiis ab illo additamento: *& alia Divina Officia*; quod tam opportune inſeri debuiſſet, ſi majora in iiſdem Oratoriis fieri permitterentur.

XXI. Dubium nunc incidit, an ſaltem quando Epiſcopus in privato Oratorio alicujus Privilegiati celebraret, Sacras illas Functiones peragere licite valeret? In promptu reſponſionem negativam habemus; nam ex Decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridentini Interpretum confirmato a Clemente XI. Anno 1704. diximus nihil magis poſſe Epiſcopos, alioſque quoslibet in Laicalibus privatæ domus Oratoriis, quam vigore Apoſtolici Indulti cuicunque Sacerdoti ibi celebranti concedatur. Imo neque valde commendabile foret has ſacras ceremonias in Epiſcopiorum Oratoriis peragi, quæ juxta legitimas Sacrorum Rituum Regulas Miſſæ Solemni in Eccleſia celebrandæ reſervantur. Etſi enim in Epiſcopalibus Oratoriis multo plura liceant, quam in cæteris privatarum domorum; ita ut in illis Sacramenta Confirmationis, & Ordinis nonnumquam ab Epiſcopis conferantur, quæ in aliis Oratoriis nullam rationem Loci Sacri habentibus indecenter perficerentur, niſi graviſſima cauſſa excuſaret. Attamen etiam in illis Oratoriis debitam differentiam ceremoniarum Miſſæ publicæ, & privatæ ſervare eſt opus. Sane licet S. Carolus in *Inſtitutione Familiæ Archiepiſcop.* juſſiſſet Familiares ſuos quotidie ad Sacras Lectiones, Meditationes, ac Preces; frequenter ad audienda documenta Chriſtianæ Fidei; & aliquando ad Conciones convenire in Capella Palatii, ſicut Titulo *de Præfecto Oratorii* colligitur; Attamen iſta inter Miſſarum celebrationem in Epiſcopali Oratorio non peragebantur.

CAPUT XXIX.

De vetita adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ in Oratoriis privatæ domus.

I. VARIAS Eccleſiaſticas Functiones ab Oratoriis privatis removendas eſſe oſtendimus, quæ vel Parochialibus, vel publicis Eccleſiis conveniunt; ſed nihil hactenus diximus de Sacramentis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ adminiſtrandis; quia licet ad Paſtores proprie pertineat Ovium ulcera, morboſque curare, & Famelicos ſpiritualis cibi alimonia paſcere: Hæc tamen Sacramenta non jam inter mera Parochialia Jura ſtricte ſumpta recenſentur, ut propterea hoc prætextu vetitam eorum-

rumdem adminiſtrationem in privatæ domus Oratorio aſſerere cogeremur. Profectò mores præſentes, imo a multis antea Sæculis introducti omnibus Fidelibus conſequi abſolutionis peccatorum beneficium a quocunque Sacerdote approbato ab Epiſcopo Diœceſis; in qua Pœnitentes confitentur; & Euchariſticæ Communionis ſpiritualem eſcam de manibus cujuſcunque Sacerdotis Sacrificantis ſumere permittunt. Similiter ad removendam adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, ac Euchariſtiæ ab Oratoriis privatis confugere non poſſumus ad aliud genus argumenti, quo antea uſi fuimus; cum nullam Solemnitatem eorumdem Sacramentorum adminiſtratio per ſe oſtendat, ob quam ab iiſdem Oratoriis arceri debeat. Ab aliis itaque cauſſis prohibitionem miniſtrandi in Oratoriis privatæ domus Pœnitentiam, & Euchariſtiam repetere oportet; videlicet a Statutis, aut ſaltem a generali conſuetudine Legi æquivalente, quæ eum ſolum Locum pro danda abſolutione, & communione approbent, qui publicus, & ſacer fuerit. Si enim hujuſmodi præcepta, ſeu conſuetudo reperiantur; conſequens ſimul erit neminem ab iſtorum obſervantia eſse immunem ex ſolo Apoſtolico Privilegio domeſticarum Miſsarum, quod abſque facultate in illis utraque præfata Sacramenta miniſtrandi integrum ſuum effectum obtinere poteſt. Jam vero ecquis Epiſcopus ita negligens reperitur, qui non impediat Pœnitentiæ Sacramentum miniſtrari in Laicorum Ædibus, ſi infirmos excipiamus; aut alias graves cauſsas diligenter ab ipſo cognoſcendas, & approbandas? Ecqua Regio tam inculta, in qua ad conſulendum Dignitati Sacramenti, quod in Loco Sacro aptius, digniuſque perficitur; ad præcavenda graviſſima mala, quæ inde facillime evenirent; & ad retinendam veterem Diſciplinam, quæ in Eccleſia ſuſcipiebat Pœnitentes; non ſevere prohibeatur Miniſtris Pœnitentiariis ſine cauſsa neceſsaria in privatis domibus Confeſſiones excipere? Id ſæpe in Diœceſanis, ac Provincialibus Synodis rigoroſe præceperunt Epiſcopi, & præcipue illuſtre Paſtorum exemplar S. Carolus in I. Mediolanen. Concilio Par. 2. cap.6. & in V. Concil., dum Leges ſtatuit de his, *quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent*. Nihil ergo proderit Privilegium a Pontifice obtentum, ut in privato Oratorio licite Pœnitententiæ Sacramentum perfici valeat; niſi ſimul aut ſpecialis licentia data fuerit Privilegiato ab Ordinariis, ad quos cura pertinet, ut rite, ac cum omni decore Sacramenta adminiſtrentur; aut ſpeciale a R. Pontifice impetraverit Privilegium, quod Magnis tantum Principibus, & Proximis ſuis Cognatis concedere ſolet. Formam Papalis hujus Privilegii pro domeſtica Confeſſione num. 7. recitabo. Opportune autem advertere opus eſt a prudenti arbitrio Epiſcoporum legitima de cauſſa in aliquibus privatis Oratoriis permitti poſſe Pœnitentiæ adminiſtrationem, quin proinde Parochi de violato ipſorum Jure conqueri valeant. Hinc cum Parochus S. Luciæ Urbini S. Congregationem Concilii ſupplici libello interrogaſſet, an *in privatis Oratoriis* Confraternitatum intra fines ſuæ Parochiæ exiſtentibus *removendæ ſint Sedes Confeſſionales*? S. Congregatio die 23. Januar. 1672. reſpondit *negative*, quia ut in precibus contentis Lib. 27. Decr. fol. 296. exponebatur, ab Archiepiſcopo Urbinatenſi Capellanis illarum Confraternitatum Confeſſiones Confratrum audire conceſſum fuerat.

II. Major eſt difficultas pro excludenda Communione Euchariſtica Adſtantium in Oratoriis privatis Laicorum. Cum enim valde antiquæ Chriſtianorum Diſciplinæ ac inſtitutioni Cœnæ Dominicæ congruat, ut qui præſentes fuerint Sacrificio non ſolum ſpirituali affectu, verum etiam ipſa perceptione Euchariſtiæ uberiorem de Sacrificio fructum participent. Inde cum

cum conceſſione domeſtici Sacrificii conjuncta alicui videbitur licentia Euchariſtiæ diſtribuendæ Adſtantibus, qui illam devote petierint. Magis id roborari poſſe quis arbitrabitur tam ex Concilii Tridentini Seſſ. 22. cap. 6. deſiderio ut *in ſingulis Miſſis* Fideles Adſtantes Sacramentali Communione ſe reficerent; quam ex Litteris Supremi Pontificis Benedicti XIV. Die 13. Novembris Anno 1742. ad Italiæ Epiſcopos, in quibus dum ſedavit lites exortas circa diſpenſationem Euchariſtiæ in Miſſis privatis, ſimul prudentiſſime monuit graviter corripiendos eſſe illos Sacerdotes, qui Fidelibus Adſtantibus Sacrificio, & petentibus realem perceptionem Sacramenti ſine cauſsa illam poſt ſumptionem Calicis denegarent. Hæc quippe omnia ſuadere videntur non tantum licitam, ſed penitus debitam communionem illis, qui cum aſſiſtunt Miſſæ privatæ in Oratorio privatæ domus ad abundantiorem fructum participandum pretioſiſſimo, ac ſuaviſſimo Sacramento ſaturari optant.

III. Verum ipſæ eædem ſapientiſſimæ Litteræ eximii Pontificis apertam parant occaſionem negandi facultatem communionis domeſticæ, quoties Apoſtolicum Privilegium Miſſarum celebrandarum in Oratoriis privatis expreſſe illam non conceſſerit. Docet doctiſſimus Pontifex ita in adminiſtratione Euchariſtiæ rem ordinandam eſſe, ut cum nulla ex parte Fidelium pietas fraudatur, ſimul illa incommoda, & ſcandala præcaveantur, quæ poſſent evenire, ſi pro omni loco, & tempore adſtantibus Fidelibus Euchariſtia diſtribueretur. Hinc licet per ſe valde conveniat, ut in ſingulis Miſſis Divinum Panem edant Fideles; tamen cum aliunde juxta præſentem diſciplinam Eccleſiæ, quæ extra tempus Sacrificii, & tunc maxime, quando aliqua prudens cauſſa ſuaſerit, diſpenſationem Euchariſtiæ permittit, ut ita commodius Fideles Chriſtum ſumere poſſint; etiam ſæpe expedit, ut Fideles ipſi ab importuna petitione communionis intra Miſſæ tempus miniſtrandæ abſtineant, quando forte ipſa Euchariſtiæ diſtributio aliquam occaſionem pertubationis in Eccleſiaſticis Officiis præberet. Quamobrem ad Epiſcoporum ſollicitudinem pertinet attente vigilare, ne ſine cauſſa Fideles intra Miſſarum actionem Sacramento priventur, ſi illud concupiverint; neve viciſſim ex imprudenti, & irrationabili deſiderio eorundem petentium communionem intra Miſſarum actionem inferatur aliis indebitum gravamen, ac reliqua Eccleſiaſtica Officia turbentur. Hæc quippe incommoda nonnumquam evenirent, ſi abſque ullo diſcrimine Loci, Temporis, & ſimilium circumſtantiarum in quacunque Miſſa Euchariſtia diſtribueretur. Duo ergo ſimul expreſſe demonſtrant prudentiſſimæ hæ Literæ Benedicti XIV. P., videlicet bene diſpenſari in ſingulis Miſſis Sacramentum Euchariſtiæ; & aliquando certis in circumſtantiis illius diſtributionem intra tempus Miſſæ merito denegari quibuſdam moroſis, ac importunis Fidelibus, qui aliter ſuis deſideriis ſatisfacere valent. Neque enim ullum urget Divinum præceptum, quo neceſſario diſtributio Euchariſtiæ Adſtantibus intra tempus Miſſæ facienda præcipiatur: Iſta eſt ſumma Litterarum Benedicti P. XIV.

IV. Jam vero aptemus rei noſtræ hujuſmodi planiſſima documenta, & inprimis inter circumſtantias moventes legitime Epiſcopos ad prohibendam diſpenſationem Euchariſtici Sacramenti intra actionem Miſſæ præcipue illam collocemus, quæ Locum reſpicit; cum nempe gravibus de cauſſis judicaverit Epiſcopus non expedire diſtributionem Euchariſtiæ in Oratoriis privatis, quamvis in illis Sacrificia peragantur. Plane ſi in aliquo Sacello multa onera quotidianarum Miſsarum explere oporteret, pro quibus celebrandis præſcriptum

ab Eccleſiaſticis Regulis tempus matutinum vix ſufficeret; nonne propter hanc Loci circumſtantiam prudenter Epiſcopus poſſet prohibere, ne inter Sacram Agendam illic communio Fidelibus diſtribueretur, cujus cauſsa copioſus numerus Miſſarum præfixus non amplius compleretur; Dum tamen interim Fideles facillime tempore Miſſæ in alio Altari celebratæ, vel etiam extra tempus Miſſæ communione Euchariſtica frui valerent? Præterea ſi cogitemus cauſſam, propter quam in Eccleſiis Regularium Parochiali Jure carentibus nequeat diſtribui non ſolum extra, ſed etiam intra Miſſæ actionem Sacramentum Euchariſticum Fidelibus in Die Dominicæ Reſurrectionis, quantumvis omnes eodem Die Miſſæ in iiſdem Eccleſiis celebratæ aſſiſtere, & præcepto Miſsæ audiendæ ſatisfacere poſſint: Si, inquam, cauſsam inquirimus, illam præcipue advertimus, quæ a Loco petitur. Cum enim diſpenſatio Cibi Sacri ad Paſtores proprie pertineat, & ad præcipua Parochorum officia referatur; convenientiſſimum viſum eſt RR. Pontificibus expreſse prohibere Regularibus illius diſtributionem in Die Sancto Paſchatis; ut ſaltem ſemel in Anno, & maxime in Dominicæ Reſurrectionis Feſtivitate, ob quam eccleſiaſticum præceptum Annuæ Communionis ad tempus Paſchale fuit determinatum, fieret diſcretio Eccleſiarum, in quibus viget ordinaria poteſtas diſpenſandæ Fidelibus cœleſtis alimoniæ, ab aliis Eccleſiis, quæ ſolum ex ſpecialibus Sedis Apoſtolicæ privilegiis hac prærogativa gaudent.

V. Conſiderata igitur Loci circumſtantia ſæpe Epiſcopi Euchariſtiam miniſtrari in Oratoriis domeſticis prohibere ſolent. Ad rem hanc opportune Diana Tom. 4. Tract. 2. de Orator. Privat. Reſol. 44. Cardinalem de Auria laudat, qui in ſua Synodo Panormitana Par. 2. cap. 2. num. 6. ita ſtatuerat: *In Oratoriis privatarum Ædium, in quibus S. Sedis Apoſtolicæ permiſſu celebratur, nemini unquam Sacra Communio miniſtretur, niſi facultate ab Archiepiſcopo petita ob juſtam, & neceſſariam cauſſam obtenta*. Recentius addo Decretum Patriarchæ Aquilejenſis Danielis Delphini in ſua Synodo Anni 1740. cap. 14. *de celebr. Miſ.*, ubi expreſſe decernitur: *In Oratoriis porro privatis numquam Euchariſtia adminiſtretur ſine noſtra licentia*. Gravibus ſane ex cauſſis Epiſcopi prohibent domeſticam Communionem: Nam ubi libere adſtantibus liceret in Oratorio privato Euchariſtiam ſumere, tum facile poſset numerus Cummunicantium ibidem augeri, & ſimul facile occaſio abuſuum in privata illa diſpenſatione irreperet. Hinc anſa major præberetur ad Eccleſias deſerendas: Hinc tot publica pietatis exempla, quæ in publica exhibentur communione, ceſsarent: Hinc minueretur fervor devotionis in pluribus, qui ſæpe ad frequentiorem communionem accenduntur, ut alios pios imitentur: Hinc ignotum foret Parochis, & cæteris Animarum curam gerentibus, qua frequentia Fideles ad Sacram Menſam accedant: Hinc demum nimis immoderate laxaretur Eccleſiaſticæ Diſciplinæ rigor, qui alibi, quam in Locis Sacris, a Fidelibus Euchariſtiam ſumi ægerrime patitur.

VI. Ex mera itaque conceſſione domeſticarum Miſsarum non conſequitur conceſſio Communionis Adſtantium; cum iſta duo non omnino cohæreant, nec abſolute connectantur. Quare etiam olim Concilium Derthuſanum in Hiſpania Anni 1429. cap. 7. generatim omnibus ſanis prohibebat *per privatas Domos, vel Capellas Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrari*; etiamſi in illis Epiſcopali facultate Miſsæ celebrarentur. Neceſſarium erit igitur ſpecialem ab Ordinario facultatem impetrare, ut licite domeſtica fiat Communio, quando ſimul in Pontificio Privilegio expreſsa non fuerit licentia ejuſdem Communionis tempore domeſtici Sacri-

crificii a Privilegiato pro libito percipiendæ. Revera nonnumquam iſtam facultatem ſpecialiter conceſſam fuiſſe ab Apoſtolica Sede quibuſdam Nobilibus ægrotis ſæpius adverti in Regeſtis S. Congregationis Concilii Tomo 41. *Poſition.*, in quo adumbrationes Brevium Apoſtolicorum Miſſæ domeſticæ continentur. Similiter in Privilegio Pii IV. pro ægrotis noſtræ Congregationis Lateranenſis, quod ſequenti Opuſculo recitabimus, & in aliis quibuſdam Indultis conceſſis pro Monialium Infirmarum conſolatione, quæ Cap. 19. recitavimus, exprimitur facultas, qua de manu Sacerdotis celebrantis intra clauſtra Communionem Euchariſticam ſumere conceditur. At viciſſim cum in Pontificiis Indultis expreſſe conceſſa non fuerat Communio, nemo prudens Privilegiatus limites conceſſionis tranſgredi audebat. Hinc Tomo 38. *Poſition.* ſupplex iſte Libellus ad S. Congreg. miſſus fol. 124. inſeritur.

Illuſtriſs. e Rmi Signori.

Avendo ottenuto pochi Meſi ſono N. N. di poter far celebrare in un Oratorio, che ha in Caſa ſua, e trovandoſi travagliato da più ſorti d'indiſpoſizioni deſiderarebbe, che ſe li foſſe anco conceſſa licenza di poterſi Communicare eſſo con la Moglie nel medemo Oratorio, e ſupplica VV. SS. Illuſtriſs. a farlene la grazia, che la riceverà con obligo di pregare S.D. M. &c. His precibus annuendum duxit S. Congregatio Die 23. Februar. 1613.; *& poſtulati æquitati permota, impertita eſt licentiam, ut quoties in hujuſmodi Oratorio Miſſa celebrabitur vigore Indulti ſupradicti jam obtenti, liceat quoque Oratori, ejuſque Familiæ de manu Sacerdotis inibi celebrantis, præterquam tempore Paſchatis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere*; ut habetur Lib. XI. Decr. fol. 127. *in Januenſi.*

VII. Rariſſime autem R. Pontifex tribuit licentiam Communionis domeſticæ una cum facultate Miſſarum domeſticarum: Ubi tamen concedere dignatur, ſimul utramque facultatem exprimit; ut in Privilegis Cap. XIX. num. 12. & 15. recitatis apparet. Idem pariter in Privilegiis pro Oratoriis privatis Puellarum in Conſervatoriis commorantium expreſſe concedi ſolet. Aliis autem, ſi aliquando ab Apoſtolica Sede hujuſmodi ſingulare Indultum conceditur, etiam ſingulari Chirographo deſcribitur. Hujus Indulti formulam hic ſubjicio, & eam eligo, quæ pro proximis Conſanguineis R. Pontificis adhibetur; ut inde pateat neceſſariam eſſe peculiarem diſpenſationem diſtinctam a conceſſione domeſtici Sacrificii, ut valeant Privilegiati in privatis ipſorum Oratoriis vel confiteri peccata, vel Euchariſticam de manibus Sacerdotis celebrantis accipere.

Dilecto Filio Nob. Viro N. N. noſtro ſecundum Carnem ex Fratre Germano Nepoti, & dilectæ in Chriſto Filiæ Nob. Mulieri N. N. Conjugibus.

Dilecte Fili Nobilis Vir, & dilecta in Chriſto Filia Nobilis Mulier, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Spirituali conſolationi veſtræ, quantum cum Domino poſſumus benigne conſulere, voſque amplioris favore gratiæ proſequi volentes, & Veſtrum ſingulares Perſonas a quibuſcunque Excommunicationis ..., Sententiis abſolventes... Motu proprio, ac ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine Vobis, & Natis, & Familiaribus Veſtris nunc, & pro tempore exiſtentibus, ut in privatis Oratoriis, in quibus Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrari faciendi licentiam Vobis per alias noſtras in ſimili forma Brevis Litteras, quarum tenorem præſentibus haberi volumus pro expreſſo, conceſſimus; Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum a Sacerdote inibi celebrante, præterquam in Paſchate Reſurrectionis Dominicæ, ſine ullo tamen Jurium Parochialium præjudicio ſumere, ac etiam in Ædibus veſtræ habitationis, ſeu ubivis pro tempore morari, vel eſſe contigerit

pecca-

peccata veſtra cuicunque Sacerdoti ad audiendas Confeſſiones a dilecto Filio noſtro, & pro tempore exiſtentis R. Pontificis in Alma Urbe Vicario in Spiritualibus Generali quo ad eandem Urbem; extra illam vero ab Ordinariis Locorum reſpective approbato Sacramentaliter quocunque Anni tempore, etiam in Paſchate hujuſmodi confiteri, & ab illo eorumdem peccatorum veſtrorum Abſolutionem reſpective recipere libere, licite, & valide poſſitis, & valeatis; dictique Nati, & Familiares veſtri poſſint, & valeant; ac Veſtrum, ac eorum quilibet poſſit, & valeat, ita ut nec Vos, dictique Nati, Familiareſque veſtri prædicti, nec Sacerdos hujuſmodi ea de cauſſa ullo modo moleſtari poſſitis, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Apoſtolicis . . . Ordinationibus; necnon quibuſvis pribibitionibus hactenus factis, & in poſterum quandocunque faciendis, cæteriſque contrariis quibuſcunque &c. Aliquando etiam nonnullis Infirmis ſimilem conceſſionem domeſticæ Communionis inter Miſſarum actionem R. Pontifex tribuit. Id vero ſemper diſtincte exprimitur; ſicut in Reſcriptis ſpecalibus ad ſupplices Libellos in hunc finem R. Pontifici exhibitos, & in Archivvo Eminentiſs. Vicarii deſcriptos adverti.

VIII. Quoniam vero, quod in ſingulis Eccleſiis ſingulorum Epiſcoporum Juriſdictioni, totum in univerſa Eccleſia ſupremæ Pontificiæ Auctoritati ſubjicitur; propterea ſi quis cum privilegio domeſticarum Miſſarum ab Apoſtolica Sede ſimul impetraverit ſpecialem facultatem ſumendi Euchariſtiam tempore Sacrificii, cui aſſiſtit; ei neceſſaria non erit ad Communionem percipiendam ſpecialis licentia Diœceſani Epiſcopi, qui tamen pro ſui muneris Paſtoralis vigilantia curabit, ne in exercitio iſtius conceſſionis quidquam Divino Sacramento indecens vel a ſumentibus, vel a miniſtrantibus patretur. Si enim vitia, & abuſus ex aliena negligentia irrepſerint, tunc bene ſuſpenſione Privilegii ab Epiſcopo privilegiati mulctarentur. Hi autem ſtatim parere deberent, cum generaliter hanc provinciam Epiſcopis demandaverit Concilium Tridentinum coercendi qualeſcunque defectus in adminiſtratione Sacramentorum occurrentes; & alias Pontifex R. in ſuis Privilegiis Sacramenta, ac Sacrificia reſpicientibus valde optet, ut Epiſcopi eandem attentionem adhibeant, qua non ſubvertitur Indulgentiæ Apoſtolicæ Beneficium; ſed impeditur, ne cum dedecore Euchariſticæ Hoſtiæ exerceatur.

IX. Dubium ſimiliter eſſe nequit, quod in Oratorio privatæ Domus poſſit Euchariſtia miniſtrari Adſtantibus Fidelibus Sacrificio, ſi Sacerdos celebrans ſingulare a R. Pontifice privilegium etiam in illis Oratoriis cuicunque diſpenſandi Euchariſticum Sacramentum habuerit. Nam ſicut ex poteſtate generalis Regiminis Eccleſiæ poteſt R. Pontifex alicui Fideli licentiam tribuere accipiendi Communionem in Oratorio domeſtico, quin pro debito obedientiæ erga ſupremum Rectorem, Paſtoremque univerſalem Epiſcopi reſiſtere valeant: Ita quoque non deberent Epiſcopi impedire exercitium prædicti Apoſtolici Privilegii, ſi forte alicui Sacerdoti conceſſum fuiſſet; dummodo tamen nihil indignum ab hoc Sacerdote Privilegiato committeretur, propter quod ab Epiſcopo tanquam generaliter ab Apoſtolica Sede juxta Tridentini Concilii Sanctiones Seſſ. 22. *Decret. de Obſerv.*, & *Evitand. &c.* ad corrigendos quaslibet abuſus in Sacramentorum diſpenſatione, & Miſſarum celebratione occurrentes Delegato coercendus foret ſuſpenſione impetrati Privilegii. An aliqui Sacerdotes hac Privilegii, amplitudine inſtructi fuerint? mihi moleſtum apparet inquirere. Rigoroſum tamen examen inſtituere oporteret de verbis Privilegii, a quibus ſicut pendet totum pretenſę facultatis fundamentum;

ita

ita inſtricto, ac rigoroſo ſenſu debent interpretari, ne ſine certa conceſſione apoſtolica præjudicium auctoritati Epiſcoporum inferatur.

X. At vero prætermiſſo examine ſimilium privilegiorum, quæ ab aliquibus proferuntur, melius reor duo obſervare 1. nullius roboris eſſe privilegia, ſi quæ tamen tantæ amplitudinis ante Concilium Tridentinum conceſſa fuerant. Nam ruente propter decretum unicum Seſſ. XXII. poteſtate Sacrificii domeſtici ſimul corruit poteſtas Communionis diſpenſandæ in privatis Domibus, quæ nitebatur in priore facultate, eamque ſupponebat. Obſervo 2. ad licitam, tutamque Diſpenſationem Euchariſtiæ in privata Domo non ſufficere generalem conceſſionem, quam Pontifex ad miniſtrandam quocunque Loco Euchariſtiam tribuerit: ſed neceſſarium eſſe, ut in privilegio ſpecialis mentio facultatis diſpenſandi Sacram Communionem in Oratoriis privatæ Domus fiat. Enimvero, ut appoſitiſſime conſiderat Paſſerinus Tom.2. de Statu Hominis quæſ. 187. art. 1. num. 957., ſingulariter eſt commemorandum, quod penitus eſt ſingulare. Quamobrem propter privilegia generaliter concedentia facultatem coram quocunque celebrandi, illi non poſſunt admitti, qui Interdicto Eccleſiaſtico obnoxii fuerint, niſi expreſſe etiam in iiſdem Privilegiis comprehendantur, & diſtincte commemorentur.

XI. Eadem ergo de cauſſa tam late extendi non poterunt privilegia diſpenſandi Euchariſtiam, ut etiam in privatis Locis, quamvis non Religioſis, licite exequi valeant; niſi hæc ipſa privata Oratoria in Pontificiis conceſſionibus exprimantur. Revera amplam adeo interpretationem non fuerunt regulæ a Scriptoribus, Juriſque interpretibus præfixæ, ac ſervatæ, quibus inſtruimur ſtricte exponere privilegia, quæ alicujus Juriſdictioni adverſa, aut vigentibus conſuetudinibus contraria fuerint. Hinc eſt, quod licet Regularibus omnibus ante, & poſt Concilium Tridentinum Romani Pontifice. Sixtus IV., Leo X., Pius IV., & S. Pius V. ampliſſimas facultates conceſſerint cuicunque Fideli diſpenſandi Sacramentum Euchariſtiæ, nec ullam Loci limitationem fecerint, ut cum Peyrino, Cottonio, & aliis advertit laudatus Paſſerinus num. 952.: Non tamen omnes Regulares ex his privilegiis ſibi permiſſum eſſe exiſtimant in privatæ Domus Oratorio votis Adſtantium, & Euchariſtiam poſcentium ſatisfacere; eoque minus id ſibi licere putant, cum Epiſcopi huic privatæ Communioni repugnarent.

XII. Quare ad illos, qui ſibi hanc ſpecialem facultatem Euchariſtiam Fidelibus diſpenſandi quocunque Loco, nullo penitus excepto, ab Apoſtolica Sede traditam fuiſſe contendunt, ad illos, inquam, pertinet claris, apertiſque Privilegii Papalis verbis id oſtendere, ut jam nullus Epiſcoporum *moleſtare*, *inquietare*, *vel perturbare* eos audeat, ac præſumat; uti in ſuis Diplomatibus RR. Pontifices cavere ſolent. Profecto nec Clemens XI., nec unquam, quod ſciam, S. Congregatio in pluribus Decretis editis adverſus illos Regulares, qui in Oratoriis privatis limites ſuæ facultatis tranſgrediebantur, Communionis adminiſtrandæ meminerunt. Hinc quippe colligendum exiſtimo vel nunquam illud invitis Epiſcopis tentaſſe; vel ſi aliqui fecerant, forte ſpecialibus privilegiis inſtructos fuiſſe. Adnotare autem hic æquum eſt illam amplitudinem facultatis conceſſæ Regularibus, ut in omnibus Locis adminiſtrare Fidelibus Euchariſtiam libere valerent, per ſe ſufficere ad eandem miniſtrandam in privatis Oratoriis, ſi Privilegiato Domeſticam Communionem Epiſcopus conceſſerit. Nam valde injurioſum videretur ſolos Regulares excipere ab exercitio illius facultatis, quæ cæteris Secularibus Sacerdotibus conceditur, poſtquam iterata Pontificum RR.

pri-

privilegia non minoris conditionis in hoc Sacramento miniſtrando eſſe Regulares præ cæteris Sacerdotibus oſtenderint. Dicta haſtenus de Communione diſpenſanda in Oratoriis privatis valent tantummodo pro Oratoriis privatæ Domus, ad quæ ſe extendit Epiſcoporum Jurisdictio. At Oratoria erecta in Religioſis Domibus, & ab illorum Jurisdictione exempta neque huic, neque aliis multis reſtrictionibus ſubjiciuntur, quibus privatæ Domus Oratoria ſunt obnoxia; cum nullum incommodum prudenter timeatur futurum, ſi in Oratoriis Religioſarum Domorum Sacramentum Euchariſticum Adſtantibus Sacrificio diſtribuatur. His concludimus Apoſtolici Privilegii pro celebratione Miſſarum in privatis Oratoriis expoſitionem, quam pro modulo noſtræ mediocritatis adornare curavimus.

CAPUT XXX.

Bullæ Cruciatæ privilegia pro Oratoriis privatis vera a falſis diſcernuntur.

I. SÆCULO elapſo in quibuſdam Regionibus, quas Romani Pontifices magnis Bullæ Cruciatæ Privilegiis clementiſſime proſequuntur, gravis irrepſerat abuſus, cum Commiſſarii ad ejuſdem Bullæ elargitionem deputati ſimul licentias celebrandi in Oratoriis domeſticis concederent. Non audemus acriter reprehendere illos, qui talia moliti ſunt; cum potius excuſationem mereantur, ſi nonnullis Scriptoribus late nimis Ipſorum Jura protendentibus crediderunt. Id enim licere putabant, quod aliquorum ſententia ipſis concedebatur; & Scriptorum fundamenta non ponderantes facile illis conſentiebant, qui propriæ Jurisdictioni faverant. Pejus tamen alii interpretabantur Bullam *Cruciatæ*: (Ita quippe appellatur, tum quia aliquam gerit ſimilitudinem Privilegiorum, quæ olim Cruce ſignatis adverſus Fidei, & Chriſtiani Nominis hoſtes proficiſcentibus dabantur: tum quia, ut apposite advertit Mendo *de Cruciata* Diſp. 1. cap. 4., Cruce ſignatur.) Nam ex illius conceſſione ſtatim liberam facultatem Miſſarum celebrandarum in privatis Oratoriis conſequi tuebantur; itaut neque ad R Pontificem, neque ad Comiſſarium ipſum pro domeſtica illarum celebratione illi confugere deberent, qui ejuſdem Bullæ conceſſione inſtructi fuiſſent. Quot ex hac interpretatione prodirent incommoda nemo non intelligit; cum patentiſſimum aditum aperiret cuicunque licet vilis conditionis, & abjectæ ſortis, qui Cruciata munitus in Hiſpaniarum Regnis, Inſuliſque Siciliæ, & Sardiniæ domeſticum Oratorium aptare potuiſſet, cui ab Epiſcopo approbatio ad Rem Divinam faciendam nequaquam denegaretur.

II. Vanæ, ac falſæ hujuſmodi interpretationes jamdiu evanuerunt, atque ab illis cordati omnes Hiſpani, Siculique Scriptores longe receſſerunt; nec ullum Bullæ *Cruciatæ* Commiſſariis prætenſæ facultatis veſtigium permittendi Miſſarum celebrationem in domeſticis Oratoriis relictum fuit. Imo expreſſe iiſdem prohibuiſſe Gregorium XV. P. Anno 1622., & Clementem IX. P. Anno 1668., ne in poſterum ſe ſinerent ſeduci alienis figmentis opportune Moſtazus Lib. 5. de Cauſ. Piis cap. 10. n. 50. monet. Habe-

Habeamus etiam apertam declarationem S. Congregationis Concilii Die 14. Novem. 1648. ad quartum dubium propoſitum ab Archiepiſcopo Calaratino: *An Privilegium Bullæ Cruciatæ pro hujuſmodi* (privatis) *Oratoriis*, *& Altaribus* (portatilibus) *ac Miſſarum celebratione poſſit ſuffragari?* Ita enim reſponſum fuit, ut habetur in Regeſtis Lib. 18. Decr. fol. 543. *Privilegium Bullæ Cruciatæ ſuffragari non poſſe*: Et ad quintum dubium Eminentiſſimi Patres reſponderunt *licere* Epiſcopo *etiam ad pænas cenſurarum* contra delinquentes procedere.

III. At verba Bullæ ponderemus ad regulas exactæ interpretationis, & juxta illum rigorem, quem nobis præſcribunt tenendum, qui de legitima Legum, aut Privilegiorum interpretatione diſſeruerunt; ut hinc nitidior mens Pontificis in *Cruciatæ* conceſſione reſplendeat. Iſta autem ſunt verba diligenter examinanda. *Concedimus*, *ut libere poſſint in Eccleſiis*, *in quibus alia Divina Officia Interdicto durante quomodolibet celebrari permiſſum fuerit*; *vel in privato* Oratorio *ad divinum cultum dumtaxat deputato ab Ordinario viſitando*, *& approbando*, *etiam in Locis Interdicto quavis etiam Apoſtolica Auctoritate ſuppoſitis*; *dummodo ipſi cauſſam hujuſmodi Interdicto non dederint*; *vel per eos non ſteterit*, *quin Interdictum hujuſmodi amoveatur*; *ac qui facultatem ad id ab infraſcriptis Epiſcopo*, *& Commiſſario habuerint* (In quibuſdam Bullis, & maxime in illa, quam recitat Mendo, ita legitur: *Ad id a Commiſſario Generali habuerint*.) *etiam per horam antequam illuceſcat dies*, *& per ſimilem horam poſt meridiem*, *in ſua*, *ac Familiarium*, *& Domeſticorum*, *& Conſanguineorum ſuorum præſentia Miſſas*, *& alia Divina Officia per ſe ipſos*, *ſi Presbyteri fuerint*, *celebrare*, *vel per alium*, *ſeu alios* (aliquando hæc verba: *ſeu alios*: omittuntur.) *celebrari facere*, *& tempore Interdicti hujuſmodi Divinis intereſſe*: *Eis tamen*, *qui præmiſſo Oratorio ad præmiſſa uti voluerint*, *ut quoties id fecerint*, *aliquas preces Deo pro unione Principum Chriſtianorum contra Infideles*, *& eorumdem contra eoſdem victoria fundere teneantur*. Ad normam iſtorum verborum nuper legi deſcripta eſſe Privilegia *Cruciatæ*, quæ Archiepiſcopus Panormitanus Commiſſarius in Regno Siciliæ poſt *Cruciatæ* Bullam confirmatam a Clemente XII. P.; & publicatam a Benedicto XIV. P. concedit.

IV. Ex illis verbis in hunc modum aliqui nimis extendentes Cruciatæ Sanctæ Beneficia diſputabant, & plurimis argumentis ſuadere tentabant licitam Miſſarum celebrationem ex mera Cruciatæ collatione. Ita ergo inſurgebant: I. Quamvis expreſſe conceſſionem Oratorii privati ad Miſsas celebrandas non enunciet Bulla, illam tamen evidenter ſupponit, dum facultatem Miſsarum in eodem Oratorio tempore Interdicti peragendarum tribuit. Quis enim putet permitti, quod majus eſt, & ſimul non concedi, quæ ſunt minoris momenti, quoties optima illa Regula LIII. Juris in VI. retinetur firma, & conſtans: *Cui licet*, *quod eſt plus*, *conceditur*, *quod eſt minus*? Si facultas celebrationis in Oratorio Domeſtico conceditur tempore Interdicti, multo magis conceditur in illo Sacrificium offerre aliis diebus, & temporibus; cum numquam alibi tempore Interdicti, quam in Oratoriis idoneis, & pro celebratione facienda prius approbatis Miſſas facere liceat. II. Non inutiliter in Bulla ampliativum adverbium *etiam* adjungitur, quo ſignificetur, præter tempora Interdicto non ſubjecta, liberum fore Privilegiatis ETIAM tempore Interdicti in privato Oratorio Miſſas celebrari facere. III. Addatur verbo futuro exprimi Oratorium *viſitandum*, *& approbandum* ab Ordinario. At quorſum, ajebant illi, futura hic ponitur viſitatio, & approbatio Oratorii; niſi quia vigore Bullæ Or-

dinarius viſitare, & approbare cogitur privatum Oratorium, cujus Indultum ſimul obtinuerunt, qui Bullæ Cruciatæ privilegia impetraverunt? Profecto ſi Cruciata Sancta quo ad Domeſticum Oratorium nullam ſpecialem facultatem addidiſset, ſupponi debuerat Oratorium jam viſitatum, & approbatum, ut in illo poſtea Miſſam vel celebrare, vel Miſſæ aſſiſtere valerent, qui Bulla uti maluiſſent.

IV. Demum obſervabant verba illa: *Qui facultatem ad id ab infraſcriptis Epiſcopo, & Commiſſario habuerit*: ſignificare ab ambobus conſequi facultatem *ad id*, nempe ad celebrationem in privatis Oratoriis etiam tempore Interdicti faciendam; cum hoc tamen diſcrimine, ut Epiſcopus eo ſenſu facultatem tribuere diceretur, quod approbaret Oratorium; Commiſsarius vero eandem facultatem concedere intelligeretur, quia Bullam largiretur, per quam privatum Oratorium obtinendæ epiſcopali approbationi idoneum reputari poſset. Ita diſputabant illi, quos Moſtaz. cit. num. 44., & Diana Tom. 4. Tract. 2. Reſol. 48. allegant.

V. Tolerari utcunque potuiſset hic diſputandi modus, antequam ſeveriſſimæ reſtrictiones Miſsarum domeſticarum in Concilio Tridentino ſtabilitæ eſsent. Cum enim nimis facile tunc illæ permitterentur, ex hac ipſa facilitate occaſionem arripere potuiſſent Bullæ Cruciatæ interpretes, ut ejuſdem privilegia latius amplificarent; & quamvis extra legitimum, propriumque Bullæ ſenſum verba expoſuiſsent, adhuc illorum temporum circa domeſticam celebrationem Sacrificii Diſciplina nonnullam excuſationem immoderatæ huic dilatationi Privilegiorum Cruciatæ præbuiſset. Verum poſtquam Concilium Tridentinum omnibus Epiſcopis Miſsas in privatis domibus permittere prohibuit, ac inſuper qualiacunque privilegia ſuppreſſit; tam late effundi Cruciatæ conceſſiones intolerabile videtur. Non ignoro quidem in eodem Tridentino Concilio non ſemel a nonnullis tentatam; atque ob reverentiam Hiſpanorum teſte Card. Pallavicino Lib. 16. Hiſ. Conc. Trid. cap. 8. num. 5., & Lib. 24. cap. 8. prætermiſſam fuiſse Cruciatæ abolitionem. Attamen neque etiam ullus ignorare poteſt, quin inutilis penitus pro vaſtiſſimis Hiſpaniarum Regnis Conſtitutio Generalis edita a Patribus Tridentinis Seſs. 22. Decreto *de evitandis* &c. evaſiſset, quoties virtute illius Bullæ libere domeſtica celebratio concederetur. Profecto cum in illis Regionibus paſſim quibuſcunque Perſonis tribuantur Privilegia Cruciatæ, vel Tridentini Patres a condito Decreto Hiſpaniarum Regna excipere, vel ſaltem in hac parte illius privilegia mutilare debuerant.

VI. At preſſius urgeamus, atque ab illis Interpretibus poſtulemus, utrum generalis retractatio omnium facultatum poſt Concilium Tridentinum conceſsarum pro Sacrificio domeſtico, quin tamen Cruciata mutilaretur, cum eo cohæreat, quod ab ipſis de facultate domeſtici Sacrificii illico proveniente ex participatione Privilegiorum Cruciatæ aſserebatur? Poſtulemus inſuper, utrum prohibitio omnibus facta concedendi Oratoria privata ad celebrationem Miſsarum, & reſervatio ejuſdem conceſſionis ad ſolum R. Pontificem concordent cum ea auctoritate, quæ in Commiſsariis Cruciatæ fingebatur? Pugnant equidem vehementer invicem iſta; neceſsariumque fuiſset in illa retractatione facultatum expreſse excipere Indulta Cruciatæ; atque in prohibitione omnibus facta manifeſte a reliquis Commiſsarium Bullæ prædictæ ſegregare. At Paulus P.V., dum omnes ſuſpendit facultates antea conceſsas Miſsarum domeſticarum, & dum nemini licere ſolo excepto R. Pontifice ſimiles elargiri licentias Litteris encyclicis ad univerſos Epiſcopos miſſis Ann. 1615., declaravit, ne verbum quidem de Bulla, & Commiſsario Cruciatæ inſeruit. Protulimus Cap. 14. Litteras S. Congregationis Concilii, eaſque

præ-

præcipue nomine Pontificis miſſas ad Nuncium Hiſpaniarum, neque in illis quidquam de Cruciata ſcriptum advertimus; cujus tamen neceſſario meminiſſe oportebat ad plenam inſtructionem Nuncii Apoſtolici ibi commorantis, ubi maxima frequentia Cruciatæ privilegia elargiebantur. Porro tam firmiter perſuaſi erant Nuncii in Hiſpanica Aula commorantes nihil ſuffragari Bullam Cruciatæ, nihilque valere illius Commiſſarium in conceſſione Miſſarum intra Oratoria Domeſtica; ut poſt illas Litteras S. Congregationis nemini in poſterum licere illam facultatem concedere proteſtarentur, nec alium modum ſupereſſe ad ſimiles impetrandas licentias, quam immediate ad Apoſtolicam Sedem confugiendo; ſicut cit. Cap. num. 20. indicavimus. Omnibus etiam Epiſcopis Hiſpaniarum tunc perſuaſum erat nullatenus ſuffragari Cruciatam; unde quam pro ægrotis Apoſtolicam Delegationem optabant, precibus Catholici Regis ad ſexennium duraturam impetrare ſtuduerunt, ut Cap. citato numer. 15. tradidimus.

VII. Abunde iſta rejiciunt, & falſam eſſe ſuperius recitatam interpretationem Cruciatæ evidenter demonſtrant. Verum etſi tantum non obtinuiſſent expenſæ rationes; ſaltem poſt illas declarationes Pauli V. P. nemo ullus propter aliquod Bullæ ſubobſcurum verbulum tam late extendere ipſius privilegia debuerat. Etenim quanto ſtrictius interpretamur Cruciatæ privilegia, quæ ad domeſticam celebrationem pertinent, tanto verius mentem Pontificis Privilegia illa diſpenſantis aſſequimur. Hanc quippe regulam ſervandam ſtatuunt periti Interpretes, ut ſtante aliqua Legis obſcuritate potius conſonam menti Legislatoris, quam Legis verbis interpretationem faciamus: quoniam Legis verba illam tantummodo facultatem tribuunt, quam Legislator tribuere voluerit. Unde Regula LXXXVIII. Juris in VI. ita docet: *Certum eſt, quod is committit in Legem, qui Legis verba complectens contra Legis nititur voluntatem*. Strictiſſime igitur verba Cruciatæ a ſingulis interpretari debebant, poſtquam omnes intellexerant, quam ſeveri RR. Pontifices circa domeſticas Miſſas merito evaſerant; nec ullam ſuſpicionis anſam præbuerint ſe tam liberales eſſe velle in Cruciatæ conceſſione; ut per eam in Oratoriis privatis Miſſarum privilegium libere permitterent.

VIII. Cæterum nec ipſa Sanctæ Cruciatæ verba eam obſcuritatem habent, propter quam in ſenſum a nonnullis Scriptoribus confictum flecti unquam debuerint. Antiqua ſane, & in utroque Jure recepta ſententia L. *Si non fortem* 26. D. *de condict. indebit.* Cap. *Cum Cappella* Tit. *de Privil.* & Cap. *Ex Tuarum* Tit. *de Auctorit.*, *& Uſu Pallii*; ne privilegia latius extendantur, & ultra id, quod in verbis exprimitur: Multoque magis iſtius propoſitionis veritas in illis circumſtantiis militat, in quibus ob ſingularitatem privilegii ab obſervantia Legis vehementer urgentis, & ad bonum commune plurimum conducentis aliqui liberarentur. Ad hanc regulam reſpexerunt RR. Pontifices, qui videntes Cruciatæ Indultum de electione Confeſsarii approbati ab Ordinariis plus æquo a quibuſdam extendi, iſtorum ſententiam reprobaverunt, & interpretationem verborum Cruciatæ intra legitimos fines a Bullæ Largitore intentos coarctaverunt. Id factum eſt a Paulo V., Urbano VIII., Clemente X., & poſtremo ab Innocentio XII. Conſtit. 154. Die 19. Aprilis Anni 1700. Ad eandem itaque Regulam etiam nos attendentes, ut ſenſum legitimum Bullæ aſſequamur, duo valde inter ſe diverſa privilegia diſtinguimus; unum, quod permittit approbationem privati Oratorii pro Miſſarum celebratione; alterum, quo in eodem Oratorio etiam tempore Interdicti Localis Miſsæ Sacrificium peragere conceditur. Valde equidem duo hæc inter

ter ſe differunt; ita ut primum ſine altero ſæpiſſime reperiatur: Secundum vero, licet exequi nequeat ſine impetratione Prioris, tamen per ſe primum Privilegium non confert; ſed ſpeciali alia conceſſione traditum præſupponere debet. Unde hoc ſecundum Privilegium eſt conditionatum in ſui exercitio, & ab altero dependens: Multa equidem ſunt Privilegia hujus generis æquivalenter conditionata, quæ tamen conditionis perfectionem virtute ſua non operantur; imo niſi alterius privilegii efficacia impleretur, omni effectu carerent. Gaudeat e.g. aliquis Privilegio ubique etiam in Oratoriis privatis Communionem Euchariſticam accipiendi, niſi ſupponatur in Oratorio facultas Miſſæ celebrandæ, quem fructum de ſuo Privilegio ille obtinebit?

IX. Facta diſcretione, & ſeparatione dictinctorum illorum Privilegiorum, Cruciatæ genuina interpretatio ſponte conſequitur: Tres nempe facultates vigore illius Bullæ tribui verba ſuperius recitata ſignificant. Prima eſt, ut ratione Interdicti Localis, qui Cruciatam habuerint per ſe ipſos, ſi Presbyteri fuerint, in privatis Oratoriis celebrare; vel per alium celebrari facere Sacrificium nequaquam prohibeantur. Secunda eſt, ut in iiſdem Oratoriis hora ante auroram, & hora poſt meridiem Miſsæ fieri poſſint. Tertia demum eſt, ut Miſsæ celebratæ in prædicto Oratorio tempore Interdicti Familiares, Domeſtici, & Conſanguinei intereſse libere valeant. Tria hæc tantummodo illis verbis in controverſiam poſitis Bulla Cruciatæ largitur; Oratorii autem capacitatem ad Miſsarum celebrationem non concedit, ſed eam ſupponit pro illis neceſsariam, qui prædictis privilegiis uti voluerint. Quare niſi licentiam celebrandi in privato Oratorio ex ſpeciali alio Apoſtolico Indulto habuerit Cruciata inſtructus, ab exercitio trium illarum facultatum, quæ in Bulla reſpiciunt celebrationem Miſsæ in privato Oratorio, abſtinere cogitur, ne ultra limites Cruciatæ vagetur.

X. Neque vero mirum eſt, quod eadem formula Bullæ Cruciatæ uniformiter omnibus tribuatur; & tamen non omnes, quibus conceditur, æque habeant eas conditiones, & Nobilitatis, aut Dignitatis requiſita, ſine quibus Indultum pro Miſsarum celebratione in privatis Oratoriis a R. Pontifice obtineri nequit. Nemo inde miretur, quia uniformitas iſta confuſionem declinans ſimul omnia privilegia Cruciatæ proponit; nam licet non omnes Cruciatam habentes de illis favoribus valeant participare, quæ ſupponunt Domeſticum Oratorium, bene poſsunt frui aliis inſertis privilegiis circa eſum Carnium, & Lacticiniorum; circa Indulgentias ſpeciales, abſolutionem peccatorum reſervatorum, & ſimilia. Debuit etiam teneri quo ad omnes eadem Formula Cruciatæ, quia forte contingere poteſt quoſdam mutata ſorte ſubinde capaces omnium Bullæ privilegiorum reddi.

XI. Stabilita, & declarata legitima interpretatione verborum Cruciatæ, ventilanda ſunt argumenta oppoſita. Quod enim dicitur conceſſo majore etiam minora concedi, veriſſime admittitur, dum in majore virtus, & efficacia ad minora peragenda vere contineatur. Secus Regula LIII. Juris nimis fallax erit, ut bene Gloſſatores ejuſdem Regulæ obſervant. Difficile porro eſt definire, an majus ſit privilegium habendi domeſticum Oratorium ad quotidianam Miſſam pro libito celebrandam: an vero alterum Privilegium in eodem Oratorio Miſſas peragendi etiam tempore Localis Interdicti? Nam licet hoc ſecundum poteſtatem in priori conceſſam amplificet, tamen Primum præbet alteri fundamentum, ut exerceri poſſit. Revera ſi deſit Oratorium domeſticum approbatum ab Ordinario, ubinam poterit, qui Cruciatam obtinuit, tempore Interdicti Localis celebrare, aut celebrari facere; cum ipſi ſit limitatum privilegium

gium ad privatum proprium Oratorium; nec ad publicas Interdicto ſubjectas Eccleſias accedere poſſit?

XII. Alterum, quod de particula *etiam* ſubdebatur, potius ſubvertit, quam falſas illas interpretationes Cruciatæ ſtabiliat. Etenim quare adhibita voce ampliationem præſeferente non ſimul fuerunt uſurpata alia vocabula, quibus vigore Bullæ concedi celebrationem Sacrificii in Oratoriis domeſticis oſtenderetur? Dilatet quantumcunque Miſſarum facultatem *Tò etiam*; exprimenda tamen erat aperte ipſa facultas celebrandi in privato Oratorio, ſi derivabat ab eodem fonte, ideſt a S. Cruciatæ Bulla, a qua major extenſio promanabat? Unde tanta parſimonia verborum in illo diplomate, quod tam late proponit ſua privilegia? Profecto non eſt minima, paruique momenti facultas quotidiani Sacrificii in privato Oratorio, ut diſtincte exprimi non mereatur. Aptiſſime ergo abſtinuit Bulla facultatem iſtam exprimere, quia unice ejus privilegium ad tempus Localis Interdicti reſpiciebat. Cum enim Indultum Apoſtolicum pro Miſſarum celebratione in Oratorio privato non contineat licentiam celebrationis tempore Interdicti, iſtam ſuperaddit Cruciata; & quia illam facultatem ſuperaddendo gratiam antea a Pontifice impetratam diſtincto privilegio dilatat, ideo opportune verbo ampliante *etiam* utitur; atque ita non aliunde, quam ad tempora Interdicti hanc facultatem dirigi oſtendit.

XIII. Tertium, quod proponitur, facile diſſipandum cenſeo ex eo, quod Cruciatæ privilegia valere poſſint, etiamſi illi, qui ejuſdem Bullæ participes facti ſunt, nondum Apoſtolicum Indultum pro Miſſarum celebratione in Oratorio privato obtinuiſſent, aut nondum illo Indulto uſi fuiſſent; dummodo tamen ante uſum Cruciatæ tempore Interdicti aut Apoſtolicum prædictum Indultum impetrent; aut jam impetratum exequantur petita viſitatione, & approbatione Ordinarii, quam Pontifex in Privilegio Miſſarum in domeſtico Oratorio celebrandarum requirit. Prudenter itaque verba illa in futuro adhibentur *viſitando*, & *approbando*; ut magis amplum oſtendatur Cruciatæ privilegium; omneſque auferantur ambiguitates, quæ forte oriri poſſent, ſi aliquis ad Apoſtolicam Sedem pro impetrando Indulto Oratorii privati confugeret, poſtquam Cruciata inſignitus eſſet; aut ſi ſolum eodem Indulto uti vellet tempore Interdicti. Nam quia facultas Cruciatæ celebrari faciendi ea in occaſione non limitatur ad Oratorium approbatum ante Interdictum, propterea habens Cruciatam, & ſimul habens Indultum pro Miſſarum celebratione in Oratorio privato bene poſſet hoc Indultum exequi occaſione Interdicti; quatenus illius privilegii vigore approbationem Oratorii ab Ordinario obtineret, illaque obtenta facultatem a Cruciata conceſſam exequeretur. Hanc expoſitionem libentius ſuſcipiendam arbitramur ab iis etiam, qui ægre ſtrictam Bullæ Cruciatæ interpretationem patiuntur.

XIV. Ad ultimum argumentum num. 4. propoſitum conſiderato verborum Cruciatæ contextu prona, & facilis eſt reſponſio. Prius enim exponitur privilegium Cruciatæ pro celebratione in Oratoriis domeſticis tempore Interdicti Localis conceſſa, & ſimul declaratur requiſitum neceſſarium, ut eadem Oratoria ſint viſitata, ac approbata: Subinde vero traditur alterum privilegium, quo anticipari in prædictis Oratoriis ad horam ante Auroram, & hora poſt meridiem ſimiliter Sacrificium poſtponi poteſt. Neceſſarium erat autem ad exercitium hujus ſecundi privilegii, quod tum Oratorium approbatum ab Ordinario, tum impetrata a Commiſſario Generali Bulla Cruciata ſupponerentur: Nam ubi alterum ex his duobus defuerit, certe anticipari, aut poſtponi in privato Oratorio Sacrificium non poterit. En ergo quid

reſpiciant verba illa: *qui facultatem ad id ab Epiſcopo, & Commiſſario habuerint etiam per horam &c.*: Ideſt, qui approbatum habuerint ab Ordinario Oratorium, & qui a Commiſsario Cruciatam obtinuerint, illi *per horam* in Oratorio Miſſam anticipare, vel poſtponere poſsunt. Clara adeo, & obvia videtur hæc verborum expoſitio, ut quam maxime. Manifeſtius autem apparet *Tò ad id* reſpicere ſolam conceſſionem Cruciatæ, ſi altera Lectio teneatur, in qua nomen Epiſcopi tacetur; quoniam facultas Bullam Cruciatæ diſpenſandi ad Commiſſarium tantummodo pertinet. At ſatis pulſavimus falſa ejuſdem Bullæ interpretamenta, quæ ex mera Cruciatæ conceſſione diſfluere poteſtatem celebrandi in privatis Oratoriis falſo tradebant.

XV. Plura alia adhuc conceſsa circa domeſticam celebrationem ex ejuſdem Bullæ traditione præſumuntur. I. Plures Miſsas in ſingulis Oratoriis ad libitum quotidie celebrari poſse. II. Nullam Dierum, Feſtorumque in illis eſse exceptionem. III. Ab habentibus Bullam ſatisfieri præcepto eccleſiaſtico auditionis Miſsæ quocunque in Oratorio iſta audiatur. IV. In alieno Oratorio privato poſse eoſdem Privilegiatos ſingula peragere, quæ in proprio Oratorio valerent. V. Approbationem Oratorii a quocunque Ordinario ſumi poſse. VI. Liberum eſse Sacramenta omnia, & maxime Euchariſtiam ſuſcipere omnibus Diebus. VII. Indulgentias conceſsas in eadem Bulla lucrari poſſe in iiſdem Oratoriis. Nituntur Patroni iſtorum privilegiorum præcipue ſupra num.3. recitatis verbis, quæ nihil limitant de numero Miſsarum; quin potius pluralitatem iſtarum permittere videntur, cum disjunctive de Miſsa dicatur, eam *per alium, ſeu per alios celebrari facere* poſſe: Nullum quoque Diem Feſtum excipiunt verba illa; neque facultatem determinant, pro Oratorio habentis Cruciatam. Quantum porro attinet ad Sacramentorum ſuſceptionem additur: *Item Euchariſtiam, & alia Sacramenta, præterquam in Die Paſchatis recipere*: neque ulla limitatio Oratorii publici, aut privati ad eadem percipienda præfigitur. Poſtremum vero de acquiſitione Indulgentiarum in privato Oratorio aliis Bullæ verbis, quæ ad illorum conſecutionem unice requirunt viſitari quinque Altaria, vel quinquies unum Altaria, Scriptores aliqui comprobabant.

XVI. Quamvis autem male expoſita Cruciatæ verba, quæ ad Oratorium privatum reſpiciunt, quibuſdam præbuerint occaſionem nimis extendendi illius privilegia; tamen ſi in ſuo nitore collocentur verba ipſa, & attente perpendatur finis intentus in eadem Bulla, palam apparet nihil penitus Cruciatam ſuffragari ſive ad pluralitatem Miſsarum, ſive ad Feſta communiter excepta in Privilegiis Apoſtolicæ Sedis pro Miſſarum celebratione in privatis Oratoriis facienda, ſive ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ extra propria Oratoria, ſive ad obtinendam approbationem a quocunque Ordinario, ſive demum ad conſequendas cæteras gratias in alieno privato Oratorio, quæ propter Cruciatam ipſam in proprio obtineri poſſent. Paucis ſimul hæc omnia demonſtrantur ſuperius dicta recolendo; nullam videlicet conceſſionem, quæ privatum reſpicit Oratorium, per Bullam Cruciatæ tribui, niſi facta ſuppoſitione alterius diſtincti Privilegii Pontificii, quo celebratio Miſſarum in eodem privato Oratorio conceditur. Hoc autem ſuppoſito neceſſe eſt affirmare, quod a Cruciata nullo modo violentur, turbenturve illa omnia requiſita, ac limitationes, quæ in altero Privilegio Apoſtolico deſiderantur: Sed ſolum infertur, quod his omnibus in ſuo robore permanentibus alia quædam virtute Cruciatæ nullatenus repugnantia, & adverſa prædictis coarctationibus ſuperaddantur. Revera ſi Cruciata, & aliud Indultum Apoſtolicum pro Miſſarum celebratione in Ora-

Oratorio privato opponerentur, ac invicem aliqua ex parte contradicerent, quomodo iſtud ab illa præſupponeretur tanta neceſſitate, ut aliter ſuo fruſtrarentur effectu Cruciatæ privilegia? Fiat enim hypotheſis, quod alterum Indultum a Pontifice datum non fuerit; jam ex dictis conſequitur, nihil operaturam eſſe Cruciatæ Bullam; quia niſi præceſſerint facultas in privato proprio Oratorio celebrandi, & iſtius approbatio, Locus idoneus exercendis Cruciatæ beneficiis, aut pro tempore Interdicti conceſſis, aut pro anticipatione, & poſtpoſitione Miſſæ ante Auroram, ac poſt meridiem omnino deeſt. Similiter ergo ſi alterum Indultum Papale conceſſum fuerit cum limitatione unius Sacrificii pro ſingulis Diebus, cum reſtrictione ad Oratorium in Domo propriæ habitationis poſitum, cum exceptione majorum Anni Solemnitatum; nullo modo Cruciatæ beneficia percipi poterunt, niſi pro illa Miſſa, pro illo Die, pro illo Oratorio, ad quæ Indultum reſpicit: Enimvero niſi res ita ſe haberet, jam Cruciata in ſuorum privilegiorum executione non dependeret, nec alterum Pontificium Indultum Miſſarum celebrandarum in privato Oratorio præſupponeret.

XVII. Clarius adhuc id illuſtrare conabor advertens hanc peculiaris Indulti præſuppoſitionem unicum, integrumque ſuppeditare fundamentum, ſupra quod Cruciatæ privilegia, de quibus diſſerimus, ſtatui, & applicari valeant; itaut, ſi illud Indultum ſubtraheretur, aut legitima de cauſſa ab Ordinario Oratorium ſuſpenderetur, ſimul ſuo exercitio Cruciatæ privilegia carerent. Jam vero quis non intelligit exceptionem certorum Dierum in Indulto factam ſuſpenſioni facultatis celebrandi in Oratorio privato reſpectu Feſtorum exceptorum correſpondere? Quis non videt, quod determinatio unius tantum Sacrificii quotidiani in Oratorio auferat fundamentum neceſſario ſupponendum, ut ibidem ratione Cruciatæ tempore Interdicti plures Miſſæ fieri poſſint? Quis non advertit Indultum præſuppoſitum ad exequenda privilegia Cruciatæ expreſſe limitari ad Oratorium propriæ habitationis, nec ullam præbere facultatem ſatisfaciendi Præcepto Eccleſiæ in Oratorio privato alterius? Denique quis non legit in eodem Indulto aperte requiri approbationem, & viſitationem faciendam ab Ordinario Loci?

XVIII. Ex his exploſæ abunde remanent præſumptæ illæ conceſſiones Cruciatæ, quas nullus admittere debet, qui veriſſime ab eadem Bulla tribui facultatem habendi Oratorium Domeſticum ad celebrationem Divinorum Myſteriorum negaverit. Dum enim hæc profiteamur, evidenter ſimul conſequitur juxta modum Indulti Apoſtolici pro Oratorio privato traditi, etiam exponi, ac exequi debere Privilegia Cruciatæ pro unica, vel multiplici Miſſa tempore Interdicti Localis celebranda. Id mihi oſtendit ſignificatio illius particulæ diſjunctivæ in aliquibus Cruciatæ Bullis adhibitæ: *peralium*; *ſeu alios* (Sacerdotes) *celebrari facere*. Plurimum quippe expediebat hanc disjunctivam apponi, ne Indulti Papalis amplitudinem (Si forte ab illo conceſſa fuiſſet Privilegiato facultas plurimarum Miſſarum quotidianarum in ipſius Oratorio celebrandarum) per Bullam Cruciatæ coarctari videretur. Inepte autem aliquis nimis immoderate dilatantes Privilegia Cruciatæ utebantur ſilentio iſtius nullam expreſſam limitationem facientis pro diebus, ac numero Miſſarum. Nam in Cruciatæ Bulla non debent exprimi illa privilegia, quæ ex ipſa non derivant; ſed illæ tantum ſunt exprimendæ facultates, quas peculiariter ipſa largitur. Numerus ergo Miſſarum, dieſque celebrationis domeſticæ non in Bulla Cruciatæ inquirantur, quæ perperam ibidem recenſerentur, utpote ad ipſam non ſpectantia; ſed in alio ſpeciali ſunt requirenda diplomate, quod dire-

directe propter Sacrificium in privato Oratorio offerendum conceditur.

XIX. Sufficit itaque, quod in Bulla Cruciatæ proprie ex ipſa derivantia privilegia exprimantur. Quia vero adimi oportebat periculum, ne quis Cruciata obtenta ejuſdem privilegiis uti auderet in Oratorio privato nondum viſitato, & approbato ab Ordinario; ideo hoc aperte expreſſit Bullæ formula, idque exprimendo ſatis indicavit, quod eadem privilegia juxta aliud Apoſtolicum Indultum Miſſarum in Oratorio privato dirigi deberent. Enimvero qua ratione Ordinarius poterit privatæ domus Oratorium ad Miſſarum celebrationem approbare, niſi Indultum Pontificis præceſſerit, in quo eadem approbatio exigitur ab Ordinario *Loci* facienda, antequam conceſſa gratia operi demandetur? Puto nullibi adeſſe contrarias conſuetudines: Si tamen alicubi forent, cum deciſum fuerit Bullam Sanctæ Cruciatæ non conferre poteſtatem domeſtici Sacrificii; & alias æquum ſit, integre obſervare omnes ab altero Indulto Pontificio pro Oratorio privato exigitas conditiones, non amplius ab Epiſcoporum vigilantia tolerandas exiſtimarem; maxime cum etiam expreſſum Decretum Concilii Tridentini ſæpius recitatum *non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcunque* urgeat. Modus, quem tenui in exploſione præſumptarum illarum facultatum, magis idoneus viſus eſt, & confirmior menti Pontificis in largitione Bullæ Cruciatæ. Si tamen alias rationes deſiderat Lector, Paſqualigum quæſ. 637., & 640. Moltazo laud. n. 55. & ſeqq. Pignatellum Tom. 6. Conſult. 98. n. 69. Dianam Tract. 2. de Orat. priv. Reſol. 54., & ſeqq. retractantem alia, quæ prius nimium Cruciatæ verba amplificando dixerat, Barboſam de Jure Eccleſiaſt. Lib. 2. cap. 8., & alios conſulat.

XX. Juxta præcedentes Cruciatæ interpretationes ſolvenda videtur altera quæſtio, quam licet multi prætermittant, moveri tamen poteſt eadem ratione, qua reliquæ proponuntur. Quid nempe complectantur verba illius: *in ſua, ac Familiarium, & Domeſticorum, & Conſanguineorum ſuorum præſentia*? Forte enim hinc ſuſpicari poterit magis late protendi Indultum Apoſtolicum pro celebratione Miſſarum in privato Oratorio conceſſum, in quo ſolent Domeſtici reticeri, & ex Familiaribus illi ſoli comprehenduntur, qui ſervitiis Privilegiati actu tempore Miſſæ fuerint neceſſarii; ac demum ex Conſanguineis illi excluduntur, qui *inſimul in eadem habitationis domo* cum eodem Privilegiato non habitant. Cum enim nullas hujuſmodi reſtrictiones Cruciata exprimat, forſitan aliquis de ejuſdem privilegio Miſſarum tempore Interdicti permiſſarum qualeſcumque Familiares, Domeſticos, & Conſanguineos, nullo penitus illorum facto diſcrimine, participare affirmabit. Huic quæſtioni conſonam reliquis reſponſionem coapto; & ſicut non obſtante Cruciata integrum, firmumque in ſuis cæteris limitationibus aliud Papale Indultum Miſſarum domeſticarum perſeverat; ita neque dilatari, aut violari debent reſtrictiones, quas idem Indultum circa Domeſticos, Familiares, ac Conſanguineos apponit. Æqualis enim, eademque urget ratio quo ad hæc omnia; unumque pro ſingulis militat argumentum. Quapropter nihil de his diſtincte in Bulla Cruciatæ additur, quia aliud Familiaribus, Domeſticis, Conſanguineiſque non concedit, quam ut tempore Interdicti Localis libere valeant Miſſa in Oratorio privato celebratæ illi omnes aſſiſtere, quibus extra tempus Interdicti ex diſpenſatione apoſtolica in eodem Oratorio Miſſam audire, & præcepto eccleſiaſtico ſatisfacere licebat. Opportune tamen communi quodam compendio illos commemorat Cruciata, ut inde palam oſtendat neminem excipi a ſuæ gratiæ participatione tempore Interdicti, quam extra tempus Interdicti per aliud Apoſtolicæ Sedis In-

dul-

tum bene conſequi poterant.

XXI. Habentes igitur ante oculos regulam neceſſario in exactis interpretationibus obſervandam, quæ cap. *Intelligentia*: Tit. *de Verbor. ſignificat.* ita proponitur: *Intelligentia dictorum ex cauſſis eſt aſſumenda dicendi, quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus*; exponere curamus, quare quædam in Cruciata indicentur, alia taceantur: quia nempe ab ea indicari debebant omnia, ad quæ privilegia Cruciatæ propria protenduntur; reliqua vero prætermitti oportebat, quæ in alio diſtincto Indulto ab eadem præſuppoſito ad licitam ſuarum gratiarum executionem expreſſe leguntur. Vereor, ne quis mihi opponat Capitul. II. *Licet* Tit. *de Privileg.* in VI., & inferat Cruciatam non quidem reſpiciendo ad aliud Indultum Pontificis meminiſſe Domeſticorum, & Familiarium; ſed quia generaliter illis concedit adeſſe Sacrificio tempore Interdicti, niſi iſtius cauſſa fuerint. Ita enim Bonifacius VIII. P. inquit, *Cum conceditur ſingulari Perſonæ, ut tempore Interdicti celebrare valeat, vel audire Divina, ejus Familiares domeſtici ad audiendum cum ea, & celebrandum ſibi Divinum Officium licite admittuntur*. Verum priuſquam iſta opponantur, diligenter advertere opus eſt, an illa conceſſio facta valde ante, quam ad magnum rigorem coarctarentur licentiæ Miſſarum domeſticarum admitti valeat; maxime cum per Concilium Tridentinum ſublatæ fuerint præcedentes omnes conſuetudines, exemptiones, & Privilegia; ac nihil amplius quiſque poſſit, quam quod ex ſpeciali Indulto Apoſtolico obtinuerit. Cæterum ſi de jure licebat Miſſæ intereſſe in privato Oratorio Domeſticis, & Familiaribus, nonniſi cum ſuperfluitate ſermonis eorumdem meminiſſet Cruciata: Id autem nemo hactenus proferre auſus eſt. Lubet hic ſubnectere declarationem factam a S. Congregatione Concilii Die 21. Maii Anno 1672. in una Toletana ad V. Dubium, quod ita proponebatur a Franciſco Fortezza Vicario Generali Cardinalis de Aragon Archieſpiſcopi Toletani: *An Familiares Perſonæ, cui Oratorii Indultum* (Apoſtolicum) *conceſſum fuit, qui illius ſervitiis tempore dictæ Miſſæ actu neceſſarii non ſunt, & ex tenore dicti Indulti non liberantur ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia Diebus Feſtis de præcepto, ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ audiendo ibi Sacrum ex eo, quia ex Auctoritate Apoſtolica etiam gaudeat privilegio, quod poſſint in Eccleſiis, in quibus alias Divina Officia Interdicto durante quomodolibet celebrare permiſſum fuit, vel in privato Oratorio ad divinum cultum tantum deputato ab Ordinario viſitando, & approbando etiam tempore Interdicti, cui ipſi cauſſam non dederint &c. Miſſam audire, & per alios celebrare facere?* Profecto hic aperte reſpicitur ad Familiarem, qui ſimul habuerit privilegium Cruciatæ, cujus verba hoc Loco inſeruntur; atque de illo quæritur, utrum ſuffragetur hujuſmodi Cruciatæ Privilegium, & Familiaris valeat aſſiſtere Miſſæ tempore Interdicti in Oratorio proprii Domini, qui aliunde ſpeciale obtinuerat Indultum a R. Pontifice pro celebratione Miſſarum in Oratorio privato propriæ habitationis? Hac igitur interrogatione inquirebatur, an vigore Cruciatæ nonnihil extenderetur aliud Privilegium Papale, & Familiares actu non neceſsarios tempore Miſſæ complecteretur? Verum S. Congregatio reſpondit *ad 5. negative*; atque hinc palam oſtendit, quod Cruciata ad alios non extendit facultatem audiendi Miſsam in Oratoriis privatis tempore Interdicti, ad quos alterum Privilegium pro celebratione Miſsarum in iiſdem Oratoriis conceſsum non reſpexerat.

XXII. Deſcendo jam ad Privilegium Euchariſticæ Communionis, quæ tempore Localis Interdicti in Cruciatæ Bulla conceditur; neque vero inficias in Oratoriis privatis eam accipi poſse, non quidem exiſti-

mans expreſse limitari hanc facultatem ad Oratoria privata; cum in aliis Eccleſiis Sacra Communio dari queat habenti Cruciatam, non minus ac intra Eccleſiam tumulari valeat iſtius cadaver *cum moderata funerali pompa*, ſicut immediate poſtea a Cruciata ipſa conceditur; ſed potius conſiderans nullam reſtrictionem in verbis Bullæ apponi, qua Locus Euchariſtiæ tempore Interdicti ſumendæ determinetur. Dum enim nullus Locus excipitur, & alias privilegium ſtricte reſpicit poteſtatem Euchariſtiæ accipiendæ tempore Interdicti, legitime ſupponitur illis conceſſa ſancta communio etiam in Oratorio privato, quibus durante Interdicto per Cruciatam alia Privilegia tribuuntur. Admitto itaque novam hanc addi facultatem virtute Cruciatæ aliunde non profluentem ex alio Indulto Apoſtolico Miſsæ celebrandæ in privato Oratorio, niſi ſimul exprimatur. Cum porro iſtud concorditer fateantur Scriptores, non bene capio, qua ratione velint aliqui limitare Miniſtrum Communionis tempore Interdicti vel ad proprium Parochum, vel ad alium Sacerdotem, quem ſingulariter ad hunc finem Loci Ordinarius deputaverit. Ego quidem lubens admitto Communionis Euchariſticæ diſpenſationem ad Paſtorem Animarum præcipue pertinere: Attamen cum a R. Pontificis Indulto utraque facultas tribuitur celebrari faciendi in privato Oratorio, ſimulque Euchariſtiam ſumendi; jam omnis neceſsaria poteſtas Sacerdoti celebranti ad Sacramenti diſpenſationem ab illo conceditur, qui ſuprema per univerſum orbem eccleſiaſtica juriſdictione pollet. Quid vero magis deſideretur, ego profecto non video. Ut enim habentibus peculiare Indultum extra tempus Interdicti communionem in proprio Oratorio ſumendi nova non requiritur Ordinarii facultas, quæ illam ſpecialiter concedat; ita quoque obtenta pro tempore Interdicti ſimilis licentia per Apoſtolicam Cruciatæ Bullam ſe ſola ad Euchariſticam Communionem ſumendam ſufficiet; quoniam quod operatur Indultum extra tempus Interdicti Localis, iſto durante elargitur Cruciata.

XXIII. Multo id verius apparet, cum diſpenſatio Euchariſtiæ extra occaſionem Sacri Viatici tantam juriſdictionem non expoſcat, quantam Matrimonii, Extremæ Unctionis, & aliorum Sacramentorum miniſtratio exigunt, pro quibus niſi Ordinarii, Parochive expreſſa licentia tribueretur, plurimum iſtorum jura frangerentur. Hinc licet in Eccleſiis Regularium RR. Pontifices liberam conceſſerint facultatem Fidelibus diſpenſandi Euchariſticum Sacramentum; non tamen illa jura Parochorum violantur, ſine quibus iſtorum officium non conſiſtit. Ad ſervandam iſtam ſubordinationem Parochialibus Juribus exceptum Sanctum Paſcha, Paſchalemque Cummunionem voluit Cruciata, quia pro eo tempore vigentibus Conſtitutionibus Concilii Lateranenſis ſingulariter Paſtori facultatem paſcendi ſpirituali eſca oves ſibi creditas reſervare expedit. Aliis vero Anni diebus ad tantam anguſtiam cogere inſignitos Cruciata multum ſane ipſis moleſtum foret; quibus in hac parte pene inutilis obtenta facultas redderetur. Non ambigo autem, quod graviſſimis cauſſis moventibus Ordinarius paucis tantummodo Sacerdotibus permittere in Oratoriis privatis illorum Laicorum celebrationem Miſſarum, atque proinde ad paucos Euchariſtiæ diſpenſationem limitare poſſet. Nam Indultum Apoſtolicum traditum pro Miſſarum celebratione in Oratoriis privatis Ordinariorum arbitrio approbationem Sacerdotis celebraturi ſubjicit. Advertendum autem hic eſt, quod expoſitum Cruciatæ Privilegium nonniſi eos afficit, quos R. Pontifex illius Bullæ conceſſione participes facultatis audiendi Miſſam in Oratorio Privilegiati reddere voluit. Hinc ſi aliquis Sacerdos, quamvis Regularis, ibi celebrans aliis Fidelibus illuc convenientibus Euchariſtiam diſtribuere au-

de-

deret, graviter ab Ordinario corripiendus eſſet, utpote tranſgreſſus præſcriptos in Cruciata limites, eos Sacramento reficiendo, a quo propter Interdictum Locale abſtinere compelluntur.

XXIV. Poſtremam difficultatem de Indulgentiis Eccleſiarum intra, & extra Urbis Romanæ mænia lucrandis ab illo, qui Cruciatæ privilegiis inſtructus fuerit, tam nitide, & egregie diſſolvit Paſqualigus quæſt. 667., ut vix aliud deſiderari debeat. Præmiſſis Bullæ verbis, quibus viſitatio quinque Eccleſiarum, ſeu quinque Altarium, ſi alicubi tot Eccleſiæ non fuerint; vel ſaltem unius Altaris, ſeu Eccleſiæ quinquies eodem die repetita viſitatio exigitur ad acquirendum Sacrum Indulgentiarum Theſaurum conceſſum Viſitantibus Urbis Eccleſias in Diebus Stationalibus, valde opportune doctus Scriptor conſiderat, quod attenta Bullæ intentione non debet Eccleſiarum viſitatio in viſitationem privati Oratorii permutari; cum maniſeſte appareat a Bullæ Cruciatæ Eccleſiarum vocabulo non alia, quam publicas Orationis domos deſignari, cum nonniſi penitus inuſitata, & omnino impropria locutione Eccleſiarum nomine privata Oratorio comprehendi poſſint. Dum igitur conditiones exigitæ non ſervantur, neque Indulgentiarum Sanctarum comparabuntur theſauri, qui ex auctoritate Pontificis diſpenſantis pro illis tantum reſervantur, a quibus ſtabilita, ac præfixa opera fuerint peracta. Ut enim privilegium a Superioris voluntate dependet, ita etiam nemo de Privilegio participabit, qui conditiones ad illius conſecutionem ab arbitrio Concedentis determinatas adimplere prætermiſerit. Quare optime ad rem hanc revocantur a Paſqualigo Lex *Si quis ſub conditione* D. *Si quis omiſſa cauſſa*: & Lex *Cadere diem* D. *de verb. ſignificationib.*, atque aliæ ſimiles Leges, quæ invalidos eſſe actus conditionales non exiſtente conditione declarant: Etenim æque iſtarum Legum ſententiæ in Rebus Civilibus militant, quam in eccleſiaſticis negotiis, diſpenſationibus, ac conſimilibus gratiis aptari valeant. Imo etiam in Evangelio divinorum beneficiorum, & maxime Regni Cœleſtis conditionata promiſſio ſolum adimpleta bonorum operum conditione ſuum effectum conſequitur.

XXV. Conſiderat deinde laudatus Scriptor neque etiam ſufficere ad comparanda Indulgentiarum dona, ſi deficientibus quinque Eccleſiis, ſed non deficientibus aut quinque, aut ſaltem uno Altari in aliqua Eccleſia illius Loci, ubi moratur Cruciata inſtructus, Oratorii privati Altare viſitetur. Id quibuſdam Juris textibus probat Vir peritiſſimus; eoſque non alienos judicat perſuadendæ neceſſitati, ut Altarium, vel Altaris repetita viſitatio in ſupplementum defectus quinque Eccleſiarum habere debeant eandem conditionem, ac naturam, quam habent Eccleſiæ, pro quibus Altare ſubrogatur. Cui non arriſerint hæc probationum genera faciliorem adhuc demonſtrationem deſumptam ex obvio Bullæ Cruciatæ ſenſu deſumere poterit. Enimvero dum in illa ob defectum quinque Eccleſiarum ſubrogantur quinque Altaria; aut his quoque deficientibus ſubſtituitur unicum Altare quinquies viſitandum, maniſeſte conſtat hanc ſubſtitutionem fieri, ut conſulatur faciliori modo Indulgentiarum conſequendarum in illis Oppidis, Villiſque, in quibus ut numquam deeſt una ſaltem Eccleſiola, ita ſæpe Eccleſiarum, & aliquando Altarium quinarius numerus non reperitur. Altare itaque a Cruciata deſideratum ſecundum obvium verborum ſenſum, quem maxime inſpicere oportet, in aliquo publico Oratorio eſſe debet. Hinc ſi Diebus Stationalibus ante idem Altare Privilegiatus Cruciata pro unione Principum Chriſtianorum contra Infideles, eorumdemque contra iſtos victoria Deum enixe orans quinquies acceſſerit; ſimul pro ſe, & pro Animabus

bus Purgantibus pretioſam Indulgentiarum copiam comparabit: Sin vero quatuor tantum vicibus publicum Altare adiverit, & pro quinta viſitatione ad domeſticum Altare venerit, ſublata integritate operis exigiti, tunc illum ſalutaribus Indulgentiarum fructibus cariturum eſſe exiſtimo. Etenim omiſſio operis injuncti in levi aliqua parte non præjudicat conſecrationi illarum, quando pars omiſſa tam ſecundum ſe, & abſolute, quam reſpective ad totum opus injunctum fuerit minima. Unius autem ſubtractio a numero quinario Anacleti Reinfeſtuell prudenti judicio Tract. 12. de Indulg. Diſt. 3. quæſ. 5. n. 60. permodica non eſt.

XXVI. Concludit denique Paſqualigus tunc ſolum poſſe ab habente Cruciatæ privilegia Indulgentias acquiri quinquies viſitando Oratorium Domeſticum, quando contigerit illum eo Loco immorari, ubi nullum Altare publicum fuerit; quia veroſimile videtur a R. Pontifice in hac circumſtantia beneficii largitatem extendendam fore, ſi de tali eventu interrogaretur. Laudarem ego pietatem Viri ſatagentis omni modo pro ſe, & pro Defunctis comparare ſacras Indulgentias; ſed ſimul conſiderans iſtarum privilegia non lata, quin potius ſtrictiſſima ratione a Doctoribus exponi, tunc eas obtineri non poſſe exiſtimarem. Nam ſi attendimus ad Pontificis Indultum, *tantum valet, quantum ſonat*, ut vulgari, ſed valde opportuno loquendi modo utamur. Hinc quia in Cruciatæ Bulla nihil de Altari erecto in privata domo dicitur, neſcio quo modo propter defectum Altaris publici Indulgentias applicare ad viſitationem Altaris privati valeamus. Certe opera præſcripta a Pontifice ad finem Indulgentiarum conſequendarum, quamvis hæc aliquibus impoſſibilia fuerint, nemo valide in alias pias actiones commutare poteſt. Hinc vel ipſi ægroti, cæterique impotentes ad determinatas Eccleſias accedere pro lucrandis Indulgentiis iſtarum beneficio carerent, niſi clementia Pontificis omnibus commiſerans iiſdem provideret, vel alia ab ipſis opera exigendo, vel commutationem operum exigitorum ad arbitrium Confeſſarii transferendo. Hæc de Privilegiis Cruciatæ ad Oratoria privata ſpectantibus diximus, ne quid deeſſet, quod pertinebat ad argumentum hujus Operis, cui finem imponimus humiles gratias agentes DOMINO JESU CHRISTO.

DE

DE USU
ALTARIS PORTATILIS
OPUSCULUM.

ALterum edo Opuſculum, quod in Præfatione pollicitus fueram, quodque inſpecto illius præcipuo fine De Uſu Altaris Portatilis inſcribo. In eo veterem Diſciplinam legitimis, gravibuſque de Cauſis permittentem quocunque Loco congruo, atque decenti Miſſarum celebrationem exponere ſtudui. In diſtinctas Perſonarum Claſſes, à quibus, vel quarum gratia Sacrificium ſuper Altare Viaticum offerebatur, Diſciplinam ipſam diſtribui; ut inde promptius ex antiquis conſuetudinibus confirmaretur adhuc vigens Mos, quo vel communibus in neceſſitatibus, vel ex Apoſtolico ſingulari Privilegio Infirmis, & Itinerantibus nonnunquam conceſſo Miſſæ in privatis Cubiculis, vel ſub dio quoque celebrantur. Quam methodum in ordinandis Veterum Monimentis, quam in conſulendis Scriptorum placitis, quam in commentatione Pontificii Privilegii, præcedenti Opere ſum ſecutus; etiam in iſta Tractatiuncula retinere opportunum judicavi. Quædam autem in veſtibulis præmittere oportuit, quæ ad neceſſitatem, Materiam, Figuram, & Conſecrationem Altaris Portatilis pertinent; ſecus valde imperfectus, & ſuis convenientibus partibus mulitatus Libellus prodiiſſet.

DE

PROSPECTUS OPUSCULI
DE USU
ALTARIS PORTATILIS.

CAPUT I.

De neceſſitate Altaris Fixi, vel Mobilis ad Sacrificium offerendum.

ALTARIS nomen quid ſignificet. 1. Altare ſemper adhibitum fuit in Sacrificio. 2. Quare Chriſtus conſecravit in Menſa communi. 3. Super Altare conſecrabant Apoſtoli. 4. Similiter ipſorum Succeſſores. 5. S. Lucinianus M. ſuper ſuum pectus ſemel conſecravit. 6. Semel Theodoretus ſuper manus Diaconorum, quem pauci aliqui imitati ſunt. 7. Alii neque in carceribus ſine Altari ſacrificare voluerunt. 8. Sine R. Pontificis diſpenſatione numquam Sacrificium ſine Altari offerre licet. 9. Monumenta vetera Altarium immobilium indicantur. 10. Altarium Portatilium antiquitas defenditur. 11. Ad Sacrificium ſufficiunt Aræ portatiles. 12. Id declaratur præmiſſo diſcrimine Altaris fixi, & mobilis, 13. Raro omnia in Eccleſiis Altaria fixa eſſe poſſunt. 14. Uſus Altaris portatilis proprie fit in celebratione Miſſarum extra Oratoria, & Eccleſias. 15. In id tendit Opuſculum. 16. *à pag. 347. ad 355.*

CAPUT II.

De Materia, & Figura Altaris Portatilis.

Lignea Altaria ante Conſtantinum plurima fuerunt: 1. Imò aliqua etiam valde poſt. 2. Multa Altaria, quæ metallica dicta ſunt, ſolum erant laminis circumveſtita: 3. Ex ſolido Metallo vix pauca fuerunt. 4. Ex ſolo lapide fabricare Altaria jamdiu præceptum fuit. 5. Proferuntur exempla portatilium Altarium ligneorum; 6. Et laminis metallicis ornatorum. 7. Altaria Portatilia Lapidea circa ſæculum VIII. introducta perenniter durarunt. 8. Aliter quam ex vero lapide efformari non poſſunt. 9. Aliquando Veterum Altaria Portatilia fuerunt noſtris ampliora. 10. Frequentius noſtris aſſimilabantur. 11. Figura quadrata magis congruit Altari Portat.: 12. Pro iſto unitas Lapidis requiritur. 13. *à pag. 355. ad 362*

CAPUT III.

De Conſecratione Altaris Portatilis.

Qua cauſſa conſecrabantur Altaria fixa, multo magis conſecrari debuerunt portatilia. 1. 2. Quare antiquioria monumenta de conſecratione Altarium diſtincte ſolum meminerint Fixorum? 3. Silentium illud non obeſt conſecrationi Altarium portatilium. 4. Favent aliqua Sacramentaria Conſecrationi Altarium portatilium. 5. Ex Luciani Actis, & Theodoreto probatur conſecratio Aræ Viaticæ. 6. Aræ conſecratæ in Caſtris Principum deferebantur. 7. Veterum teſtimonia pro conſecratione Aræ Viaticæ. 8. S. Ivo Lapidem itinerarium Tabulæ affixum conſecrari cupiebat. 9. Idem S. Anſelmus optabat. 10. Contraria conſuetudo apud Antiquos frequentior invaluit. 11. Quando cœperint Antimenſia Græcorum. 12. Hæc conſecrantur. 13. De Tabulis portatilibus Conſecratis Orientalium. 14. De Altarium portatilium Benedictione, 15. Et Chriſmatione. 16. Summatim referuntur vetera Monumenta pro Conſecratione Altarium cum Sanctorum Reliquiis. 17. Aræ Viaticæ hoc modo conſecratæ. 18. 19. Veterum teſtimonia in hanc rem proferuntur. 20. Contrariam Durandi opinionem deſerimus. 21. Ritus conſecrandi Sanctorum Reliquiis Altaria Viatica ſæculo XIII. frequentior erat. 22. Idem Ritus fuit communiter poſtea receptus. 23. Hunc omittere eſt nefas: 24. Niſi cauſſa valde gravis excuſet. 25. Sine Lapide conſecrato numquam celebrare licet. 26. Tres cauſſæ, quibus Altaria prophanantur. 27. Prima non urget pro Aris Viaticis. 28. Hæ conſecrationem amittunt enormi fractione: 29. Et ſublato ſigillo Sacrarum Reliquiarum. 30. *à pag. 362. ad 375*

C A P U T IV.

De frequenti uſu Altarium Portatilium prioribus ſæculis uſquè ad Conſtantini converſionem.

Ex defectu Oratoriorum, & peregrinationibus ſæpe primis Eccleſiæ temporibus ſuper Aras viaticas Sacrificia offerebantur. 1. 2. Tempore perſecutionum *in ſingulis Locis* Sacrificium celebrabatur. 3. Etiam in Carceribus, 4. Et privatis domibus. 5. In his non ſemper poterant Altaria fixa erigi. 6. Uſus Aræ Viaticæ non ceſſavit poſt Perſecutiones. 7. *à pag.* 375. *ad* 378

C A P U T V.

De More Veterum celebrandi in Caſtris.

Eccleſia portatilis in Caſtris Conſtantini deferebatur. 1. Ibi Sacrificia oblata. 2. In eumdem finem Cohortes Militum habuerunt proprios Sacerdotes. 3. Hi in Caſtris propter Sacrificium Principes comitabantur. 4. Aras Viaticas deferebant: 5. Et Sanctorum Reliquias. 6. Libri Capitularium confirmant uſum Aræ Viaticæ in Caſtris, & Tabernaculi geſtatorii, quod aliquando conſecrabatur. 7. De Tabernaculis iiſdem alia proferuntur. 8. Similiter de celebratione in Caſtris. 9. *à pag.* 378. *ad* 381

C A P U T VI.

De uſu à Veteribus facto extrà Eccleſias, & Oratoria Aræ portatilis ob Infirmitatem, Itinera, aliaſque ſimiles cauſſas.

Indicantur plura ex præced. Opere huc revocanda. 1. 2. Alia adduntur ex S. P. Auguſtino, & Theophane. 3. Miſſæ in cubiculis Infirmi celebratæ ex veterib. Sacramentariis. 4. 5. 6. Sæculo IX. alicubi Miſſa in domo Infirmi adhuc permittebatur. 7. Alibi tunc Miſſæ Siccæ coram Infirmis ſolum concedebantur. 8. Epiſcopi ſibi reſervabant facultatem concedendi domeſticas Miſſas. 9. Eas ſæpe conceſſerunt etiam medio, & infimo ævo. 10. Non ſemper ipſi limitabant facultatem Miſſæ domeſticæ ad ſola Oratoria. 11. In itineribus Miſſæ ſuper Aras Viaticas permittebantur. 12. 13. Etiam deficientibus Eccleſiis. 14. *à pag.* 381. *ad* 388

C A P U T VII.

De More Præſulum Eccleſiaſticorum ſervato uſque ad tempora Concilii Tridentini celebrandi ſuper Aras portatiles cauſſa Infirmitatis, vel Itineris.

Facultas celebrandi in privatis cubiculis pendebat ab arbitrio Epiſcoporum. 1. Epiſcopi infirmi in propriis cubiculis non raro Miſſas faciebant, aut fieri curabant. 2. Aras portatiles ob Sacrificium in Itineribus ſecum ferebant. 3. Ut libere his uterentur extra proprias Diœceſes dedit Bonifacius VIII. Privilegium: 4. Hoc ſine licentia Diœceſani poterant exequi. 5. Ab iſto Privilegio non excludebantur S. R. E. Cardinales Epiſcopis *Superiores*. 6. 7. Quare in Privilegio aperte ſoli Epiſcopi nominentur. 8. De privilegio Aræ portatilis ante Tridentinum conceſſo Rotæ R. Auditoribus, & Referendariis Apoſtol. 9. *à pag.* 388. 392

C A P U T VIII.

Aliqua recenſentur, quæ circa uſum Aræ Portatilis ad Viros Religioſos antè Concilium Tridentinum pertinebant.

Aliquando Monachi in proprio Cubiculo, & in itinere Miſſas celebrarunt. 1. Semel S. Dominicus in privata domo uſus eſt Altari portatili. 2. Privilegia Altaris portatilis ante Concilium Tridentinum a RR. Pontificibus conceſſa Regularibus, 3. Prædicatoribus. 4. Minoritis, 5. Carmelitis, 6. Servis B. M. V. 7. Canonicis Regularibus. 8. Aliis Sacris Ordinibus. 9. Hæc privilegia erant ampliſſima. 10. *à pag.* 392. *ad* 396

C A P U T IX.

De Reſtrictione facta in Concilio Trident. uſùs Altaris Portatilis extra Loca Conſecrata: Et de Obligatione impetrandi licentiam ab Epiſcopis, etiam quando ex graviſſima cauſſa celebrare oportet extra Eccleſias.

Concilium Tridentinum juſſit Epiſcopis Miſſas impedire extra Loca Sacra. 1. Quæ pœna Transgreſſoribus infligi poſſit. 2. Has Miſſas nonniſi graviſſima ex cauſa permittere Epiſcopi poſſunt. 3. Ad hanc rem declaratio Sac. Congregationis Concilii interpretis, & Acta S. Caroli proferuntur. 4. 5. In Caſibus neceſſitatis Jure communi poſſunt Epiſcopi illas Miſſas concedere. 6. Poteſtatem iſtam non abſtulit Concilium Tridentinum. 7. Cum urget neceſſitas celebrandi extra Loca Sacra, peti debet licentia ab Epiſcopo. 8. Id requirebant Canones veteres. 9. Id requirit Conc. Trident., & dignitas Epiſcopalis. 10. Alioquin illicitè Miſſæ fient. 11. Alicubi, & aliquando licentia Epiſcopi præſumpta ſufficit. 12. *à p.* 396. *ad* 402

CA-

CAPUT X.

De cauſis permittentibus ſub dio, & extra Loca Sacra licitum uſum Altaris Portatilis.

Ex defectu Loci Sacri, vel ex impotentia illum adeundi Cauſæ ſumuntur liciti uſus Altaris Portatilis. 1. Hic uſus permittitur, quando Eccleſia turbam devoti Populi non capit. 2. In Clauſtris Monaſteriorum erigi nequeunt Aræ Viaticæ ſine neceſſitate. 3. Exponitur verus ſenſus particulæ *omnino* expreſſæ in Decreto Tridentino. 4. Uſus Aræ Viaticæ tempore peſtis: 5. In Loco publico erigendæ ſunt etiam pro iis multis, qui ſunt in domibus Probationis. 6. Uſus Aræ Viaticæ in Caſtris. 7. Sufficeret ad vitanda irreverentiæ pericula celebrare ſub dio coram militibus die Feſto: 8. Niſi aut prœlium immineat; aut hoſtis fuerit proſtratus. 9. Si quotidianæ coram Militibus Miſſæ celebrentur, neceſſe eſt attendere, ne quid deforme contingat. 10. Tutius foret quotidianas Miſſas ſolum celebrare ſub Tentorio erecto prope ſtationem Ducis. 11. Semotis irreverentiæ periculis quotidianæ Miſſæ coram Militibus in Caſtris vetitæ non ſunt. 12. Pro ſingulis Cohortibus Militum ſingulare Sacrificium optime offertur. 13. Advenientibus aliis Militibus poſt Miſſam celebratam non ſemper expedit novum Sacrificium offerre. 14. Tutius ſub Tentorio prope Stationem Supremi Ducis Sacrificium ſæpe eodem die repeti poteſt. 15. Ut in privatis Tentoriis Ducum celebretur, requiritur Apoſtolicum Privilegium, niſi graviſſima cauſſa urget. 16. Privilegia, quæ a R. Pontifice pro Sacrificio in Caſtris Militum concedi ſolent. 17. Dirutis Eccleſiis Aræ Viaticæ uſus conceditur: 18. Dummodo nulla idonea ad capiendum Populum ſuperſit in eo Pago, vel Civitate. 19. Tot Aræ Viaticæ erigendæ ſunt, quot ſufficiant commoditati Populorum. 20. Super eaſdem ſæpius quotidie iterari poteſt Sacrificium patente omnibus acceſſu. 21. Deficientibus Locis Sacris Epiſcopi non poſſunt permittere uſum Aræ Viaticæ propter ſolos privatos Homines. 22. Confirmatur id ex Privilegiis Apoſtolicis. 23. Tunc poſſunt permittere Epiſcopi uſum Aræ Viaticæ in privata domo, cum illic deficientibus Eccleſiis convenirent Fideles. Ita evenit in quibuſdam Locis Hæreticorum. 24. Itinerantibus ob defectum Eccleſiæ uſus Aræ Viaticæ conceditur, ſi ſimul multi peregrinentur. 25. Degentibus in Terris Infidelium facilis indulgeri poteſt uſus Aræ Viaticæ. 26. Ubi cauſſa itineris permittitur uſus Aræ Viaticæ, nulli dies excipiuntur; & ad ſummum in Terris Fidelium Dies Feriales excipi poſſunt. 27. *à pag.* 402. *ad* 414

CAPUT XI.

De modo conſulendi Navigantibus circa uſum Altaris Portatilis, & de Maritima Sacrificii Celebratione.

Diebus Feſtivis in littore conceditur Sacrificium pro damnatis ad Triremes. 1. Idem quoque pro aliis Navigantibus in Magnis Navibus. 2. Prudenter nimia frequentia Sacrificii in Littore cavetur. 3. Quotquot audiunt Miſſam in Littore, ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ, niſi contrarium decernat Epiſcopus. 4. Plures tuebantur licitas Miſſas in Magna Navi. 5. Hoc confirmabant ex quibuſdam incertis Privilegiis. 6. Illicitam Maritimam Celebrationem Recentiores Scriptores ſuſtinent. Speciale datum fuit Privilegium magnis Navibus Melitinenſibus. 7. Ad Miſſas Maritimas neceſſitas Apoſtolici Privilegii infertur. 8. 9. Privilegium illud eſt neceſſarium, licet in Navibus non eſſet periculum effuſionis Sacri Calicis. 10. Concilium Trident. prohibuit ibi Sacrificium offerre, ubi naſci poterant pericula irreverentiæ. 11. Hæc pericula orirentur, ſi in Navibus ſine ſpeciali Privilegio R. Pontificis celebrare liceret. 12. Hinc modus proponitur contrariam ſententiam rejiciendi. 13. Sæpius licentiam Miſſæ Maritimæ denegarunt RR. Pontifices. 14. Raræ etiam olim fuerunt Miſſæ Maritimæ, quas celebraſſe S. Maximianum certo non conſtat. 15. Ante Concilium Tridentinum vel rariſſimæ. vel vetitæ erant illæ Miſſæ. 15. Miſſa Sicca in Navibus celebrabatur. 17. Ex rariſſimis exemplis Miſſæ Perfectæ in Navi celebratæ infertur neceſſitas Apoſtolici Indulti pro eadem Miſſa Maritima. 18. Cautiones à BENEDICTO XIV. P. M. adhibitæ in Privilegiis Maritimæ Celebrationis ab ipſo conceſſis. 19. Privilegium à BENEDICTO XIV. conceſſum Triremibus Pontificiis. 20. Aliud Triremibus Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani. 21. *à pag.* 441. *ad* 426

CAPUT XII.

De Facultate utendi Altari Portatili, qua adhuc gaudent poſt Concilium Tridentinum Epiſcopi, eorumque Superiores.

Concilium Tridentinum non abſtulit Privilegium Bonifacii VIII. 1. Declarationes hac de re edi-

editæ a Sac. Congregatione Concilii Interprete. 2. 3. 4. Illi Privilegio favet Conſtitutio Innocentii XIII. 5. Uti nequeunt Epiſcopi illo privilegio ad aliorum commoditatem. 6. Eo uti poſſunt ſine licentia Diœceſani. 7. Romæ eo uti non poſſe plures dixerunt; 8. Nitebantur præſumptæ declarationi Sac. Congregat. 9. Aliis rationibus carebant. 10. Epiſcopi uti poſſunt privilegio ob meram ipſorum commoditatem: 11. Nec propterea a Bonifacii P. mente recedunt. 12. Quocunque loco honeſto, excepta Navi, privilegio uti poſſunt. 13. Unica quotidie Miſſa in illo concedi videtur. 14. Adſtantes ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ. 15. 16. Uſus Altaris Portatilis in impoſitione primi Lapidis Eccleſiæ. 17. Quinam de Privilegio Bonifacii P. participent? 18. Nullus de illo participat, niſi ſaltem Dignitatem Epiſcopalem habeat: 19. Qui juriſdictionem habent, ſed non ſunt *Præconizati* Epiſcopi, nequeunt Privilegio Bonifacii uti. 20. Non eſt neceſſaria in Epiſcopis juriſdictio ad uſum illius Privilegii: 21. S.R.E. Cardinales eodem fruuntur. 22. *à pag.426.ad* 438

C A P U T XIII.

De abrogatione Veterum Privilegiorum Aræ Viaticæ quæ fuerant conceſſa Regularibus antè Concilium Tridentinum; & de aliorum ſimilium Conceſſione poſt Concilium.

Quomodo quidam pugnarent pro perſeverantia antiquorum Privilegiorum. 1. 2. Sac. Congregatio Concilii ſæpe contrarium declaravit. 3. 4. 5. Poſtremum decretum fuit confirmatum a Clemente XI. 6. 7. Poſt hæc decreta nullus ambigit de illorum ſuppreſſione. 8. Probatur eadem abolitio ex Concilio Tridentino. 9. 10. Additur Gregorii XIII. Conſtitutio, & ſolvitur contrarium fundamentum. 11. Decreta laud. non deſtruxerunt Privilegium Aræ portatilis conceſſum aliquibus Regularibus poſt Concilium Tridentinum. 12. Privilegium Pii IV. conceſſum infirmis Congregationis Lateranenſis. 13. Privilegii amplitudo exponitur: 14. Sed exceſſus cavetur in illius ampliatione. 15. Noviſſime coarctatum fuit Privilegium in R. Concilio Bened. XIII. 16. Hoc privilegio Canoniſſæ Lateranenſes olim uti poterant. 17. Privilegium Aræ Viaticæ conceſſum a Gregorio XIII. Patribus Societatis Jeſu. 18. Aliorum ſimilia recenſentur. 19. Hæc privilegia vigent. 20. *à pag.438.ad* 448

C A P U T XIV.

De Privilegiis Altaris Portatilis, quæ a RR. Pontificibus conceduntur.

Raro Privilegium Aræ Viaticæ poſt Concilium Trident. conceſſerunt RR. Pontifices. 1. Hunc rigorem ſuaſit Sac. Congregatio Concilii interpres. 2. Ab iſta ſupplices Libelli expendebantur. 3. Privilegium a Paulo V. pro Ara Viatica conceſſum Imperatrici. 4. Aliud Magno Duci Coſmo &c. 5. Privilegium Aræ Viaticæ concedi ſolet a R. Pontifice Miſſionariis: 6. Et quibuſdam Itinerantibus. 7. Conceſſum fuit Canonicis Patriarch. Ulixipponen. & Confratribus S. Joannis Decollati de Urbe. 8. Quibus Infirmis concedatur Privilegium Miſſarum in proprio cubiculo. 9. Formula hujus Privilegii cauſſa infirmitatis. 10. Formula Privilegii cauſſa itineris. 11. Eandem pene formulam tenuerunt ante RR. Pontifices. 12. *à pag. 448.ad* 454

C A P U T XV.

Exponuntur Privilegia Pontificia pro uſu Altaris Portatilis.

Ad valorem Privilegii Aræ Viaticæ debet perſeverare veritas Cauſæ moventis. 1. Hæc multo magis requiritur cum Privilegium datur ob infirmitatem. 2. Unica Miſſa conceditur in Privilegio, 3. Sine limitatione dierum. 4. Sacerdos celebrans debet eſſe *idoneus* 5. Privilegium pro Itinerantibus limitatur ad certas Regiones. 6. Quo ſenſu intelligatur reſtrictio ad deffectum *commoditatis* Eccleſiæ. 7. *In cauſu neceſſitatis tantum* poteſt exequi Privilegium ſtante commoditate Eccleſiæ. 8. Locus, in quo Miſſa celebratur ſuper Aram Viaticam, debet eſſe *congruus, & decens*. 9. Quid exigat Loci *congruitas*, quæ excludit celebrationem ſub dio. 10. Pauca de Loci decentia. 11. Privilegium Altaris Portatilis pro Infirmo circa Locum Miſſæ plura exigit. 12. Non exigit approbationem Loci; nec propterea Pauli IV. Conſtitutioni opponitur. 13. Hæc Conſtitutio recitatur. 14. Exigitur ad Privilegii exercitium præſentia Privilegiati principaliter. 15. Raro extenditur participatio Privilegii ad alios, qui non comitentur Itinerantem Privilegiatum. 16. Sacrificium ſuper Aram Viaticam decentiſſime debet celebrari. 17. De uſu Aræ Viaticæ tempore Conclavis S. R. E. Cardinalium 18. *à pag. 454. ad* 462

DE

DE USU
ALTARIS PORTATILIS
CAPUT I.
De Neceſſitate Altaris fixi, vel mobilis ad Sacrificium offerendum.

I. GENERALI Scriptorum conſenſione Altaris nomen Menſam deſignat, ſuper quam Deo Sacrificium offertur, eoque ſenſu conſtantiſſime uſurpant Divinæ Litteræ; itaut cum ſemel Joſue cap. 22. 10. illud adhibeatur ad ſignificandum tumulum lapidum non propter Sacrificium, ſed propter didiviſionem erectum, quibuſdam verborum additamentis circumveſtitum eſt, ne in illius Altaris intellectu ulla confuſio oriretur. Cum enim nude, ac per ſe prolatum nomen Altaris indicaret menſam Sacrificii, ſapienter Auctor Libri Joſue tumulum illum מִזְבֵּחַ גָּדוֹל לְמַרְאֶה ſive ut exponit Vulgata, *Altare infinitæ magnitudinis*, appellare voluit, ut in alium omnino diverſum ſenſum Altaris appellationem ibi transferri oſtenderet. Inquirunt plures in etymologiam hujus vocis, & qui eam derivant ab altitudine, quatenus Menſa hæc nonnihil e terra ſublevatur, ut facilius Sacram Actionem in illa peractam Adſtantes intueantur, melius mihi, ac planius originem illius attingere videntur. Hinc Walfridus de Reb. Eccleſ. cap. 6., & S. Iſidorus Lib. 15. Originum cap. 4. eam interpretationem admittunt, cum ajunt: *Altare ab altitudine nominatur, quaſi Alta Ara*; & Rupertus Lib. 5. de Div. Offic. cap. 30. attendens in Altari Chriſtum ſignificari inquit: *Sic Altare in Templo, quomodo Chriſtus toti Eccleſiæ dignitate, & honore præminet.* Morem hunc erigendi Altaria diligenter Veteres tenuerunt, itaut nonniſi per gradus ad illa aſcenderetur. Quod Latini *Altare* appellant, Græci vocant θυσιαςήριον a θυσιαζω ideſt *Sacrifico* derivatum.

II. Pene a natura ipſa inſinuatum fuit, Sacrificium ſuper Menſam ab aliis prophanis uſibus liberam, & mundam offerre. Etenim ex quo Religio, & cultus Veri Dei viguit, non minus Sacrificia Deo litata, quam Altaria, ſuper quæ Sacrificia offerrentur, erecta fuiſſe vix ullus ignorat. De Adam, Abel, Enos, aliiſque Patriarchis Ante-Diluvianis Victimas Domino offerentibus nulla diſtincte nobis occurrerunt teſtimonia erectarum Ararum: Attamen, quia Noe

poſt

poſt diluvium *ædificavit Altare Domino* (Gen. 8.), *& tollens de cunctis Pecoribus, & Volucribus mundis obtulit holocauſta SUPER ALTARE*; ritum hujuſmodi a Majoribus acceptum cuſtodiviſſe facile credimus, cum ne ullum quidem veſtigium ab ipſo primum inſtitutæ ceremoniæ Altaris emicet. Retinuerunt perenniter cæteri Poſt-Diluviani Patriarchæ Altarium uſum; atque ubi Deo ſacrificaſſe Abraham, Iſaac, Jacob narratur, ibi de erectis in eum finem Altaribus mentio inſeritur. Adeo vero conſonum, Divinoque Cultui congruum eſt Altare, ut Deus Victimarum, Sacrificiorumque ordinem, normamque Moyſi præſcribens uſque ad Chriſti veri Sacerdotis, & Salutaris Victimæ tempora obſervandam, multa ſimul præcepta dederit Altaris conſtruendi, ornandi, cuſtodiendique, ut in eo digne Sacrificia perficerentur.

III. Chriſtus tantummodo alto, ſapientiſſimoque conſilio novum, & Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacrificium ſuper eandem Menſam, in qua prius Cœnam legalem comederat, conſecrare voluit. Cum enim præcelſum hoc Divinum Sacrificium cibi, potuſque ſpiritualis rationem contineat, ideo illud nedum poſt corporalium ciborum eſum, ſed etiam in eadem Menſa Chriſtus inſtituit, ut Apoſtolos, & reliquos omnes Fideles manifeſtius inſtrueret Sacram Euchariſtiam id in Anima ſpiritualiter operari, quod terrenæ epulæ in corpore operantur. Quod ergo Chriſtus Jeſu inſtituens Sacramentum Euchariſticum, primoque novum hoc offerens Deo Sacrificium, non elegerit diverſam Menſam ab ea, in qua antea Paſchalem Agnum comederat; non ideo id feciſſe putandum eſt, quia minore cultu tractandum foret Sacrificium tantæ excellentiæ, quam offerentur infirma Legis Sacrificia, quibus propria dedicata fuerat Menſa: Sed quia Myſteria Euchariſtici Sacrificii in ipſa Inſtitutione Diſcipulorum corde etiam exterioribus ſignis altius infigi oportebat. Hinc licet Chriſtus in communi Menſa Euchariſtiam obtulerit; piaculum tamen enormiſſimum duxiſſent Apoſtoli, quoties ſaltem eos graviſſima non coegiſset neceſſitas, illam offerre ſuper Menſam prophanis prius uſibus deputatam; optimeque intelligentes, quod non omnia, quæ primum a Chriſto facta ſunt tempore Inſtitutionis, ab ipſis aut a Fidelibus deinceps fieri poterant, ſuper mundam Menſam a communibus uſibus diſtinctam Sacrificium Euchariſticum obtulerunt.

IV. Altare itaque habuerunt Apoſtoli, in quo Euchariſtiam conſecrarent; nec forte unquam eos ſuper communes Menſas Sacrificium obtuliſse exiſtimo. Enimvero utut ſæpe caruerint ob inopiam quorundam Fidelium, ad quos Evangelicæ prędicationis gratia veniebant, illis ornamentis, quæ ad majorem reverentiam, cultumque Divini Sacrificii requiruntur, difficile tamen eſt ſuſpicari, quod vel ſemel caruerint parva aliqua munda Menſula prophanis uſibus nondum addicta, ſuper quam dignius Sacra Dona conficerent. Certe non nimia requiritur rerum opulentia ad Tabulam, vel Lapidem præparandum unice Divinis Miniſteriis deputatum. De Altaribus apoſtolici ævi, ſuper quæ Sacroſancta Victima incruente immolabatur, extat Hebr. XIII. 10. ſequens teſtimonium: *Habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt*. Allegorice hoc loco interpretatur Doctor Angelicus S. Thomas *Altare* pro Chriſto; ſed qui litteram ſequuntur S. Jo: Chryſoſtomus, Theodoretus, aliique Patres Altaris nomine hic intelligunt Sacram Menſam, ad quam Fideles ſoli, Judæorum autem nemo Tabernaculo deſerviens accedere poterant Euchariſtiam ſumpturi. Hinc opportune ex his verbis Theodoretus differentiam Altaris Chriſtianorum ab Altari judaico, illiuſque Victimam eſse Divinam, iſtius vero terrenam,

nam, & mortuam fuiſſe infert. Altaris lignei, ſuper quod ſacrificaſſe Romæ Apoſtolum Petrum conſtans traditio eſt, adhuc fragmenta ſervantur in Sacello Eccleſiæ S. Pudentianæ ad lævam poſito, quæ patente rima ſub lapidea Menſa novi Altaris adhuc cernuntur. Scripſerunt Arringhius, & Florentinius, conſervatum in Eccleſia S. Praxedis, Altare ſuper quod S. Petrus Romæ ſacrificaverat. Verum ſe talem theſaurum inter alias multas Reliquias habere ignorant optimi Monachi Valliſumbroſæ ejuſdem Eccleſiæ cultores, quos interrogavit Clariſs. Franciſcus Blanchinius Tom. 2. Anaſtaſ. pag. 127. Quare forte errore Typographico, vel Ammanuenſis Eccleſia S. Praxedis pro Eccleſia S. Pudentianæ apud illos Scriptores, cæteroquin diligentiſſimos, eſt poſita. Quod in domo Pudentis Senatoris fecit Apoſ. Petrus, in aliis domibus Chriſtianorum feciſſe ſive Petrum ipſum, ſive alios Apoſtolos non ambigimus; cum eadem ratio expoſceret, eademque reverentia exhibenda Euchariſtiæ ſimilem diligentiam non conſecrandi in Menſa immunda, & prophanata rebus humanis expoſceret.

V. Hanc conſuetudinem, quam veriſſime Apoſtolicam dicimus, & ab Apoſtolis fluxiſſe ſignificat Græcorum Eucologium apud celebrem Goarium pag. 859., ſervaverunt Eccleſiæ univerſæ; itaut etiam tempore perſecutionis ſuper Altaria unice ad Sacrificium deputatam obtulerint. Hactenus ſuperſunt in antiquiſſimis Chriſtianorum Cryptis, ſeu Catacumbis Altaria quæ eruditus Lector inveniet indicata ab Arringhio, & Boldetto, Viris in eo argumento verſatiſſimis; eademque propriis oculis intuebitur Sacra Cœmeteria Religionis gratia viſitans. Altarium aperte meminerunt S. Ignatius M. Epiſ. ad Epheſios, & ad Philadelph. Origenes hom. 11. in Num. Tertullian. de Orat. cap. 10. S. Cyprianus Epiſ. 40. 42., & alibi ſæpiſſime, S. Firmilianus Epiſ. ad Cyprian., cæterique plures Eccleſiaſtici Scriptores. Ex his teſtimoniis appoſite P. Mathæus Petit di Dier Auctor Libri Obſervat. in Biblioth. Eccl. Du-Pinii pag. 61. Edit. Pariſ. An. 1691. reprehendit Dupinium, qui ſcripſerat tribus prioribus Sæculis inuſitatum fuiſſe Patribus nomen *Altaris*, ut eo Menſam Euchariſtiei Sacrificii deſignarent. Reſpondit Dupinius in Reſp. ad Lib. Obſerv. § . 12.; ſuamque opinionem communire ſtuduit Minutio, Origene, & Arnobio, qui opponentibus Gentilibus nulla eſse Chriſtianorum Templa, nullaſque Aras, repoſuerunt Chriſtianis eſſe Templa, & Aras ſpirituales; quatenus *Deus in noſtra dedicandus eſt mente, in noſtro conſecrandus eſt pectore*. Attamen non video hinc dignam ſibi paraſſe apologiam Dupinium; cum potius idem ipſe orthodoxum dogma de Chriſti reali præſentia in Euchariſtia defenſurus compellatur adverſus Claviniſtas utentes iiſdem diſputationibus Patrum contra Gentiles habitis oſtendere nihil aliud conſequi, elicique debere ex Minutio, Arnobio, ac Origene, quam quod Chriſtiani caruerint materialibus Aris ſecundum ſenſum Gentilium, qui in Aris Divinitatem contineri turpiter exiſtimabant; & ut egregie advertit Sapientiſſimus Cardinalis, nunc R. Pontifex Benedictus XIV. de Sacrif. Miſſæ Sect. I. §. 13., in illis prophanas, ac materiales victimas immolabant. Id non ignorabant Dupinius, ac ideo §. 12. addidit Patres etiam priorum Sæculorum Altaris nomine fuiſſe uſos, cum ad Fideles verba faciebant, apud quos nulla erroris in *Altaris* vocabulo ſuſpicio oriri poterat. Addo autem non eſſe mirum, quod Patres, cum Gentiles alloquebantur, Altaris vocem ſupprimerent; quoniam non minus Euchariſtiæ Sacramentum illis occultare oportebat, quam Menſam illam, in qua Euchariſticum Sacrificium litabatur, ne Altari indicato Chriſtianorum Sacrificia manifeſtare cogerentur, cum propter Sacrificium Altare nominetur, ut ſupra di-

dicebamus, & confirmat doctus P. Noury Diſſert. VII. de S. Ignatii Epiſtolis cap. 3. §. 1. ubi confutat Calviniſtas, qui vocem Θυσιαστήριον, ſeu Altare a Patribus trium primorum Sæculorum in propria ſignificatione uſurpatum fuiſſe inficiantur.

VI. Tanta vero ſollicitudine fuit ſemper in Eccleſia cuſtodita diſciplina ſuper Altare ſacrificandi, ut rariſſima inveniamus exempla peractæ conſecrationis Euchariſticæ extra Menſam Dominicam. Id ſemel feciſse S. Mart. Lucianum Presbyterum Anthiochen. ſuper pectus ſuum offerendo narrat Philiſtorgius in Hiſt. Eccleſ. Lib. II. cap. 13. his verbis: *Cum jam jam moriturus eſſet, & tyrannica vis nec Eccleſiæ, nec Altaris copiam faceret; cumque vincula, & plagæ, ne quidem ut ſe commoveret, ei permitterent, ſupinum jacentem ſupra proprium pectus tremendum Sacrificium peregiſſe; & tum ipſum participaſſe, tum aliis, ut de immaculato Sacrificio participarent, copiam feciſſe. Peractum eſt autem hoc Sacrificium in Carcere, cum Sacer Chriſtianorum Chorus, qui illum utpote morientem undique cingebat, Eccleſiæ ſpeciem referret, ac ſimul munimentum præſtaret, ne ab impiis ſpectari poſſent ea, quæ gerebantur.* Extant S. Martyris ſub Diocletiano paſſi Acta apud Surium, & Bollandum ad Diem VII. Januar., quæ ſimul manifeſtant extraordinaria quadam diſpenſatione fuiſſe uſum, dum proprium pectus Altaris vice ſubſtituit. Fuerat quippe ille prius ſollicitus *Menſam in Carcerem inſerri*, ut juxta receptos mores Sacrificium offerret, quod in Die Epiphaniæ ab ipſo peragi deſiderabant Diſcipuli, priuſquam morte eos relinqueret: Sed quia *multi* Gentilium Altare in carcerem inferri non ſinebant, propterea viſum eſt ei ob ſpecialem affectum caritatis erga ſuos in vivo Altari Hoſtiam conficere, quam ſibi, & Diſcipulis ſumendam præberet.

VII. Semel pariter ſine Altari ſacrificaſſe Theodoretum Cyri Epiſcopum refert ipſe in Monaſt. Hiſt. cap. 20. dicens: *Cum Mares myſtici Sacrificii vivendi deſiderio diuturno teneretur, rogavit, ut illic,* in ejus Cella, *Divini Doni fieret oblatio. Ego vero libenter obtemperavi, & Sacra Vaſa adferri juſſi, Diaconorumque manibus utens pro Altari myſticum, ac Divinum Sacrificium obtuli.* Extra conſuetos Eccleſiæ mores vagari licitum exiſtimavit Theodoretus, ut vota Monachi morti proximi expleret; ac, ut puto, occaſionem præbuit Syro-Jacobitis ipſum imitandi: Etenim eorum morem ita proponit *in Nomocanone* Abulfaragius nempe in defectum Tabulæ, aut Antimenſii *ſumendum eſſe folium ex Evangelio in eorum vicem, & ſupra collocandum Diſcum, & Calicem; tum in Loco deſerto neceſſitate urgente manibus Diaconorum uti poſſe Sacerdotem Altaris vice.* Similem plane modum in defectu Sacræ Menſæ admiſit Theodorus Cantuarienſis Epiſc. in Lib. Pœnitentiali, licitum eſſe dicens Presbytero *Miſſam in Campo dicere, ſi Diaconus, vel Presbyter, vel ipſe Calicem, & Oblationem manibus tenuerit.* Unde autem hanc licentiam hauſerit Theodorus, ego non video.

VIII. Id autem mihi exploratum eſt, quod non omnia, quæ ab aliquo olim Epiſcopo, vel Presbytero geſta fuerunt bono conſilio, ac ſine ulla reprehenſione, quantumvis ab eccleſiaſticis obſervationibus diſcreparent, non omnia, inquam, alii imitari potuerint. Hinc in Vita ab Auctore Anonymo ſcripta SS. Fauſtini, & Jovitæ, qui circa Annum 120. obierunt; in Februar. Bolland. ad diem 13. reperi cap. 1., quod Apollonius Brixienſis Epiſcopus nec auſus fuerat coram numeroſiſſima copia Fidelium Sacrificium offerre, quia *Altare non habebant, in quo eis firmamentum Corporis Domini* traderetur: ſed cum *viderunt* cælitus demiſſum *Sindonem niveum extenſum ſuper Altare ... Tunc accedens Apollonius ante Altare*

Do-

Domini .... facit Miſſam, & tradidit Corpus Domini, ſimiliter, & Calicem. Obſervo inſuper, quod ad cuſtodiendam Diſciplinam celebrandi ſuper Altare, etiam in carceribus Sacrificia nonniſi ara idonea adhibita peracta fuerunt a S. Dionyſio Pariſiorum Epiſcopo; nam in append. Vitæ S. Gerardi Abbatis Bronienſis num. 32. (Sæc. IV. Bened.) refertur ipſi donatum fuiſſe *itinerarium Altare, quo S. Dionyſius, dum viveret, utebatur; in quo celebrati Miſſam, dum eſſet in carcere, Chriſtus ei apparens ſeipſum ſibi dedit*. Uſum Altaris ad Sacrificia in carceribus oblata puto viguiſſe in Africa in Perſecutione Gallieni; quia iſta furente S. Cyprianus Epiſ. 4. ad Presbyt., & Diaconos monebat, *ut caute, & non glomeratim* ad Chriſti Confeſſorum carceres accederent, & *illuc offerrent: Conſulite*, ajebat, *& vidite, ut cum temperamento hoc agi tutius poſſit; ita ut Preſbyteri quoque, qui illuc apud Confeſſores offerunt, ſinguli cum ſingulis Diaconis per vices alternent, quia & mutatio Perſonarum, & viciſſitudo convenientium minuit invidiam*. Tanta hæc cautela a vigilantiſſimo Antiſtite præſcripta illud maxime arbitror reſpexiſſe, ut facilius poſſent omnia ad Sacrificium neceſſaria in carceres inferri, inter quæ frequentiſſime ipſe commemorat Altare; quin tamen Gentilibus innoteſceret, quod in Carceribus peragebatur.

IX. Lubuit iſta proferre, quatenus appareret ex rariſſimis illis exemplis celebrati Sacrificii ſine Altari non eſſe conſequens, ut ab aliis quoque tentari poſſit urgente neceſſitate Sacrificium ſine Altari offerre. Mihi pauca illa exempla ſolum ſuadent, quod a R. Pontifice fieri poſſet diſpenſatio celebrandi ſine Ara, ubi graviſſima neceſſitas cauſſaque occurreret ſufficiens tam ſingularis diſpenſationis. Quod enim ab aliis aliquando ſine crimine factum fuit, quodque ſine præcepto divino in Eccleſia ſervatur, a ſupremo Univerſalis Eccleſiæ Paſtore quis negaverit iterum alicui poſſe per diſpenſationem permitti? At præter ſingulare Indultum Apoſtolicum propter defectum Altaris poſſe aliquem in menſa communi Sacrificium offerre numquam ego concederem, quantumvis diu aliquis Sacrificio ſalutari carere cogeretur. Revera ſi numquam juxta probatam a concordi graviorum Theologorum conſenſu ſententiam licet non jejunis Sacrificium offerre, aut ſine ſacris Veſtibus, conſecratiſque Vaſibus: Quomodo id ſine Altari unquam licere poterit? An forte minus ad reverentiam Chriſti pertinet Altare, in quo ſacra dona collocantur, quam veſtes diſcernentes miniſterium Altaris, ac Vaſa contingentia Cœleſte Sacramentum? Hinc etſi paſſim ab Epiſcopis olim aut peractam, aut conceſſam legamus Miſſarum celebrationem extra Loca ſacra nullibi tamen ab Epiſcopis indultum legimus, ſi pauca ſuperius relata excipiamus exempla, ac forte alterum addatur ex verbis S. Gregorii Nazianzeni in Orat. XIX. *in Funere Patris* dicentis de illo, quod infirmitate gravatus aliquando in domus cubiculo ſacrificaverit *ſine Sacrario in Sacrario, ſine Altaris Sacrificius*; nullibi, inquam legimus alicui permiſſum Miſſas facere quando Altare defuiſſet. Imo vidimus Pariſienſe VI., Moguntinum Ann. 888., aliaque plura Concilia, quorum teſtimonia inferius proferentur, quæ expreſſe caverunt, ne ullibi *ſine tabula* Altaris Miſſæ fierent.

X. Diſtinguuntur Altaria in duplici claſſe; quorum alia ſunt *Immobilia*, ac Loco ſtabiliter adhærentia; alia *Mobilia*, ac de Loco in Locum transferenda, quæ proinde *Geſtatoria*, *Viatica*, *Itineraria*, *Portatilia* nuncupantur. Extitiſſe omni ævo in Eccleſiis, Oratoriiſque fixas, ſeu ſtabiles Aras notiſſima res eſt, cum nullum unquam conſecraretur Oratorium in quo Altare fixum non fuiſſet conſtructum; in cujus conſecratione portio præcipua ceremoniarum

in dedicatione conſecrandorum Locorum conſiſtebat. Quapropter vetera illa exempla Conſecrationis peractæ domus Pudentis, Cæciliæ, & aliorum Chriſtianorum ab Apoſtolo Petro, a S. Urbano P., a S. Marcello P. &c., quæ in præcedenti Opere cap. 4. num. 6. protulimus uſum immobilium Altarium bene demonſtrare poſſunt. Etiam in cœmeteriis firma hæc Altaria ædificarunt piiſſimi Fideles, qui cum illuc ab inſultibus Gentilium remoti convenirent ad Sacram Synaxim, poterant ibi quoque ſtabilire Altaria, quin ullo periculo paganicæ prophanationis exponerentur. In Sacris Catacumbis adhuc ſuperſunt hujuſmodi immobiles Aræ, nec infrequentes. Fixa denique erant innumera illa Altaria, quæ ſuper ſacratiſſima Martyrum oſſa ubique Chriſtianarum Gentium extruebantur. Hujus conſuetudinis erigendi Aras ſuper Martyrum Reliquias antequam fælices Eccleſiæ Dies in Conſtantini converſione illuceſcerent originem habemus ſaltem ſub Felice I. P., qui die 29. Decemb. Anno 274. Martyr occubuit: *Hic* enim, ut ait Anaſtaſius in Felice, *Conſtituit ſupra ſepulcra Martyrum Miſſas celebrari*. Adnotant tamen in hunc Bibliothecarii locum Viri doctiſſimi apud Clar. Franciſcum Blanchinum Tom. 2. Anaſt. pag. 238., & ſeqq., quod non tam primo eum ritum inſtituit S. Fælix, quam ſingulari Decreto confirmavit ex Apoſtolica Traditione receptam conſuetudinem, ad quam reſpexiſſe videtur S. Joannes Apocal. cap. 6. oſſa Sanctorum Martyrum *ſubtus Altare Dei* requieſcere videns; ut ſicut iſtorum Animæ ſub Altari inviſibili Majeſtatis Divinæ requieſcebant; ita ſub Aræ viſibilis Menſa (Promiſcue Aram, ac Altare uſurpo communem libenter ſequens conſuetudinem, quam forte alii non ferent, qui nonullam volunt Veterum rigorem loquendi ſervare.) eorum Reliquiæ reconderentur. At de uſu Veterum Altarium Immobilium pauca hæc indicaſſe ſufficiat.

XI. Præter has Aras Immobiles fuerunt omni tempore neceſſaria Altaria Viatica, quæ de Loco in Locum translata idoneam menſam præberent celebrando Sacrificio in privatis Ædibus, Cryptis, Campis, Solitudinibus, & ubicunque vel ſimul congregati Fideles extra Eccleſias collectam celebrabant, aut aliquorum pietas exigebat Euchariſticam Oblationem. Cum enim his in Locis nec eſſent, nec parari potuiſſent immobilia Altaria, quæ unice in Oratoriis divino tantum cultui dedicatis affigi debebant, neceſſaria erat aut illac tranſferre Viatica Altaria; aut ibi prius Aram dedicare peracta conſecratione alibi transferendam, ne inutiliter in prophano Loco, & ſine idoneo Cuſtode relinqueretur, quæ jam ſanctificata fuerat contactu Divini Sacramenti. Miror autem Thierſium cæteroquin eruditiſſimum in Diſſert. de Altaribus cap. 2. exemplis Luciani, Theodoreti, & Theodori abuſum fuiſſe, ut inde incognita penitus ad Sæculum VIII., & uſque ad S. Vulframnum extitiſſe Altaria portatilia concluderet. Miror ſane: nam cum tam multa extent Religionis Antiquorum argumenta in offerendo Sacrificio ſuper Altare, & alias ſæpiſſime primis Eccleſiæ temporibus celebrata fuerint Sacrificia in Locis non dedicatis; neceſſe foret admittere frequentiſſime ſuper communes menſas Patres illos obtuliſſe, quod ſane nimis a reverentia debita Euchariſtico Sacrificio eſt alienum. Novit ipſe Thierſius Romæ ſervatum Altare ligneum S. Petri: quid ergo pronius, quam inde inferre etiam ſimilibus in Aris Loco non affixis, ac propterea per ſe mobilibus, & portatilibus ſæpiſſime tum Apoſtolos, tum alios Apoſtolicos Sacerdotes ſacrificaſſe? Sed quod magis miror illud eſt in patrocinium iſtius opinionis Acta S. Luciani afferri, ex quibus potius manifeſte intelligitur vigens tunc conſuetudo transferendi Aras, ut in illis digne Sacrificia fierent;

Cer-

Certe primum de Menſa in carcerem inferendam vel ipſe Lucianus religioſus cuſtos eccleſiaſtici moris ſollicite cogitaverat. Aliud itaque illa exempla non ſuadent, niſi Aras Viaticas quibuſdam in Locis nonnihil ampla fuiſſe, ut cum difficile in remotas partes ſecum deferri poſſent, aliter oportebat ibi conſulere, dum neceſſitas celebrandi urgebat. Cæterum ante Vulframnum obierant Sæculo VII. duo Evvaldi, quorum Viaticum Altare infra commemorabimus, imo etiam ipſe Thierſius indicavit.

XII. Quam frequenter Veteres uſi fuerint Altari Portatili ad ſacrificandum extra Oratoria, & Eccleſias deinceps Cap. IV. ſingula Eccleſiaſtica Sæcula decurrentes demonſtrabimus. Nunc autem advertimus vetitum quidem eſſe Sacrificium offerre ſine Altari; ſed nullibi determinate præcipi nonniſi ſuper Altare fixum Miſſam celebrare. Potius Paſqualigus, aliique ab ipſo quæſt. 706. de Sacrif. N. Leg. laudati licitum omnino eſſe etiam in publicis Eccleſiis Aras Portatiles erigere, atque in illis ſacrificare tuentur. Sane ſi abſolute Altaris neceſſitatem perpendamus, ſive iſtud Loco adhæreat, terræque affixum, ſive motorium fuerit, ſub alterutra ſtructura finis a Sacris Canonibus intentus plene obtinetur, a quibus ſtatuitur iſtam exhiberi Euchariſtiæ reverentiam, ut pro illa ſingulariter, & unice deputata Menſa adhibeatur. Quod ergo fixum, quod mobile fuerit Altare, non minuit, vel auget obſequium Sacrificio debitum; quia non ex pede, ac fundamento Altaris dignitas ſumitur, ſed ex ſuperiori menſa, ſuper quam unice in Conſecratione Altaris præceptæ ceremoniæ peraguntur. Id unum ſingulare eſt Altari immobili, quod ſpecialem quamdam exhibeat dignitatem Loci, ubi fuerit erectum; quoniam ob immobilitatem Altaris magis innoteſcit Locum illum ſtabiliter divino tantum cultui eſſe dedicatum. Cum igitur ſine ulla irreverentiæ labe Sacrificium celebrari valeat in Aris Portatilibus, mirum eſſe non debet, quod paſſim cernamus ſimiles Aras geſtatorias collocari etiam in publicis Oratoriis, atque Eccleſiis, ubi videlicet vel fixæ conſecrari, vel in eo Loco ædificari nequiverunt, in quo tamen certis de cauſſis aliquando novum Altare ad divinorum myſteriorum celebrationem erigere expedit. Morem hunc retinent plurimi Ordines Regulares, qui quotannis etiam in Urbe abſque ulla reprehenſione in medio Eccleſiarum Aras Viaticas collocant ante ſacras Imagines Deiparæ, aliorumque Sanctorum publicæ venerationi expoſitas.

XIII. Imo ſi diligentius inſpiciamus verum diſcrimen inter Fixas, ac Mobiles Aras, videbimus etiam has frequentiſſime in Eccleſiis publicis collocari; ita ut multo, multoque magis numerus Mobilium Ararum numerum Immodilium excedat. Etenim ad propriam Immobilis Altaris rationem non ſufficit firmum, terræque affixum fundamentum, niſi ita ſtabiliter pars inferior cum ſuperiore Menſa connectatur, ut unum ſimul compoſitum efficiant. Iſta eſt forma Altaris Fixi, quam Libri Pontificales, & Ceremoniarii ſupponunt, dum Altaris Immobilis conſecrationem deſcribunt. Eandem formam ſupponunt Canones a Gratiano Collecti Tit. *de Conſecr. Eccleſiæ* cap. 1. cap. *Quod in dubiis*: cap. *Ligneis*: cum jubent iterum conſecrare Altare, cujus tabula ab inferiore parte ejuſdem amota fuerit. At e contra Altaria illa, quæ licet ſtabilem parieti, terræque affixam ſtructuram exhibeant, eorum tamen Menſa unum corpus non conſtituit cum ſubjecta lapidum ſtrue, de Altari fixo non participant; ſed ſuperpoſita Menſa ſeorſim a reliquo ædificio conſecratur, nec amota a ſuo ſtentaculo, cui aptatur, conſecrationem amittit. Omnia pene Oratoria tum privata, cum publica tantummodo hujus generis Altaria habent. Solent quidem in illis aptari conſecratæ tabulæ ſuper ædificio muro, firma-

que ex materia conſtructo, ut inde nonnulla differentia ſervetur inter Loca, in quibus ſolum ſemel, aut iterum celebratur, & alia Loca, quæ vel perpetuo ſunt divino tantum cultui erecta, cujuſmodi ſunt Oratoria publica, vel ſaltem ad aliquod non modicum tempus deſerviunt celebrationi Miſſarum, qualia eſſe ſolent Oratoria privata ex Apoſtolico Indulto conceſſa in domibus Laicorum: Attamen in rigore Altaria ibi erecta ſunt tantum de genere portatilium; & proinde ſeorſim a parte inferiore vices meri ſuſtentaculi gerente conſecrantur. Similes Aræ Portatiles non raro collocantur etiam in Eccleſiis inſignibus; & hoc ſolum monere non ceſſant Epiſcopi, ut ſaltem parva geſtatoria Arula ſic apte inſeratur præparato ædificio, ne inter celebrandum contingant pericula effuſionis Sacratiſſimi Calicis. Hoc ipſum IV. Concilium Mediolanen. ſub S. Carolo Par. I. Tit. *de Capellis*, & *Altarib.* his verbis præceperat: *Petra Sacrata ita Menſæ Altaris inſeratur*, *ut nullum offenſionis Calicis periculum habeatur*; *tactu tamen digiti poſſit dignoſci*. Eandem cautelam ſatis inſinuavit Gabriel Philadelphius in expoſitione Liturgiæ dicens, quod Sacerdos ad Altare accedens in eo collocat Sacra Vaſa, *poſtquam Solium*, *ſeu partem Tabulæ Altari impoſitæ*, quæ nempe a Noſtris Altare Portatile vocatur, *ſcrutatus fuerit*; ne videlicet Calix ſuper illam imponendus effundatur.

XIV. Poſtquam valde multiplicatus fuit tum Eccleſiarum, cum Altarium in ſingulis Eccleſiis numerus, difficillimum evenit Epiſcopis omnia Eccleſiarum Altaria ſingillatim conſecrare; & qui diligentiores fuerunt id fere tantum in Cathedralibus, Parochialibus, aliiſque Majoribus Eccleſiis explere valuerunt. Imo rarius omnes Aras in Eccleſia aliqua conſtitutas valebant eodem modo ſeorſim ſolemniter conſecrare, niſi ubi plures ſimul ad dedicationem Eccleſiæ invitabantur Epiſcopi, quorum ſingulis ſingula Altaria dedicanda aſſignarentur. Exempla habemus collecta ab eruditis Viris Martenio Lib. 2. *de Antiqu. Eccleſ. Ritib.* cap. 13. num. 5., & Catalani in 2. Par. Pontific. R. Tit. 4. Inſigniorum Urbis Baſilicarum pene omnia Altaria ſolemniter fuerunt conſecrata: At qua alia in Civitate tanta eſt unquam copia Epiſcoporum, quanta Romæ? Hinc Benedictus XIII. apte conſiderans difficultatem, ut Epiſcopi non tam ſingula Eccleſiarum Altaria, quam ſingulas Eccleſias conſecrare poſſent in propria Diœceſi, contentus fuit in Synodo R. Anni 1725. Tit. 16. cap. 1. pene illud tantum jubere, quod Synodus Londinenſis Anni 1237. cap. 1. juſſerat, ut Cathedrales, & Parochiales omnes conſecrarentur; de reliquis vero minoribus Eccleſiis, aut de ſingulis Eccleſiarum Altaribus Solemniter conſecrandis omnino tacuit, licet ipſe ſuo exemplo tum in Archiepiſcopatu Beneventano, cum in R. Pontificatu multos ad frequentanda conſecrationis Solemnia excitaverit. Similia plene decreverat S. Carolus in IV. Concilio laud. Tit. *de Eccleſiarum*, & *Altarium conſecratione* dicens: *Eccleſiæ ſaltem Parochiales non conſecratæ infra Annum in Civitate*, *per Diœceſim vero infra biennium omnino conſecrentur*. *Item Parochialium Eccleſiarum Majora Altaria*, *quæ conſecrata non ſunt*, *quam primum conſecrentur*.

XV. Ex his ſatis confirmatam credimus ſententiam aſſerentem licere etiam in Eccleſiis ſuper Aras Portatiles Sacrificium offerre, nec eſſe neceſſarium ſpeciale Apoſtolicæ Sedis privilegium; ſed ſufficere facultatem Epiſcoporum, ad quos jure ordinario pertinet in Eccleſiis ipſorum juriſdictioni ſubjectis licentiam tribuere erigendorum, deſtruendorumque Altarium; vel Superiorum Regularium, quibus in propriis Eccleſiis non ſemel elargita fuit a RR. Pontificibus Innocentio VIII. Julio II. &c. facultas erigendi, transferendi, aliterque

per-

permutandi Altaria . Si vero mihi opponatur aliquando a R. Pontifice elargiri privilegium Altaris Portatilis , cujus nos quoque ſenſum in hoc ipſo Opuſculo exponemus : repono hujuſmodi gratiam non propter merum uſum geſtatoriæ Aræ poſtulari , aut concedi ; ſed ut libera præbeatur licentia Altaris Portatilis erigendi quocunque loco honeſto , & congruo extra Eccleſias , & Oratoria , atque ut illic Divina licite peragi poſſint Myſteria non obſtantibus Tridentini Concilii Sanctionibus , quæ licet prohibuerint Miſſas facere extra Loca divinis tantum cultibus didicata ; nullatenus tamen celebrationem Miſſarum ſuper Aras Portatiles prohibuerunt .

XVI. Quamvis autem Altare Portatile ad Sacrificium adhibeatur etiam in Oratoriis, atque Eccleſiis , fateri tamen opus eſt ejus inſtitutionem , nomen , ac antiquorum Patrum uſum ſolum reſpicere celebrationem Sacrificii extra Loca , & Divinis tantum Obſequiis deputata . Imo etiamſi in Oratoriis privatæ domus , in quibus ab Apoſtolica Sede facultas benigne tribuitur Miſſarum celebrandarum , alia non poſſint erigi Altaria , niſi quæ proprie Portatilia ſunt , quamvis aliunde formam fixi , & ſtabilis Altaris præſeferre debeant ; adhuc tamen privilegium Miſſarum in Oratorio privato , & privilegium Altaris Viatici valde multum inter ſe differunt ; quia in ſecundo major amplitudo favoris nullam exceptionem loci honeſti , & congrui determinans continetur . Hinc nos etiam ſecundum hunc merum reſpectum Altaris Portatilis rationem conſiderantes præſentem Tractatiunculam eo dirigemus , ut exponamus occaſiones , privilegia , modumque celebrandi in Aris Viaticis extra Eccleſias , & Oratoria Quæcunque autem ad hanc rem pertinent, explanare conabimur Veteribus Nova conjungentes .

CAPUT II.

De Materia, & Figura Altaris Portatilis.

I. EXIGITAM pro Altari Portatili Materiam non melius agnoſcere poſſumus , quam ad Materiam Altaris Immobilis reſpiciendo , cum Eccleſia ſaltem Latina diverſam in alterutro illorum non probaverit . In Altari Ligneo nonnunquam primorum Temporum Sacerdotes celebraſſe omnibus eſt exploratiſſimum ; idque multo magis eſt de Apoſtolis credibile , cum ſane difficillimum fuiſſe nemo prudens ambigere valeat ſemper parari potuiſſe lapideas menſas , quocunque illi in Orbis peregrinatione perveniſſet . Quare menſa Altaris in Eccleſia S. Pudentianæ aſſervata , cujus ſupra meminimus , quamque debito cum honore commemorat eximius Card. Lambertini , nunc ſupremus Chriſtianæ Religionis Rector Benedictus XIV. de Sacrific. Miſſ. ſect. 1. §. 14. , eſt lignea . Facile etiam ſibi perſuaſerunt Viri plurimi , iique doctiſſimi , quod primis Eccleſiæ Sæculis inter fervorem perſecutionum , quamvis in Cryptis non raro erexerint Altaria Lapidea , quemadmodum ſunt illa , quæ adhuc in ſacris Cœmeteriis cernuntur , Sacerdotes menſam ligneam paſſim adhiberent. Neque enim veroſimile videtur tantam commoditatem ſortitos Fideles , ut in privatis domibus , in carceribus , ſimilibuſque Locis Lapidea Altaria habere potue-

fuerint, in quibus Divina Myſteria celebrarentur. S. Sylveſtri P. adhuc magno cultu in Sacroſ. Lateranenſi Baſilica ſervatur Altare ligneum, de quo agit Card. Raſponus de Lat. Baſil. Lib. II. cap. 14. Imo quod eodem Pontifici tribuitur Decretum de non extruendis Altaribus ex alia materia, quam ex lapide, invictis monumentis deſtituitur.

II. Certe poſt pacem Eccleſiæ in Oriente, & in Africa Altaria aliqua erant Lignea. Teſtem advoco S. Athanaſium Epiſ. ad Solitar. narrantem, quod Ariani *Subſellia*, *Thronum*, *MENSAM*, *quippe quæ lignea eſſet*, ... *foras elata combuſſerunt ante veſtibulum in magna Platea*. De Africa porro teſtes ſunt S. Optatus Melevitan., & S. P. Auguſtinus: Ille quidem vaſtata a Donatiſtis Altaria deſcribens lignea fuiſſe demonſtrat Lib. 6. cont. Parmenian. dicens: *Quid ſic conjuraſtis? ... Quis Fidelium neſcit in peragendis myſteriis ipſa Ligna linteamine cooperiri? Inter ipſa Sacramenta velamen potuit tangi, non LIGNUM*. Meminit vero alter Lib. 5. de Bap. cap. 20. Altaris lignei, & Lib. 3. cont. Creſcon. cap. 42. merito ex eo Donatiſtas accuſat, quod Maximianum Bagajenſem Epiſcopum confugientem *ad Altaris Ligna* iiſdem lignis ſuper ipſum confractis occiderint. Etiam in Gallia alicubi extitiſſe Altaria lignea colligitur ex Concilio Epaonenſi Anni 509. decernente can. 26., *ut Altaria niſi lapidea Chriſmatis unctione non ſacrentur*. Multo poſt adhuc aliquot ſuperfuerunt Altaria lignea, quorum aliqua recenſet erud. Martenius Lib. 1. de Antiq. Eccl. Rit. cap. 3. art. 6. n. 5. & 6., illudque in primis tempore Caroli M., de quo loquitur Anonymus in Lib. 1. Miracul. S. Dionyſii cap. 20. his: *Solemnis Ara tunc lignea tabula erat, quæ linteo adoperta modum Altaris efferebat*. Alterius Altaris lignei fit mentio a Scriptore Vitæ S. Ludgeri Lib. 1. cap. 25. Similiter *Altare ligneum* invenitur in Litteris Harduini de Maliaco ſcriptis Anno 1289. Ex Anglia alia addit Vir laudatus exempla ex Willelmo Malmesburienſi in Vita S. Ulſtani Lib. 3. n. 14., ubi legitur: *Erant tunc temporis Altaria lignea jam inde a priſcis Diebus in Anglia: ea ille per Diœceſim demolitus ex lapidibus compaginavit alia*.

III. Extitiſſe alicubi Altaria Metallica pene æque firma lapideis, & firmiora ligneis colliget quis ex nonnullis Veteribus Pontificalibus a Martenio editis, dum de Altaris conſecratione diſſerit: nam ubi noſtrum Pontificale præcipit hoc modo orare; *ut lapidis hujus expolitam materiam ... tuæ ditari Sanctificationis ubertate præcipias*; in illis legitur: *ut Metalli hujus &c.* Quam vim apud nos exerceant verba iſta, inferius num. 7. dicemus. Ego certe his non confido. Sed neque ad genus Altarium Metallicorum volo revocare plurimas illas Aras, quas vel argenteas, vel aureas ſæpe, & maxime in Anaſtaſii Pontificali legimus. Ibi reperitur in Vita Hilari argenteum Altare *penſans Libras* 40. Aliud in Vita Sylveſtri, quod Conſtantinus in Baſilica Lateranenſi erexit *argento, & auro clauſum cum gemmis praſinis, & hjacynthinis, & albis* 210. *ornatum undique*; *penſans Libras* 350. & infra de Baſilica S. Laurentii in Agro Verano recenſet *Altare ex argento puriſſimo penſans Libras* 200., & de Baſilica SS. Petri, ac Marcellini: *Altare argenteum puriſſimum penſans Libras* 200. In Vita Sixti III. narratur ipſum Baſilicæ Liberianæ dono dediſſe *Altare argenteum puriſſimum penſans Libras* 300. Item: *Altare, & Confeſſionem S. Mart. Laurentii de argento puriſſimo*: De aureis Altaribus reperitur in Vita Sylveſtri P. Conſtantinum Eccleſiæ S. Crucis feciſſe *Sanctum Altare aureum, quod penſat Libras* 250. Hæc, & ſimilia ſicut non perſuaſerunt eximio Archiepiſcopo Bononienſi de Sacrific. Miſſæ Sect. 1. §. 15., ita nec mihi perſuadent, quod Altaria ex mero auro, argentove conficerentur. Potius reor fuiſſe tantum

rum aureis, argenteiſque laminis circumveſtita. Hoc modo non ſemel ſe explicat Anaſtaſius ipſe, tum in Gregorio II. Sect. 182. dicens: *Circumquaque Altaris PARIETES deargentavit*: tum in Leone IV. referens hunc *inveſtiſſe Altare SS. Sylveſtri, & Martini ex argento puriſſimo*: tum, & clarius, in Vita Hadriani I., ubi ait: *In Baſilica SS. Dei Genitricis, quæ eſt ad Præſepe in Altari ipſius Præſepis fecit laminas ex auro puriſſimo hiſtoriis depictis penſantes ſimul Libras* 105. Similia leguntur in Leone III., quæ profecto aliud non indicant, quam argenteum, aureumque Altaris pallium, & tegumentum; qualia propemodum etiam noſtris ætatibus non raro in Eccleſiis cernimus; & quale fuerat *Altare argento paratum unum*, quod in teſtamento Evverardi Comitis Sæc. X. apud Miræum Tom. 1. Diplom. Belgic. commemoratur. Hujuſmodi fuerat Altare Eccleſiæ S. Dionyſii XI. Sæculo exſtructum, & ita deſcriptum a Sugerio Abb. Lib. de Rebus in adminiſtratione ſua Geſtis: *Sacratus ſiquidem lapis porphireticus, qui ſupereſt Aræ nonminus qualitativo colore, quam quantitativa magnitudine ſatis aptus concavo ligno AURO OPERTO ipſa vetuſtate interpolato admodum disrupto cingebatur*. Pariter ad oſtendenda aurea vel argentea Altaria non poſſumus uſurpare ea, quæ de aureis, argenteiſque *Propitiatoriis* Altaris in Anaſtaſio Biblioth. in Vita Paſchalis I. num. 432. & 440. habentur. Enimvero licet eruditus Thierſius illa Propitiatoria cum Menſa Altaris confuderit, tamen ex Anaſtaſio eadem fuiſſe, ac Confeſſionem conſtat. *Propitiatorium vero*, ait l. cit. num. 447. *Sacri Altaris ſeu Confeſſionem interius, exteriuſque cum rugulis ſuis ex auro puriſſimo decoravit*. Eo nomine poſtea Honorius Auguſtodun. Lib. 1. cap. 136. ad Ciborium demonſtrandum eſt uſus: Imò, ut feret Cangius in Gloſſar., Chronicum Comodoliacenſe apud Stephanotium Tom. 2. Fragm. Hiſt. MSS. pag. 452. ad Altare portatile deſignandum uſurpavit.

IV. Rariſſima igitur mere Metallica fuerunt Altaria, & quæ aurea, aut argentea dicebantur, pauciſſima ex ſolido auro, argentoque erant. Nequeo tamen obſtinate denegare, quin aliquando Aræ ex mero auro, ac argento erectæ fuerint. Tale mihi videtur Altare S. Sophiæ hoc modo a Paulo Silentiario in deſcriptione illius Templi expreſſum: *Columnis porro aureis Sacræ Menſæ EX AURO OMNINO conſlatæ terga ſuſtentantur, aureiſque perinde fundamentis incumbit illa, & pretioſorum lapidum fulgore variegata*. De hac Menſa ita loquitur eruditiſs. Cangius in Pauli Silent. deſcript., & Lib. 6. CPolis Chriſtianæ n. 53. *Sacra Menſa mirabili, & inuſitato opere inaudita hactenus materia confecta erat: Conſtabat enim, ſi Scriptoribus Græcis. Fides, auro, argento, chryſtallo, cæteriſque metallis pretioſioribus; præterea margaritis, & omnis generis lapillis comminutis, ſimulque permiſtis, conflatis, & liquefactis*. Altare ejuſdem materiæ, ex qua conſtabat illud S. Sophiæ, in proprio Palatio erexiſſe Baſilium Macedonem Prophyrogenitus in Baſ. Vita cap. 55: teſtatur. Forte ex ſolido auro fuerant illa Altaria contructa in Baſilica ab Helena ædificata in loco Paſſionis Chriſti, quæ *aureis dives Altaribus* a S. Paulino Epiſ. ad Severum vocatur. Pariter de Pulcheria Auguſta refert Sozomenus Lib. 9. Hiſt. Eccl. cap. 1. eam obtuliſſe CPanæ Eccleſiæ *auream Menſam* lapidibus pretioſis ornatam. Similiter Altare in Baſilica S. Ambroſii ex auro exſtructum Anno 832. ab Angilberto 57. Epiſcopo Mediolan. dici poteſt ex mero auro; quamvis ſolidum, ac omnino plenum non fuerit.

V. Communius Altaria ex lapide olim exſtruebantur, ſicut illa fuerunt, quæ erecta tempore Perſecutionum in Cœmeteriis adhuc ſuperſunt. Revera niſi frequenter lapidea fuiſſent Altaria,

perperam S. Athanaſius diſtincte indicaſſet ligneam materiam illius Altaris ab Arianis everſi. De hujuſcemodi Altaribus allegant omnes S. Gregorium Niſſenum orat. in Baptiſ. Chriſti ita pulchre loquentem: *Altare hoc Sanctum, cui aſſiſtimus, lapis eſt natura communis, nihil differens ab aliis cruſtis lapideis, ex quibus parietes noſtri exſtruuntur, & pavimenta exornantur &c.* Quid ſimile legitur in homil. 20. in 2. Epiſ. ad Corinth. S. Jo: Chryſoſtomi: *Hoc Altare rurſum admirationem habet: natura quidem lapis eſt; Sanctum autem efficitur, poſtquam Chriſti Corpus excipit.* Magis deinceps invaluit conſuetudo conſecrandi ſuper Menſam lapideam; eamque Synodus Epaonenſis ſupra laudata expreſse ſtatuit. Etiam in Appendice I. cap. 1. Capitularium Caroli M. hoc Decretum inſertum fuit. *Non conſecranda Altaria, niſi lapidea.* Ita vero conſtanter recepta eſt Diſciplina erigendi aras lapideas, ut hanc materiam exigant Vetera Sacramentaria in Altaris conſecratione, nec præſens Eccleſiaſticus Ritus aliam concedat: quare graviſſimæ culpæ adſcriberetur aliter Sacrificium, quam ſuper lapideam Menſam offerre. Imo in hujuſmodi Ritu bene multi Scriptores, ac præcipue S. Thomas 3. p. q. 83. myſticas rationes conſiderant, quas ita proponit Simeon Theſſalonicenſis Lib. 3. de Templo: *E lapide eſt Altare, quia Chriſtum refert, qui etiam Petra nominatur, tanquam fundamentum noſtrum, & caput auguli, & lapis angularis; & quia petra, quæ olim Iſraelem potavit, hujus Menſæ imago fuit.*

VI. Hæc quidem ad Aras fixas pertinent, quæ præmittere opportunum duximus, ut hinc tutius uſurpatam a Veteribus materiam in Altaribus Portatilibus proponeremus: Qualem enim materiam Veteres adhibuerunt in fixis Altaribus parandis, talem quoque in geſtatoriis retentam fuiſſe reperimus. Ligneas inprimis Arulas portatiles tempore apoſtolico, & perſecutionum adhibitas mihi facile perſuadeo cogitanti quam ſæpe magna rerum penuria laborarent tunc Evangelii Promulgatores, quibus ſemper Menſæ lapideæ ad Sacrificium offerendum in promptu eſſe non poterant. Imo ſuſpicor non infrequenter etiam ceſſatis perſecutionibus Sacerdotes majoribus incommodis obviantes circumgeſtaſſe parvam Tabulam ligneam Divinis Myſteriis celebrandis idoneam, & conſecratam. Forte quia Aræ illæ Viaticæ ligneæ erant, ſolum nomine *Tabulæ*, aut *Menſæ* nuncupabantur in Actis S. Luciani M., & in Hiſtoria Angelorum a Beda ſcripta, cujus inferius teſtimonia dabimus. Certe hæc vocabula nude propoſita ligneam materiam indicare videntur. Diu poſt retentum uſum ligneorum portatilium Altarium adverto in Scriptore Anonymo Lib. 1. Miracul. S. Dionyſii cap. 20. (Sæc. 3. Bened. Par. 2.), ubi de Monachis Sandionyſianis proficiſcentibus in Caſtra Caroli M. adverſus Saxones pugnantis tradit, quod illis *LIGNEA TABULA erat, quæ linteo adoperta modum Altaris efferebat.*

VII. Fuiſſe aliquas Aras portatiles ex mero Metallo affirmare non poſſum, quia uuice in ordine MS. Arelatenſis Eccleſiæ apud Martenium Lib. 2. de Ant. Eccl. Rit. cap. 17. reperio Metallum pro Tabula Viatica expreſſum. Imo nec abſolute me movet ad Metallica Altaria admittenda, quod nomen *Metalli* in Ordinibus inveniam: Etenim etiam in R. Pontificali idem nomen adhibetur, nec tamen dubitare poſſumus eſſe neceſſariam materiam lapideam. Ita quippe in una formula precis recitanda in conſecratione Altaris Portatilis dicitur: *Quæſumus Omnipotens Deus univerſarum Rerum Rationabilis Artifex, qui inter cæteras Creaturarum formas LAPIDEUM METALLUM ad obſequium tui Sacrificii condidiſti.* Extat eadem oratio in prædicto Ordine Arelatenſi, & aliis nonnullis.

Pro-

Profero igitur eorum teſtimonia, quæ conſuetudinem Veterum auro, argentoque circumveſtiendi & ornandi eaſdem Aras oſtendant. Ita Helgaldus in Vita Roberti Francorum Regis unum commemorat Viaticum Altare *auro, & argento mirabiliter paratum*, quod Eccleſiæ Aurelianenſi legavit. Similiter de Altari, ſuper quod in Carcere celebraverat S. Dionyſius Pariſiorum Epiſcopus, legitur in Append. Vitæ S. Gerardi Abbatis Bronienſis num. 32. Sæc. IV. Bened. illud fuiſse circumductum argento Capita Apoſtolorum repræſentante. Meminit quoque Hugo Flaviniacenſis in Vita Ricchardi Verdunenſis num. 8. (Sæc. VI. Bened. ad 14. Junii) Altaris geſtatorii *ex auro puriſſimo*, quo S. Abbas utebatur. Demum meminerunt plures Altaris portatilis Eccleſiæ S. Emerammi Ratiſponæ ſub Henrico IV. Imperat. parati, & ponderantis Marcas auri 67.

VIII. Communius autem Aræ Viaticæ octavo, aut nono Sæculo ex ſolo lapide confici cæperunt. Recitat eruditus Martenius loc. cit. num 2. verba quædam ex Codice Monaſterii Dionyſiani prope Pariſios, in quibus dicitur Carolum Calvum dono dediſſe *Altare portatile de Marmore Porphyretico per quadrum auro incluſo*. Hincmarus pariter non alia ex materia volebat ſibi a Presbyteris extra Eccleſias Sacro operaturis Tabulas Viaticas conſecrandas offerri cap. 3. Capitulor. ad Presbyteros, quam *de Marmore, vel nigra petia aut litio honeſtiſſimo ſecundum ſuam poſſibilitatem*. Inſuper lapidea fuiſse illa Altaria geſtatoria, quorum fit mentio Lib. 6. Capitular. Regum Francorum cap. 205. Lib. 7. cap. 316., & alibi, facile credo, cum ibi abſolute *Altare* nuncupetur. Revera Altaris nomen nude prolatum optime intelligitur de Altari lapideo, quemadmodum reliqua immobilia Altaria tunc ædificari conſueverant. Hinc ſequentibus Sæculis, in quibus dubio procul ex lapide efformabantur Aræ Viaticæ, has mero Titulo *Altaris* portatilis nuncupatas fuiſse adverto unde illico, & ſatis cognoſcebatur materia, e qua effingi debuerant. Aperte porro Scriptores XI. Sæculi Ivo Carnotenſis Epiſ.72., & 80., ac S. Anſelmus Epiſ. ad Willelmum Abb. Altaria geſtatoria fuiſse lapidea ſupponunt. Ille quidem diſtinguit Tabulas ligneas ab Altari portatili, quod iiſdem inſeritur: Iſte expreſse meminit *Lăpidis*, quo geſtatorium Altare efformatur. Eundem morem ſequentes ætates continuo cuſtodiverunt, videlicet conſtruendi ex lapide Altare Viaticum; Unde Ordines editi a Martenio laudato, & ab optimo Viro Joſepho Catalani Tom. 2. Commen. Pontific. Rom. Tit. 5. illud appellant *Lapidem Itinerarium*. Matthæus Pariſius ad Annum 1235. vocabat *Altariolum Lapideum*. Viget hæc Diſciplina inter Latinos, (De Antimenſiis Græcorum, & Tabulis Orientalium vices Altaris portatilis gerentibus Cap. ſequenti aliqua adnotabimus.) apud quos communiter adhiberi ſolet lapis etiam ad cooperiendum Sepulchrnm Reliquiarum in Altari excavatum, ut ita pleniſſime Ritum Altaris lapidei obſervent. Tantum rigorem non ubique retentum vidi in Ordinibus editis a Martenio Lib. 2. cap. 17., & maxime in Ordine III., qui fuit Eccleſiæ Arelatenſis.

IX. Altas nimis egit radices hujuſmodi Diſciplina celebrandi in Ara Viatica lapidea; ac propterea concorditer affirmant Doctores, quod a nullo Epiſcopo poſſint alterius materiæ Altaria conſecrari, niſi ſpecialis acceſserit diſpenſatio Apoſtolicæ Auctoritatis. Hanc vix unquam ſperandam judico, cum & facile ſit ubique Gentium vel Lapides mediocris latitudinis reperiri, vel ex aliis vicinis regionibus deferri. Addo, quod illa ſymbolica conſideratio in uſu Altaris lapidei tam intime mentes multorum pervaſit, ut pene illis ſcandalum ingereret, ſi Chriſti lapidis angularis Myſteria alibi, quam ſuper lapidem of-

offerrentur. Sufficit autem quicunque lapis, ac cujuſcumque coloris, dummodo ſit idonee perpolitus, ac ut decet Rem Divinam mundus; quoniam Canones non colorem, ſed ſubſtantiam lapidis præſcribunt. Noverant quippe Canonum Conditores non ubique ejuſdem coloris marmora, aut Lapides reperiri. Quia vero cocti lapides, gypſumque, ac ſimilia non lapideam, ſed terrenem habent conditionem, ideo ſunt inepta ad ſubminiſtrandam materiam convenientem Altaris efformandi, quamvis in ſe magnam firmitatem obtinere valeant. At de priore parte hujus Capituli ſatis.

X. Circa formam Altaris Portatilis non ſemper conſimiles extitiſſe Eccleſiaſticos mores facile unuſquiſque apud ſemetipſum ſtatute, cum aliquam diverſitatem nonnumquam fuiſſe in Aris Immobilibus oſtendant, qui accurate de iſtis diſſeruerunt. Modo majoris, modo minoris amplitudinis habuiſſe antiquos Patres Altaria geſtatoria exiſtimo, quia ſæpe eorumdem uſus non tam propter commoditatem ſolius Sacerdotis, aut unius Familiæ erat, ſed ad magnæ multitudinis devotionem explendam dirigebatur. Profecto dum primum in domibus, & clanculum a Paganorum inſidiis conveniebant ad ſynaxim Fideles mutuo ſe ſigno admonentes, ut ſæpe neceſſarium ipſis fuerat Altare portatile; ita non anguſta eſſe debebat Menſa, in qua copiam panis, & vini conſecrandam, & adſtantibus diſtribuendam imponere oportebat; quemadmodum factum legimus in Vita SS. Fauſtini, & Jovitæ ſuperius laudata. Ut plurimum autem minoris molis fuiſſe Aras Viaticas præ Fixis ego non dubito, cum ipſamet difficultas in transferendis gravioribus ponderibus argumento ſit probandæ illarum anguſtiæ. Si quis vero me interrogaret, an primis temporibus ſolerent Aræ Viaticæ tam modicæ latitudinis uſurpari, quemadmodum poſtea, & maxime ætate noſtra permittuntur? neſcirem quam certam reſponſionem reddere. Attamen hoc ſaltem affirmarem, quod aliquando fuerunt noſtris ampliora Altaria Viatica, aliquando autem noſtris pene conformia. Nam niſi unius, alteriuſque palmi latitudinem exceſſiſſet Menſa portatilis tempore S. Luciani, non nimis arduum fuiſſet illam inſciis Paganis in Carcerem introduci. Præterea mediocriter ampla videntur fuiſſe geſtatoria Altaria, quæ in Caſtris Imperatorum, ac Principum deferebantur; quia ubi ſplendide, etſi in Campis, & inter Militum papiliones, Divina Officia, ac Sacramenta peragebantur; ubi magnus Clericorum comitantium numerus aderat; ubi portatiles etiam Eccleſiæ per longa itinera ferebantur, facile ſimul eo poterant amplæ Aræ Viaticæ deferri. *Quatuor pedes* habuit illud *Altare* portatile de Marmore porphyretico, quod Carolus Calvus, ut diximus, Monaſterio Pariſienſi S. Dionyſii donavit.

XI. Quod autem etiam olim fuerint Altaria Viatica modicæ amplitudinis, & pene noſtris ſimilia, atque unice capacia ad Sacrorum Donorum ſuſtentationem, valde credibile apparet ex eo, quod arduum, moleſtiuſque erat, ſecum in longis itineribus ampliores Aras transferre, dum interim ſatis dignitati Euchariſtici Sacrificii minori Arula conſuleretur. Deinde quam ægre in carceribus, in ergaſtulis, in aliis Locis, in quibus afflicti tenebantur Chriſtiani æſtu ſævientium Gentilium, potuiſſent ampliores Menſæ inferri? Certe S. Cyprianus Epiſ. 4. jubebat quidem Preſbyteris in Carceribus *Sacrificium offerre*, ſed tanta cautela, quanta opus erat, ne Myſteria Divina Gentilibus proderentur, quæ ad ſolamen Sanctorum Confeſſorum complebantur. Manifeſtius adhuc declaratur anguſtia lapidum itinerariorum ex Hincmari Capit. 3., quo Presbyteris præceperat *ſecum*, dum expediret, deferre portatilia Altaria lapidea, tanto difficilius ferenda, quanto latiorem mo-

molem habentia. Addo Ivonem, & Anſelmum laudatos, qui exigentes ut in Tabulis Ligneis, & in aliquo competenti ſubſtratorio compactæ, & firmiter affixæ conſecrarentur Aræ Viaticæ hoc ipſo declarabant lapidem conſecratum, in quo proprie Altaris ratio conſiſtit, valde anguſtum fuiſſe, ac ad inſtar propemodum Altarium portatilium, quæ nunc quoque uſurpantur; quæque proinde ad majorem firmitatem, ubi commode fieri poteſt, ſubjectæ Tabulæ inſeruntur. Binas anguſtiſſimas Aras Viaticas ſe vidiſſe in Monaſterio Leodienſi S. Laurentii teſtatur Martenius Lib. 2. cap. 17. num. 3. Prior ex porphyrio conſecrata Anno 1061. habebat longitudinem unius tantum pedis, & latitudinem ſemipedis. Altera ex lapide viridi conſecrata Anno 1137. habebat duos in longitudine pollices, & tres in latitudine; itaut ob nimiam anguſtiam limbus metallicus addi debuerit. Ritus Eccleſiaſtici præſentes adhuc mediocrem, imo modicam latitudinem Altaris portatilis admittunt; ſed tantam exquirunt, quanta ſufficiat ad commode collocanda Divina Dona: quare dum per amplitudinem duorum pene palmorum conſulitur commoditati itinerantium, ac faciliori translationi Viaticæ Aræ, ſimul proſpicitur dignitati Sacrificii ſuper illam commode collocandi. Similem latitudinem optabat S. Carolus in IV. Concilio Mediol. Par. 1. Tit. *de Altar.* dicens *Quæ quidem Petra longitudine ne minor ſit UNCIARUM viginti, latitudine ſexdecim*.

XII. In Aris Viaticis retinetur figura quadrata, cum alia figura in parva Menſa vel minus decens videretur, vel ſuſtentationi Sacræ Oblatæ minus idonea foret. Hanc quadraturam exprimit Codex antea indicatus Monaſterii S. Dionyſii, & magis conſona apparet omnibus Ordinibus, qui deſcribentes Ritus in conſecratione Altaris portatilis eundem lapidem *in quatuor angulis* Sacro Chriſmate inungi jubent. Demum vix alia magis apta figura dari poterat huic Altariolo; maxime cum etiam alicubi fixa Altaria quadrangula fuerint teſte Ven. Beda Lib. 5. Hiſtor. Anglor. cap. 57. Adeatur Martenius Lib. 1. de Ant. Eccl. Ritib. cap. 3. ar. 6. num. 8., ubi tradit a ſe viſum in Eccleſia Turonenſi vetuſtiſſimum Altare quatuor circiter pedum in quadro.

XIII. Unicus porro debet eſſe lapis, quo formatur Altare Portatile, ſicut communiter requirunt Scriptores Cæremoniarii, & Epiſcopi, qui non ſolum renuunt duos inter ſe conjunctos lapides conſecrare pro Ara Viatica, ſed etiam exigunt, quantum locorum opportunitas patitur, unicum integrum lapidem pro Altari immobili. Aliqui tamen plus æquo commodiori delationi Altarium Viaticorum indulgentes putant libere poſſe eadem conſtrui artificioſa quadam unione duorum lapidum, qui metallico vinculo conjuncti, vel in capſula lignea cohærentes facile ad inſtar libri claudi, & extendi valeant. Ne iſtis ſubſcribamus vetat communis contraria conſuetudo, quam ſicut vigere non ignorabant, ita nec illi reſiſtere debebant, qui talia ſcripſerunt: Etenim in rebus ad Diſciplinam ſpectantibus ſæpe tota cauſa obligans a mera conſuetudine oritur. Mallent quidem a nobis aliquem Canonem Eccleſiaſticum allegari; a quo aperte præſcriptus fuerit unicus lapis in Ara Viatica. Attamen quæ neceſſitas urgebat de ea re ſpecialem condere Legem, cum generalis conſuetudo Legis vicem gereret? Cæterum ſatis Ordines Eccleſiaſtici declarant neceſſitatem unius lapidis pro Ara Viatica, cum *LAPIDEM* itinerarium appellent conſtanter, & numquam verbo pluralitatem lapidum exprimente utantur. Præterea ipſa anguſtia Altaris Viatici ſuadet unitatem lapidis, cum ideo anguſtas Aras toleret Eccleſiaſtica Diſciplina, ut facilius in longis itineribus deferantur. Certe ad tam moderatam latitudinem redactus eſt lapis itinerarius, ut qui conquereretur

de

de difficultate tranſlationis , potius emereretur privilegio Altaris portatilis deſpoliari, quam illi permitti, ut ad formam Libri claudendi, & aperiendi idem effingeret . Denique appoſite retinetur mos conſtruendi Altare unico lapide, quia magis hæc unitas ducit ad ſignificationem ſymbolicam in Altari lapideo repræſentatam , Chriſti videlicet , qui unica eſt ſpiritalis petra , & fundamentum . Scio equidem extitiſſe Altaria lapidea , etiam antequam pietas Scriptorum Græcorum , Latinorumque myſticam illam conſiderationem cogitaret : Sed neque ullus merito contradicet , quod ſicut ſuperaddita prædicta myſtica contemplatione tenacius obſervatur diſciplina ex ſolo lapide efformandi Altaria ; ita ſimul vividior repræſentatio ejuſdem myſterii per unitatem lapidis ſit facienda .

CAPUT III.

De Conſecratione Altaris Portatilis.

I. SÆpe Veteres de Altaribus conſecrandis loquentes , vel non diſtinxerunt inter Aras Immobiles,atque Viaticas; ſed univerſim morem Eccleſiæ commendabant non alibi Divina Myſteria offerri permittentis , quam ſuper Altaria Deo ſingulari ratione conſecrata, quemadmodum fecerunt Auctor Libri de Eccleſ. Hierar . cap.4., & Patres Concilii Agathenſis Can.14., ac Epaonenſis Can. 26. Vel ſi ſpecialiter reſpexerunt ad Altaria Immobilia, non propterea excluſerunt Altare Viaticum , quod dedicare oportebat eadem penitus ex cauſſa, ob quam reliqua Altaria conſecrabantur . Enimvero cauſſa dedicandorum Altarium , quam abunde aperiunt preces , ac cæremoniæ ex vetuſta traditione in conſecratione illorum obſervandæ , eo diriguntur , ut debitam Chriſto reverentiam exhibeamus , illic ejus Sacra Pignora collocando , ubi facta primum fuerat ſanctificatio : Hinc Divina beneficia largius in Offerentes Sacrificium diffluere poſtulantur , quatenus illud magis acceptum Deo ex eo reddatur , quod in ſanctificatis Altaribus offeratur . Hæ ſunt rationes , quæ omni tempore ſuaſerunt Eccleſias , & Altaria dedicare ; eaſque inſinuarunt B. Ambroſius in fine Libri de Exhort. Virgin. num. 94 S. Gregorius Niſſenus orat. in Bapt. Chriſti , cæterique plures , quorum ſententias poſt Divum Thomam 3. Par. q. 83. ar. 3. ad 3. Bellarminus , Bona , Alexander , Juenin , Martenius , Catalani , Berti , aliique multi Theologi , ac Liturgici Scriptores celebres illuſtrarunt . Antiquorum teſtimonia non recenſeo , ne ſermonem protrahere cogar in re ſatis certa : Illa autem indicaſſe ſufficiat , ut reſpondeatur Thierſio , qui in erudita Diſſert. de Altaribus cap. 2. credidit nullum fide dignum Auctorem indicaſſe primis quinque Sæculis Conſecrationem Altaris . Sane Euſebius ſolus ſæpe de Eccleſiarum Conſecratione loquens potuiſſet ſatisfacere Thierſio ; nam cum frequentatam ubique Conſecrationem Eccleſiarum commemoret , abunde indicat conſecrata Altaria , quæ ſunt præcipua Eccleſiarum pars . Movit Thierſium S. Jo: Chryſoſtomus , dum hom. 20. in 2. Epiſ. ad Corinth. dixit Altare *natura* eſſe lapidem , & ſanctum effici ex Chriſti Corpore . Sed etiam S. Gregorius Nyſſenus ſimilia , imo clariora protulit , quia meram conditionem Menſæ lapideæ conſiderabat ; adhuc tamen ſpecialem benedictionem factam Altaris aperte indica-

vit verbis infra num. 15. recitandis. Hæc adnotaſſe obiter ſufficiat. Interim vero concludimus, quod illa ipſa cauſſa, quæ ſemper ſuaſit conſecrare Altaria fixa, debuit ſimul exigere conſecrationem Altarium Viaticorum, in quibus non minor, quam in cæteris Chriſto reverentia eſt exhibenda.

II. Imo ſi quid diſcriminis collocandum foret hac in re inter Altaria Viatica, & Immobilia, videretur gravius crimen committi prætermiſſa conſecratione eorum, quæ propterea parantur, ut extra Loca dedicata ad dignam Sacrificii immolationem deſerviant. Nam licet Altaria immobilia conſecrata non eſſent, Locus ſaltem ipſe, in quo Miſſæ peragerentur, conſecrationem haberet; atque ideo non tanta Divino Sacramento injuria irrogaretur, quanta foret, ſi Sacrificium nec in Loco, nec in Altari conſecrato celebraretur. Hæc propono non quaſi ignarus neceſſitatis conſecrandi tum Locum remotum, nempe Eccleſiam, tum Locum proximum Sacrificii, nempe Altare; Sed ut ex neceſſitate conſecrandorum Altarium immobilium, quamvis in Eccleſia jam conſecrata exiſtentium, vehementius urgeam neceſſitatem conſecrationis Altarium Viaticorum, atque tutius inferam apud Veteres non fuiſſe prætermiſſam iſtorum conſecrationem, cum neque prætermiſiſſent Altaria fixa in Oratoriis dedicatis ſtabilita conſecrare.

III. Quamobrem licet tam antiqua proferre non poſſimus teſtimonia, quæ aperte reſpiciant conſecrationem Altaris Viatici, quemadmodum alia in veteribus Patribus, ac vetuſtis Sacramentariorum Libris reperiuntur, quæ directe referuntur ad Altaria immobilia; non tamen inde minora cogitare debemus fundamenta Conſecrationis Altarium Viaticorum, quam pro fixis Altaribus extent. Ideo autem ſæpius Patres de conſecratione Altarium loquentes immobilia, locoque affixa Altaria conſiderant; quia ſæpius commemorant conſecrationem Altaris, dum diſſerunt de conſecratione Eccleſiæ, in qua antiquitus ſicut fixa tantum extruebantur Altaria, ita in iſtorum conſecratione præcipua portio Solemnitatis peragendæ in Eccleſiæ dedicatione verſabatur. Militat nunc prolata ratio in Sacramentariis Gelaſiano, Gregoriano, & ſimilibus, in quibus non fit mentio conſecrationis Altarium Viaticorum, quia conſecrationem Altarium ea occaſione deſcribunt, qua Ritus ſervandos in conſecratione Eccleſiæ proponunt. Si autem quæratur, quare ſaltem diſtinctum non poſuerint Titulum Sacramentaria pro conſecratione ſolius Altaris; cito reſpondeo diſtinctum hunc Titulum bene prætermitti potuiſſe, cum ferme nulla eſſet diverſitas Ritus, ſive Altare tantum conſecraretur, quando Eccleſia non dedicabatur; ſive illud conſecrandum foret inter Solemnia dedicationis Eccleſiæ. Poterant itaque Sacri Antiſtites eodem Ordine in Sacramentariis expreſſo uti, dum conſecrabant Altaria Viatica, aut Altaria recenter erecta in Eccleſiis jam conſecratis, quo utebantur, dum Altaria immobilia conſecrabant tempore dedicationis Eccleſiarum, hac unica facta differentia, quæ per ſe nota erat, ut tunc prætermitterentur ea omnia, quæ in Sacramentariis, Libriſque Pontificalibus non referebantur ad Altare ipſum, ſed parietes, & pavimentum Eccleſiarum reſpiciebant. Quamobrem illa, quæ ex Sacramentariis proferuntur pro dedicatione Altarium Immobilium, ſunt mihi clara teſtimonia, quibus neceſſitas conſecrandi Aras Viaticas oſtendatur.

IV. His noſtris aſſertionibus vix quemquam puto merito contradicturum, non ſolum quia etiam recens Ritus dedicandi Aras Viaticas totus decerptus appareat a Ritibus deſcriptis in Titulo conſecrandarum Eccleſiarum; ſed etiam quia contradictores cogerentur aſſerere olim ſine conſecratio-

tio-

tione relicta fuiſſe quædam Altaria, quæ in Eccleſiis ipſis jam conſecratis poſtea erecta, atque in illis ſubinde Divina Myſteria celebrata fuerunt. Horum Altarium in Eccleſiis ædificatorum, nec tamen inter Solemnia dedicationis Eccleſiæ conſecratorum exempla profero ex M. Gregorio Lib. 6. Epiſ. 49., ubi refert Palladium Santonenſem Epiſcopum Eccleſiam ædificaſſe, atque *illic tredecim Altaria* conſtruxiſſe, quorum *quatuor* necdum *dedicata* remanſerant. Inſuper Sæculo VIII. in Baſilica S. Pauli Via Oſtienſi erant quinque Altaria, ſicut conſtat ex lapide litterato ſub Gregorio III., qui adhuc in eadem Baſilica cuſtoditur, quemqne edidit Cl. Blanchinus Tom. I. Anaſtaſ. num. 38. Quis vero ambiget diu poſt conſtructionem, & dedicationem Baſilicæ a Conſtantino exſtructæ illa Altaria dedicata fuiſſe, cum ante ſextum Sæculum veſtigia nulla conſuetudinis ædificandi plura Altaria viderim; imo potius perſuaſum habeant eruditi Viri quinto adhuc Sæculo in ſingulis Eccleſiis unicum Altare extitiſſe. Addo veroſimillimum videri, etiam poſtquam numerus Altarium multiplicari cæpit, nec omnia fuiſſe ſimul erecta, nec ſimul omnia conſecrari potuiſſe, dum Eccleſiæ dedicabantur; ac proinde aliqua illorum conſecrari oportuiſſe multo poſt Eccleſiarum conſecrationem. Novi quidem ab exemplis adductis a Martenio Lib. 2. de Ant. Eccl. Rit. cap. 13. n. 5., & Catalan Tom. 2. Pontific. Tit. 2. quod plures Epiſcopi conſueverant in Eccleſiarum æncenìis convenire: At neque hoc perenniter, nec ubique fieri poterat; & ubi multi aderant, non omnes forte ſufficiebant conſecrandis eodem die ſingulis Eccleſiarum Altaribus.

V. Verum quid ultra laboro in hac re oſtendenda, aliquando ſcilicet Veteres conſecraſſe Altaria ſeorſim a conſecratione Eccleſiarum, cum in veterrimo Miſſali Francorum edito a Ven. Card. Thomaſio Titulus *ad conſecrandum Altare* inveniatur; neque in illo ulla vel minima miſceatur cæremonia ex illis, quæ peculiariter adhibentur in dedicatione Eccleſiarum. En autem egregium monumentum ex uno veterum Sacramentariorum ordine depromptum, quod æque complectitur Altare Viaticum, ac Immobile. Tantæ Antiquitatis alios Sacramentarios Codices non vidi hactenus editos, e quibus Titulus pro conſecrandis Altaribus diſtinctus a Titulo conſecrationis Eccleſiarum appareret. Attamen non omnia ſuperſunt Veterum monumenta, & niſi eorum copiam temporum edacitas de voraſſet, forte alia plura præſto eſſent nobis teſtimonia ſimilia laudato Francorum Miſſali; cum probabile ſit ſimiles Codices fuiſſe deſcriptos ad uſum aliarum Eccleſiarum. Certe antiquus Ordo Romanus ab Hitorpio editus, in quo extat *Præfatio Tabulæ itinerariæ*, Chriſmationem, ac propterea Conſecrationem Viatici Altaris innuit. Edidit Cl. Martenius nonnullos hujus generis Ordines, alterumque addidit Catalanus Vir eruditus ex Bibliotheca Angelica Urbis, in quibus legitur diſtincte Titulus *Dedicationis*, ſeu *Conſecrationis Lapidis*, ſeu *Altaris itinerarii*, aut *geſtatorii*: ſed antiquior ex his Codicibus non altius, quam ad Sæculum XII. aſcendit.

VI. Quamquam autem deſint alia antiqua Sacramentaria ad confirmandam Diſciplinam conſecrationis Altarium Portatilium, non deſunt quædam aliunde deſumpta indicia, ac teſtimonia ad rem eandem pertinentia. Et primum laudata Acta S. Luciani abunde ſuffragari videntur; cum non aliam cogitare valeam cauſſam, cur in carcerem inferri Menſam deſideraſſet Sanctus Presbyter ad Sacrificium offerendum, niſi quia ſancta conſuetudo ſolum ſuper Menſam ſanctificatam Dei Dona conſecrandi etiam tunc ſervabatur. Imo quare deficiente Menſa S. Martyr proprium pectus potius elegit, & non mundas manus aliquorum adſtantium Fidelium,

lium, ſuper quas commodius perageretur oblatio? Certe ubi Theodoretus, aliique ſibi licere exiſtimarunt ſine Altari Miſſas facere, manibus Diaconorum, Presbyterorumque defectum Altaris ſuppleverunt. Ego quidem, arbitror, quod ſuper manus adſtantium non fuerit auſus ſacrificare Sanctiſſimus Martyr, quia cum nullus illorum eſſet ſacris ordinibus initiatus, neceſſarium ei fuerat ſuum pectus ſubſtituere, ut Perſona conſecrata Menſæ conſecratæ vices gereret; quemadmodum Theodoretus ipſe conſecratis manibus Presbyteri utens in Cella Maris unice licuiſſe ſuper locum aliquo modo conſecratum Sacra Dona offerre abunde oſtendit.

VII. Suadet inſuper uſum celebrandi ſuper conſecratas Aras Portatiles tanta illa diligentia, quam tum Conſtantinus, tum reliqui Orthodoxi Principes, quorum infra mentio erit, religioſe tenuerunt, ut in ipſorum caſtris propter Sacrificium offerendum non ſolum Sacerdotes, ac Diaconi adeſſent, verum etiam Eccleſiæ Portatiles, eæque nonnumquam prius Benedictione Sacerdotali ſanctificatæ deferrentur, ut in campis forma Eccleſiæ repræſentaretur. Tanta hæc ſollicitudo, tanta reverentia erga Sanctiſſimum Sacrificium multo magis exigebat deferri a Sacerdotibus Altare jam antea conſecratum. Id magis evidentius eluceſcit pro illis occaſionibus, in quibus Principes ad Bella profecturi etiam ſacra Sanctorum Lipſana a Sacris Miniſtris in Caſtra transferri ſatagebant.

VIII. Denique abſque ulla ambiguitate Diſciplinam celebrandi ſuper Altare Viaticum prius ſanctificatum ſequentia apertiſſime declarant. *Dedicatam* vice Altaris *Tabulam* ſecum Evvaldos detuliſſe teſtatur Beda Lib. V. Hiſ. Anglor. cap. 11. Presbyteris ſuis Tabulam lapideam primum ad ſe deferri *ad conſecrandum* jubebat Hincmarus cap. 3. cit., ſuper quam poſtea Sacra Myſteria *ſecundum Ritum Eccleſiaſticum* agere valerent. Synodus Pariſienſis VI., Synodus Moguntina Anni 888., ac Capitularia Regum Francorum permiſerunt quidem cauſſa itineris ſub dio, ſeu tentorio celebrare; ſed expreſſe *Tabulam Altaris conſecratam* poſtulabant. Ita ſtatuit Concilium Moguntinum Can. 9. *In itinere vero poſitis, ſi Eccleſia defuerit, ſub dio, ſeu in tentoriis, ſi Tabula Altaris, cæteraque Miniſteria Sacra ad id Officium pertinentia adſunt, Miſſarum Solemnia celebrari permittimus*. Similia multa congeri poſſent, niſi certo conſtaret, quod tanto copioſius abundant teſtimonia conſecrationis Aræ Viaticæ, quanto ex inferioribus ætatibus illa promuntur.

IX. Orta autem fuerat controverſia Sæculo XI., utrum Altaria Viatica conſecranda eſſent affixa tabulæ, an vero ſufficeret meros lapides conſecrare ſeorſim a tabulis deferendos, ubi neceſſitas, vel opportunitas poſtulaſſet extra Oratoria divino tantum cultui dedicata ſacrificare? S. Ivo Carnotenſis, & S. Anſelmus Cantuarienſis priori ſententiæ tam firmiter adhærebant, ut ſimul exiſtimarent amitti Viaticorum Altarium conſecrationem, quoties ab inferta Tabula amoverentur. *Portatilia Altaria*, inquit S. Ivo Ep. 72. ad Gerardum S. Gandregeſili Abbatem, *non aliter conſecramus, niſi vel in tabulis ligneis, vel in aliquo competenti ſubſtratorio compacta, & firmiter ſint affixa. Unde licet de loco ad locum portentur, non tamen de loco, in quo conſecrata ſunt, moventur. A quo ſi avulſa fuerint, ſicut cætera Altaria, denuo ſunt conſecranda.* Eundem pene tenorem tenuiſſe videntur poſtea quædam Eccleſiæ, cum ultimo loco a Martenio Lib. 2. cap. 17. editus Ordo *ad conſecrandum Lapidem itinerarium* videatur morem illum ſupponere his verbis: *Primo concavetur Tabula Lignea, & poſtea aptetur deſuper lapis quadratus politus, & planus, & imponatur in ipſum tabulam immobiliter, & fixe.*

X. Pariter diſplicebat S. Anſelmo con-

conſuetudo conſecrandi nudos lapides non affixos; unde ita ſcribebat Willelmo Abbati: *Cavendum exiſtimo, ne Altare geſtatorium conſecretur ſine fundamento, quod multi cuſtodiunt, & fere ubique cuſtoditur; quamvis in Normannia, cum ibi eram, non ſervaretis, ſed nudi lapides nuſquam affixi conſecrarentur: Quod ego non damno, nec tamen facere volo.* Non placebant S. Viro Aræ iſtæ a ſuo fundamento amotæ propter myſticam rationem, quam ipſe contemplabatur in hac Altarium ſtabilitate dicens: *Altare vicem fidei chriſtianæ tenet, & ſicut nonniſi in Altari Sacrificium noſtrum offerimus, ita nonniſi recta fide Sacrificia bonorum operum offeramus, ſi & Deo placere volumus: Sicut igitur fides mota a ſuo fundamento, quod eſt Chriſtus, & a ſua ſtabilitate jam non eſt fides; ita Altare motum a ſuo fundamento jam non eſt Altare, ſive quod de eadem materia totum, ſive de alia fiat Altare novum, & aliud, quod fuerat Altare, videtur; ideo conſecrandum.* Ex hac ſymbolica ratione, quæ ipſi plurimum perſuaſerat ſuæ adhærere ſententiæ, S. Anſelmus *geſtatorium* Altare conſecrare nolebat. Verum cum ipſamet Petræ ſtabilitas Chriſtum præſignare valeat, adhuc eandem ſignificationem ſervabit lapis ipſe, quantumvis ſine tabula conſecretur, ut facilius de loco in locum transferri poſſit.

XI. Hinc tantus rigor, quem voluiſſent Sanctiſſimi illi Viri ad majorem decorem Altaris Portatilis, non fuit deinceps retentus, quia ſatis conſultum videbatur Dignitati Sacramenti Euchariſtici, cujus cauſſa lapides conſecrantur, ſi ſuper iſtos Divina peragerentur Myſteria, quocunque deinde loco, ac menſa honeſta iidem lapides collocarentur. Non negaverim tamen SS. Ivonis, & Anſelmi placita forte roborari potuiſſe exemplis quorumdam Veterum, & veroſimiliter ex conſuetudine, quam ſervabant Sacerdotes comitantes ad Caſtra Reges piiſſimos, cum valde mihi probabile appareat non ſolum lapides, verum etiam aptas, ac deſtinatas ſacris ſuſtinendis lapidibus menſas ſecum detuliſſe. E' contra non dubito, quin modus conſecrandi meros lapides, ac ſeorſim a menſa transferendi, fuerit magis etiam Veteribus frequens non tantum in Eccleſiæ primordiis, cum Apoſtoli, ac Apoſtolici Sacerdotes præcipue tempore perſecutionum tantum onus ſecum ferre non poterant; verum etiam poſtea, cum ſæpe difficile Sacerdotibus itinerantibus eſſe debuerat Altare Viaticum ſimul cum proprio ſuppedaneo ſecum deferre. Revera quæ ex Hincmaro indicavimus, quæ de S. Luciano, & Evvaldis diximus, meram Tabulam delatam ſuadent. Poſteriora autem tempora multo magis demonſtrant receptam conſuetudinem conſecrandi nudos lapides, cum Sacramentaria, Ordineſque ad Altarium itinerariorum conſecrationem ſpectantes nihil de ſuppedaneo tradant.

XII. Inter Græcos loco Lapidis, aut Tabulæ conſecratæ adhibentur Antimenſia, quæ, ut exponit eruditus Goarius in Commen. Euchologii, ſunt *quaſi ſacræ menſæ vice aſſumpta Græcorum Altaria Portatilia. Lintea nimirum ſacris Reliquiis ditata, unguento quoque ſacro delibuta, & Pontificis benedictione ad Miſſam in eis celebrandam dedicata.* Quando cæperint Antimenſia a Græcis uſurpari, ignoro; nec ullum legi, qui tempus hujuſmodi inſtitutionis determinaverit. Solum monet Balſamon in Can. 31. Trullanum, quod *propterea, ut eſt veroſimile, excogitata ſunt Antimenſia, & fiunt ab Antiſtite Regionis, ut ponantur ſupra ſacras menſas Oratoriorum, & ſufficiant, ut oſtendatur ex Epiſcopi permiſſione fieri Sacrificium.* Nihil his verbis Cap. XI. de Orator. Domeſtic. recitatis inſinuat Balſamon, quod determinate Antimenſiorum originem figat: Attamen dum nobis innuit eam cæpiſſe, ut nonnulla Orientales Præſules Epiſcopalis Juriſdictionis in privatis Oratoriis veſtigia conſervarent, ſaltem manifeſtat novem prioribus Sæculis incognita fuiſſe Antimenſia. Profecto nonniſi ſub Leone Sapiente, ut incit. Cap. XI. n. 13.

n. 13. diximus Orientales Epiſcopi imminutam ſenſerunt ipſorum auctoritatem, cui primum omnes ſubjiciebantur, quotquot in Oratoriis Domeſticis celebrare Sacrificium deſiderabant.

XIII. Etſi vero epocham inſtitutionis Antimenſiorum aſſignare nequeamus, certo conſtat ex Græcis Scriptoribus Balſamone, Blaſtare, Joanne Epiſcopo Citri, & Caritopolo eadem prius ab Epiſcopo debuiſſe conſecrari; unde in ipſorum Euchologio Goarii opera illuſtrato modus Conſecrationis Antimenſiorum deſcribitur pag. 517. Novæ Edit. Venetæ. Solent Græci hæc conſecrare, quo tempore novam Eccleſiam conſecrant: Imo Joannes Citri Epiſcopus ineunte Sæculo XIII. Lib. 5. Juris Oriental. plures de Antimenſiis ſolvens quæſtiones ait: *Nullo pacto receptum eſt, ut Antimenſia aliter fiant, quam in novi Templi Dedicatione.* Addit autem Euchologium, quod *ad ſeptem uſque dierum terminum quotidie in hujuſmodi* Eccleſia (recenter conſecrata) *celebratur Miſſa ſubſtratis Antimenſiis ... Antimenſia poſt diem ſeptimum auferuntur* (ab Altari), *& Sacra deinceps abſque Antimenſiis in eo fiant, quia plene conſecratum eſt Altare.* Hæc Miſſarum celebratio ſeptiduo ſuper Antimenſia expanſa in Altari conſecrato videtur deſiderari a Græcis, ut decenter poſtea illis in Sacrificii oblatione utantur. Hinc aliud non videtur inſinuare Mathæus Blaſtares in primo Nomocanonis elemento, quam quod Antimenſia per ſeptem dierum Sacrificium in Altari oblatum ſanctificationem preceperint: *Antimenſia*, ait, *ſanctificationis virtutem participant, eamque illis Templorum nuper conſecratorum officium, & ſeptemdiale in Altari Sacrificium elargiuntur.* Eoſdem pannos expandunt iidem Græci juxta Manuelem Caritopolum Lib. III. Juris Oriental. ſuper Altaria, de quibus ignoratur conſecratio, ut ſaltem in conſecrato panno Sacrificium offeratur, ſi illa forte conſecrata non fuerint. Antimenſiis expanſis celebravit poſt Concilium Florentinum in Baſilica S. Marci Venetiis Antonius Heracleenſis Epiſcopus, ut ex Sylveſtro Sguropulo Lib. 2. cap. 4., qui eidem Antonio miniſtravit, præclarus Lupus plura de Antimenſiis ſubnectens Diſſ. de Actis S. Leonis IX. cap. 13. refert. Non ſunt noſtra quoque ætate vetita Orthodoxis Græcis Antimenſia, quibus Clemens VIII. conceſſit promiſcue aut Antimenſiis, aut Aris Portatilibus uti.

XIV. Ad alios quoque Orientales fluxiſſe morem adhibendi tapetem ad inſtar Antimenſii videtur; nam in Confeſſione Orthodoxa illorum a Nectario Patriarcha Anno 1662. approbata quæſt. 107. ita loquuntur: *Providendum eſt Sacerdoti, ut quo loco Sacrificium facturus eſt, Altare, aut* TAPES *ſaltem menſalis conſecratus ad manum ſit, abſque quo nullo modo integrum eſt incruentum offerre Sacrificium.* Qua facultate id fecerint Orientales, nondum ſcio; niſi Tapes iſte fuerit ad inſtar Antimenſii. Certe cæteri Orientales loco Antimenſiorum utebantur Tabulis conſecratis, de quibus agit Abulfaragius in Nomocanone, ubi referuntur Conſtitutiones Eccleſiæ Antiochenæ, & Cyriaci Patriarchæ præcipientes, *ut Sacerdos non celebret abſque Tabula conſecrata ab Epiſcopo, quæ Altari imponatur; quæ ſi fracta fuerit, debet defodi in Loco Sacro.* Inter Orationes, & Benedictiones ad conſecrationem omnium Altaris inſtrumentorum, quas edidit celeber Renaudotius poſt Liturgiam S. Cyrilli Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 53. Ed. Par. ex Rituali Gabrielis Patriarchæ Alexandrini Sæculo XV. ineunte, una eſt, quæ pertinent ad prædictæ Tabulæ conſecrationem, quæ *lignea* vocatur. Promiſcue tamen Cophti Tabulas Portatiles habebant vel ligneas, vel lapideas. Unde ex Codice Biblioth. Florentinæ Rituum, quibus Cophti Aras iſtas conſecrant Feria V. in Cœna Dom., & aliis ſequent. Feriis quintis uſque ad Feſtum Aſcen-

ſionis, legitur: *Tabulæ* (Portatiles) *parantur ex ligno electo, aut pretioſo, aut ex marmore, vel lapide alio*. De Cophtis autem appoſite tradit Clar. Brunus Diſſ. 12. art. 1. pag. 276. Ed. Veron., quod mille ab hinc annis, ex quo Arabibus Mahumedanis ſubjiciuntur, parvas Menſas ſolent conſecrare, ut facile eas transferre valeant, ne dum ipſi ab Eccleſiis pelluntur, eædem prophanentur. Id ipſum advertit Renaudotius laud. Tom. I. pag. 181. Frequens eſt etiam uſus Altarium Portatilium apud Æthyopes Criſtianos, quorum tanta eſt pietas erga Altare Sacrum, ut referente laud. Bruno pag. 278., dum Imperator iter agit, quatuor Sacerdotes deferant reverenter ſuper humeros arcam, in qua eſt Lapis conſecratus, aliique quatuor ſequantur ſeſe viciſſim ab onere ſublevantes: Præcedunt autem duo Clerici, quorum unus Crucem, & Thuribulum defert, alter campanulam ad cujus ſonitum, qui per viam tranſeunt, ſtatim ſiſtunt, & ab equis deſcendunt Altare veneraturi.

XV. Jam vero de potioribus Ritibus conſecrationis Altarium Portatilium loquamur, unde clare emicet nihil iſtorum ſanctificationi deeſſe ex his, quæ in conſecratione Altarium immobilium adhibentur; videlicet quaſdam preces a Sacerdote recitandas, inunctionem Sacri Chriſmatis, & Sanctarum Reliquiarum ſepulcrum. Et quantum ad certas preces pertinet, evidens eſt eas requiri in omni conſecratione, & benedictione, quarum nulla peragitur, niſi aliqua invocatione Sacerdos a Deo ſuper rem benedicendam effectum deſideratum imploret. Ad has preces reſpexiſſe S. Gregorium Nyſſenum orat. in Bap. Ch. obſervant Scriptores Liturgici, quia de Altari dixit lapidem eſſe natura communem; *poſt quam vero Dei cultui conſecratum, atque dedicatum eſt, ac BENEDICTIONEM accepit, menſa ſancta eſt, Altare immaculatum*. Ad Altarium Benedictionem pertinent, quæ de Altaribus protulit S. Optatus Lib. 5. adver. Donat. nempe: *Si ſit invocatio, nominis Dei, ipſa invocatio ſanctificat, & quod pollutum eſſe videbatur*. Demum ne fatiger plura colligere, cum Sacramentaria, & Ordines Sacri preces contineant pro conſecratione recitandas, profero verba Concilii Agathenſ. Can. 14. *Altaria placuit non ſolum unctione Chriſmatis, ſed etiam SACERDOTALI BENEDICTIONE ſacrari*.

XVI. Hoc Loco commemorant Patres Agathenſes alteram ceremoniam in Altarium conſecratione faciendam, quam alii quoque Veteres nulla facta diſtinctione Altaris Portatilis, aut Immobilis inſinuant. De ea loquitur Concilium Epaonenſe Can. 26., & Auctor Libri de Eccleſ. Hierarch. cap. 4., qui ſimul docet antea ſtabilitam fuiſſe *Legem* ſacrandi Altaria Chriſmate dicens: *Hoc etiam ſancte obſerva, ut ſacratiſſima illa Lex myſteriorum Altaris conſecrationem ſacratiſſimi unguenti ſanctiſſimis perficiat unguentis*. Symbolicas cauſſas hujus unctionis proponunt Rhabanus Lib. 2. de Inſtit. Cler. cap. 45. Auctor Libri *de Unctione Chriſmatis* inter opera S. Cypriani editus, Simeon Theſſalonicenſis Lib. *de Templo*, & alii: omnes autem pene in eo conveniunt, hanc unctionem ſignificare gratiam, qua digne offerentes Sacram Victimam in Altari conſecrato repleantur; atque huc collimant preces a Præſule prolatæ, dum ſacro unguento Lapidem perlinit. Fluxit conſuetudo ungendi ſacro oleo Altare ab eo, quod Jacob fecerat erigens lapidem in titulum, & oleum deſuper fundens. Etenim unctio illa facta ad conſecrationem Loci, in quo viſio mirifica S. Patriarchæ apparuit, alto non caruit myſterio; oſtendebatque, ut loquitur S. P. Auguſtinus Lib. 16. de Civ. Dei cap. 38. *figuratum aliquid, quod ad magnum pertineat Sacramentum*. Quare opportune SS. P. BENEDICTUS XIV. de Sacrif. Miſſ. ſect. 1. num. 12. reprobat Du-Vert dicentem, quod Jacob lapidem perliniverit, ut eo ſigno locum viſionis deinceps cognoſcere poſſet. Hanc unctionem Chriſmatis in modum Crucis faciendam ſuper tabu-

bulam ligneam, ideſt ſuper Altare Portatile tradidit Gabriel Philadelphienſis ſuperius citatus; ſicut etiam Euchologium, ſeu Rituale Græcorum.

XVII. Ad tertiam partem accedo, in qua nonnihil immorari oportet, cum quibuſdam placuerit ſine Reliquiis Sanctorum Viaticas Aras conſecrare. Attamen de more collocandarum Reliquiarum in Altaribus conſecrandis, ſi pro dignitate argumenti diſſererem, valde multa dicenda forent, quæ magna eruditione, ac ſtudio collegerunt doctiſſimi Illuſtratores Eccleſiaſticorum Ordinum, Librorumque Pontificalium, & præcipue eruditus P. Abbas Trombelli Canonic. Regul. Congreg. Rhenanæ Diſſer. 7. de Cultu Sanctorum. Nobis ſufficiat quædam hic ſummis labiis prælibare, illudque inprimis, quod ex Apoſtolica Traditione, confirmata ſubinde generali Decreto Felicis I. P., derivaverit mos non alibi Sacrificium offerendi, quam ſuper Sanctorum Reliquias. Ita quippe dignus illis locus tribuitur, & noſtra Deo acceptiora redduntur Sacrificia, dum per merita Sanctorum, quorum Reliquias in Altari collocavimus, Deum deprecamur, ut omnia peccata noſtra indulgeat. Hujus communis conſuetudinis invicta monumenta præbent adhuc in Catacumbis ſuperſtites Aræ, infra quas Sanctorum Corpora tumulata fuerant; ut paſſim in ſuis obſervationibus de Cæmeteriis eruditus Boldettus obſervat. Eam confirmant Lapides, in quibus ſculpta fuerunt nomina Sanctorum, quorum Reliquias in Altaribus collocaverant Sacri Antiſtites; cujuſmodi ſunt duo illi Lapides ſub Damaſo P. litterati, quos illuſtravit Cl. Franciſcus Blanchinius in Adnot. ad Vitam S. Damaſi: Eam denique demonſtrant antiqui Patres, Prudentius Lib. Coronar. Hym. X. in Paſſione S. Hyppoliti ver. 169., S. Hieronymus Lib. Adv. Vigilantium num. 9., S. Optatus Milev. Lib. 3. adv. Donat., S. Ambroſius Epiſ. 27. ad Dominam Sororem, S. P. Auguſtinus Lib. 18. de Civit. Dei cap. 27., & Serm. 318., S. Paulinus Epiſ. 31., & 32., frequentiſſime S. Gregorius Turonicus, & M. Gregorius; Sacramentaria Gelaſianum, Gregorianum, aliique Ordines vetuſtiſſimi: Concilia Cartaginenſe IV. Can. 14. Epaonenſe Can. 25. & Nicænum II. Act. 8. Can. 7. inter *Traditiones Apoſtolicas* eam conſuetudinem recenſens. Tanta vero ſedulitate inter Græcos, & Latinos cuſtodiebatur Eccleſiaſtica Regula conſecrandi Altaria Sanctorum Reliquiis, ut propterea ſolliciti eſſent Epiſcopi, vel illas etiam a remotis Regionibus ſecum transferre, vel eas impetrare ab aliorum pietate, atque amicitia; vel ſaltem Brandea, Oleum, Lapides, & ſimilia, quæ ex contactu Reliquiarum ſanctificationem quamdam acceperant, adhibere. Quinimo nonnumquam ad Sacrarum Reliquiarum defectum ſupplendum in dedicandis Altaribus alicubi portionem ſacroſanctæ Hoſtiæ Euchariſticæ collocabant, quemadmodum laudati Martenius, & Catalani de hoc argumento loquentes non raris exemplis declarant.

XVIII. Hæc omnia nobis valde grave fundamentum ſuppeditant affirmandi, quod etiam in Altaribus Portatilibus parva quædam aut Cinerum, aut Oſſium, aut cæterarum *Sanctificatarum* Reliquiarum fragmenta collocaverint Majores Noſtri, ne unquam incruenta Victima alibi immolaretur, quam ubi Sanctorum Pignora requieſcebant. Enimvero ſi a diſciplina conſecrandi Altaria Sacris Reliquiis exceptas fuiſſe dixerimus Aras Viaticas, quare non etiam excipiendæ erant, quamplurimæ Aræ immobiles, quæ eundem uſum in conſecrandis Myſteriis præbebant? At certe id non patiebantur Sancti Patres, qui potius abſtinebant ab Altarium conſecratione, quoties illis copia deerat Reliquiarum. Lectorem noſtrum cupidum exemplorum ad hanc rem ſpectantium ad S. Paulinum cit. præcipue mittimus. Imo perperam egiſſent Epiſcopi illi, qui Euchariſtiam collocaverant, ut defectum Reliquiarum

rum ſupplerent, ſi jam licuiſſet aliquando Aras ſine aliquibus Reliquiis conſecrare.

XIX. Præterea nuſquam ullum ex Patribus non ſolum antiquioris, ſed medii ævi reperimus, qui conſtanter retentum illum morem commemorans inter Aras Viaticas, atque Immobiles diſtinxerit. Id forte indicandum erat in Sacramentariis, quæ, ut monuimus, ideo diſtincte nullum Titulum peculiariter deſcripſerant pro conſecratione Altaris Viatici, quia ſaltem majores ceremoniæ æqualiter uſurpabantur in quorumcunque Altarium conſecratione. Addatur nihil prohibuiſſe, quin etiam in Ara portatili aliqua ratione ſubſternerentur modicæ Sanctorum particulæ, quia ut modo non obſtante anguſtia Lapidis portatilis excavato parvo Locello, quod *Sepulchrum* dicimus, optime collocantur Reliquiæ; ita pariter tunc facta ſimili excavatione illæ reponi poterant. Hoc ſepulchrum, Loculumque habebant etiam Veterum Altaria, illudque nobis inſinuant Pontificalis Codex Ratholdi, aliique Monaſterii Gemmaticenſis, & S. Mariæ Rhemenſis plane vetuſtiſſimi, ut obſervat Martenius, qui eoſdem edidit: Nam inter Ritus conſecrationis Altarium tradunt illi Codices Epiſcopum debere aqua benedicta *Maltam* ſeu *Cæmentum* efficere *ad occludendas Sanctorum Reliquias in Loco Altaris*: Addit Vetus Ordo Rom. Chriſmationem faciendam Tabulæ, ſeu alterius Lapidis contegentis Altaris ſepulchrum. Quod igitur apud Veteres parvum in Altaris Lapide factum foramen ſufficiebat claudendis Reliquiarum ſanctis fragmentis, idem pariter excavari poterat in Altari itinerario, in quo proinde cæteris Altaribus communis Ritus obſervaretur.

XX. Manifeſtum monumentum ad rem præſentem conferunt geſta S. Vulframni Senonenſis Epiſcopi apud Surium ad Diem 20. Novemb., dum narrant ab ipſo legatum Monaſterio Fontanellenſi *Altare conſecratum in quatuor angulorum Locis, & in medio Reliquias continens Sanctorum in modum clypei, quod, dum iter ageret, vehere ſolitus erat.* An veroſimile non eſt alios plures Epiſcopos feciſſe, quod S. Vulframnus ob reverentiam erga Divina Myſteria fecerat? Ritum collocandarum Reliquiarum in Altaribus Viaticis referunt denique aliquot Libri Pontificales; ac maxime ille Eccleſiæ Apamienſis in Syria, alter etiam Eccleſię Moguntinæ apud Martenium Lib. 2. de Antiq. Eccl. Rit. cap. 17., & alius Eccleſiæ Barenſis apud Catalta num Tom. 2. Commen. Pontif. Rom. pag. 199. Inter Græcos pariter vige. hactenus eadem conſuetudo, itaut in Antimenſiis ipſis Sacculus Sacrarum Reliquiarum adſuatur ex præſcripto Euchologii, ne careant Sacris Pignoribus, quibus Ara dedicata ſuſtinendis Chriſti Myſteriis nobilior, & magis ſanctificata evadat.

XXI. Quamvis autem frequenter Veteres etiam in Aris portatilibus ſacras reponerent Reliquias, adhuc Durandus inter Altaria fixa, & geſtatoria hoc diſcrimen faciebat, quod neceſſarias Sanctorum Reliquias non putaret pro iſtis, quas pro reliquis requiri confitebatur; ita dicens Lib. 1. Ration. cap. 7. num. 23. *Sine Sanctorum Reliquiis, aut ubi illæ haberi non poſſunt, ſine Corpore Chriſti non fit conſecratio Altaris fixi, de conſec. Diſt.* 1. *cap.* de Fabrica, & *cap.* Placuit; *ſed Viatici, vel Portatilis, ſic ea diſtin. cap.* Concedimus. Hinc in MS. Codice Pontificali ſervato in Biblioth. Vaticana, dum agit de Conſecratione Altaris Portatilis, (Legi poteſt loc. cit. apud Catalan.) monet Guillelmus Durandus paranda eſſe quotquot alio Titulo de Conſecratione Altaris fixi tradiderat, *excepto quod de Reliquiis*. At quam infirmo nititur teſtimonio Durandus, ut excludat neceſſitatem Reliquiarum in conſecrandis Aris Viaticis! Legi Capitulum illud *Concedimus*, quod in Collectione Gratiani Triburienſi Concilio

tri-

tribuitur, pleneque concinit Decretis Synodi Moguntinæ exeunte Sæculo IX. celebratæ; & nihil aliud eo in capite elucere video, quam neceſſitatem adhibendi Menſam conſecratam, ut licite Divinum Sacrificium offeratur extra Loca Deo dedicata. Quid autem ad conſecrationem ejuſdem Menſæ opus eſſet, & an adhiberi debeant Reliquiæ Sanctorum, vel ſola Chriſmatis unctio cum Epiſcopali Benedictione ſufficiat? fruſtra ibi inquiritur; ut propterea divinare videatur, qui ex illo Decreto Sacras Reliquias a conſecratione Altaris Viatici excludere voluerit.

XXII. In aliquibus Eccleſiis Sæculo XIII. Aras Viaticas Sanctorum Reliquiis non fuiſſe conſecratas didici ex ſilentio de illis habito in Pontificalibus Eccleſiæ Cameracenſis, & Arelatenſis apud laud. Martenium Tom. 2. pag. 812. Nov. Edit. Verum viciſſim nec dubitari poteſt, quin magis communis fuerit mos conſecrandi Aras prædictas cum Sacris Pignoribus. Id ſuadet Anonymus Scriptor cujuſdam Ordinis *ad conſecrandum Lapidem itinerarium ſecundum morem aliquarum Eccleſiarum ſine impoſitione Reliquiarum*, quem ſubjecit alteri Ordini Eccleſiæ Moguntinæ a nobis ſuperius indicato; ubi mentio fit ritus collocandarum Reliquiarum in Viatici Altaris conſecratione: Ita enim loquitur Scriptor ille: *Circa iſta duo officia eſt ſciendum, quod ſecundum officium a primo differt principaliter in hoc quod Primum imponat Reliquias cum ſolemnitate ad hoc debita, & conſueta: Hoc autem Secundum nullas Reliquias imponit: Verumtamen ſecundum Dominum Oſtienſem, & Fratrem Joannem in Summis ſuis utrumque tanquam Canonicum acceptatur. Mibi autem videtur Primum propter ſui celebriorem uſum eſſe acceptandum*. Verba Anonymi edidit Martenius Tom. 1. pag. 819. N. Edit.

XXIII. Uniformiter non potuit ſtatim ubique introduci hic *celebrior uſus*; ſed etiam poſt Sæculum XIII. alicubi fuiſſe Altaria aliqua portatilia ſine Reliquiis conſecrata indicat Miſſale Rom. editum Baſileæ Anno 1487., cujus meminit Brunus in Expoſit. Miſ. Par. 1. art. 8. num. 5., cum ad illam orationem recitandam poſt conſcenſos gradus Altaris: *Oramus te Domine &c.*, præmoneat in Rubrica, quod ſi in Altari Reliquiæ non fuerint, prætermittantur illa verba: *Quorum Reliquiæ hic ſunt*. Idem monet Ceremoniale Carmelitarum Sebaſtiani Fantoni Lib. 2. Rub. 53. num. 6. Quorſum enim hæc præmonere oportebat, ſi numquam tolerata fuiſſet Sacrificii Oblatio ſuper Aras carentes Sanctorum Reliquiis? Mihi vero probabile non videtur hujuſmodi Reliquiarum defectum tunc contigiſſe in Aris immobilibus, pro quibus generatim omnes Libri Pontificales Sanctorum Reliquias poſtulabant: Quare ſi quæ ſupererant Altaria Sacris deſtituta Pignoribus, hæc potius geſtatoria, quam fixa fuiſſe judicio. Deletæ, abraſæque deinceps a RR. Miſſalibus fuerunt prædictæ Rubricæ, tum ne daretur, ſicut advertit attente P. Merati in Par. 2. Rub. Tit. 4. num. 1. pag. 398. Edit. R., alicui occaſio Ritum tam celebrem collocandarum Reliquiarum in Altarium conſecratione negligendi; tum, ut probabile exiſtimo, quia ubique omnes Eccleſiæ in hanc Diſciplinam convenerant. Hinc cum adhuc dubitaſſent aliqui, utrum in Altaribus Viaticis Sanctorum Reliquiæ collocandæ forent, dubiumque ad Eminentiſs. Cardinales Præfectos S. Congregationi ſuper Negotia Epiſcoporum, & Regularium detuliſſent; reſponſum fuit Die 20. Septemb. Anni 1594., & 1. Martii Anni 1595., ut refert Paſqualigus quæſ. 678. n. 12., etiam in illis conſuetum Reliquiarum Repoſitorium aptari debuiſſe.

XXIV. Perſeverat hactenus, & tenaciſſime ubique, quantum ſcio, cuſtoditur hujuſcemodi conſuetudo, itaut ſine dubio in grave delictum vertenda foret Lapidis conſecratio prætermiſſis Sanctorum Reliquiis: Poſtquam

quam enim Ritus iſte tam magnas radices fixit, ſine graviſſima neceſſitate, & ſine Pontificia Diſpenſatione illum violare gravem Sacrificio irreverentiam præſeferret. Ita quippe Sacri Ritus, qui ex communi perſuaſione Hominum piorum, & ex communi Eccleſiarum conſenſu redolent ſingularem erga Chriſtum reverentiam, ſunt retinendi, ut prudentum judicio illos prætermittere ſine ulla neceſſitate deſpectui eorumdem æquipolleat. Perperam porro a nobis requireretur, ut deſignaremus, quo loco conſtet præceptum tam rigoroſum nullos penitus lapides conſecrandi ſine Sanctorum Reliquiis: Nam quod de Sacris Veſtibus, quod de conſecratis Vaſibus pronunciant concorditer Scriptores, nempe ſine gravi culpa non poſſe illa prætermitti, cum Divina celebrantur Myſteria; pro præparatione Altaris, Lapidiſque idonei ad Divina decenter ſuſtinenda Myſteria ſimiliter urget. Ipſamet communis obſervantia ſatis eam invexit conſuetudinem, quæ Legi correſpondeat: Imo etiam Romani Pontificalis Rubrica exigens in conſecratione cujuſcunque Altaris Reliquias bene poteſt Legis vices ſubire; etſi alii Canones deeſſent, quorum tamen aliquos pro neceſſitate Reliquiarum in conſecrandis Altaribus Immobilibus proferri poſſent; quoſque nos libenter nunc proferemus ad ſatisfaciendum quorumdam inquiſitionibus; ſi de Altaris immobilis conſecratione impræſentiarum ageremus.

XXV. Non negamus autem, quin inopinata quædam cauſſa evenire poſſit, in qua Epiſcopus, vel alius ex Privilegio Pontificio præditus auctoritate Lapidis conſecrandi cogatur ſine Sanctorum Reliquiis aliquod Altare conſecrare. Etenim licet nunc multo copioſior ſit Sacrarum Reliquiarum theſaurus, quam fuerat præterlapſis temporibus ob auctum Sanctorum numerum, qui ad Cœleſtem Patriam cum gloria Sanctitatis, & Miraculorum commigrarunt; adhuc in remotiſſimis Regionibus Infidelium forte Apoſtolici Viri nonnumquam carebunt alio de vectis Sacris Lipſanis, etiam cum urgebit neceſſitas nova Altaria ædificandi, nec ſpes ulla affulgebit Sacras Particulas quantocyus obtinendi. Poterunt ergo tunc in tanta neceſſitate ſolo Chriſmate conſecrari Lapides, poſtea Sacris Pignoribus exornandi, cum illa præſto fuerint. Simile quid aliquando, licet rariſſime, ab antiquis Patribus factum exiſtimo; mihique occurrit Sanctus Gregorius Turonenſis Lib. de Vitis Patrum cap. 8., ubi loquitur de collocatis Sanctorum Reliquiis in Altaribus, in quibus nulla hactenus requieverant Sacra Pignora. Certe in his, quæ pertinent ad Sacros Ritus, nemo ignorat, quod graviſſimis quibuſdam ex cauſſis diſpenſatione utendum expediat, ut majora bona comparentur, humaniſque neceſſitatibus provideatur. Hujuſmodi diſpenſationem a R. Pontifice petere expediret, ne in ponderanda gravitate cauſſæ error irrepat. Verum ut caute ſolent muniri multis Apoſtolicæ Sedis privilegiis, qui Evangelicæ Prædicationis ergo in remotiſſima Regiones proficiſcuntur: Ita etiam quia in quibuſdam Regionibus non ſemper poſſunt haberi Sanctorum Reliquiæ, aut eo mitti ab Apoſtolica Sede; (Ab hac autem ſæpiſſime mittuntur in remotiſſimas Regiones; imo etiam Lapides ipſi conſecrati.) propterea R. Pontifex Præfectis Vicariiſque Miſſionum *de Propaganda Fide* facultatem non raro elargitur tribuendi licentias Miſſionariis celebrandi Miſſas *ſine Sanctorum Reliquiis*, *ſi aliter celebrari non poſſit*: uti legitur in Formula Facultàtum, quæ iiſdem a S. Congregatione Cardinalium Sancti Officii de expreſſo Pontificis Indulto conceditur. Eandem facultatem ad preces Magnorum Regum Romanus Pontifex Magnis Capellanis Exercituum concedere ſolet, ſicut Cap. X. dicemus.

XXVI. Magis amplificant aliqui facultatem celebrandi Sacrificium, quan-

quando gravis urget neceſſitas, & alias deeſt Altare, quod Eccleſiaſtica Diſciplina præparari, conſecrarique prius poſtulat: nam non ſolum deficientibus Reliquiis, ſed penitus deficiente Tabula conſecrata poſſe aliquando Sacram Victimam immolari in Terris Infidelium Paſqualigus quæſ. 702. de Sacrif. N. Leg. tuetur, ne propter carentiam Altaris conſecrati diu Fideles ibi peregrinantes Euchariſtiæ beneficio carere cogantur. Tantam latitudinem facultatis vix ego probaverim: nam ſi unus, alterque degit illic Chriſtianus, æquo animo ferre debent Sacrificii privationem, & aliis precibus ferventioribus quadamtenus reparare defectum Sacrificii ſibi ipſis a divina largitate beneficia ſpiritalia comparantes: Ita plane ſegerebant olim plures Anachoretæ, & quem antea commemoravimus, S. Mares, qui aliter piis operibus ſibi procurabant cæleſtis gratiæ dona; quamvis Sacrificio ſalutari carerent. Si autem plures fuerint in Terris Infidelium, vix credo eventurum, ut aliquis inter illos non adſit Sacerdos neceſſaria poteſtate præditus ad Altare Portatile conſecrandum. Hæc in Regionibus Infidelium, & Hæreticorum. At in Fidelium Provinciis nemo non videt, quam difficile poſſit tanta neceſſitas urgere, ut quis ſine Altari conſecrato celebrare cogatur. Verum etſi aliqua cauſſa inopinato occurrerit v. g. miniſtrandi Viaticum infirmo, deſitque Altaris conſecrati copia, tunc adhuc mihi non videretur prætereundus ſacer Ritus; meliuſque judicarem ſinere infirmum ex hac vita ſine ſacro Viatico diſcedere, quam in communi Menſa Sacrificium offerre. Certe alii aliquot Eccleſiaſtici Ritus, quales jam prædiximus de ſacris Veſtibus, & Vaſibus, forte etiam minoris, vel æqualis momenti cum Ritu celebrandi ſuper Altare conſecratum, violari nequeunt ad ſuccurrendum hujuſcemodi neceſſitati Infirmorum, quam unice in exemplum adduxit Paſqualigus quæſ. 703., ut licitam Sacrificii oblationem ſine Altari conſecrato etiam in Terris Fidelium probaret. Majora non addo, cum alia ad hoc argumentum ſpectantia de Orat. Domeſt. Cap. XV. dixiſſe meminerim.

XXVII. Ut vero exponamus cauſſas, ob quas Altaria Portatilia amittant conſecrationem, præmittere opus eſt ab Alexandro III. Cap. *ad hæc*, & Innocentio III. Cap. *quod in dubiis* Tit. *de Conſecrat. Eccleſiæ, vel Altar.* ad reddendum ineptum Altare Divinis celebrandis Myſteriis alterutram ex his cauſſis aſſignari, nempe motionem Altaris, ſeu ſigilli Reliquiarum; fractionem, & enormem læſionem, ſeu diminutionem Altaris, aut ſigilli prædicti. *Si Altare*, inquit Alexander, *motum fuerit, aut Lapis ille ſolummodo ſuprapoſitus, qui ſigillum continet, confractus, aut enormiter diminutus fuerit; debet denuo conſecrari.* Et Innocentius in hunc modum reſcripſit Turonenſi Epiſcopo: *Altare vero, in quo Tabula, cui conſecrationis benedictio Pontificali Miniſterio adhibetur, ſit mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immerito conſecrari.* Propter motionem lapidis portatilis a Tabula, cui conjungitur, illum amittere conſecrationem dicebant S. Ivo, & S. Anſelmus cap. 2. allegati: Sed non fuit iſtorum recepta ſententia, cum nudum, ac ſimplicem Lapidem a Menſa ſeparatum Epiſcopi conſecrare perrexerint. Sane ſi quemadmodum immobile Altare unam efficit molem, unumque corpus cum ſubjectis columnis, vel lapidum congerie; ita etiam Altare Viaticum unum corpus conſtitueret cum Tabula, cui innititur, dubio procul æque ab iſto deperiret conſecratio, dum Lapis a Tabula moveretur; ac ab illo depereat, dum Menſa Altaris ab inferiori ſuſtentaculo ſeparatur. Non ita autem res ſe habet in Altari Portatili, quod nullam unitatem ſervat cum Tabula, ſuper quam ponitur; nullaque habita ratione Tabulæ tantum ſecundum ſe conſecratur.

XXVIII. Hinc ſequitur, quod prima ex cauſſis recenſitis ab Alexandro, & Innocentio PP. amittendæ conſe-

erationis nequit afficere Aras Viaticas, quamvis contingeret iſtas cæmento, ſimilique modo tenaciter Menſæ conjungi, ac quamdam unitatem cum reliqua ſtrue efficere. Paſſim in Eccleſiis, Oratoriiſve extant Altaria Portatilia, quæ ſtabiliter collocata ſuper firmum, muroque exſtructum ædificium eandem quidem formam præſeferunt, quam reliquæ habere ſoleant Immobiles Aræ; vere tamen, quia illa non conſecrantur ut conjuncta, unumque corpus efficientia cum mole ſubjecta, ideo & ſunt adhuc Altaria per ſe mobilia, & propriam ſervant conſecrationem, quamvis ſeparentur ab ædificio, cui prius aptata fuerant. Quæ nunc dicta ſunt aliam ſpecialem obſervationem obiter faciendam nobis ſuppeditant; quare nempe polluta Eccleſia non polluantur Altaria Portatilia, quæ forte in illa fuerint? Etenim illa ſolum participant maculas Eccleſiæ, quæ ad iſtam proprie ſpectant, & veluti ipſius partes conſiderantur, quales ſunt Aræ Immobiles, Locoque certo affixæ; non vero Aræ Portatiles ad nullum ſpecialiter Locum determinatæ, ac pertinentes.

XXIX. In cæteris porro recenſitis cauſſis conſecrationem delentibus paria ſunt Altaria Immobilia, ac Geſtatoria; quia par militat in utriſque ratio. Et quidem circa fractionem liquido inde apparet, quod ubi *enormiter* fractus fuerit Lapis Portatilis, ſicut ineptus redditur muneri, ad quod fuerat conſecratus, ita tunc ſervare nequit præcedentem conſecrationem, quæ aptum, ac decentem Lapidem ad Divina Myſteria peragenda efficiebat. Similiter ſi ex fractione duo Lapides evaſerint, priſtinamque Altare mutaverit notabiliter ſtructuram, non amplius idem Altare perſeverat, quale antea fuerat, ac propterea priſtino mutato Altaris priſtina deperit conſecratio. Demum enormis hæc fractio indecentiam infert Lapidi, ob quam inutilis tam excelſo uſui reddatur. Hæc ſunt fundamenta, propter quæ etiam in enormi fractione priſtinam conſecrationem amittunt Altaria fixa; etſi in iſtis fractio in ſolo ſuſtentaculo facta eundem effectum pariat. Ut ergo neceſſitate urgente celebrari poſſit in Altari fracto, neceſſaria eſt Apoſtolicæ Sedis diſpenſatio, quam aliquando concedit quibuſdam Miſſionariis *de Propaganda Fide*, & Capellanis Exercituum, ut *ſuper Altari etiam non integro, ſeu fracto, aut læſo* valeant Miſſas facere, *ſi aliter celebrari non poſſit*.

XXX. Circa fractionem ſigilli, ſeu Lapidis, qui ſigillum operit, præmoneo perperam a quibuſdam interpretari verba Alexandri III. recitata non de Lapide ipſo claudente ſepulcrum; ſed de tota menſa ſuperiore. Profecto aliena apertiſſime videtur hujuſmodi interpretatio, cum expreſſe diſtinguat Pontifex inter *Altare, & Lapidem, qui ſigillum continet*; ne ulla confuſio in canonis expoſitione oriatur. Poſtquam enim invaluerat ſanctiſſima Diſciplina conſecrandi Altaria Sanctorum Reliquiis; & aliquando Concilia, ac Epiſcopi decreverant ſubverti Altaria, in quibus nulla aderant Sanctorum pignora, quod præcipue Cartaginenſe V. Concilium juſſerat; ſimul invaluit conſuetudo claudendi, & obſignandi Sanctorum Reliquias, ut iſtarum diligentiori cuſtodiæ conſuleretur, & arcerentur pericula falſa pro veris ſubſtituendi. De obſignatione Sacrarum Reliquiarum plurima congeſſit eruditiſſim. P. Abbas Trombelli Diſſert. 8. cap. 18., quæ licet non determinate referantur ad Altarium conſecrationem, præbent tamen valde grave fundamentum judicandi, quod etiam Epiſcopali ſigillo ſignarentur, cum in Altari collocabantur; ut etiam in iſtis notæ imprimerentur, quæ Reliquiarum identitati cuſtodiendæ opportuna erant. Ad hunc finem olim etiam, ſicut nunc, vel in Pergameno, vel in Marmore, vel alio modo inſculpebantur nomina Sanctorum,

quo-

quorum Reliquiæ in Altari fuerant collocatæ. Huc pertinent Lapides litterati juſſu Damaſi ſculpti, & illuſtrati a Blanchino in Adnot. Hiſtor. ad Vitam S. Damaſi: Similis Lapis adhuc in Baſilica S. Mariæ in Coſmedin aſſervatur. Diſtincte meminit Ritus obſignandi Reliquias in Altari Belethus de Div. Offic. cap. 42. dicens: *Mola vero in Altari dicitur pars media, ſub qua Reliquiæ ſigillantur*. Ut igitur tutius ſerventur Sanctorum Reliquiæ, ſolent ex vetei conſuetudine diligenter claudi in Altaris ſepulcro ſuperpoſita Tabula, ſeu Lapide prius Chriſmate in parte inferiore inuncto: Imo lapis iſte cæmento aptatur firmiter reliquo Altaris lapidi; unde nullum ſubſit periculum adulterationis, ac furti ſacrorum pignorum. Modum, ac Ritum hujuſmodi indicat S. Gregorius Turonicus Lib. 13. Hiſt. Francor. cap. 31. num. 19. inquiens: *Eſt hic Lapis opertorio tectus..., quem delatum reſeravi, fateor, & inveni in hoc capſulam argenteam, de qua non modo beatæ Legionis Teſtium, verum etiam multorum Sanctorum, tam Martyrum, quam Confeſſorum Reliquiæ tenebantur*. Abunde de eodem Ritu loquuntur antiquiſſima Pontificalia, ac Ordines in Tit. de *Conſecratione Altaris*, quæ apud Martenium, & Catalanum Lector reperiet. En ergo cauſſam, cur prophanetur Altare, ſi lapis Sepulcrum contegens, vel frangatur; vel ſaltem deſtructo cæmento non amplius firmiter cum reliqua Menſa conjungatur. Tunc enim Altaris forma notabiliter mutatur, & Reliquiæ non amplius ſunt immunes a periculo prophanationis. Huc uſque ea, quæ pertinent ad conſtituendum Altare Portatile ex poſuimus; quare ad illius uſum extra Eccleſias, atque Oratoria convertimur.

CAPUT IV.

De frequenti uſu Altarium Portatilium prioribus Sæculis uſque ad Converſionem Conſtantini.

I. VETERUM plurima monumenta, quæ antiquum morem circumducendi Altaria Viatica demonſtrant, in ſuperioribus Capitulis indicare nos coegit neceſſitas illuſtrandi ea, a quibus præſens Opuſculum inchoari debebat. Verum rem gratiorem futuram ſperamus Lectoribus benevolis, ſi ſimul ante ipſorum oculos proponamus ſeriem teſtimoniorum, quæ hactenus deprehendere potuimus; ut veluti unico aſpectu univerſam Veterum Diſciplinam circa uſum Altaris Viatici intueantur ab Apoſtolorum ævo uſque ad tempora Tridentini Concilii, a quo certæ ſtabilitæ ſunt Leges, fixique limites coarctantes facultatem celebrandi extra Loca Sacra. Primis illis Chriſtianæ Religionis temporibus, in quibus vel nondum multiplicatus plurimum fuerat Chriſtianorum numerus, vel Gentilium, Judæorumque livore non poterant ædificari Oratoria, aut exſtructa ſubvertebantur, dubio procul neceſſaria, erant Viatica Altaria, in quibus Apoſtoli, Apoſtolicique Viri Divina Myſteria celebrarent. Tam late tunc patebat hujuſmodi conſuetudo, ut vix alibi, quam in ſimilibus menſis Sacrificium offerri potuerit. Fatemur quidem in cœmeteriis, in quibus ſeſe

Fideles ſæpius congregabant, immobiles frequenter Aras erexiſſe, quæ tanto ſecurius erigebantur, quanto a Paganorum inſultibus cryptæ remotiores, & ſecretiores erant. Fatemur etiam privatas Chriſtianorum Ædes in orationum Domos converſas, & conſecratas ſua habuiſſe Altaria; quoniam propterea domeſtica illa Oratoria dedicabantur, ut ibi Divina Sacrificia perenniter offerrentur. Verum quam ſæpe tum ab Apoſtolis, tum ab aliis Sacerdotibus in primordiis Eccleſiæ in domibus non conſecratis, aliiſque privatis Locis Sacrificium fieri oportebat, in quibus ſicut Altaria ſtabiliri non poterant, ita neceſſe erat mobiles conſecratas Tabulas adhibere, ſine quibus, ut præfati ſumus, antea Divina celebrabantur Myſteria! Longæ peregrinationes per varias Orbis partes ſuſceptæ in gratiam prædicationis evangelicæ ſimiles Aras poſtulabant, quæ commodius in itineribus transferrentur, vel ſaltem ad illas privatas domos deportarentur, in quibus fixas exſtruere indecorum; imo inutile, plenumque periculo prophanationis fuiſſet. Etenim nec omnes illæ domus idoneæ erant, ut in Oratorium verterentur; nec diu illic manere poterant Presbyteri, a quibus deinceps ſuper immobilia Altaria Miſſæ peragerentur.

II. Atque hæc ſufficiant ſaltem pro illis Regionibus, ac Temporibus Apoſtolicis, in quibus vel rariſſima, vel nulla aderant Oratoria. Cum autem alicubi permiſſæ ſunt Fidelibus Eccleſiæ, ac Oratoria, non ideo credimus penitus Presbyteros caruiſſe Aris Portatilibus, quas ſecum hac illac deferrent, ut coram iis Fidelibus Sacrificium celebrarent, qui ob diſtantiam ab Eccleſia, vel aliis ex cauſſis frequenter ad participationem ſacrorum donorum convenire non potuiſſent. Paucæ enim admodum primis illis Sæculis erant Eccleſiæ; ita ut in vaſta Diœceſi nonnumquam nonniſi unica reperiretur, ſicut quibuſdam viſus eſt inſinuaſſe S. Ignatius Epiſcop. ad Philadelph. comparans unitatem Altaris cum unitate Epiſcopi; *Unum Altare, & unus Epiſcopus.*

III. At alia luculentiora proferamus de Uſu Portatilium Altarium extra Oratoria, & Loca conſecrata recolendo ſæviſſimas perſecutiones, quibus divexati Fideles quocumque in Loco ſe ad martyrium præparabant Sacrificii præſidio, quod in Eccleſiis offerri non ſinebat Tyrannorum impietas. *Cum ab omnibus*, inquit S. Dionyſius Alexand. Epiſcop. ad Hieracem apud Euſebium Lib. 7. Hiſt. cap. 17. *perſecutione exagitati eſſemus, & morte mulctati Feſtum lætis animis celebravimus; & SINGULA LOCA, & ſingula afflictionum genera nobis præſtituta, ut ager sylveſtris, ſolitudo deſerta, navis fluctibus jactata, diverſarium publicum, & horridus carcer opportuna videbantur, in quibus celebres conventus maximo cum ſtudio ageremus.* Quamvis expulſi a Civitatibus, & in ſolitudinem rejecti, aut carceribus mancipati tenerentur Chriſtiani, adhuc ſacras collectas celebrare, & Sacrificium, quod eſt præcipuum omnium Chriſtianorum conventuum, offerre non deſiſtebant. In tanta neceſſitate nihil eos retinebat, quin etiam in privatis Locis, Ædibuſque Miſſas facerent. De Fidelibus Africæ in perſecutione Vandalica ſimile quid narrat Victor Vitenſi Lib. 1. cap. 5. nempe, *quod illi triſtitia, & mærore confecti cœperunt, qualiter poterant, & UBI POTERANT, ablatis Eccleſiis Divina celebrare Myſteria.* Erigebantur igitur Sacræ Menſæ *in ſingulis Locis*; erigebantur in Agris, in Solitudinibus, in Navibus, in Diverſoriis, in Carceribus: erigebantur, *ubi poterant*; & quia Loca fixa non habebant, in quibus Altaria fixa ſtatuerent, mobilibus, viaticiſque Arulis uti neceſſarium erat.

IV. Aliqui crediderunt ad Aras hu-

hujuſmodi reſpexiſse S. Cornelium P., vel alium veterem Scriptorem Epiſtolæ ad Lupicinum, *cum arcam dominicam vento perſecutionis acerrime commoveri* dixit; ita ut publice neque in cryptis notioribus Miſsas facere liceret. Me vadem hujus expoſitionis non præbeo, etſi non ignorem primis illis perſecutionum temporibus ideo frequentius Altaria Lignea erexiſse Chriſtianos, ut transferrentur, & a perſequenſium Gentilium prophanationibus eriperentur. Magis tamen certa, ac manifeſta ſuppeditat S. Cyprianus Epiſ.4., in qua hortatur in carceribus *apud Confeſſores* offerre. Recolat Lector S. Martyris verba ſuperius Cap. I. num. 8. recitata, & iiſdem addat Acta S. Luciani, quæ conſuetum morem teſtantur, tum menſas portatiles præparandi, tum has, cum tutum erat, ad carceres transferendi propter Chriſti Martyres in agone poſitos. Addat inſuper dicta de S. Dionyſio Pariſiorum Epiſcopo; ac præterea Acta S. Urbani P., & S. Clementis Epiſcopi Ancyræ in Majo Bolland. ad diem 25. pag.12., & in Januar. ad diem 23. pag.463., quæ confirmant uſum Altarium Viaticorum, cum celebrationem in carceribus factam commemorent.

V. Pauca protulimus exempla ex multis, quæ apud Bollandianos Socios, & Surium de Sacrificio in carceribus oblato a Sacerdotibus illic detentis Tyrannorum crudelitate reperiuntur. Nobis ſufficiat S. Auguſtini auctoritas in Breviculo Collationis Coll. 3. diei c. 17., ſeu potius auctoritas Patrum Orthodoxorum, qui coram Marcellino Comite contra Donatiſtas dixerunt *ipſis geſtis Martyrum* monſtrari, quod *in paſſionibus ſuis* collectas egerant. Imo addiderunt Catholici *uſque adeo non eſſe incredibile, quod in privatam domum pauci illi Epiſcopi* (loquuntur de ordinatione Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi) *perſecutionis tempore convenerunt, ut fervente perſecutione etiam in carcere doceantur Baptizati Martyres, & illic a Chriſtianis celebrata Sacramenta, ubi Chriſtiani propter eadem Sacramenta tenebantur incluſi.*

VI. Sedula hæc diligentia, qua Sancti Presbyteri etiam inter catenas, & carceres Divina celebrant Myſteria multo apertius oſtendit, quanto frequentius tunc in privatis aliis Locis, domibuſque eadem celebrarent. In hanc rem aliqua protulimus de Oratoriis Domeſt. cap. 4. num. 5. Quare hic ſatis eſt inferre prioribus Eccleſiæ Sæculis valde frequentem fuiſſe uſum Altarium Portatilium; maxime cum raro poſſent furentibus perſecutionibus deputari privatæ domus, ad quas ſemper convenirent Fideles, & in quibus propterea fixæ Aræ erigerentur. Quinimo nec opportunum tunc fuiſſet in eaſdem domos aſſidue congregari Chriſtianos, atque in illis immobilia relinquere Altaria, ne facile ab Infidelibus detegerentur, & ſacrilega impietate everterentur.

VII. Sedatis perſecutionum turbinibus, & Chriſtianæ Religioni conciliata pace, quamvis non amplius egerent Epiſcopi, cæterique Sacerdoter Aras Viaticas circumferre ad Miſſarum actionem peragendam in privatis Chriſtianorum domibus, cum jam plurimæ erectæ eſſent Eccleſiæ conſecrataque Oratoria, non tamen omnino earumdem uſus interiit, quin aliquando in domibus ad ſpirituale ſolamen aliquorum, & maxime infirmorum; vel in itineribus ad pietatem itinerantium fovendam; vel in Caſtris ad Militum, Ducumque præſidium: vel ſub dio in campis, in littoribus, in mari, in quocumque alio loco honeſto ad ſupplendum Eccleſiarum defectum Aras Portatiles cauſſa Sacrificii collocarent. Per ſingulas Claſſes diſtribuemus Veterum monumenta, quantum fieri poterit, ut hinc promptius antiquam diſciplinam cum præſentibus conſuetudinibus conferre poſſimus. Ordiemur autem a more celebrandi in Caſtris Militum, quia

quia ad hoc argumentum ſpectant multa, quæ ad tempora Conſtantini nos pertrahunt; ac aperte continuatum in Eccleſia uſum Altaris Viatici etiam ſtatim poſt Perſecutiones demonſtrant: His ſubjiciemus, quæ in gratiam aliorum Laicorum concedebantur Sacrificia extra Oratoria; ac denique quæ pro Uſu Altaris Portatilis reperire potuimus ante Concilium Tridentinum circa Eccleſiaſticos Præſules, ac Viros religioſam vivendi rationem Profeſsos ſubnectemus.

CAPUT V.

De more Veterum celebrandi in Caſtris.

I. CONSTANTINUS Imperator tanta pietate exardebat, ut ubicunque ſe conferret, Tabernaculum in Eccleſia formam erigi vellet, in quo ipſe, ſuique Milites Deum laudibus efferrent, & Sacra Myſteria perciperent diſpenſata a Sacerdotibus, qui in comitatu Sacerdotalia Munera obeuntes ſemper aderant. Narrationem his verbis Sozomeni Lib. 1. Hiſt. cap. 8. exponimus. *Quoties ad bellum proficiſceretur tabernaculum ad Eccleſiæ ſimilitudinem fabricatum circumferre conſueverat ita ut ne quidem in ſolitudine conſtitutus tam Ipſe, quam Exercitus ejus Sacra Æde careret, in qua Deum laudare, ac preces fundere, & Sacra Myſteria percipere poſſent. Sequebantur enim Sacerdotes, & Diaconi tabernaculo aſſidentes, qui juxta Eccleſiæ ritum ejuſmodi officia obirent.* De eadem geſtatoria Eccleſia *ex variis, pictiſque velis* confecta loquuntur Socrates Lib. 1. H. E. Cap. 18., & Euſebius Lib. 2. de Vita Conſtant. capp. 12., & 14., quam in deſertiſſimis etiam Locis erigi curabat Imperator Piiſſimus, ut ubique Ædem Sacram decore paratam haberet, in qua preces ad Deum victoriæ auctorem funderet.

II. Nihil autem Veteres illi Hiſtorici commemorant Aram Viaticam exprimens: Attamen quid aliud reſonant verba Sozomeni *Sacra Myſteria percipere*, quam ſimul in caſtris delatum Altare, in quo tantummodo Sacra Myſteria Adſtantibus diſpenſanda conſecrari, & collocari poterant? Inſuper quo alio magis apto ſenſu exponemus reliqua verba Sozomeni narrantis Sacerdotes debuiſse *Deum laudare, ac preces fundere*; & ſimiliter Euſebium Lib. 4. de Vita Conſtant. cap. 56. qui narrat Conſtantinum ad bellum profecturum & circa ſe Epiſcopos habuiſse, quorum conſiliis regeretur; & *provida mente* proſpexiſse *Viros ad divinum cultum neceſſarios ſecum aſſidue verſari oportere*; ac viciſſim Epiſcopos una cum Imperatore militaſse, & pugnaſse *continuis apud Deum ſupplicationibus*: quo, inquam, aptiore ſenſu iſta, quam de Sacrificiis frequenter oblatis in Caſtris exponemus? Profecto cæteris *Votis* præcellit Euchariſticum Sacrificium, ex quo ſecurius divina implorantur beneficia. Demum niſi ſimul cum Eccleſia portatili Viaticum Altare detuliſsent Sacerdotes, qui fieri poterat, ut Tabernaculum in caſtris expanſum *ſpeciem Eccleſiæ* exhibuiſſet, cujus præcipua pars ab Altari conſtituitur? Pariter niſi Rei Divinæ celebrandæ vacaſſent Sacerdotes Conſtantinum ad bella euntem comitantes, eccleſiaſtica munia non obiviſſent *juxta Eccleſiæ Ritum*; quod tamen aperte tradit Sozomenus. Hinc quia Eccleſiaſtica Miniſteria maxime in Miſsarum ſolemnitate exercentur, ideo curaverat Conſtantinus, ut præter Presbyteros adeſsent ſemper Diaconi, qui Sacerdoti ſolemniter celebran-

branti in caſtris prompte miniſtrarent.

III. Tranſiviſſe ad Filios hanc piam Patris conſuetudinem, ac deinceps in alios Cæſares, Romanoſque Exercitus ſatis declarat Sozomenus ſubdens: *Ex eo tempore Militares Romanorum Legiones, quæ nunc vocantur Numeri, ſingulæ proprium ſibi Tabernaculum ducere cœperunt, & Sacerdotes, ac Diaconos proprios, ac peculiares habere*. Et ecce unde fluxerit mos ille noſtra adhuc ætate ſervatus, ut ſingulæ Militum Legiones proprium habeant Presbyterum. Quare licet diſtincte non legatur in hiſtoricis fragmentis Carolinæ Stirpis deinde proferendis, quod ſingulæ cohortes proprium in Caſtris haberent Presbyterum; attamen cum ex teſtimoniis inferius recitandis conſtet Principes non unum, ſed plures Sacerdotes ad bella ſecum duxiſſe; adhuc prudenter conjicere poſſumus tot fuiſſe deputatos in Caſtris Sacros Miniſtros, quot ad ſatisfaciendum ſpiritualibus neceſſitatibus totius Exercitus requirebantur. Proprium Militibus deputari ſolitum Presbyterum mihi innuere videtur Epiſtola Pelagii I. ad Laurentium Epiſcopum Centum-Cellenſem inſerta Tom. 5. Labbæanæ Collect. pag. 487. Edit. Ven., in qua poſtquam *a Principali Militum in Civitate Centum-Cellenſi* conſiſtentium exoratus fuerat, ut juxta Principis monitum *eis Presbyterum, Diaconum, & Subdiaconum fieri* concederet; idoneos ad ea officia Miniſtros promovere Laurentio jubet.

IV. Eundem morem primum a Conſtantino introductum retinuerunt conſtanter alii Chriſtiani Principes, ac Duces, qui cum ad bella procederent ſuos ſecum Sacerdotes ducebant. Ad hanc rem luculenta valde ſunt illa teſtimonia, quæ Capp.2.,& 4.de Orat. Domeſ.de Capellanis Regiis protulimus. Etenim licet Palatinorum Clericorum munus foret in Palatinis Capellis Sacrificium offerre, vel in illo miniſtrare; eorum tamen intererat comitari principem ad bella progredientem non tantum ſecum ferendo Sanctorum Reliquias, quam reliqua eccleſiaſtica ornamenta; ut, cum opus foret, in mediis Caſtris Miſſæ celebrarentur. Profecto etiam in hunc finem excubare debebant Regii Capellani, cum maxime ex Sacrificio fælix bellorum exitus ſperari poſſet. Hinc Concilium in Germania celebratum a Bonifacio Moguntino Epiſcopo Anno 742. tradit hoc maxime munus pertinuiſſe ad Palatinos Clericos comitantes Principem in Caſtris, videlicet miniſtrandi in Miſſarum celebratione, ac propterea can.2. non aliis Clericis permiſit in hoſtem pergere; *niſi illis tantum, qui propter Divinum Myſterium, Miſſarum ſcilicet Solemnia adimplenda, & Sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi ſunt; ideſt unum, vel duos Epiſcopos cum Capellanis, & Presbyteris eorum Princeps ſecum habeat*. Omnia hujus Concilii Statuta firmavit Synodus Leptinenſis eodem anno celebrata; & quæ recitavimus verba tranſlata ſunt in Capitularia Regum Francorum Lib. 5. cap. 2. Idem tradit Scriptor Libri I. Miracul. S. Dionyſii cap. 21., dum de Carolo M. adverſus Saxones proficiſcente inquit: *Hic pignora Beatorum Martyrum ſecum ferri fecerat, & Cuſtodes Clericos, qui ſecum proficiſcebantur, delegaverat, ut eis viciſſim ſibi ſuccedentibus debita exhiberetur Religio*.

V. Ex his diſcimus non tantum fuiſſe electos Palatinos Clericos ad ſacras ferendas Lipſanas, quam ad celebrationem Sacrificii offerendi quocumque caſtra a Principe figerentur. Vitus Amerbacchius ad finem Conſtitut. Caroli M. teſtatus eſt in Monaſterio Sancti Emerammi conſervatum Altare Portatile, quo in Caſtris Caroli M. utebantur Monachi Sandionyſiani profecti in Caſtra cum illo adverſus Saxones pugnaturo. Illis Monachis, ut tradit Anonymus Lib. 1. Mirac. S. Dionyſii cap. 20. Par. 2. Sæcul. III. Benedict., *ſolemnis Ara*, *tum*

tum lignea tabula erat, *quæ linteo adoperta modum Altaris efferebat*. Alias Aras Portatiles, quibus uſi fuerant Sacerdotes in celebrando Sacrificio extra Loca Deo conſecrata coram Principibus, alii commemorant; atque inter illas recenſere debemus *Altare Portatile* donatum a Carolo Calvo Monaſterio Dionyſiano, cujus cap. 2. meminimus. Addi poſſet inſigne Altare Viaticum donatum Eccleſiæ Sancti Emerammi ab Arnulpho Rege Bajoariæ Caroli-Manni Filio, quod ſe vidiſſe teſtantur Monachi Benedictini in Adnotat. ad Vitam S. Gerardi Bronienſis num. 32. In Altari Viatico celebratum fuiſſe ſub Ludovico Pio certiſſimum ex eo eſt, quod de illo in Vita ab Anonymo Chronographo Saxoniæ ſcripta S. Altofridi (obiit Anno 875. 15. Auguſti, ut habetur in Sæculis Benedictinis,) legatur, *in Loco, quem nunc Hildinisheimenſis occupat Eccleſia*, *tentorium fixiſſe*, *ibique collatis Regiæ Capellæ Reliquiis Miſſam audiviſſe*.

VI. Nobis arridet hoc teſtimonium unde firmemus, quod paullo ante dicebamus, Regios Capellanos non tam ad ferendas Reliquias in Caſtris, quam ad Miſſas celebrandas cum Principe ad bella perrexiſſe. Quod ſi ita res ſe habebat, jam tot addere poterimus teſtimonia celebrati Divini Myſterii in Caſtris, quot extant monumenta delatarum in Caſtris Sacrarum Reliquiarum. De hac conſuetudine loquitur Auctor Vitæ S. Bertarii Carnotenſis Epiſcopi, quem Clotarius II. ſuum conſtituerat Archicapellanum; *Et pignora multa Sanctorum*, *quæ ſecum deferebat*, *ut MOS EST REGUM*, *ditioni illius* conſtituiſſe. Imo ſub Chilperico vigebat conſuetudo in itineribus Reliquias deferendi ad ſpiritale ſolatium, & tutelam Principum; unde S. Gregorius Turonenſ. Lib. 6. Hiſt. Francor. cap. 27. narrat de Chilperico, quod *Reliquiis multorum Sanctorum præcedentibus Urbem ingreſſus eſt*.

VII. Ad eundem morem celebrandi in Caſtris ſuper Aras Portatiles conſecratas reſpiciunt frequenter laud. Libri Capitularium, ut Lib. 6. cap. 205., & Lib. 7. cap. 316. his: *Sciendum eſt omnibus*, *quod* . . . , *Miſſarum celebratio nonniſi in Locis ab Epiſcopis Deo dicatis EXCEPTO TEMPORE HOSTILITATIS*, *& hoc nonniſi in Altaribus*, *& Tabernaculis ab Epiſcopis Deo dicatis*, *ullatenus fieri poſſit*, *aut debeat*. Similia habentur Lib. 9. cap. 431. quo etiam loco *Tabernacula dedicata ab Epiſcopis* deſiderantur; quia plurimum decoris conferebant Actioni Sacræ, & magis ad vivum emulabantur morem priſtinum tempore M. Conſtantini introductum. An diu poſt retinuerint Principes una cum Aris portatilibus conſuetudinem deferendi conſecrata Tentoria, affirmare non poſſum; quia licet alibi commemorentur hujuſmodi geſtatoria Tentoria, expreſſe tamen illorum conſecrationem non lego. Certe conſulitur dignitati Sacrificii, cum ſaltem ſuper conſecratum Altare offertur.

VIII. Portatile Tentorium ad Rem Divinam deputatum detuliſſe in itineribus Robertum Francorum Regem Helgaldus refert in illius Vita, dum tradit eum habuiſſe *Geſtatorium Tentorium Divini Myſterii*, quod ſecum ferri juſſerat, quocunque ibat; atque inter alia portatilia Altaria Roberti unum recenſet *auro*, *& argento mirabiliter paratum*, quod Eccleſiæ Aurelianenſi legavit. Similiter de S. Ludovico IX. Hieroſolymam adverſus Saracenos eunte refert in illius Vita Gaufridus de Bello Loco, qui ejus confeſſiones excipiebat, ipſum ſecum Sacerdotes habuiſſe, ut erecta Eccleſia portatili ſacrificarent, & ſub ea Sac. Euchariſtiam collocarent. Portatilem hanc Eccleſiam vocat *Tentorium*, ſeu *Capellam* Guillelmus Nangius Lib. de Geſtis S. Ludovici dicens: *De Scarleta Tentorium*, *ſive Capellam fecit Ludovicus Rex præparari*, *quam miſit Regi Cham ad devotionem Fidei Chriſtianæ in eo excitandam*. Forte ſub eo nomine

Capel-

Capellæ continetur Tentorium in Actis S. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ; de qua in Julio Bullandiano ad Diem 4. narratur, quod *frequentabat Capellam, quam ſecum ferebat valde divitem ornamentis*. Huc pertinent, quæ ex Balſamone recitat Thomaſſinus de Benef. Lib. 2. Par. 1. cap. 96. num. 9. de Palatinis Clericis Orientalibus, quod illi nempe, *qui ſunt in Imperatorum comitatu in Campis ſolitariis Sacra rite facere cenſentur ſub ſolo Bombycino, quod eſt Eccleſiæ deſtinatum Tentorium*.

IX. Pro celebratione in Caſtris facta habeo illuſtre monumentum in Vita S. Brunonis, qui ſecutus eſt Anno Dom. 1034. Conradum Imperat. in Italiam. Etenim obſidente Imperatore Mediolanum accidit in ipſo S. Pentecoſtes Feſto, ut Brunone in Caſtris *ſacra faciente* horribilis tempeſtas multos homines enecaſſet; & tamen illæſus ipſe Bruno ad Altare ſtans nihilominus Sacrum ſuum abſolveret. Alia reperiet eruditus Lector exempla addenda; ſed hactenus dicta ſatis demonſtrant continuatum morem celebrandi ſub Papilionibus in gratiam Militum, ut ſibi ipſis propitium Deum Exercituum Sacrificii Oblatione redderent. Profecto de Wladislao, ſeu de Ladislao Jagillone Rege Poloniæ lego apud Spondanum ad Annum 1410. num. 11., quod, poſtquam Miſſæ ſub Tentorio celebratæ interfuit, de hoſtibus Victoriam magnam reportavit. Licere pro Exercitu ſub Tentoriis Miſſas celebrare tradiderunt S. Antoninus, Durandus, aliique Scriptores ante tempora Concilii Tridentini; atque inter cæteros S. Raymundus Lib. 2. Summæ pag. 470. §. 11. ait: *In neceſſitate etiam poteſt Miſſa celebrari ſub Dio, vel in Tentoriis, in Itinere videlicet, vel in Exercitu..... dum tamen habeatur ſemper tabula, ut dictum eſt* (conſecrata); *& cætera ornamenta neceſſaria*.

CAPUT VI.

De Uſu a Veteribus facto Altaris Viatici extra Eccleſias, & Oratoria ob infirmitatem, itinera, aliaſque ſimiles cauſſas.

I. MAJORUM noſtrorum diſciplinam permittentem aliquando in privatis Domibus, & extra Loca Deo conſecrata Miſſarum celebrationem etiam poſt reſtitutam Eccleſiæ pacem oſtenſuri ad ea iterum legenda, quæ de Oratoriis Domeſticis capp. 4. 11. & 12. congregavimus, Veterum monumenta Lectorem noſtrum ablegamus. Fuimus equidem ſolliciti, quantum poſtulabat argumenti ratio, illa tantum colligere, quæ proximius reſpiciebant Privata Laicorum Oratoria; attamen omnino abſtinere nequivimus, ne quædam inſereremus ad præſens Opuſculum pertinentia. Imo tam bene applicari poſſe novimus ad oſtendendum uſum Viaticorum Altarium in privatis Domibus teſtimonia, quæ protulimus c. 4. num. 9. ex Concilio Laodiceno, & Gangrenſi, & cap. 11. n. 2. ex S. Ambroſio, & Synodis Epheſina, & Carthaginenſi, ut pene vereremur reprehenſionem Legentium, dum ibi inſerta vidiſſent. Multa pariter, quæ ex medio, infimoque ævo adunavimus Conciliorum, Patrumque Statuta, nobis evidenter demonſtrabant uſum Viaticæ Aræ; ac proinde dum eadem capp. 11. & 12. recenſebamus,

optime ſimul intelligebamus in hoc Opuſculo ſuum illis locum congruere. Oportuit igitur a nobis plurima in alio Tractatu præmittere, quia licet demonſtrarent uſum Aræ Viaticæ in privatis Domibus, ſimul tamen Veterem Diſciplinam domeſticorum Oratoriorum explanabant. Enimvero quam veriſimile eſt, ut cum olim quibuſdam ex cauſſis in Domibus Laicorum permittebantur Sacrificia domeſtica, non ſimul exigeretur, quando id ſaltem commode fieri poterat, ut in cubiculo magis a prophanis uſibus ſegregato offerrentur! Certe nihil credibilius, quam quod in Domibus, quamvis non conſecratis, in quibus identidem Miſſas celebrabant Epiſcopi, aliique Sacerdotes, aliquis locus eligeretur minus prophanus, ſive, ut loquitur Theodorus Studita Lib. 1. Epiſ. 40. ad Neucratium, *Locus mundior*, in quo dignius, ac decentius Sacra victima Deo myſtice immolaretur. Hæc autem plane præformaverant Oratoria domeſtica, quæ poſtea introducta fuerunt, & hactenus juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam retinentur, cum non amplius vigeat conſuetudo conſecrandi Oratoria intra privatas Domos deſignata. Ob hunc ergo finem debuerunt a nobis multa de celebratione in Domibus facta præmitti, quæ tamen non ſupponebant Oratoria conſecrata, ac propterea ſimul inſinuabant uſum Altaris portatilis neceſſarii ad Sacram Agendam, ubi deſunt Altaria Immobilia non alibi erecta, quam in Locis Divino tantum Cultui conſecratis, & dedicatis.

II. Habeant itaque teſtimonia illa Locum in Opere *de Oratoriis domeſticis*; nec tamen careant ſuo robore in oſtendenda antiqua conſuetudine, ſecundum quam etiam poſt Conſtantinum aliquando in privatis Domibus uſus Altaris Viatici permittebatur. Quocirca, quin iterum hic repetamus, quæ ibi capp. 4. & 11. recitavimus, ex Conciliis Laodiceno, Gangrenſi, Epheſino, & Carthaginenſi conceſſam Miſſarum celebrationem in Ædibus privatis, quando neceſſitas, aut gravis cauſſa poſtulabat, inferimus; ac proinde, quod pro Oratoriorum privatorum diſciplina ex iiſdem Conciliis deprompſimus, ſimul hoc loco urgemus, ut ex Sæculo IV. & V. celebrati nonnumquam Sacrificii in privatis Domibus ſuper Aras portatiles indicia pateant. Pariter ad hunc finem probabiliter conferre credimus, quod de S. Ambroſio c. 4. num. 2. diximus; nam cum nemo demonſtrare poſſit extitiſſe Oratorium conſecratum in Domo illius Matronæ Romanæ, ubi S. Præſul Sacrificium obtulit, prudenter conjicere poſſumus ibi tantum uſum Altaris portatilis fuiſſe conceſſum.

III. Addo ex Sæculo V. teſtimonium ex S. P. Auguſtino Lib. XXII. de Civ. Dei cap. 8. num. 6., quod aperte convincit urgentibus quibuſdam cauſſis ex indulgentia Epiſcoporum, vel eorum, qui abſente Epiſcopo Eccleſiaſticum Regimen in Diœceſi gerebant, conceſſum Sacrificium fuiſſe in Laicorum Domibus: *Vir Tribunitius*, ait S. Pater, *Heſperius apud Nos eſt: Habet in Territorio Fuſalenſi fundum Zebedi appellatum, ubi cum afflictione animalium, & ſervorum ſuorum domum ſuam ſpirituum malignorum vix noxiam perpeti comperiſſet*, *rogavit Noſtros*, *me abſente*, *Presbyteros*, *ut aliquis eorum illo pergeret*, *cujus orationibus cederent*. *Perrexit unus*, *obtulit ibi Sacrificium Corporis Chriſti*, *orans quantum potuit*, *ut ceſſaret illa vexatio*: *Deo propitius miſerante ceſſavit*. Quid ſimile ex Theophane ad Annum Ch. 508. refert Card. Bona Lib. 1. Rer. Litur. cap. 14. num. 1. nempe Chabadem Regem Perſarum induxiſſe Epiſcopum ad Sacrificium offerendum in privata Domo, ut Dæmones ab illa pellerentur.

IV. Præcipue autem uſus Aræ Viaticæ ab Antiquis concedebatur in ſolamen infirmorum, in quorum cubiculis ſæpius Miſſas fieri permittebant.

bant. Ampliſſimum in hanc rem proferimus monumentum, quod non fugit ſingularem diligentiam Eminentiſſimi Card. Lambertini de Sacriſ. Miſſæ Sect. 1. §. 10., & reperitur in Sacramentario Gallicano, quod è Codice Monaſterii Bobienſis Mabillonius edidit Tom. 1. Muſæi Italici, & ad VII. Sæcul. pertinere judicavit. Ibi enim pag. 364. Ordo Miſſæ *in Domo cujuslibet* celebrandæ tempore infirmitatis ponitur; & quia ſine ulla exceptione Perſonarum ſolebat coram Infirmis celebrari, quoties ſaltem id probaſſet Epiſcopi prudentia; icirco Tò *cujuslibet* in fronte illius exprimebatur. Lubet quædam ex hac Miſſa decerpere, quæ in cubiculis Infirmorum eandem peragi conſueviſſe confirmant: Ita in prima oratione orabat Sacerdos: *Protector in Te ſperantium Deus, & ſubditarum mentium cuſtos, habitantibus IN HAC DOMO Famulis tuis Ill. propitius adeſſe dignare &c.* In Secreta: *Suſcipe Domine quæſumus preces, & hoſtias Famulorum Ill., & muro cuſtodiæ Tuæ hanc Domum circumda, ut omni adverſitate depulſa ſit hoc ſemper Domicilium incolumitatis, & pacis.* Demum *Conteſtatio*, quam nos Præfationem appellare ſolemus, ſic ſe habebat: *Vere dignum, & juſtum eſt, Omnipotens Deus, benignus Indultor in ſecretis officiis noſtris, ET IN HANC DOMUM manentibus præſentiæ tuæ concede cuſtodiam, Familiæ tuæ defenſor, ac totius habitaculi hujus habitator apparens.*

V. Ex aliis etiam Sacramentariis vetuſtiſſimis in Domo Infirmi celebratas fuiſſe Miſſas manifeſto apparet. Vener. Thomaſius Lib. 3. Sacram. R. Eccleſ. num. 73. unam edidit, quæ omnino concinit cum recitata; adduntur que, *Infra actionem* hæc verba: *Hanc igitur oblationem famuli tui Ill., quam tibi offert pro votis, & deſideriis ſuis, & pro incolumitate domus ſuæ placatus ſuſcipias, deprecamur; pro quo in hac habitatione auxilium Tuæ Majeſtatis depoſco; ut mittere ei digneris Angelum tuum Sanctum ad cuſtodiendos omnes in hac habitatione. Per Dom. &c* Denique Orationes ſubjunguntur *poſt Communionem* dicendæ: *Omnipotens ſempiterne, Deus, qui facis mirabilia magna ſolus prætende ſuper hos Famulos degentes in hac Domo Spiritum gratiæ ſalutaris, & ut complaceant Tibi Deus in veritate tua, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis effunde. Per Dom. &c. Omnipotens ſempiterne Deus inſere te officiis noſtris, & in hanc manentibus Domum præſentiæ tuæ concede cuſtodiam, ut Familiæ tuæ defenſor, ac totius habitaculi hujus habitator appareas. Per Dom. &c.*

VI. Vetuſtam alteram Miſſam pro Infirmo celebratam edidit erud. Martenius Lib. 1. de Ant. Eccl. Ritib. cap. 7. art. 4. ex Sacramentario Moiſacenſi, quod ipſo judice 800. circiter ab hinc annis deſcriptum fuit. Ne vero dubitemus eam in Domo ipſa Infirmi celebrari conſueviſſe, pauca iſta ſeligimus, quæ recitari conſueverant. In Collecta: *Omnipotens ſempiterne Deus .... Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut mittere digneris Sanctum Angelum tuum, qui Famulum tuum ill. in HAC DOMO conſiſtentem, in anguſtiis, & neceſſitatibus laborantem, conſolationibus tuis attollat &c.* Super Oblata. *Oblationes in anguſtia pro peccatis, atque offenſionibus Famuli tui in HAC DOMO conſiſtentis omnipotens Deus Oblatas aſſume &c.* Infra Actionem. *Hanc igitur Oblationem, Domine Famuli tui ill. in hac Domo conſiſtentis, quam Tibi offerimus ob diem neceſſitatis ſuæ &c.* Conſuetudinem celebrandi Sacrificium in Domo Infirmi Sæculo VIII. vigentem etiam detegimus ex Pœnitentiali Egberti Eboracenſis Epiſcopi, quod doctus Morinus in Append. ad Libros de Pœnit. edidit. Cum enim poſt pœnitentiam Infirmo traditam, ſubjiciat Egbertus Miſſam *pro Infirmis*, & huic addat *Benedictiones*, quæ ad præſentem Infirmum diriguntur; quæque ex more Veterum inter ipſam Sacram Agendam fieri conſue-

verant, aperte ſequitur eandem Miſſam celebratam fuiſſe in Domo Infirmi. Quis enim credat ad Eccleſiam cauſſa Sacrificii graviter laborantem Infirmum ſemper potuiſſe deferri? Hac de cauſſa ſuſpicor Miſſam, quæ in Euchologio Græcorum opera Cl. Goarii illuſtrato pag. 348. Novæ Edit. Ven. ex vetuſto Codicæ Bibliothecæ Barberinianæ poſt Sacramentum Extremæ Unctionis ſubjungitur, in domo Infirmi celebratam fuiſſe.

VII. Libenter itaque permittebant in ſolamen Infirmorum Epiſcopi Miſſas cubicularias; & quamvis Sec. IX. quaſdam leges edidiſſent adverſus celebrationem Sacrificii in Domibus non conſecratis, tamen ut plurimum tolerabant hanc conſuetudinem erigendi Aras Viaticas in domibus Infirmorum, qui ad Eccleſias accedere ne quibant. Certe eam indulgentiam toleratam fuiſſe a Concilio Pariſienſi VI. cap. 15. exiſtimo, cum probaret univerſim *in Domibus* Miſſas fieri ex *præmiſſa neceſſitate* nempe quando *neceſſitas compellit, ne populus Dei ſine Miſſarum celebratione, & Corporis, & Sanguinis Domini perceptione maneat.* Expreſſe Miſſas in cubiculis Infirmorum conceſſit Aytho Baſileenſis Epiſcopus in Capitularibus cap. 14. Tom. 6. Spicil. Acherian. prohibens *in Domibus, niſi fortè viſitandi gratia in infirmitate detentos, Miſſarum Myſteria* celebrari.

VIII. Nimia tamen licentia, quæ alicubi, & in Galliis præcipue irrepſerat Sæculo IX. celebrandi in quocunque Loco non conſecrato, & ſine Epiſcopi conceſſione movit quoſdam Epiſcopos prohibere generatim in Domibus *quacunque neceſſitate* celebrare, ut inde omnis occaſio violandi Eccleſiaſtica Statuta ſubtraheretur. Hoc modo decrevit Herardus Turonenſis Epiſc. in Capitular. Anni 858. cap. 34. Imo aperte priſtinas facultates celebrandi in cubiculis Infirmorum revocavit Concilium Metenſe Anni 888. Can. 8. iſta declarans: *In locis non conſecratis, ideſt in Solariis, ſive in cubiculis propter Infirmos... a quibuſdam Presbyteris Sacrificium offerebatur, quod omnimodis interdictum eſt.* Hinc ea ætate in quibuſdam Galliarum Locis in ſolamen Infirmorum non jam perfectæ Miſſæ, ſed Miſsæ ſine conſecratione, & conſumptione Hoſtiæ a Sacerdote dicebantur ad Infirmos delata ab Eccleſia Euchariſtia. Miſsa hæc *Sicca* deinceps appellata fuit, eamque reperimus in Navibus, aliiſque in occaſionibus celebratam. Ritum illius ita deſcribit Galindonius, ſeu Prudentius Junior Epiſcopus Tricaſſinus (Obiit poſt Annum 860.) in ſuo MS. Pontificali apud Martenium Lib. 1. de Antiq. Eccleſ. Ritibus cap. 3. art. 1. num. 20. *Si autem Infirmus in lecto, detentus eſt, ut ad Eccleſiam, vel Miſſam ire non poſſit, Sacerdos accipiat Librum Sacramentorum, Stolam ad collum habens ſumma cum devotione veniat ad Infirmum ſalutans cum Verbis Divinis. Inprimis dicat Collectam ad Diem pertinentem, & Epiſtolam. Poſtea legat Evangelium. Deinde dicat. Dominus vobiſcum, Surſum corda. Gratias agamus Domino. Sequitur Præfatio uſque ad Sanctus. Inde dicat. Oremus præceptis ſalutaribus cum Oratione Dominica uſque per Omnia Sæcula Sæculoram. Poſtea communicet eum. Sequitur oratio poſt Communionem.* Pene ſimili modo Ritum Miſsæ Siccæ deſcribit Durandus Lib. 4. Ration. cap. 1. num. 23.

IX. Quamvis vero aliqui Epiſcopi prohibuerint in Gallis Miſſas in cubiculis Infirmorum, tamen recitatis decretis non aliud puto Epiſcopos exoptaſse, quam reprimere, ac coercere temeritatem illorum Sacerdotum, qui inconſultis Epiſcopis in privatis Domibus paſſim audebant Sacrificium celebrare, atque illicitis poſtulationibus Laicorum quorumdam publicas Eccleſias deſerentium indulgebant. At vero nondum ſuæ renunciaverant Auctoritati Epiſcopi, per quam, quando opportunum eis videbatur, in privatis Domi-

Domibus permitterent Miſſas facere. Hinc ſæpe Sæculo IX., ac deinceps conquerebantur Eccleſiarum Antiſtites, quod ſpreta ipſorum dignitate, & auctoritate, nec poſtulata prius ipſorum venia hujuſcemodi Sacrificia privata, ac domeſtica ad libitum Sacerdotum, & inconſultis Epiſcopis offerrentur. Recolantur multa, quæ protulimus cap. 12. de Orat. Domeſt., ex Concilio Pariſienſi VI., & Libris Capitularium; ut inde pateat, quo illius temporis ſtatuta adverſus domeſticam Sacrificii oblationem dirigerentur. Certa etiam tunc ſibi ipſis integram conſervaverant auctoritatem Epiſcopi elargiendi facultatem Miſſarum celebrandarum in privatis Ædibus; atque ut nonniſi ab ipſorum nutu, & *rationabili licentia* penderent domeſtica Sacrificia, graviſſimas illas Sanctiones non alibi Divina Myſteria peragendi, quam in Locis Deo conſecratis, ediderunt. Apertos ibi num. 12. ex Concilio Pontigonenſi, & Moguntino Canones id demonſtrantes allegavimus.

X. Remanſit igitur etiam poſt Sæculum IX. conſuetudo erigendi Aras Viaticas in privatis cubiculis, quoties Epiſcopi concedebant legitimis de cauſſis Miſſas ibidem fieri, vel ob ſolatium Infirmorum, vel ob alias conſimiles rationes; ſatiſque viſum fuit frænandæ imprudentiæ eorum, qui in hortis, in domibus, aut in ædiculis Altaria geſtatoria collocabant, generatim prohibere ſine expreſſa licentia Epiſcopi in Locis nondum conſecratis, & dedicatis Miſſas celebrare. Revera identidem Epiſcopus licentiam præbuiſſe coram præcipue Viris Nobilibus Aras Viaticas in cubiculis domeſticis erigendi, & in illis Sacrificium celebrandi mihi manifeſte oſtendunt variarum Provinciarum Statuta, quæ cap. 11. de Orator. Domeſtic. in retegenda diſciplina domeſticorum Oratoriorum deſcripſimus. Etenim ſæpiſſime video diſtingui Miſſarum celebrationem factam in Capellis, & Oratoriis privatis, ſeu Domeſticis, ab ea, quæ aliquando in Domibus extra has Capellas concedebatur. Repetat Lector Statuta Eccleſiæ Trecorenſis, Cadurcenſis, Andegavenſis, Nemauſenſis &c. Repetat etiam Decreta Synodorum Londinenſium, & Derthuſanæ, in quibus diſtincte fit mentio facultatis conceſſæ pro Sacrificio offerendo *in Oratoriis privatis*, *vel in Domibus privatis*: *in privato Oratorio*, *vel in Domo*: Harum, & ſimilium loquendi formularum proprietatem attente conſiderans non tantum exiſtimo ſolitos fuiſſe Epiſcopos reſtringere facultatem domeſtici Sacrificii ad privata Oratoria in Nobilium Domibus præparata; ſed aliquando liberam quibuſdam præbuiſſe licentiam, ut *quocunque loco mundo*, *&* *honeſto*, ſicut loquitur Girbertus Ruthenenſis Epiſcopus laudatus cit. cap. 11. n. 24., *coram ſe facerent celebrare Sacrificium*.

XI. Quamvis igitur frequentius Epiſcopi elargiendis facultatibus Miſſarum domeſticarum ad privatas Capellas reſpicerent, in quibus decentius Divina Myſteria offerebantur; adhuc tamen ſimul ampliores facultates tribuere non repugnabant, ut quocunque loco, quando opus erat, & qualicunque in honeſto cubiculo Miſſæ celebrarentur. Hanc differentiam adnotare opus fuit, per quam proximius Veterum diſciplina circa uſum Altaris Viatici in privatis Domibus declaratur. Scio equidem, quod etiam Capellæ domeſticæ, in quibus multis ab hinc Sæculis ex Epiſcoporum indulgentia Miſſæ concedebantur, fixa, & immobilia in proprio ſenſu non habebant Altaria, quæ ſolum in Capellis conſecratis reperiebantur: Verum ſimul adverto, quod ratio privilegii limitantis celebrationem Miſſarum in domeſtica Capella valde differt a privilegio, in quo facultas omni Loco honeſto, mundoque cubiculo Miſſas celebrandi, vel coram ſe celebrari faciendi conceditur. De Priori Privilegio abunde diximus

mus in præcedendi Tractatione: At etiam de alio genere Privilegii amplioris ex Veterum Moribus nunc a nobis argumenta proponenda erant, ex quibus appareret non minus viguiſſe inter Veteres conſuetudinem permittendi Sacrificia in privatis Oratoriis, quam etiam in aliis cubiculis, quoties nempe illi, qui talibus gratiis ditabantur, vel privato carebant Oratorio, vel ad illud cauſſa infirmitatis forte accedere non poterant. Valde frequentem exiſtimo fuiſſe hujuſcemodi facultatem ex eo, quod paſſim in Statutis Eccleſiarum jam allegatis facultas celebrandi in Domibus, aliiſque Locis privatis commemoretur. Imo forte frequentius concedebantur privilegia Altaris portatilis extra Oratoria, quia non omnibus ita commodum eſſe poterat peculiare aliquod cubiculum non aliis uſibus addictum, quam orationi deputare. Certe paſſim ea Altaria in privatis Domibus retineri ſolebant, ut ex dictis cit. Cap. XI. abunde intelligitur, quorum plurima etiam ad Locum præſentem revocare poſſemus.

XII. Maxime autem cauſſa itineris uſus Altaris Viatici indulgebatur, dummodo & Baſilicæ procul eſſent, & ad illas Populus accedere non valeret. Tunc quicunque Locus honeſtus, vel privata Domus, ſive Campus, idoneus erat ad Rem Divinam faciendam. Morem iſtum retroactis temporibus obſervatum, quando deerant Eccleſiæ, approbaverunt etiam Patres IX. Sæculi ea licet occaſione, in qua multorum temeritate Sacri Canones præcipientes Miſſas tantum fieri in Locis conſecratis nimis fuerant relaxati. Expreſſe Concilium Pariſienſe VI. cap. 15. a Lege prohibente celebrationem Sacrificii extra Loca Sacra excepit tempus, *quando in itinere pergitur, & Locus Baſilicæ procul eſt; & id in Altaribus ab Epiſcopo conſecratis fieri neceſſitas compellat, ne Populus Dei ſine Miſſarum celebratione, & Corporis, & Sanguinis Dominici perceptione maneat ..... Quando enim in itinere pergitur, non induſtria, ſed neceſſitas alicubi, quam in Eccleſia Miſſarum celebrationem fieri urget*. Eadem conceſſio iiſdem propemodum verbis inſerta habetur Lib. IX. Capit. cap. 431., & a Concilio Moguntino fuit iterum confirmata cap. 9. cujus ſupra cap. 3. num. 8. meminimus. Licentiam celebrandi in Locis non conſecratis propter *longius iter* eodem Anno 888. Concilium Metenſe Can. 18. cit. retractavit, quia in Metenſi Provincia adverſus nimios abuſus ſeveriora remedia neceſſaria erant. Forte tamen neque opponebantur inter ſe horum Conciliorum Decreta: Etenim Concilium Metenſe non reſpexit ad multitudinem Itinerantium, dum prohibuit Sacerdotibus itinerantibus ad libitum ſub dio, aut in Hoſpitiis celebrare; At Concilium Pariſienſe non ingratiam unius, vel alterius Viatoris; ſed ut innuunt ipſius verba, ad multorum ſimul itinerantium ſpirituales neceſſitates ſublevandas Miſſarum celebrationem ſuper Aras Viaticas in Domibus, aliiſque Locis non conſecratis conceſſerat.

XIII. An diu obſervata fuerint decreta Concilii Metenſis? ignoro: Certe tamen alibi ſubinde eo liberior uſus Aræ Viaticæ evaſerat propter itinerantes; ut etiam alicubi quædam ædiculæ in publicis Hoſpitiis, ac diverſoriis aptarentur, in quibus Viatores commode Miſſas celebrare, vel coram ſe celebrari facere poſſent. Erant in Provincia Senonenſi paullo ante Concilium Tridentinum hujuſcemodi Capelulæ in diverſoriis ad eum finem præparatæ; a quibus omnem licentiam celebrationis Sacrificii Cardin. a Pratis Archiepiſ. Senonenſis in ſua Synodo Anni 1528. cap. 14. abſtulit. Ad uſum Altaris Portatilis cauſſa itineris plura ſuperius indicata pertinent, aliaque paullo poſt addemus. Ipſum nomen Aræ *Viaticæ*, & Altaris *Itinerarii*, quod paſſim adhibetur a Scriptoribus eundem uſum præcipue pertinuiſſe ad occaſiones peregrinationis in Loca remota confirmat. Addam unum valde amplum teſtimonium,

nium, quod clare oſtendit antiquitatem deferendi Aras Viaticas, & a S. Beda ſumitur Lib. 5. Hiſt. Anglor. cap. 11., ubi de duobus Presbyteris Evvaldis, qui apud Antiquos Saxones Sæculo VII. exeunte Martyres occubuerunt, ipſe narrat, eos *quotidie Sacrificium Deo obtuliſſe*, & dabuiſſe *ſecum vaſcula, & Altaris vice Tabulam dedicatam*.

XIV. Quemadmodum autem ob defectum Eccleſiæ Itinerantibus olim concedebatur in Campo, & Hoſpitiis Miſſas facere, ac audire; pariter liberum erat ſub dio Sacrificium offerre, quando alio modo Eccleſiæ conſecratæ deerant, ſive ob ruinam, ſive ob illarum anguſtiam, quæ nimiæ Populorum frequentiæ non ſufficerent. Hinc in Lib. Decr. Gratiani cap. *Concedimus* de Conſecr. Diſt. 1. ita ſtatuebatur: *Concedimus etiam, ut ſiccubi a Normannis, & Sclavis, ab Hungaris, & a malis Chriſtianis, ſeu alio quocunque modo Eccleſiæ fuerint everſæ, & combuſtæ in Capellis cum Tabula conſecrata Miſſas interim celebrari, donec ipſæ Eccleſiæ reſtaurari queant*. Sumptum eſt hoc Capitulum a Concilio Moguntino Can. 9., ubi neceſſitatem ſimilem in illis Provinciis contigiſſe ex Normannorum irruptionibus indicatur. Ex hoc capite *Concedimus*; & ex cap. *Sicut* Diſt. 1. de Conſecr. infert S. Thomas 3. P. qu. 83. ar. 3. ad 2. in caſu neceſſitatis extra Eccleſiam celebrari poſſe. Quantum vero ſpectat ad anguſtiam Eccleſiæ, occurrit exemplum quod ſuppeditat Eginardus in Lib. 1. de Tranſlatione SS. Marcellini, & Petri cap. 17. hæc tradens: *Sacras illas Beatiſſimorum Martyrum exuvias ad Mulinheim ſuperiorem cum magna omnium, qui adeſſe poterant, lætitia, & exultatione detulimus; ſed præ nimia Populi multitudine, quæ præcedens cuncta compleverat, neque Eccleſiam adire, neque feretrum in eam inferre valuimus. Idcirco in Campo adjacente, atque in Loco editiore Altare ſub Dio ereximus, ac feretro pone Altare deposito Miſſarum ſolemnia celebravimus*. Ad aliud ſimile exemplum apud Rodulphum in Vita Rhabani num. 26. Sæcul. IV. Benedictin. Par. 2. nos mittit Martenius Lib. 1. de Antiq. Eccl. Ritib. cap. 3. ar. 5. num. 11. Alterum ego addam videndum in Majo Bolland. ad Diem 19. in Actis S. Cœleſtini cap. 6. num. 68. priuſquam ad Pontificatum raperetur, quo ſaltem diſcimus ad ſatisfaciendum multitudini Populorum in aperto aere Miſſas facere licuiſſe.

CAPUT

CAPUT VII.

De More Præſulum Eccleſiaſticorum ſervato uſque ad Tempora Concilii Tridentini celebrandi ſuper Aras Portatiles cauſsâ infirmitatis, vel itineris.

I. ANTIQUAM Epiſcoporum conſuetudinem celebrandi in cubiculis, aliiſque Locis privatis ſeorſim proponimus, ne videamur eorum prærogativas circa uſum Aræ Viaticæ cum aliis Sacerdotibus confundere; quod ipſorum dignitati valde indecorum foret. Sane ubi Canones de concedenda celebratione extra Eccleſias, & Oratoria dedicata aliquid ſtatuunt, eam ſolent arbitrio, ac prudentiæ Epiſcoporum ſubjicere; ita ut propterea Sæculo IX., ſicut paullo ante etiam innuebamus, Patres conquererentur, quod Sacerdotes in Domibus, in Hortis, & ſimilibus Locis Sacrificium offerre auderent non interrogatis, neque conſultis Epiſcopis, ad quos ſimiles elargiri licentias pertinebat. In antiquioribus vero Sæculis IV., & V. pauca alia habemus teſtimonia celebrati Sacrificii in privatis cubiculis, præter ea, quæ hujuſmodi oblationem ab Epiſcopis peractam demonſtrant; ut hinc innoteſcat pene tantum illa ætate, quando magna non urgebat neceſſitas, reſervatum fuiſse Epiſcopis nonnumquam in Locis non conſecratis ſacrificare. Ita plane Miſsam in cubiculo S. Gregorium Patrem S. Gregorii Nazianzeni, in Cella Monachi Theodoretum, in domo Matronæ S. Ambroſium celebraſse diximus: Alios autem Sacerdotes, qui in ſimilibus Locis idem fecerunt, nonniſi graviſſimis, neceſsariiſque ex cauſſis id feciſse novimus.

II. Quod itaque tunc illi Epiſcopi ſibi ipſis licere exiſtimarunt, etiam alii deinceps Epiſcopi ſive cauſsa infirmitatis, ſive cauſsa itineris agere non dubitarunt. Aliqua profero monumenta, quæ inter ſcripta Veterum huc pertinere adverti. Cauſsa infirmitatis in privato cubiculo oblatum fuiſse Sacrificium ab Epiſcopis oſtendit Uranius in Vita S. Paulini Nolani. Proximus hic morti Symmachum, Benedictum, & Hiacynthinum Epiſcopos, qui ad eum *ante triduum* venerant, *quaſi profecturus ad Dominum juſſit ſibi ante Lectum ſuum Sacra Myſteria exhibere, ſcilicet ut una cum Sanctis Epiſcopis oblato Sacrificio Animam ſuam Deo commendaret*. Simili de cauſsa (Taceo de B. Flaviano, & Principio, ne meras conjecturas ex dictis cap. 4. n. 5. de Orat. Domeſt. videar eruere.) coram ſe curaviſse S. Silvinum Morinorum Epiſcopum, qui obiit Anno 717., Miſsas in proprio cubiculo celebrari ex Artemone Epiſcopo Vitæ ipſius Scriptore Sæcul. II. Bened. colligimus. Cum enim gravi infirmitate laboraret, certe non alibi, quam in cubiculo *Miſſarum ſolemnia* celebrari poterant, quæ *ante eum* appropinquante die depoſitionis ſuæ ipſo Artemone narrante *quotidie celebrabantur*. Etiam de S. Dunſtano Cantuarienſi Epiſcopo Tom. 4. Annal. Mabill. in ejus Vita legitur, quod morti proximus juſserit Sanctæ Communionis Myſterium ante ſe celebrari, protentiſque manibus Sacrum Viaticum de Cœleſti Menſa porrectum ſuſceperit. Addatur Philippus Bitturicenſis Epiſcopus, qui Anno

1260.

1260. *ingraveſcente morbo cum non poſſet celebrare, vel ſuſtinere, quod in Sacellum veheretur, ut Miſſam audiret juſſit fieri in Camera ſua Altare, & ibidem ſingulis diebus Divina peragi Myſteria*, ut habetur in Patriarchio Bituricenſi cap. 71. apud Martenium de Antiq. Eccl. Rit. Lib. 1. cap. 3. ar. 5. num. 7.

III. In itineribus vero ſecum aliquando detuliſſe Epiſcopos Aras Viaticas, quibus, cum opus eſſet, uterentur in Miſſarum celebratione, oſtendunt Acta S. Vulframni Senonenſis Epiſcopi, in cujus Vita a Jona Monacho Sancti Vandregeſili ſcripta Sæcul. III. Bened. Par. 1., & apud Surium ad diem 20. Martii legitur Fontanellenſi Monaſterio donaſſe *Altare conſecratum, quod ſecum, dum iter ageret, vehere ſolitus erat*. Eodem ipſo forte uſus eſt, quando in Friſiam navigans verbum Dei annunciaturus, & medio in Mari Miſſas faciens miraculum edidit. Narrationem accipiamus a S. Antonino Par. 2. cap. 2. Tit. 14. §. 2. ita deſcribentem: *Dum in Friſiam navigarent, & eſſent in medio mari, quod adjacet Regioni Morinorum, adfuit hora, qua Miſſam cantaret S. Vulframnus mari manente immobili poſitis Ancboris; denique dum ventum eſſet ad locum quo Miniſter offerre patenam debebat Præſuli ſancto, Præſul manu extenſa eam expetebat; ſed dum Miniſter eam abluere vellet, in mare cecidit, proſtratuſque pedibus Sancti veniam precabatur; qui mittens eum ad Locum, unde ceciderat, hoc effecit, ut patena ab imo maris revecta manu Miniſtri cohæreret*. Aliud miraculum eodem Sæculo patraſſe Sanctum Adhelmum ex Abbate Malmesburienſi Epiſcopum Schereburnenſem referunt Surius, & Socii Bollandiani in illius Vita ad diem 25. Maii, quod lubet hic indicare, quia ad Altare in itinere delatum reſpicit. Secum Adhelmus Altare ex marmore candido ſex pedum craſſitudine, quatuor longitudine, trium palmorum latitudine Roma detulerat; quod in Alpium tranſitu effractum S. Viri meritis divinitus in priſtinum ſtatum fuit reparatum. Illud in Prioratu Canonicorum Reg. Provinciæ Somerſetanæ ſervatum fuiſſe Surius teſtatur. Suum quoque Viaticum Altare habuiſſe S. Gallum, quod ſecum in via deferret, facile eruimus ab Ekeardo Juniore Lib. de Caſib. S. Galli cap. 1. dicente: *Diſpoſuit adhuc vivens ad titulum S. Perti Capellam, qua itinerans utebatur cum Reliquiis, & Libris, & omnibus utenſilibus ſacris*.

IV. Quouſque valuerint Epiſcopi extra propriam Diœceſim Altaris Viatici uſu frui in privata Miſſarum celebratione, ego bene exploratum non habeo. Forte cum Sæculo IX., & X. in Anglia, in Gallis, & in Italia univerſim Patres, & Concilia prohibuiſſent Miſſas celebrari extra Loca Deo conſecrata inconſultis propriis Epiſcopis; paulatim impediri cœpit Epiſcopis ipſis extra proprias Provincias, & Diœceſes uſus Aræ Viaticæ; ne alienæ juriſdictionis jura invadere viderentur, & occaſionem præbere cæteris, ſuo contempto Epiſcopo, in domibus, ac hoſpitiis Miſſas peragendi. Grave autem nimis, ac permoleſtum erat Epiſcopis in itineribus libera carere facultate celebrandi Sacrificium quocumque veniſſent; cum neque ſemper ad publica Oratoria accedere, nec veniam a Diœceſano Epiſcopo prius impetrare poſſent. Hinc Bonifacius VIII. pro ſuprema, qua pollebat, in univerſam Eccleſiam auctoritate, ac juriſdictione, liberum Epiſcopis quibuſcunque uſum Altaris Viatici his verbis inſertis *in VI. Decretalium* Lib. 5. Tit. VII. *de Privileg.* conceſſit: *Quoniam Epiſcopi, eorumque Superiores ſe babent diverſis ex cauſſis a ſuis Eccleſiis, & Diœceſibus abſentare frequenter, nec ſemper poſſunt commode ad Eccleſias accedere pro Miſſa celebranda, vel audienda in ipſis, ſine qua eos tranſire non decet abſque cauſa rationabili, ullam diem; præſenti Conſtitutione indulgemus eiſdem, ut Altare poſſint babere Viaticum*,

eum, & in eo celebrare, ac facere celebrari ubicunque, abſue Interdicti tranſgreſſione, illis permittitur celebrare vel audire Divina.

V. Hac poſita Bonifacii Conſtitutione nemo tam imperite ſuſpicabitur debuiſſe Epiſcopos, priuſquam ſuper Aram Viaticam privilegio domeſtici Sacrificii fruerentur, ab Epiſcopo Diœceſis, quam forte adibant, veniam accipere. Etenim quid amplius tunc Epiſcopis contuliſſet Apoſtolica Sedes, quod ex moribus illius ætatis non potuiſſent obtinere per meram Diœceſani facultatem quæ ſæpe illis quoque concedebatur, qui nullo ſpeciali Pontificio Privilegio inſtructi fuerant? Si neceſſarium adhuc erat poſt Bonifacii Privilegium ad Epiſcopos Diæceſanos confugere, nihil ſpeciale a R. Pontifice collatum merito judicaſſent cæteri Epiſcopi, ut de ſimili Privilegio conceſſo Religioſis Viris ſcribebat Honorius III. Epiſcopo Pariſienſi. Poterant igitur dubio procul omnes Epiſcopi per Bonifacii Privilegium inconſulto Diœceſano ad ſuos uſus ſacros Altare Viaticum erigere. Alia de hoc privilegio infra cap. 12. trademus.

VI. Oritur interim inquiſitio, quid reſpiciant illæ particulæ, *eorumque Superiores*, in Bonifacii Decreto inſertæ? Solos ne comprehendant Archiepiſcopos, & Patriarchas; an etiam S. R. E. Cardinales, qui licet Ordine inferiores ſint Epiſcopis, juriſdictione tamen, ac munere iſtos præcellunt, cum adſciti fuerint, ut *collaterales, adjutoreſque* R. Pontificis *Orbem judicaturi*, ſicut loquitur S. Bernardus Lib. 4. de Conſider. ad Eugenium; atque in regimine Univerſalis Eccleſiæ vigilare debeant? Multa de hac quæſtione proponit Fagnanus Vir celebris in Lib. 5. Decr. Tit. *de Privil.* cap. *quod nonnullis*; eumque ſequitur Sacrorum Canonum peritiſſimus Card. Petra Tom. I. ſuorum Commentar. Edit. Rom. pag. 151. Nobis pauca ſufficiunt, quæ abunde demonſtrent vel a Bonifacio VIII. S. R. E. Cardinalibus idem privilegium Altaris Portatilis conceſſum, vel antea ab ipſis ſaltem conſuetudine retentum, novaque R. Pontificis conceſſione firmatum fuiſſe. Equidem ne in longum eamus de præexcellentia, & dignitate Sacri Collegii loquentes, ecquis ignorat, longe ante Bonifacii tempora Ampliſſimos Purpuratus Principes tum Loci, cum exteriorum ornamentorum, cum muneris prærogativa, ſplendore, ac præeminentia ſuper quoſcunque Epiſcopos, Primates, ac Patriarchas ſub Innocentio IV., & Gregorio X. in Conciliis Generalibus Lugdunenſibus ſediſse, ac reſplenduiſse? Qua ergo ratione cogitari poteſt Bonifacium inferiores gradu, & dignitate (Hæc enim ſæpe non tam ex Ordine, quam ex Juriſdictione menſuratur, ubi de præcedentia, ac Majoritate unius præ altero agitur.) munivíse privilegio Altaris Viatici Epiſcopos, *eorumque Superiores*; & tamen inter hos Superiores non comprehendiſse Cardinales ex toto Chriſtiano Grege nobiliores, & ex univerſa Eccleſiaſtica Hierarchia illuſtriores? Eccur ſi Cardinales excipiebantur a Pontificio Privilegio, non adhibitæ ſunt ſpiciales formulæ, quæ illud coarctarent ad eos tantummodo, qui caractere, ac Ordine Epiſcopali gaudebant? Revera quid abſurdius, quam ex illa conceſſione reſpiciente Superiores Epiſcopis illos excludere, qui præcipue Juriſdictione, ac Officio ſuperioritatem in illos habent, tanquam delegati Apoſtolicæ Sedis ad cauſas Epiſcoporum cognoſcendas, judicandaſque; quique licet frequentius lateri Pontificis adhæreant, tamen nonnumquam longa itinera ſuſcipere compelluntur Legationis munera perfuncturi; ac ſæpe Miſsarum ſubſidio carerent, niſi ſuper Aras Viaticas ipſis ſacrificare concederetur.

VII. Putemus itaque ſub Bonifacio VIII. nondum Altaris Portatilis libero uſu potitos S. R. E. Cardinales: quan-

quandonam primo illis conceſsus fuit? Enimvero ſi valde recentius hoc privilegio gaudent, aſſignetur etiam tempus, quo primum gaudere cœperint; indicetur Pontifex, qui primum hanc gratiam ipſis contulerit. At niſi ſub Bonifacio vere hac inſtructos fuiſſe gratia Eminentiſſ. Cardinales dicamus, nec recentiorem Pontificem reperiemus ad hujuſcemodi conceſſionem determinandam; cum nullus alius inveniatur Pontifex, ſub quo primum illis collata poteſtas Altaris Portatilis legatur. Cæterum ſi verba, quæ Leo X. loquens de Capellis domeſticis Cardinalium adhibet, quæque cap. 6. num. 7. de Orat. Domeſt. recitavimus; ſi, inquam, conferamus cum verbis Bonifacii VIII., illico emicabit eadem ratione debuiſſe protendi Altaris geſtatorii facultatem in Cardinales, qua circa Epiſcopos extendebatur; ut quemadmodum iſtis ob neceſſitatem frequentis Sacrificii ad munera epiſcopalia gerenda donaverit laudatum privilegium Bonifacius; ita illis *cæteros omnes in ipſa Eccleſia poſt ſummum Pontificem honore, ac dignitatem* præcedentibus; ut ait Leo X., ob eandem neceſſitatem donatum fuerit.

VIII. Quod ſi aliquantulum conjecturis dandum foret, auderem ſuſpicari, ideo generalem phraſim *Superiores* adhibuiſſe Bonifacium in privilegio; quia non videbatur expedire reliquos Epiſcopis præcellentiores commemorare, qui forte etiam tunc liberius in alienis Diœceſibus Altari Portatili utebantur nullo Diœceſanorum Epiſcoporum contradicente: At ad Epiſcopos ſpecialiter Apoſtolicæ Sedis favorem dirigere opus erat, quia ægrius iſti in aliena Diœceſi ſine ſpeciali venia Diœceſani uſum Altaris Viatici impetrare potuiſſent. Ut ergo Epiſcopos muniret Bonifacius adverſus querelas Contradicentium, ad eos præcipue privilegium ſum direxit; ſimul interim in Apoſtolica gratia complectens *eorum Superiores*, ne viderentur minori prærogativa frui, qui dignitate antecedebant. Loquitur porro Bonifacius de uſu Altaris Viatici extra propriam Diœceſim; ac proinde cauſſam diſpenſationis in id refundit, quod Epiſcopi *diverſis ex cauſſis a ſuis Eccleſiis, & Diœceſibus abeſſent:* Nam qui poterant in proprio Juriſdictionis territorio aliis concedere uſum Aræ Viaticæ, tanto magis eadem pro ſuo libito uti poterant.

IX. Poſtquam egimus de Privilegio Altaris Portatilis Epiſcoporum lubeat ſubnectere duo ſimilia Privilegia ante Concilium Tridentinum conceſſa quibuſdam R. Curiæ Præſulibus, qui licet Ordine cum Epiſcopis non debeant confundi; meritis tamen, ac honore inter Clericos R. Eccleſiæ effulgent. Loquor de Auditoribus Rotæ, quorum officium in Aula Pontificis gerebatur olim a Defenſoribus Romanæ Eccleſiæ ſæpius in ſcriptis Veterum commemoratis. Sagaciſſimis Rotæ Auditoribus privilegium Altaris Viatici tribuit Clemens VII. Anno 1527. Nonis Auguſti his verbis apud Berninum in Hiſt. R. Rotæ cap. 4. *Liceat eis habere Altare Portatile, cum debitis reverentia, & honore, ſuper quo in Locis ad hoc congruentibus, & honeſtis, ſine juris alieni præjudicio, & cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, etiam antequam eluceſcat dies, circa tamen diurnum horam*. Omnia Privilegia Auditoribus conceſſa confirmavit Paulus III. 17. Aug. Anno 1537., imo ampliavit, eademque poſtmodum Clemens X. Anno 1671. 14. Kal. Januarii innovavit. Aliud Altaris Portatilis Privilegium Apoſtolicis Referendariis conceſſit Paulus III. Anno 1540. 30. Julii Conſtit. 23. cum certis limitationibus quæ exercitium ad tempus Interdicti mihi reſtringere videntur.

CAPUT VIII.

Aliqua recenſentur, quæ circa uſum Altaris Viatici ad Viros Religioſos ante Concilium Tridentinum pertinebant.

I. RETROACTIS temporibus nequaquam defuerunt Monachis ſua Viatica Altaria, quibus uterentur in propriis cellis cauſſa Infirmitatis, vel aliis in Locis non conſecratis, ac ſub dio, cum in Oratoriis Miſſas facere nequibant. Pauca quidem hujus generis exempla reperi, ſive quia raro id in Monaſteriis concederetur, quibus ſecreta quædam Oratoria commode ſubiri poterant; ſive quia ab Epiſcopis prohiberentur in privatis Laicorum Ædibus ſacrificare; ſive ob alias cauſſas. Duo tamen exempla profero, quorum unum celebrationem in cubiculo, alterum ſub aperto cœlo factam oſtendit. Primum extat Sæcul.II.Bened. in Vita S.Wnebaldi Abbatis Heidemeimenſis ab ipſius Conſanguinea Sanctimoniali ſcripta circa Annum 741., ubi narratur,quod cum gravi infirmitate S.Abbas premeretur, Eccleſiamque adire non poſſet, *in uno latere Caminatæ ejus* (Caminatam exponit Mabillonius pro cubiculo Caminum habente, quod non omnibus Monachis communiter permittebatur, ſed ſolis Abbatibus. Idem vocabulum ſæpius uſurpatum legi in Chartis editis a Cl. Muratorio: Videri poreſt Charta Anni 1001. Tom. 5. Antiq. Italic. p. 510., & alia Anni 964. Par. 1. Antiquit. Eſten. cap. 16.) *juſſit componere Altare, & ibi quando per infirmitatem poterat, ſacra Miſſarum Solemnia celebravit; quia prius quando ægritudo illa non fuerat impedimentum, aut raro, aut numquam dies tranſiit, quin Miſſam faceret*. Alterum nobis præbet Chronicum Virdunenſe Tom. 1. Bibliothecæ Labbeanæ pag. 179., ubi de S. Riccardo Virdunenſi, qui fuit Abbas S. Vittoni, dicitur, quod cum hora ſolita Miſſæ celebrandæ advenerat, *quocunque* loco adeſſet, Sacrificium offerre conſueverat: unde cum in peregrinatione ſua Apoſtolica per Paleſtinam aliquando *ante muros Urbis* Hieruſalem veniſſet, illic collocato Altari prope mænia Miſſas peregit nihil veritus Saracenos, qui lapidibus e muro dejectis eum opprimere moliebantur. Fit mentio ab Hugone Flaviniacenſi in illius Vita num. 8. Sæc. VI. Bened. ad diem 14. Junii Altaris geſtatorii *ex auro puriſſimo*, quo S. Riccardus uſus fuerat.

II. Super Aram Viaticam ſemel ſaltem celebraſſe S. Dominicum ex ejus Actis MMSS. Anni 1221. in Auguſto Bollandiano Tom. 2. pag. 579. invenio; Nam ibi num. 90. refertur, quod mortuo Napuleone Nepote Cardinalis Sancti Stephani, ejus cadaver *præcepit in QUAMDAM DOMUM reportatum recludi; Fratri vero Tancredo, & aliis, qui ſecum erant, dixit, ut ſibi pro Miſſa celebranda Altare præpararent*: cum autem Miſſam tanta devotione peregiſſet, ut etiam in altitudinem unius cubiti e terra ſublevatus eſſet, Mortuum ad Vitam revocavit. Utrum tunc frequenter concederetur Viris Religioſam Vitam Profeſſis celebrare ſuper Aras Viaticas nondum clare didici; imo cùm ex teſtimonio Prioris Bononienſis de eodem S. Dominico legam cit. T.1.p.633., quod *etiam eundo fere ſingulis diebus celebrabat Miſſam, ſi Eccle-*

cle-

eleſiam inveniebat; ſuſpicor nondum libere fuiſſe indultum uſum Altaris Viatici; ſecus ſuæ explendæ devotioni etiam deficiente Eccleſia Sanctiſſimus Pater quotidie Miſſam celebraſſet. Certe nonniſi Anno 1221., quo Sanctus obiit, amplum Privilegium Altaris Portatilis obtinuerunt PP. Ordinis Prædicatorum ab Honorio III., quod nos cap. 8. de Orat. Domeſt. num. 25. recitavimus.

III. Quamvis autem uſque ad Sæculum XIII. rariora habeamus teſtimonia Miſſarum celebratarum a Viris Religioſis in Locis non conſecratis: Attamen cum tunc plurimi, maxime ex Ordinibus Mendicantium, in omnes pene Regiones remotiſſimas nomen Chriſti inferrent, ſimul a RR. Pontificibus fuerunt ipſis ampliſſima conceſſa Privilegia erigiendi ubique Aras Viaticas, ut Sacris Myſteriis operari poſſent. Hoc ipſum innuimus cap. 8. cit. num. 24., ac deinde aliqua indicavimus Privilegia, quantum neceſſe erat ad illuſtrandum argumentum privatorum Oratoriorum, de quibus tunc diſſerebamus. Illis autem privilegiis addi alia forte poſſent; ac præcipue illud, quod recitat Peyrinus Tomo I. pag. 251. Edit. Lugdun. a Julio II. Anno 1506. 5. Kal. Auguſti conceſſum Minimis S. Franciſci de Paula, his verbis. *In Locis quoque, in quibus degitis, liceat Vobis habere Oratoria, in quibus cum Altari Portatili poſſitis Miſſarum Solemnia, & alia Divina Officia celebrare, ac etiam Eccleſiaſtica recipere Sacramenta*. Quia vero ad hunc locum reſervavimus ampliorem narrationem privilegiorum, quæ pro Uſu Altaris Portatilis Regularibus conceſſa fuerunt; ideo ſimul plurima hic congregamus Apoſtolicæ Sedis Privilegia; unde conſtet, quam late ante tempora Concilii Tridentini uſus Altaris Viatici pateret.

IV. Ad Ordinem Prædicatorum tria pertinent privilegia valde ampla, quorum primum Honorii III. alibi recitatum prætereo. Aliud mihi videtur magis facultatem protendens, illud nempe Gregorii IX. Conſt. 39., in quo generatim indulget, *ut cum neceſſe fuerit in Altari Portatili liceat celebrare Divina*. Tertium præ cæteris eſt ampliſſimum a Sixto IV. conceſſum Conſt. 53., in qua *dicti Ordinis Profeſſoribus* conceditur, *ut... in quovis Loco congruenti, & honeſto poſſint Miſſas, & alia Divina Officia, libere, & licite celebrare &c. & ut liceat eis tempore Interdicti Fratres, & Sorores dicti* (Tertii) *Ordinis B. Dominici de Pœnitentia nuncupati, nec non ipſorum Fratrum Prædicatorum, ac Fratrum, & Sororum dicti Tertii Ordinis Procuratores, & negotia gerentes utriuſque Sexus admittere ad Divina*.

V. Generalem pariter facultatem dedit Honorius III. Minoritis, *ut ubicunque fuerint*, poſſent ſuper Altari Viatico Miſſas celebrare: At cum aliqui Epiſcopi illis prohiberent hac gratia uti abſque ipſorum aſſenſu ſcripſit idem Honorius Epiſcopo Pariſienſi, ut ab Apoſtolica Sede datam Minoribus licentiam promulgaret, ne ullus amplius adverſus optimos Fratres eadem gratia utentes obſtrepere auderet. Verba Pontificis recitat Gonzalez in adnot. ad cap. 30. Lib. 5. Decr. Tit. 33. *de Privileg.*, quæ directe Minoritas reſpiciunt. Inſervit Gregorius IX. in cap. cit. Decretalium ſuorum hujuſmodi litteras, novam addens confirmationem, ac robur; & quia ſimile Privilegium etiam PP. Ordin. Prædicat. elargitum fuerat, ſimul iſtos complectitur dicens: *In his, quæ ad cultum divinum facere dignoſcuntur, non maligna, ſed benigna eſt potius interpretatio facienda. Unde mirari compellimur, quod cum Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus duxerimus indulgendum, ut UBICUNQUE FUERINT, ſine Parochialis Juris præjudicio cum Altari valeant Viatico celebrare, quidam... nimis ſtricte intepretando indulgentiam noſtram aſſerere nituntur, quod per eam prædicti Fratres præter Præ*

lato-

latorum aſſenſum facere hoc non poſſint, propter quod eos celebrare juxta Indulgentiam Apoſtolica non permittunt. Cum autem eis nihil conferret memorata indulgentia, ſine qua id Prælatis annuentibus liceret eiſdem: Fraternitati Tuæ mandamus, quatenus interpretatione hujuſmodi reprobata, dum tamen ab aliis, quæ cum Paræciali proveniunt, prorſus abſtineant, datam eis ſic licentiam celebrandi auctoritate noſtra non differas publicare, ita quod dicti Fratres aliquam ex indulgentia noſtra videantur in hoc gratiam conſecuti. Minorum Privilegium celebrandi in propriis Oratoriis ſuper Altari Portatili confirmavit Sixtus IV. An. 1474. pridie Kal. Sept., imo extendit eandem facultatem, ut *non ſolum in Oratoriis, & Locis, in quibus degunt, ſed etiam in quocumque alio loco congruenti, & honeſto poſſint ſuper Altari Portatili hujuſmodi Miſſas, & alia Divina Officia celebrare...., & tempore Interdicti Fratres, & Sorores dicti Ordinis, & Moniales S. Claræ, Procuratores, & negotia gerentes utriuſque Sexus admittere ad Divina*.

VI. Sua etiam ſpecialia Privilegia Carmelitæ pro uſu Altaris Viatici in Locis, & Oratoriis pacifice ab ipſis obtentis a Clemente IV. Anno 1265. 2. Junii impetrarunt; quantum vero ad alia Loca Urbanus V. Anno 1363. 17. Februar. illimitatam facultatem celebrandi ubicunque coram Magnatibus conceſſit: *Ubicunque*, ait, *in Locis tamen ad hoc congruentibus, & honeſtis, extra Loca, & Oratoria veſtra coram Prælatis, Principibus, & Magnatibus cum ſuper hoc per eos, vel pro parte ipſorum fueritis requiſiti ſuper Altari Portatili Miſſas, & alia Divina Officia celebrare valeatis*. Demum ampliorem licentiam obtinuerunt a Sixto IV. An. 1476. 28. Nov., *ut coram quibuſcunque Perſonis cujuſcunque Sexus, vel Status, tam in eorum domibus, quam extra, dum tamen Loca ſint honeſta, libere poſſint cum Altari Portatili Miſſas facere*. Imo Clemens VII. An. 1530. 12. Auguſti conceſſit uriuſque Sexus Carmelitarum Confratri *cuilibet habere Altare Portatile...., ſuper quo in locis ad hoc congruentibus, & honeſtis, etiam non ſacris, & quavis etiam Apoſtolica Auctoritate interdictis...., dummodo cauſſam non dederint Interdicto, ſubmiſſa voce Miſſas per Sacerdotes Seculares, vel Regulares celebrare*. Hæc omnia Carmelitarum privilegia referuntur in ipſorum Bullario Edit. Rom. An. 1715., in cujus Patre I. inſeritur ſpeciale Indultum datum a Gregorio XI. An. 1375. 9. Novem. Bernardo Olerii Priori Generali Ordinis Altaris Portatilis, *ſuper quo in Locis ad hoc congruentibus, & honeſtis* poſſet *ipſe Miſſas celebrare, vel per alium Sacerdotem facere celebrari*.

VII. Patribus Servis M. Virginis Innocentius VIII. An. 1487. 6. Kal. Junii inter alia ampliſſima privilegia hoc quoque conceſſit, ut *liceret eis habere Altare Portatile, ſuper quo in locis ad id congruis, & honeſtis per ſe ipſos, ſi Presbyteri fuerint, vel alias per idoneos Presbyteros Miſſas, & alia Divina Officia, etiam antequam illuceſcat dies, circa tamen diurna lucem, & abſque alieni juris præjudicio*.

VIII. Non fuit ſimili gratia deſtituta Congregatio Canon. Reg. Later., nam Sixtus IV., uti legitur in Bullario noſtro pag. 183. ita in ſua Conſtit. Anno 1477. 10. Kal. Septem. loquitur. *Porro ut Congregatio ipſa circa celebrationem Miſſarum etiam ſpecialibus privilegiis gaudeat, eidem pariter, & illius Canonicis pro tempore concedimus, ut in ipſorum itineratione Altare Portatile cum debita reverentia, & honore habere, ſuper quo, in Locis tamen congruis, & honeſtis Miſſas, & alia Divina Officia, etiam per unam horam ante diem, & uſque ad horam nonam in ipſa itineratione, aut alias ad hoc cauſſa ſubſiſtente, celebrare, ac Sacramenta Eccleſiaſtica ibidem percipere poſſint: & ubi generale, ſeu in aliquo ſpeciali Loco Interdictum fuerit, in Eccleſiis ſuis, ac in Altari Portatili prædictis, & aliis quibuſ-*

cun-

cunque Locis honeſtis hujuſmodi Miſſas, & alia Divina Officia celebrare. Simile omnino privilegium a Julio II. Anno 1512. 4. Nonas April. optimi Canonici Regulares S. Salvatoris Congregat. Rhenanæ obtinuerunt, quod in ipſorum Bullario Edit. Rom. pag. 118. continetur.

IX. Uſum Altaris Portatilis *tam in Infirmariis, quam in quibuſcunque aliis Locis honeſtis intra ſepta Monaſterii* conceſſum fuiſſe a Nicolao Franco Legato Apoſtolico Monachis Vallisoletanis S. Benedicti ex Rodriquez teſtimonio refert Lezana in Summa Qq. Regular. cap. 18. num. 14. Addi poſſunt Privilegia conceſſa Monachis Carthuſianis ab Urbano V., & Patribus Societatis Jeſu a Paulo III., in quibus libere conceditur uſus Altaris Viatici *in quibuſcunque Locis congruentibus, & honeſtis*. At de his cap. 8. num. 26. de Orator. Domeſtic. diximus. Aliorum Ordinum Regularium ſimilia forſan ante Concilium Tridentinum Apoſtolica privilegia habentur; vel ſaltem de recenſitis gaudebant ob gratiam communicationis Privilegiorum, quam ſæpius ex Pontificum conceſſione Sacri Ordines obtinuerunt.

X. Ex hac pluralitate privilegiorum elucet non fuiſſe pluribus Regularibus coarctatam licentiam celebrandi in quibuſcunque domibus ſive propriis, ſive Laicorum ad ſolam occaſionem itineris; ſed libere licuiſſe Ara Viatica, uti quocunque loco, qualicunque ex cauſſa, pro libito, & voluntate Privilegiatorum; & abſque ulla Dierum, Feſtorumve limitatione, de qua nullum in recitatis Diplomatibus extat veſtigium. Mirum ergo non ſit, quod nonnumquam in tanta libertate agendi aliqui irrepſiſſent abuſus, ac minus quidem ſolliciti fuerint decoris debiti in celebratione tremendi Sacrificii. Doluit Matthæus Pariſius ad Ann. 1235., quoſdam his facultatibus abuſos fuiſſe tum in dedecus Sacrificii, cum in præjudicium Parochiarum, a quibus aliquando Fideles avertebantur. Attamen vitia hæc erant quarumdam Perſonarum, quæ in ſacros Regularium Cœtus retorqueri non debebant, ob quorum pietatem, zelum, ac labores in promulgando Evangelio, ac converſione malorum opportunum judicaverant Summi Pontifices tot gratiis eoſdem ornare; ex quibus in ipſos celebrantes, alioſque redundare poterant plurima bona, ſi intra moderationis limites Apoſtolicam Indulgentiam cohibuiſſent.

CAPUT IX.

De reſtrictione facta in Concilio Trident. uſus Altaris Portatilis extra Loca conſecrata, & de obligatione impetrandi licentiam ab Epiſcopis etiam quando ex graviſſima cauſa celebrare oportet extra Eccleſias.

I. Illa nimia frequentia, qua plures extra Loca conſecrata, Divinum Sacrificium offerebant, & nimis amplificata licentia quocunque Loco erigendi Altaria Viatica, ſicut jam medelam deſiderabat; ita Paulus III. P. cogitare cœperat de Reformatione; atque, ut docet eruditiſs. Cardinalis Archiepiſc. Bononienſis, nunc Supremus Pontifex Benedictus XIV. de Sacrif. Miſſæ Sect. I. §. 10., tres Cardinales delegerat, ac quinque alios Præſules, qui in hanc rem intenderent. Verum opportunius re ad Concilium Tridentinum reſervata prodiit generale illud decretum Seſſ. 22. prohibens Epiſcopis, ne uſlibi permitterent Miſſarum celebrationem, quam in Oratoriis ad Divinum tantum Cultum deſtinatis, & extra privatas Domos exiſtentibus; de quo ſatis multa nos diximus de Orat. Domeſt. Cap. 13., & ſeqq. Repreſſus hinc penitus fuit uſus Altaris Portatilis extra Loca Deo dedicata, ſublataque fuerunt Privilegia pluribus antea conceſſa; neque tolerarunt Tridentini Patres ſeſe quemquam defendere adverſus Epiſcoporum vigilantiam pro obſervatione novæ Legis: Demum ſic reſtituta fuit debita Euchariſtico Sacrificio reverentia ſuppreſſis periculis, quæ ex abuſu privilegiorum, vel etiam ex nimis liberali elargitione gratiarum ubilibet celebrandi, quas ipſimet Epiſcopi tribuebant, paſſim oriebantur.

II. Nullam conſtituit ſtatim incurrendam pœnam determinatam transgreſſoribus Sacrum Concilium: Aperte tamen ſignificavit poſſe quoſcunque Epiſcopos contra contumaces, quantumvis exemptos, animadvertere *Cenſuris Eccleſiaſticis, aliiſque pœnis, quæ illorum arbitrio conſtituerentur*. Hinc cum Archiepiſcopus Calaratinus a S. Congregatione Concil. Trident. Interprete poſtulaſſet, *An liceat Archiepiſcopo contra Sacerdotes tam Seculares, quam Regulares volentes poſt Edictum* (de non celebrando in certis Oratoriis privatis) *publicatum, ſeu intimatum procedere, & quibus pœnis illos punire poſſit?* S. Congregatio Cardinalium reſpondit Die 14. Novemb. 1648. *Licere Archiepiſcopo contra Sacerdotes, tam Seculares, quam Regulares in eiſdem Capellis celebrare volentes poſt Edictum Archiepiſcopi publicatum procedere etiam ad pœnas cenſurarum.* Extat Lib. 18. Decret. fol. 543. S. Congreg. Etiam olim graviſſimas pœnas inflictas fuiſſe Sacerdotibus ſine convenienti diſpenſatione celebrantibus extra Loca Sacra ſuperius vidimus; & pro variis Regionum, ac Temporum circumſtantiis modo ſuſpenſionem, modo excommunicationem, modo etiam degradationem intimatam advertimus. Quinimo Juſtinianus Imper. Authent. *Ut in privatis Domibus §. Hæc enim*: Fiſco adjudicandas juſſerat Domos illas, in quibus Miſsæ celebrarentur. Similem pœnam antiquum Rituale

tuale Caſſanatenſis Bibliothecæ ſtatuit his verbis : *Qui in Domo ſua Oratorium habuerit, orare ibi poterit; tamen non audeat in eo Sacras facere Miſſas ſine permiſſione Epiſcopi illius Loci. Quod ſi fecerit Domus illius Fiſci juribus addicatur; & ab Epiſcopo diſtricta pœnitentia coerceatur Comes*; (ideſt Prefectus Civitatis) *qui hæc Epiſcopo morante* (forte *Monente*) *cognovit, & non probibuit libra auri mulctabitur, & ab Epiſcopo Loci illius canonicam ſuſcipiat excommunicationem, & excluſionem*. Verba hæc edidit Clariſ. Muratorius Antiq. Ital. Med. Ævi Tom. 6. pag. 361. Diſſer. 74.

III. Ex Decreto Concilii Tridentini in arctiſſimas anguſtias conjecta remanſit Epiſcoporum antiqua facultas, cumque nonniſi graviſſimis ex cauſſis amplius valeant Miſſas concedere extra Oratoria publica, etſi in privatorum Domorum Oratoriis privatis illæ celebrari deberent; multo magis requiritur gravior cauſſa, ut poſſint Epiſcopi indulgere uſum Altaris portatilis ad Sacrificium offerendum ſub dio, aut in privatis cubiculis nullatenus ſeparatis a prophanis uſibus. Enimvero quanto Locus minus congruit dignitati Euchariſtiæ, tanto major eſſe debet cauſſa ad legitimam diſpenſationem. Quare licet RR. Pontifices libentius ſoleant indulgere Miſſarum celebrationem in privatis Oratoriis, rariſſime tamen uſum Altaris Viatici in cubiculis omnino communibus concedunt; ita ut vix aliquando in gratiam quorumdam Magnorum Virorum, ac Matronarum gravi, longaque infirmitate laborantium, Lectoque jacentium in propriis cubiculis Privilegium Altaris Portatilis elargiantur. Hoc monere opus fuit, unde appareat, quod ſi in ponderanda gravitate cauſſæ neceſſariæ ad conceſſionem diſpenſationis Epiſcopalis pro Sacrificio in Oratoriis privatis tam ſeveri nunc eſse debeant Viri prudentes, quemadmodum expoſuimus de Orat. Domeſticis cap. XV.; ſaltem non minus, quin ſæpè magis ſint rigidi in judicio ferendo de gravitate cauſsæ ſufficientis, ut licite Epiſcopus utens ſuperſtitibus reliquiis priſtinæ ſuæ poteſtatis Miſsas facere extra quodcunque Oratorium nonnumquam concedere poſſit.

IV. Ut autem pateat, quanto rigore obſervari oporteat Tridentinum Decretum, & quam difficile poſſint Epiſcopi uſum Altaris Portatilis concedere, lubet hic referre ſupplicem Libellum S. Congregationi Concilii ſub Paulo V. exhibitum, & Tomo 38. *Poſition*. fol. 35. contentum.

Illuſtriſs. & Rm̃i Dñi.

In Civitate Barchinonenſi adeſt quidam locus Tabernæ Logiæ, nuncupatus Maris, & in eo Aula magna, publica, & ampla, in qua Univerſitas Mercatorum mercimonia, ac diverſa alia negotia Cambiorum, Recambiorum, & quarumvis rerum ad exercitium eorumdem Mercatorum ſpectantia exercere; nec non ejuſdem Univerſitatis Conſules, & Diffinitores earumdem, & aliarum rerum judicium ferre; & nihilominus in eadem Aula ab antiquo tempore bis quolibet Anno, in Nativitatis ſcilicet B. Mariæ, ac in uno ex Menſis Aprilis diebus Altari portatili juxta quandam portam publicam, quæ ad hunc effectum tantum clauditur, inibi aptato Sacrum Miſſæ Sacrificium celebrari facere ſolent; licet eo die, quo ſic celebratur, eadem Aula prorſus ab omni, & quocunque uſu publico, & prophano vacet. Quæritur, utrum Epiſcopus poſſit impartiri licentiam ibi celebrandi dictis duobus diebus? Quæ fuerit reſponſio huic interrogationi data, in calce Libelli his adnotatur: *Sac. Congr. Cardin. Concil. Trident. Interpretum cenſuit non poſſe. Hor. Cardin. Lancellottus.*

V. Tridentinæ Legis cuſtos obſervantiſſimus fuit S. Carolus, quo ſatagente Concilium Mediol. I. Par. I. Tit. *de Eccleſiis, & earum cultu* iſta decrevit: *Altaria etiam, quæ extra Eccleſiam, & quæ ſub dio, nec ſepta, aut*

munita ſunt, *Epiſcopi aut ſepienda*, *ſi fieri poſſit*, *aut demolienda curent*. Hinc cum in Cœmeteriis, aliiſque Locis præcipue in Villis extructa eſſent Altaria, quin tamen Oratorii formam haberent; ideo ne in poſterum in illis celebraretur, prohibuit S. Carolus in ſua Inſtructione Generali, quæ in calce Tomi I. Actor. Ecclef. Mediol. pag. 802. N. Ed. Bergomen. extat, ita ſtatuens: *Gli Altari*, *che ſono fuora delle porte delle Chieſe*, *ſieno diſtrutti*, *nè vi ſi poſſa più in modo alcuno celebrare*, *ſe non ſi accommodaranno in forma di Capella*, *che ſi poſſa chiudere*. *Il medeſimo ſi faccia di quelli*, *che ſono negl'Oratorj*, *o Capelle aperte*, *e Campeſtri*, *ſe non ſono ſerrate con porte*, *e ben coperte*, *& ornate*; *ed in queſte anco non ſi poſſa celebrare ſenza noſtra licenza in ſcritto conforme all' Ordine del Concilio Provinciale*.

VI. Ambigere porro non debemus, quod inſtante gravi neceſſitate, ac magna urgente cauſſa adhuc in Epiſcopo permittendi uſum Altaris Viatici quocunque loco honeſto poteſtas perſeveret. Non ſunt tam recondita motiva, quæ ſuadent ſupereſſe hujuſcemodi Epiſcoporum facultatem, ut ſi omnino tacerentur, non etiam facile omnibus occurrerent; cum iſta maxime profluant ex Munere Paſtorali, cui nonniſi depoſito Epiſcopatu Sacri Paſtores nec renunciare, nec eodem penitus deſpoliari poſſunt. Ad hanc quippe Paſtoralem ſollicitudinem ſpectat ſubvenire ſpirituali conſolationi Fidelium multorum, qui ſicut diu abſque gravi moleſtia, & Animarum detrimento carere Sacrificio nequeunt; ita non aliter, quam conceſſo Sacrificio extra Oratoria confortari poſſunt. Non raro evenit, ut Terræmotibus Aquarum exundationibus, Bellorum furore, aliiſque ſimilibus eventibus publica Oratoria corruant, evertantur, & impervia fiant. Frequenter quoque inveniuntur Fideles vel Hæreticorum pravitate, vel Infidelium barbarie prohibiti Sacra Loca erigere. Quot etiam Triremibus damnati, in Caſtris Militantes Ergaſtulis mancipati, qui ad Eccleſiam accedere nequeunt. Maritimas alii plagas decurrunt, qui portum attingere ventorum impetu diu impediuntur; & ſi quem aliquando aſſequuntur, Oratorii expertem reperiunt. Peſtilentiæ morbo graſſante regula curationis ſimul in eundem Locum plures convenire ſeveriſſime negat. Quot ergo inde damna Animabus prodirent, ſi neque ex Epiſcoporum poteſtate Miſſarum ſolemnia in Domibus privatis, in Viis, in Campis, in Plateis concederentur? Numquid per Tridentinam Sanctionem commune Jus, quo poterat Epiſcopus in caſibus neceſſitatis ſuper Aras portatiles quocunque Loco honeſto Miſſarum celebrationem concedere, ſublatum fuit? Numquid valde inclemens evaſit Eccleſia, ac infenſa utilitati Fidelium, pro quibus niſi extra Loca Sacra facultas ſacrificandi tribueretur, multi longiſſimo tempore Sacrificio deſtituerentur? Si ageretur de paucorum tantummodo neceſſitate ſpirituali, ſatius eſſet profecto hos patienter tolerare defectum Sacrificii, quam propter paucos relaxare rigorem ſanctiſſimæ Tridentinæ Legis diligentiſſime obſervatæ. Id plane cap. 15. de Orat. Domeſt. inculcavimus.

VII. Verum dum multis ſimul eſt conſulendum extremam hanc ſeveritatem a Tridentino Concilio fuiſſe adhibitam nulla ratione ſuadetur. Nam ſi finem generalis prohibitionis a Concilio editæ conſideremus, alio non reſpexiſſe apparet, quam occaſiones adimere omnis irreverentiæ, quæ *ſive temporum vitio*, *ſive hominum incuria*, *& improbitate irrepſiſſe* videbantur; & *quæ a Sacrificii dignitate alieno* omnino erant. Ad eum finem ſuas direxerunt Leges Tridentini Patres, ut Sacrificio *debitus honor*, *& cultus ad Dei gloriam*, *& fidelis Populi ædificationem reſtituatur*. At ne ſuſpicari quidem poteſt abſolute

Con-

Concilium, & in omni penitus, nullaque excepta circumſtantia prohibuiſſe Epiſcopis Sacrificia extra Loca conſecrata concedere. Etenim ſi graviſſimis ex cauſſis eam nonnunquam conceſſiſſent Epiſcopi, dummodo diligenter ſimul cautum fuiſſet, ut loco honeſto celebraretur, numquam inde timeri poterat periculum irreverentiæ; quod alioqui prudentiſſime timebatur, quoties liberum fuiſſet, ſicut antea, arbitrio Epiſcoporum domeſticas Miſſas, & extra Loca Sacra concedere? Revera ubi permittatur in defectu Eccleſiæ, vel in magna neceſſitate, qua non unus, alterve, ſed multitudo Fidelium laborare contingit, in area, campoque Miſſas perfici, quale periculum occurrit, ut inde etiam Miſſæ extra convenientia Oratoria nulla ſimili urgente neceſſitate concedantur? Imo potius cum viderint Fideles ſolummodo graviſſima cauſſa impellente ab Epiſcopis permitti ſub Tentorio Sacrificium offerri, magis apud illos vera perſuaſio firmabitur ad licitam Sacrificii oblationem extorqueri non poſſe ſimiles diſpenſationes, dum nulla graviſſima cauſſa coegerit. At de mente Concilii Tridentini alia Cap. 15. de Orat. Domeſt. diximus.

VIII. Hactenus dicta demonſtant ſuperfuiſſe in Epiſcopis aliquam poteſtatem permittendi Sacrificium ſuper Aras Viaticas in communibus Domibus, aut ſub dio celebrandum; Nobiſque parant viam ad eam quæſtionem: An poſci debeat ab Epiſcopis licentia, ut, cum occurrerint graviſſimæ neceſſitates, licite Sacrificium extra Loca conſecrata peragi valeat? Hanc prævIam Epiſcoporum licentiam neceſſariam eſſe negarunt aliqui, ut Lezana Tomo I. Quæſt. Regular. cap. 21. n. 16. Alii ſolum obſequii gratia, & ob meram decentiam ad Epiſcopos confugiendum eſſe dixerunt, ut Quartus in Par. 3. Rub. Miſſ. Tit. 10. Sect. 2. dub. 5., & Layman. Lib. 5. Tract. 5. cap. 5. num. 3. Alii tunc unice Epiſcopos interrogandos fore crediderunt, quando occurrens neceſſitas evidens non fuerit, ut Vericellus de Apoſt. Miſſ. quæſ. 135. n. 27., & Paſqualigus quæſt. 470. Nos autem referendis moti argumentis neceſsario petendam ab Ordinario licentiam ſub dio, in privatis cubiculis, & extra Loca Sacra Miſsarum peragendarum, urgentibus etiam graviſſimis cauſſis, (dummodo moram aliquam patiantur, ut prompte adeatur Epiſcopus) arbitramur. Et primo quidem, ſi quæſtio expedienda foret Scriptorum numero, valde ſuperat illorum turba, qui noſtræ præluſerunt ſententiæ, illamque tenuerunt. Paſqualigus quæſt. cit. num. 2. numerat XXIV. Auctores nobis faventes. Inter hos præcipuo honore recolendi ſunt S. Thomas 3. p. q. 83. ar. 3. ad 2. dicens: *Propter neceſſitatem tamen poteſt hoc Sacramentum peragi in Domibus non conſecratis: . . . ſed tamen de CONSENSU EPISCOPI*: & S. Antoninus 3. p. *Summæ* Tit. 13. §. 4., qui recenſitis cauſſis ſufficientibus ad Miſsarum celebrationem extra Oratoria Sacra, quamvis ſcriberet, dum tantus rigor non vigebat, adhuc expoſcit, cum fieri poteſt, Epiſcopi licentiam: *A principio*, ait, *ſi commode poteſt* (licentia) *ab Epiſcopo debet peti*. Addit autem, *quod quando non poteſt peti licentia ab Epiſcopo, in tali neceſſitate dat Papa licentiam*. Poſsent alii plures ex Recentioribus adjungi, inter quos ego ſpeciali obſequio Eminentiſ. Card. Petra Tom. 2. Comment. pag. 493. Ed. Rom. ad Conſtitut. 8. Honorii III. Sect. Unica recenſeo.

IX. Inſuper ſi diligenter fontes, unde eruti ſunt Canones in Collectione Gratiani inſerti, quique nullam mentionem faciunt conſulendi Epiſcopi ex neceſſitate orta ob dirutas, vel longe poſitas Eccleſias; ſi, inquam, fontes illi conſulantur, clare eniteſcit non jam excluſam fuiſſe, ut exiſtimarunt oppoſitæ ſententiæ Patroni Epiſcopalem licentiam, ſed potius illam deſideratam, cum facile

obtineri potuiſset. Recolat Lector Canonem IX. Concilii Moguntini, e quo ſumptum eſt Caput *Concedimus* a Gratiano relatum Diſtin. 1. *de Conſecrat.*, & ibi expreſse præcipi præcedentem Epiſcopi licentiam apparebit. Repetat etiam Lector dicta c. 6. n. 3. & 10., addatque alia ex Tract. de Orat. Domeſt. cap. 12. num. 12. Ideo ergo ſilentio prætermiſsa fuit in Collectione Gratiani mentio Epiſcopalis licentiæ, ac conſenſus, quia non poterant in illa inſeri integri omnes Canones, ne enormiter collectio creſceret. Quamquam etiam ſapienter omiſſum id fuit propterea, quod nullus ſcrupulus ingerendus erat iis, qui neceſſitate compulſi ad erigendas Aras Viaticas extra Loca Sacra aliquando proprium Epiſcopum ad facultem impetrandam Miſsarum ſuper illas celebrandarum adire nequiviſsent.

X. Præterea cum Concilium Tridentinum ſeſs. 22. decreto *de obſerv., & evitand. in celebr. Miſſar.* omnem provinciam injunxerit Epiſcopis providendi, ne quid deforme contingeret in Miſsarum celebratione; nonne ſimul ab illorum nutu, ac auctoritate pendere voluit, ſi quando neceſſitate urgente Sacrificum extra Loca Deo dedicata concedendum foret? Multa equidem deformitas conſequeretur, dum inſcio Epiſcopo, quem aliquis facile interrogare poſset, neceſſitatem celebrandi ſub dio, aut in privata domo prætexeret. Neque ſolum ſæpe contingeret falſum de neceſſitate ferri judicium, verum etiam ſtante evidentia neceſſitatis paſſim irreperent abuſus in ipſa celebratione, quos provida vigilantia Epiſcopi arcere ſatageret. Hinc in Littoribus, ubi ſæpe propter Navigantes Miſsas celebrari oportet, cautiones plurimæ ad majorem erga Sacrificium reverentiam ab Epiſcopo præſcribuntur; quæ ſane frequenter prætermitterentur, niſi hæc ſubjectio arbitrio Epiſcoporum conſervaretur. IV. Ipſamet Epiſcopalis Dignitas poſcit curam omnem exercere in recta Sacramentorum adminiſtratione, Sacrificiorumque oblationibus, in quibus ſicut præcipuum Chriſtianæ Profeſſionis opus peragitur, ita ſingulariter Epiſcopalis Juriſdictionis prærogativa conſiſtit. Vio labitur igitur Epiſcoporum Juriſdictio, imo vero contemnetur, quoties ab illis ad quos facilis aditus pateat, non prius venia celebrationis Miſſarum extra publica Oratoria petatur. Etenim non minus ad Epiſcopos pertinet Sacerdotibus ſibi ſubditis licentiam concedere celebrandi; quam ad eos ſpectet cognoſcere, quo loco Sacrificium a Sacerdote offeratur. V. Quia aliqua ſupereſt Epiſcoporum poteſtas non obſtantibus reſtrictionibus in Concilio Tridentino factis, per quam in cauſſis graviſſimis licentias Miſſarum ubique celebrandarum dare valeant. At ſi in evidenti neceſſitate non requiratur Epiſcoporum conſenſus, quanam in parte peculiariter antiqua illorum ſuperfuiſſet poteſtas? Idcirco S. Carolus in Concilio Mediolanen. V. omnia, quæ de Miſſis celebrandis ſuper Portatiles Aras tempore peſtilentiæ decreta fuerant, Tit. 14. ab Epiſcopi nutu pendere voluit; imo Tit. 10. admonuit Rectores Eccleſiarum, ut tempore opportuno, etiam priuſquam Peſtis Regionem pervaderet, facultates ab Epiſcopo impetrarent, quibus præſcriptæ conditiones *LOCI*, *& Altaris*, *in quo Miſſa celebranda erit*, relaxarentur. Urget ſane plurimum iterata hæc S. Caroli Conſtitutio, cum reſpiciat neceſſitatem impetrandæ facultatis epiſcopalis, ut licite extra publica Oratoria, etiam urgente *evidenti* neceſſitate Populorum, Miſſæ peragerentur.

XI. Denique etſi humanarum Legum obligatio per ſe ceſſet in manifeſta multorum neceſſitate, tamen rigoroſa, & propriè talis numquam erit neceſſitas Sacrificium offerendi in gratiam aliquorum, qui diu, vel ſaltem per aliquos dies tolerare poſſent privationem Sacrificii, & aliis modis ſibi ipſis placatum, ac beneficum Deum reddere. Id ab unoquoque probandum exiſtimo,

mo, cum omnes ſciant magnam *neceſſitatem* deſideratam ad celebrationem in Locis non conſecratis correſpondere magnæ *utilitati*, quæ ſæpe in Jure, ut cum Paſqualigo quæſt. 461. num. 4. obſervat Moſtazus Lib. 5. de Cauſſis Piis cap. 10. num. 8., neceſſitati æquiparatur. Igitur ad nullam graviſſimam cauſſam illico, & per ſe ceſſat obligatio Legis Generalis de offerendo Sacrificio in Eccleſiis, niſi prius obtenta diſpenſatione a legitimo Diſpenſatore, qui alius eſſe non poteſt præter R. Pontificem in toto Orbe, & Ordinarium in ſingula Diæceſi. Nam ad illos ſolummodo pertinere poteſt tanta poteſtas, qui majorem ſuper ſubjectos greges habent Juriſdictionem, & Regiminis excellentiam. Extendunt aliqui apud Card. Petra loc. cit. num. 13. eandem facultatem ad Vicarios Epiſcoporum, quibus reſiſtendum non puto, quando immediate ad Epiſcopos confugere occurrens inopinata neceſſitas non permittat. Si tamen hoc fineret, tantummodo conſulendos fore ipſos Epiſcopos crederem, ut diſpenſatio tam gravis prudentiori judicio feratur; maxime cum Vicariis hanc ſpecialem delegationem tribuiſſe Epiſcopos, quando alias ipſi adiri commode poſſint, vix credibile videatur.

XII. Quamvis autem neceſſariam facultatem, & expreſſam conceſſionem Epiſcoporum, ut extra Eccleſiam Miſſæ celebrentur, urgentibus licet graviſſimis cauſſis, & in Jure communi approbatis defendamus; eum tamen rigorem non tenemus, ut peccati reos illos eſſe dicamus, qui ubi oppoſita, ac inveterata conſuetudo vigeret, abſque licentia Epiſcopi ſub dio, aliiſque Locis non conſecratis inſtante graviſſima, & manifeſta neceſſitate Divinum offerrent Sacrificium. Novimus enim conſuetudinem legitime, vel ſaltem *via conniventiæ*, ut dicitur, introductas Legum ſeveritates relaxare. Pariter neque eum rigorem tenemus, ut ſi ſubito omnes corruerent Eccleſiæ in aliquo Oppido, aut Civitare, (Id elapſis nuper annis aliquot Regni Neapolitani Urbes, ac Oppida miſere ex Terræmotuum vehementia expertæ fuerunt:) nec ſtatim adiri poſſit Epiſcopus, ut dicamus, inquam, tandiu differendam eſſe Miſſarum celebrationem ſub Tentoriis, quamdiu cum deſiderata licentia Nuncius regrediatur. Profecto valde moleſtum foret afflictis Populis in tanta calamitate vel unum diem ſine Sacrificio præterire. Imo Navigantibus, aut Peregrinantibus in Terris Infidelium nihil penitus ſuffragarentur Juris communis conceſſiones, ſi ad uſum Altaris Viatici ad Epiſcopos prius confugere cogerentur; cum vel Regiones Epiſcopis carerent, vel ibi immorentur, ubi ab iiſdem itinerantibus conveniri non poſſint. In iſtis itaque circumſtantiis tacita ſuffragatur conceſſio vel Epiſcopi pro Locis ipſi ſubjectis, vel R. Pontificis pro universo Orbe; ita ut quod permittit expreſsa Epiſcopalis facultas, legitime, ſeu ut loquitur Reinfeſtuell in 3. Decr. Tit. 41. num. 13., per Epichejam præſumpta elargiatur. Propter hos inopinatos eventus prætermiſsam fuiſse cap. *Concedimus* mentionem licentiæ impetrandæ ab Epiſcopis ſuperius conjiciebamus. Etiam S. Carolus Tit. 14. cit., & alibi permiſit Parochis, ac *Foraneis* Vicariis Plebium aliqua diſponere de modo celebrandi Sacrificii, & Sacramenta diſpenſandi tempore Peſtis, quando inopinata neceſſitas nihil temporis relinquebat primum Epiſcopos interrogandi. Si porro conſideremus eventus quoſdam in Jure communi non inſertos, egregie Paſqualigus quæſt. 470. num. 10. monet ſuſpendendam fore celebrationem, quouſque Epiſcopus cauſsam cognoverit, & probaverit. Nam de illis ob ſpeciales circumſtantias diligenti examine primum ponderandas difficile licentia poteſt præſumi. Iſta præmiſimus, quia noſcere oportet, ad quem confugiamus, dum prævidetur, vel occurrit cauſsa idonea ad Miſsas extra Loca Sacra celebrandas.

CAPUT

CAPUT X.

Recenſentur Cauſæ, in quibus ſub dio, & extra Loca Sacra permittitur licite uſus Altaris Portatilis.

I. AD præcedens Capitulum num. 6. quicumque adverterit ſimul in proſpectu poſitas cauſſas habet licitæ celebrationis Sacrificii quocunque Loco honeſto peragendi, ac proinde inutilia forſan alicui videri poterunt iiſdem cauſſis exprimendis ea, quæ modo dicturi ſumus. Verum valde deformis remaneret hæc pars noſtræ lucubratiunculæ, niſi ſuis coloribus illuſtraretur; & niſi, quod ſummatim propoſuimus ad oſtenſionem ſuperſtitis alicujus Epiſcopalis Poteſtatis in permittenda Miſſarum celebratione extra Loca Sacra, ſingillatim exponeremus. Spartam ergo ſuſcipimus ad duplicem claſſem revocantes, quotquot occurrere poſſunt cauſſæ ſufficientes, ut Altare Viaticum ſub dio, aliiſque Locis honeſtis non conſecratis maxime poſt obtentam Epiſcoporum licentiam erigatur. Prima claſſis eas complectitur circumſtantias, ob quas Sacra Oratoria, etiamſi adeſſent abſque manifeſto vitæ periculo, vel graviſſimo impedimento adiri nequeunt: Altera vero alia continet, in quibus nullæ præſto ſunt Eccleſiæ, Sacraque Oratoria.

II. Inter occaſiones, ob quas de Epiſcoporum licentia poteſt in Area, aut ſimili alio loco Altare Viaticum erigi ad ſacram Agendam, illa occurrit, quam communiter admittunt Scriptores Leurenius, Reinfeſtuell, Rotarius, Layman, Suarez, Palaus, Paſqualigus &c., & approbant Epiſcopi etiam in Italia, ubi ſeveriſſime Tridentina Decreta cuſtodiuntur: nempe quando tanta Hominum multitudo ad aliquam Eccleſiam confluit, ut illi capiendæ anguſtia ſacri ædificii impar ſit. Non raro enim evenit, ut ob miracula, vel beneficia, quæ Dei virtus operatur ad gloriam, & interceſſionem aliquorum Sanctorum, quorum Feſtum in Eccleſia ipſis dedicata colitur, vel ob magnum Indulgentiarum Sanctarum theſaurum comparandum, ex vicinis, remotiſque Regionibus copioſiſſima Fidelium turba ad certas Eccleſias confluat; cujus magna pars ex nimia illarum anguſtia comparata cum piorum hominum multitudine vix pedem intra illas inferre permittitur. Hac in occaſione tot Fidelium votis niſi ſatisfaceret Epiſcopus conceſſa celebratione Sacrificii in proxima Area, vel Atrio, apte compoſitis portatilibus Aris, decentique expanſo Tentorio ad omnia incommoda præcavenda, maximam ſane animi amaritudinem piis Populis inferret, ſi cogeret eos inde diſcedere, ne audito quidem Sacro, quod eſt præcipuum obſequium Deo in Feſtis Sanctorum præſtandum. Eſse igitur poterit Epiſcopo tanquam valde gravis cauſsa ad facultatem Altaris Portatilis elargiendam magnus ille Populorum pietatis fervor. Olim quoque ſimilis cauſsa Epiſcopos moverat, imo adhuc movet, ut Sacrarum Reliquiarum oſtenſiones in apertis campis fiant, atque ut hæ per publicas vias deferantur. Moverat etiam olim ad conceſſionem Miſsarum in apertis campis, ſicut diximus cap. 6. num. 10. Vidi non ſemel in Clauſtro Noſtræ Canonicæ Pediſcryptæ Neapoli erecta Portatilia Altaria bene annuente Eminen-

nen-

nentiſs. Archiepiſcopo; ut ibi ſaltem Virorum copia ſacræ Miſsæ intereſſet, quæ in Feſto Nativitatis Deiparæ Virginis quotannis ex diverſis Regni Urbibus, Oppidiſque illuc convolat.

III. Hic vero operæ pretium eſt advertere, quod ſi annuant Epiſcopi in Monaſteriorum Clauſtris, cæteriſque illorum partibus erigi Aras Portatiles, id nequeunt concedere, quaſi abſolute non ſit vetitum Epiſcopis quocumque Loco intra Monaſteriorum ambitum Miſsarum celebrationem permittere. Forte aliquis hoc a Concilio Tridentino prohibitum non fuiſse arbitrabitur, eo quod in ſuo Decreto ſeſs. 22. negans Miſsas fieri extra Eccleſias, & Oratoria divino tantum cultui deſtinata addiderit particulam *omnino* nempe: *Non patiantur in domibus privatis, & omnino extra Eccleſias &c.* Miſsas celebrari. Dicet ergo quis Monaſteria ſecundum omnes partes quadamtenus *Eccleſiæ* vocabulo poſse inſigniri, quemadmodum nos ſuperius de Orator. Domeſt. cap. 16. num. 18. indicavimus propterea inde inferri poſse judicabit etiam extra Eccleſiam acceptam in proprietate, & rigore ſermonis perſeverare liberam facultatem in Epiſcopo, qua Divinum Sacrificium quocumque loco honeſto Monaſteriorum poſſit permittere: Cum enim Monaſteria denominari lato modo poſſint *Eccleſia*, affirmabit ille non *omnino* extra Eccleſiam fieri Sacrificium, quod intra Monaſterii fines offertur.

IV. Huic commentationi de particula *omnino* a Concilio Tridentino adhibita penitus repugnamus, cum intentioni Patrum rigide intra anguſtos limites, & ad Eccleſias, ac Oratoria dedicata coarctantium Locum idoneum ad Miſſarum celebrationem valde adverſetur. Multo magis repugnat illa amplificatio nominis *Eccleſia* obvio ſenſui, qui pronior ex pleno contextu verborum Concilii elicitur. Nam dum Eccleſias, ac Oratoria commemorat, eaque unice approbat velut apta Divinis Myſteriis, ſatis exhibet S. Synodus non alium ab ipſa Locum probari præter eum, qui proprio, familiari, obvio, non lato, improprio, & antiquato ſenſu *Eccleſia* nuncupatur; quique ſtructura ipſa, ac forma ædificii veram Eccleſiam, aut Oratorium præſefert. Hanc ipſam expoſitionem ſuadet illa immediata connexio *Eccleſia*, & *Oratorii*, quam in continuata ſerie Decreti Concilium tenuit. Ut enim *Oratorium* nominando determinate indicavit Locum in Oratorii formam exſtructum; ita immediate ante *Eccleſiam* poſtulans pro Loco Sacrificii ad Ædem Eccleſiæ ſtructuram habentem reſpexiſſe conſequitur. Hinc, ut opportune ad rem noſtram obſervat Fagnanus cap. *In his.* Tit. *de Privil.* num. 19., S. Congregatio Cardinalium Conc. Trid. Interpretum noluit concedere celebrationem in Loco ſeperato a privata domo, niſi prius in Oratorii formam confingeretur; e contra in Eccleſia licet nondum conſecrata, illato tamen illic Altari Portatili, facile Miſſas celebrari permiſit. Ideo autem opportunum duxit Concilium addere Tò *omnino extra Eccleſiam*, ut oſtenderet a ſe non improbari celebrationem, quæ fieret in Sacriſtia, in Choro, & in reliquis Capellis conjunctis vel immediate cum principali Eccleſiæ ædificio, vel ſaltem Choro, & Sacriſtia, & Eccleſiæ Cœmeterio, quæ Loca ad Eccleſiam velut ejuſdem partes pertinent. Et en quare *omnino* præpoſuerit Concilium de Eccleſia loquens, non de Oratorio: quia nempe Oratorium utpote anguſtiori forma exſtructum præter interiorem parietum ambitum nihil ſibi connexum ſecundum communem Oratoriorum ſtructuram habet. Nulla itaque ratione tolerare poteſt Epiſcopus in Clauſtris, aliiſque in partibus Monaſteriorum, quæ Oratorii formam non habuerint, Miſſas fieri; quia proprie ad Eccleſiam non pertinent. Sed, ut ibi licentiam Sacrificii licite indulgere valeat, conſiderare debet aliam neceſſariam cauſ-

ſam

illud permittentem extra Oratoria, ac Eccleſias offerri; qualem jam ex nimia Eccleſiæ anguſtia tempore magnæ Feſtivitatis, & numeroſiſſimi Populorum concurſus indicavimus.

V. Altera occaſio erigendi Aras Viaticas extra Oratoria eſt tempus Peſtilentiæ vel actu graſſantis, vel certo graſſaturæ, niſi promiſcuum hominum commercium impediatur. Non fuit per Concilium Tridentinum impedita poteſtas epiſcopalis in tam infelici Provinciarum calamitate, quin jugi Sacrificiorum oblatione in publicis etiam viis, ſi opus foret, peragenda iratum Deum placare ſtuderent. Imo S. Carolus Concilii diligentiſſimus Cuſtos inter præſcriptas Regulas tempore Peſtis ſervandas, eas propoſuit, quibus dum reverentiæ Sacrificio attente conſulebat, valde facilem infectis Populis ad publicas Eccleſias convenire non valentibus Miſſæ auditionem reddebat. Excurrantur ſagaciſſima S. Archiepiſcopi Statuta in Synodo Mediolan. IV. Par. 2. Tit. 9. 14. 15. 21., & ſeqq. affectu caritatis pleniſſima, ut arcerentur infectionis pericula, & ſimul Sacræ Victimæ immolationibus ſpiritualia impetrarentur beneficia. Volebat enim piiſſimus Paſtor, ut Sacerdotes vigilarent, ne Infirmi tanto beneficio carerent; ac proinde vel in Capellula aſſeribus, tabuliſque ſectilibus extructa, vel ſub dio ſuper Portatiles Aras celebrarent; dummodo tamen ſimul omne periculum ex *venti, temporiſque injuria* proveniens, & ab omni alia re indecente, atque præbente offenſionem diligenter caveretur.

VI. Advertendum eſt autem S. Carolum numquam innuiſſe licitam celebrationem tempore Peſtilentiæ in domo privata alicujus ad meram unius, vel alterius conſolationem; ſed omnia ejus Statuta ad Sacrificium in gratiam, ac devotionem multorum reſpiciunt. Hinc quando Capellas prædictas parari jubet, de Hoſpitalibus, & Locis Curationum publicis præcipue loquitur: Quando vero de Aris Portatilibus agit, eas in Triviis, in Foris, in Viis publicis erigi ſtatuit; ut ita intelligamus Sacrificium extra Eccleſias permitti, quoties multorum neceſſitatibus conſulere oporteat. Eadem autem eſt ratio, ut ſuccurratur iis, qui peſte graſſante egredi extra proprias, aut communes curationis domos nequeunt; ac illis, qui intra certum Locum detinentur Cancellis clauſi, ut per probationem quadraginta dierum, vel pauciorum, aut plurium propriæ valetudinis certum præbeant experimentum. Omnibus enim conſulendum eſt ex Epiſcoporum vigilantia, ne multi diu ſine Sacrificio permaneant; ac proinde idoneo Loco aptatis Altaribus Viaticis in gratiam iſtorum Miſſæ offerantur: quia æquum non eſt intra Cancellorum ſepta cohibitos ſalutari Miſſarum ſubſidio deſtitui, quando commode fieri poteſt, & multi ſimul ſint in Loco probationis poſiti. In his habemus nobis laudatos Scriptores concordes, quorum plurimos etiam aliis noſtris ſequentibus propoſitionibus anteiſſe ſemel adnotamus, ne frequenti Scriptorum numeratione tædium potius Lectoribus ingeramus.

VII. Gradum facimus ad Terreſtres Exercitus, quibus multæ Chriſtianorum Provinciæ identidem vexantur, ſicut calamitoſiſſimis noſtris hiſce temporibus fervente Bellorum furore plurimæ experiuntur Regiones, ita Deo puniente peccata hominum. Nemo eſt, qui tantæ Militum multitudini Stationes ſuas in Caſtris relinquere non valentium abſque prudenti timore hoſtilis incurſionis non miſereatur; tantiſque periculis, ac incommodis, quibus aſſidue ſunt expoſiti, arcendis, ſublevandiſque non videat maxime illis neceſſarium eſſe Sacrificium, cujus virtute fælicem juſti belli præſtolentur exitum, cujus ſanctitate ad pios compunctionis affectus excitentur, cujus fructum participent vel Sacramentali Communione, vel ſaltem Sacerdoti ſacrificanti cum debita reverentia aſſiſtentes. Nullus itaque ignorat, quin

quin non tam liceat, quam valde expediat concedere Altaria Portatilia Loco ab hoſtium inſultibus tuto, decenterque compoſito, atque Tentoriorum expanſione caute defenſo, ut Milites ſaltem in mediis Caſtris Miſſæ intereſſe valeant. Hinc laborare non debemus in oſtendenda licita celebratione Sacrificii in Campis ſimilibuſque Locis in gratiam actu militantis Exercitus, & contra hoſtem ad pugnam proficiſcentis. Vigent adhuc Veterum conſuetudines a tempore uſque Conſtantini bene introductæ tantoque attentius retineri debent, quanto majora novimus adeſſe incitamenta ad malum iis, qui in Caſtris militant. Certe per præſentiam tremendæ Sacræ Actionis monentur ſeſe a vitiis cohibere, in quæ tam proniter occaſione Belli vel incidunt, vel incitantur.

VIII. Quamvis autem omnes conveniant in hanc ſententiam, nonnullæ tamen quæſtiones alternis ſtudiis agitantur tum circa dies, in quibus liceat in Caſtris celebrare Sacrificium, cum circa numerum Miſſarum celebrandarum: & demum an in gratiam majorum Ducum Exercitus in ipſorum Tentoriis ſingulares Miſſæ concedi poſſint? His, aliiſque reſolvendis quæſtionibus ſemper ante oculos haberi debet prudentiſſima illa cautela, ita ſufficienter providendi alienæ neceſſitati ſpirituali, ut ſimul omnes occaſiones irreverentiæ a ſanctitate, & dignitate Cœleſtis Hoſtiæ longe removeantur. In hanc regulam intendentes abſolute ſufficere putamus, ſi ſolis Diebus Feſtis ſub Papilionibus Miſſæ fierent; Nam etſi reliquis diebus continua vitæ pericula Militibus impendant, ſatis tamen ſibi præſidii comparare poſſunt, cum devote, uti opus eſt, Miſſæ die feſto aſſiſterent per merita Chriſti a Deo ſalutem, & auxilium pro ſequentibus diebus allIturgicis deprecantes. Rariſſime quippe evenit, ut tantus tempore Belli fervor pietatis milites moveat ad tam ardens deſiderium incruenti Sacrificii, ut ad illius exauditionem neceſſarium judicetur iterare oblationem ferialibus diebus, ne graviſſimam ex privatione moleſtiam patiantur. Ceterum ſicut ſatis multitudini hominum fit, ſi Die Feſto ſine Miſſa non relinquatur; ita non plus videtur poſtulare Exercitus neceſſitas, quam ut illo die in ipſius gratiam celebretur, in quo Eccleſiæ præceptum omnes a legitimo impedimento ſolutos ad Miſſam audiendam obſtringit.

IX. Congruum autem eſt, ut ſi propter Belli anguſtias in præcedenti Dominico Die Militum Cohortes Sacrificio carere prohibitæ fuerint, ſequenti die licet feriali iiſdem ſpirituale Miſſarum ſubſidium præbeatur: quoniam dilatio uſque ad ſequentem hebdomadam nimis periculoſa, & ſpirituali damno plena eſſe poterit. Pariter certis quibuſdam graviſſimis de cauſſis Scriptorum judicio probari video celebrationem Die non Feſto; quando nempe magna pugna ſubeunda quam primum fuerit; aut magna de hoſte ſubacto fuerit reportata victoria. Sunt enim hujuſmodi occaſiones valde convenientes Sacrificio concedendo; cum tunc moveant vel gravia Belli diſcrimina ad ſeſe muniendum omni majori cura divino auxilio; vel magna a Deo accepta beneficia invitent, imo ad promptam gratiarum actionem non melius Euchariſtica immolatione peragendam urgeant. Ita plane pios Principes Conſtantinum, Carolum, Wladislaum feciſſe Cap. V. diximus.

X. Accepi a pluribus, qui ad Caſtra in vicinis Campis Romani Agri diſpoſita nuper iverant, & alia alibi viſitaverant, imo in illis militiam exercuerant, hunc morem a quibuſdam ſingularum Cohortum Ducibus ſervari, ut quotidie pro ſuis Militibus curent ſuper Altare Portatile Miſſas fieri, quando iſti ſub propriis Papilionibus degunt, nec coguntur excubare vacantes militaribus exercitiis. Laudibilis eſt iſta conſuetudo, quoties ſimul vigilabunt Cohortum Duces,

ces, ne quid deforme a Militibus agatur tempore Sacrificii, ſed potius in ſilentio, & precibus aſſiſtere jubeantur. Verum quia difficile ſperari poteſt tanta pietas in quotidiana celebratione; propterea, cum nulla per ſe (generaliter ſaltem rem penſitando) urgeat neceſſitas diebus ferialibus in Campo, ubi diſperſæ jacent Militum turbæ, Miſſas iterare, ad præcavenda irreverentiæ mala omnibus promiſcue conſulere tam frequentem celebrationem non auderem.

XI. Magnum autem diſcrimen adverto inter Locum in Caſtris deſignatum pro ſupremo Exercitus Imperatore, ac Loca ſingularum Cohortum. Ubi etenim Nobiliores, & Majores Legionum Cohortumque Duces cum ſupremo Rectore conſiſtunt; illic quoque majori ſplendore, ac reverentia Res Divina fixis magnificis Tentoriis peragitur, minoraque pericula timentur, ne adſtantes quidquam indecens ſint patraturi. Ibi igitur convenientiſſime quotidianum offertur Sacrificium ad commodum quorumcumque, qui propriæ devotioni ſatisfacere voluerint. Neque quidquam novi molientur ſupremi Ductores Exercitus, quod longe ante a Conſtantino præclaro exemplo factum non fuerit. Aſſidue enim in Caſtris Portatilem Ædem ſacram curabat erectam teneri, ubi Sacerdotes ſibi invicem ſuccedentes ſacra munera obirent, ut diximus cap. 5. n. 2.

XII. Video quoſdam paucos cum Card. Lugo Diſp. 20. de Euchar. ſect. 2. num. 48. expreſſe *ad Dies Feſtos* celebrationem Sacrificii in Militum Caſtris limitare, in quos ſi Lector inciderit, forte moleſte feret hic a nobis probatam quotidianam Miſſam. Attamen neminem ſperamus nobis ſucceſurum, dum diſcrimen nunc expoſitum attenderit, quo putavimus conciliari inter ſe poſſe diſſidentes Scriptores; & ſimul conſuetudinem receptiſſimam in Caſtris Exercituum defendi. Arridet quippe valde finis, ob quem aliqui ſolos dies feſtos pro divino Sacrificio Militibus præſcribunt: Nos quoque libenter illum reſpeximus, atque etiam expendimus facilitatem multorum abuſuum irreverentiæ vitiis aditum aperientium, ſi quotidie in ſingularum Cohortum commodum Miſſæ celebrentur, & proinde dicebamus ſatis provideri neceſſitatibus ſingulorum reſervata ad ſolos Feſtos Dies celebratione. Verum nec impugnari merito a nobis poteſt quotidiana oblatio in illo Caſtrorum loco, in quo probabilius pericula irreverentiæ abſunt, & alias omnis convenientia occurrit, ut per ſupremum Principem aſſidue Sacrificiorum oblationibus divina beneficia pro univerſo Exercitu ipſius cuſtodiæ credito implorentur. Enimvero ubi irreverentiæ non timentur incommoda, quæ neceſſitas orta ex defectu Eccleſiarum, ac Sacrorum Oratoriorum concedit celebrationem Diebus Feſtis, alium nullum excipit diem extra Loca unice ad Dei cultum deſignata; ſed abſque limitatione eandem permittit, quouſque copia Eccleſiarum habeatur. Dabimus inferius argumenta, quæ id confirment; & nunc tantum ſufficit adnotare, quod evidentiſſimum eſt, cauſſam videlicet, ob quam in Caſtris celebrare permittitur, maxime fluere ex impotentia Militum ad publica Oratoria conveniendi, quouſque illic commorari coguntur.

XIII. De numero Miſſarum in Caſtris celebrandarum pauca occurrunt dicenda, quæ etiam praxi correſpondeant. In primis probatiſſimum ferme ubique morem novimus, ut quemadmodum totus Exercitus, in varias Legiones, ac Regimenta diſtinguitur, quibus diſtinctus ad vitandas confuſiones Locus in Caſtris aſſignatur; ita ſingulis hujuſmodi Cohortibus peculiares Sacerdotes tanquam Paſtores, ac Parochi deſignantur, quorum curæ interſit oves creditas Sacramentorum diſpenſatione, & Sacrificio confovere. Pro ſingulis itaque Legionibus, ſeu Cohortibus peculiare Sacrificium legitime offerri poteſt.

teſt. Imo quando multo majorem Militum numerum Cohortes continerent, vix pro ſingula earum unicum ſufficere videtur Sacrificium. Etenim cum magnum ſpatium loci occupare ſoleant per ordines diſtributi in Caſtris ſinguli Milites, quanto major iſtorum numerus fuerit in Cohorte, tanto facilius evenire poſſet, ut plures ob notabilem diſtantiam a Sacerdote præſentes moraliter non fuerint Sacrificio; ac proinde non aliter Præcepto Eccleſiaſtico a multis ſatisfieri poſſet, niſi in alium Locum Altari Portatili translato ſuper illud alia Miſſa celebraretur. Quare eodem Die Feſto non unicum pro univerſo Exercitu Sacrificium offertur; ſed ſaltem tot numero, quot ſingulæ Cohortes requirunt. Hæc Miſſarum pluralitas non caret Veterum exemplo; quoniam ad ſatisfaciendum totius Exercitus neceſſitati olim in Caſtris ſub Conſtantino, & Carolo M., ut ſuperius advertimus, plures Sacerdotes aderant; ut eorum Miniſterio omnibus Militibus provideretur. Ex Sozomeno pariter cap. 5. n. 3. obſervavimus, quod *pro ſingulis* Ordinibus, ſeu Numeris Militum non unus, ſed plures Sacerdotes, & Diaconi ad Rem Divinam faciendam deſignabantur. Quot autem Milites continerent ſinguli Romani Ordines non bene didici; etſi Illuſtrator Higini, & Polybii *de Caſtris Romanis* pag. 154. Edit. Amſtelod. Anni 1664. cum Manipulo Ordinem, & pag. 4. Manipulum cum duplici, vel una centuria confundat. Videri tamen a curioſo Lectore poterit Lexicon Militare Caroli de Acquiro S. J.

XIV. Neceſſe eſt etiam aliquando urgente maxime præcepto Eccleſiæ in eadem Caſtrorum parte novum Sacrificium offerri, cum illuc pervenerint in ſufficienti copia novi Manipuli, qui Miſſæ adſtare nequiverunt. Sicut enim coram iis, qui antea aderant, ſpiritalia Myſteria peracta fuerunt, ita æquum eſt novam multitudinem tanto auxilio non diſtitui, quando jejuni Sacerdotis copia fuerit, & hora celebrandorum Myſteriorum aſſignata ab Eccleſiaſticis Legibus notabiliter non effluxerit. Difficillimum autem foret determinare, quantus Militum numerus requiratur ut pro illis valeat Sacrificium in Caſtris offerri. In numeroſo Exercitu celebrata ſemel pro ſingulis Cohortibus Miſsa tum ob paucitatem Sacerdotum, cum ob alia Caſtrorum incommoda, ac pericula, percepi talem morem frequentius obſervari, ut pro triginta, aut quinquaginta, qui nec dum Sacrum audiverint, non ſoleat iterari ab alio Sacerdote Sacrificium. Scio quidem per ſe ſufficere illum numerum ad Sacrificii conceſſionem: Verum nil mirum, quod major numerus expectetur in Caſtris, quando jam antea in ſingulis Militum Stationibus Miſſæ peractæ fuerunt; quia ſi ob acceſſum triginta, aut quinquaginta Militum eas iterare oportet, nimis creſceret numerus Miſſarum in illis portatilibus arulis, atque in tanta multiplicatione difficillime plurima irreverentiæ incommoda vitarentur, ad quæ declinanda, etiamſi adeſſet copia Sacerdotis jejuni, melius quandoque dimittuntur aliquot Milites Diem Feſtum ſine Sacrificio tranſigere, quoties piorum Ducum Cohortis ſollicitudo aliter conſulere nequiret illorum ſpirituali utilitati, pro qua omnem ſane curam iidem Duces impendere debent.

XV. Si autem nulla prudenter timerentur prophanationis pericula, abſque dubio liceret ſub eodem Papilione ſæpius eodem die Sacrificium offerre. Nam dum Leges annuunt ex defectu Eccleſiarum Miſſas ſub dio celebrare, nihil limitatum de Miſſarum numero reperio. Imo cum portatiles Eccleſiæ tunc in Locum ſtabilis Oratorii eriguntur, liberam videntur Miſſarum pluralitatem relinquere. Revera ſub Portatili Eccleſia prope Papilionem Supremi Imperatoris erecta eodem Die, ſicut mihi narrarunt aliqui, plura ſolent Sacrificia celebrari, & præcipue

Feſtivis Solemnitatibus; quod ſane, niſi liceret, non crederem evenire; cum non deeſſent Viri magni nominis, & prudentiæ illac paſſim ad colloquia cum Duce accedentes, & idonei ad abuſus retegendos, & non difficile emendandos. Qua enim ratione improbabimus iterationem Sacrificii factam in Loco valde compoſito, tuto, & quo plures Generales, Chiliarchæ, Præfecti, Tribunique Militum convenire ſolent ſtipati magno numero Famulorum, ac Militum ad eorum cuſtodiam excubantium?

XVI. De poſtrema quæſtione ſupereſt differendum, cum videam a Diana Reſolut. 21. num. 2., & Paſqualigo quæſt. 468. diſcrimen introduci pro Perſona Supremi Ducis, pro omnibus Generalibus, & Doctoribus Militum; quorum ſingulis concedendam cenſent privatam in ipſorum Papilionibus Miſſam, eo quod cum illis incumbat vel univerſi Exercitus, vel ſaltem copioſæ Cohortis cura; neceſſarium etiam exiſtimant ferventius eos debere precibus, ac Sacrificio Deum exorare pro ſalute Militum, & proſpero Belli eventu. Profecto hæc motiva flectere valebunt Epiſcoporum animos, cum rogabuntur permittere privatam Sacrificii Oblationem in illis circumſtantiis, in quibus nec liberum foret ſub communi Tentorio in multorum præſentia Miſsas facere, & ſimul gravia Exercitui, vel Cohorti ipſorum pericula impenderent. Verum ubi tutum eſset in Caſtris publicas Miſsas celebrare, nemini ex mera indulgentia Epiſcopi in privato Tentorio concedi poſse privatum Sacrificium mihi indubium apparet, dum recolo hujuſmodi privatam celebrationem correſpondere celebrationi in privata Domo peractæ, ad quam concedendam abſque graviſſima cauſa nequit protendi ſatis limitata ex Concilio Tridentino Epiſcoporum poteſtas. Sane ſatis Militum neceſſitatibus cautum erit, dum pii Duces adſtabunt Sacrificio, quod ſub Tentorio omnibus patente, & circumundique ſublevato, ut a cæteris poſſit Sacerdos celebrans commode intueri, offertur coram aliis Militibus ſe ipſos Deo commendantibus. Hinc neque olim, quando non tanto adhuc ubique rigore ſervabatur de celebratione Sacrificii in Oratoriis Divino tantum Cultui dedicatis Lex Eccleſiaſtica, omnibus Militum Ducibus ſimiles concedebantur facultates. Apud Sozomenum, qui cæteris Hiſtoricis enucleatius de Sacrificiis oblatis in Caſtris diſseruit, unice commemorantur Sacrificia pro ſingulis Ordinibus, & in Regiis Tentoriis oblata; unde intelligamus Miſsarum Solemnia non alibi in Caſtris celebrata, quam ubi multi libere ſacrificanti Sacerdoti intereſse poterant. Erit itaque neceſsarium Apoſtolicum Privilegium, ut aliqui Duces licite pro ſua tantummodo devotione celebrari faciant ſub proprio privato Tentorio, aut in Domibus Ruralibus, in quibus gregario Milite ſub dio degente, illi immorantur. Hinc aliquando RR. Pontifices ſimilibus cohortum Ducibus conceſserunt ſpecialia privilegia Altaris Portatilis; quemadmodum Gregorius XIII. Anno 1576. Menſe Julio cuidam Colonello Germano in Flandria conceſſit, ſicut in Regeſtis Brevium ejuſdem Pontificis adverti.

XVII. Sæpe autem Reges ad Apoſtolicam Sedem confugiunt, ut ſingularia pro ſuis Exercitibus, & Copiis Auxiliariis impetrent privilegia, propter quæ tutius, & ſine ulla neceſſitate Epiſcopos adeundi Miſsæ in Caſtris celebrari poſsunt. Ad ſeptennium duratura hujuſmodi privilegia ſolet concedere R. Pontifex Majoribus Exercituum Capellanis; itaut facultatem ipſi conceſsam ſimul valeant aliis communicare, videlicet *celebrandi Miſſam una hora ante auroram, & alia poſt meridiem; & ſi cogat neceſſitas etiam extra Eccleſiam in quocunque Loco decenti, etiam ſub dio, vel ſub terra; & gravi omnino urgente neceſſitate etiam bis in*

die

die (ſi tamen in priori Miſſa ablutionem non ſumpſerit Sacerdos, *ac jejunus fuerit.) necnon ſuper Altari portatili etiam non integro, ſeu difracto, aut læſo, & ſine Sanctorum Reliquiis; ac demum ſi aliter celebrari non poſſit, & abſit periculum ſacrilegii, ſcandali, & irreverentiæ, etiam præſentibus hæreticis, aliiſque excommunicatis, dummodo inſerviens Miſſæ, non ſit hæreticus, vel excommunicatus.* Inſuper *celebrandi Miſſam de Requiem in quocunque Altari, etiam portatili [Si aliter celebrari non poſſit,] & per ejus applicationem liberandi Animam alicujus ex pie defunctis dictorum Exercituum ſecundum Celebrantis intentionem a Purgatorii pœnis per modum ſuffragii.*

XVIII. Celebrationi Sacrificii in Caſtris permiſſi adjungimus reliquos caſus, in quibus deficientibus, vel dirutis Eccleſiis liceat Miſſas facere ſub dio, aut in privatis Domibus; cum eodem plano jure cæteris concedi debeant, quo ex defectu Eccleſiarum coram Militibus ſub Tentoriis fieri permittuntur. Enimvero Concilium Tridentinum nullatenus prohibitam voluit celebrationem Sacrificii extra publica Oratoria, quam non indiſcreta aliquorum devotio, ſeu præſumptio extorquet; ſed magna Locorum neceſſitas poſtulat. Quare cum illud ſatagerent Patres Tridentini, ne deſertis Eccleſiis clancularia immolarentur Sacrificia, præcipue ſua Decreta adverſus illos dirigebant, qui Eccleſias deſerebant, ut in privatis Domorum Oratoriis Miſſarum commoditate fruerentur. Supponebant itaque Patres in ſtabilitis Legibus publicas Eccleſias, in quibus fierent Divina Myſteria; nec ullo modo reſpexerunt ad illos valde deplorabiles eventus, in quibus aut ab Hoſtibus, aut ab Elementis, aut a Terræmotibus everſa, occupataque publica Oratoria impoſſibilem, vel ſaltem periculoſiſſimam relinquunt Miſſarum celebrationem in iiſdem faciendam. Quando igitur ſimiles infauſti caſus acciderint, ne Fidelis Populus ſalutari Sacrificiorum munimine privetur tanto magis neceſſario, quanto gravia fuerit calamitas; tunc quocunque in Loco decenti, ac honeſto ad publicam utilitatem Altaria portatilia ſunt erigenda, ut poſſint Fideles ſervitutis penſum Deo per Sacrificium ſolvere, Eccleſiæ præceptum de audienda Miſſa adimplere, propriæ devotionis vota explere, iratumque Deum ad miſericordiam flectere; quouſque iterum publica Oratoria, ac Eccleſiæ ædificentur. Plane ſimiles calamitates etiam antea diſpenſationem impetrabant quocunque Loco celebrandi Miſſas, ſicut Cap. VI. num. 6. advertimus: quodque olim permittebatur, nunc pariter vigente facultate expreſſa cap. *Concedimus* Diſt. 1. *de Conſecrat.* retinetur. Ideo cum unus ex Calabriæ Epiſcopis Anno 1743. litteras dediſſet ad Benedictum XIV. occaſione gravis Terræmotus, non poſtulabat facultatem a Pontifice ſtatuendi Aras portatiles ſub Eccleſiis Portatilibus, aut ex Aſſerum, Lignorumque conjunctione compactis, quod ſibi optime licere ſciret; ſed unice Apoſtolicam licentiam deprecabatur, ut onera Miſſarum Eccleſiis affixa interim expleri poſſent in portatilibus Capellis, quouſque pericula ceſſarent; & dirutæ, quaſſatæque Eccleſiæ reſtaurarentur.

XIX. Ex Cap. autem *Concedimus*, & ex communi conſuetudine inſtruimur non ſufficere ad licitam conceſſionem Sacrificii ſub dio, & extra publicum Oratorium, quod una, vel altera Eccleſia corruat, vaſteturque: Sed quia illa indulgentia data eſt ob neceſſitatem Populi, propterea ſi abſque gravi incommodo in altera vicina Eccleſia congregari poſſet ad Divina Myſteria, jam nullo modo ad ſupplendum defectum deſtructarum Eccleſiarum Aras Viaticas in Locis non dedicatis erigere liceret. Hinc ubi una ſaltem ſuperfuiſſet Eccleſia ſua amplitudine capax continendi unius Oppidi Incolas, etſi aliæ corruiſſent, adhuc ſpiritua-

ritualibus commodis Incolarum ſuperſtes unica Eccleſia ſufficeret; maxime ſi diverſis horis plures ibi Miſſæ celebrarentur. Nihil amplius certe primis Sæculis Populorum multitudini dabatur præter unam Eccleſiam in ſingulis Civitatibus, Oppidiſque; in qua ſimul præſentibus omnibus Miſſarum Solemnia peragebantur; & jubente Leone P. Epiſ. ad Dioſcorum Alexandrin. Epiſcopum ad commodiorem Populorum frequentiam renovabantur.

XX. Quapropter licet in magna Civitatis devaſtatione contingat plures Eccleſias corruere, non tamen tot ex Epiſcoporum vigilantia ſinuntur portatiles erigi Eccleſiæ, quantæ deſtructis correſpondeant; ſed quantæ ad afflicti Populi ſpirituales neceſſitates ſufficiunt. Etenim quod pro mera neceſſitate permittitur, ad illius menſuram prudenter diſponi debet. Cenſerem tamen non eſſe cum tanto rigore numerum portatilium Capellarum menſurandum cum neceſſitate Populi; ut non etiam quidquam indulgeatur moderatæ ipſius commoditati; dummodo ſimul diligenter caveantur irreverentiæ pericula. Juvat profecto iſte moderatus Capellarum numerus, ut ſinguli Parochi facilius in magna afflictione Gregi provideant Sacramentis, & ſalutaribus adhortationibus. Ex hac vero ipſa adeo utili moderatione in Populi leniendo dolore ex adverſa calamitate concepto mihi probabile videtur non eſſe cogendos Ruſticos unius Villæ deſtructa ipſorum Eccleſia ad aliud Oppidum licet non valde diſſitum ire, ut Sacrificio aſſiſtant: Nam quamvis per ſe grave incommodum abſit ex itinere unius horæ, tamen ſi ſimul omnium illorum Incolarum penſitemus moleſtiam futuram ex neceſſitate accedendi ad alium Pagum, tantum creſcere videtur, ut prudenter videatur valde grave, ac ideo merito poſcens debitum levamen per erectionem portatilis Eccleſiæ in proprio Pago. Quare nulla facta mentione obligationis ad alium Locum accedendi, in quo Eccleſia fuerit, generatim dicitur Cap. *Concedimus* licitam eſſe celebrationem in Capellis portatilibus, *ſicubi* Eccleſiæ corruerint.

XXI. Demum ex eodem Cap. *Concedimus* adverto nihil eſſe coarctatum circa dies, & numerum Sacrificiorum: Unde quibuſcunque diebus tot celebrari poterunt in mobilibus illis Capellis Miſſæ, quot permittendas judicaverint Locorum Ordinarii, ad quos ſpectat plene providere media pietati confovendæ opportuna. Sapienti autem conſilio nullæ factæ ſunt reſtrictiones in laud. Capitulo, ne propter defectum Eccleſiarum majorem ſentiat difficultatem Populus, gravamenque patiatur, in præſtandis Deo debitis obſequiis, quæ in maximam utilitatem afflictorum Fidelium redundant. Hujuſmodi vero facultas quocunque die celebrandi plurima Sacrificia in eiſdem Eccleſiolis portatilibus non requirit, ut ſemper magna pars Populi adſit, cum ſingulæ Miſſæ fiunt. Potius ſufficit tempore Sacrificii publico ſigno moneri Populum, ut quicunque voluerit, libere ad eum Locum poſſit accedere; quoniam parvæ illæ Capellulæ ſupplent defectum idonearum Eccleſiarum, in quibus non aliud requiritur, niſi quod ſingulis liber aditus pateat. Etenim ſi nonniſi multis ſimul præſentibus nullum in fictis illis Capellis offerri Sacrificium poſſet, quam grave piis Fidelibus foret in Loco, ubi veræ deſunt Eccleſiæ, carere pluralitate Sacrificiorum ex eo, quod non ſemper, nec omni die, aut hora diei ſimul in unum Populi copia conveniat ſive obſtantibus impedimentis, ſive frigeſcente in multis pietatis affectu.

XXII. De reliquo dum illæ mobiles Capellæ paratæ fuerint ad communem utilitatem, etiam Sacrificia, quæ illic celebrabuntur, ſemper dicentur publica, & in Loco publico oblata, quamvis paucos præſentes eſſe contingat. Id libentur adnoto, ne quis eodem jure licere Epiſcopis ob defectum Eccleſiarum pro unica Fami-

milia indulgentiam concedere Altaris Portatilis in privato Loco erigendi exiſtimet. Hinc in Locis Infidelium, aut Hæreticorum, in quibus nulla publica Catholicis ex illorum perverſitate permittuntur Oratoria, adhuc ſine diſpenſatione Apoſtolica in Domo privata propter commodum unius tantummdo Familiæ Sacrificium offerre nonlicet; niſi cauſſa graviſſima forte aliter exigat. Certe hæc domeſtica Oblatio facta in gratiam paucorum hominum non approbatur ab Eccleſiaſticis Canonibus in corpore Juris communis inſertis, a quibus uſus Altaris Viatici permittitur in gratiam totius Populi, cui deſunt Eccleſiæ.

XXIII. Imo conſidero quædam a RR. Pontificibus privilegia permittentia celebrationem in Domibus privatis ob defectum Eccleſiarum exprimere, & limitare ad ſolos *caſus neceſſitatis*. Tale eſt privilegium datum Adamo Viſitiski Carmelitæ a Paulo V. P. Anno 1620. Die 13 Nov., & inſertum in Par. 2. Bullarii Carmelitarum pag. 383., nempe utendi Altari portatili, *ubi Eccleſiarum commoditas non fuerit, & in caſu neceſſitatis tantum*. Tale eſt etiam illud a Gregorio XIII. conceſſum Patribus Prædicatoribus Provinciæ Poloniæ Anno 1580. 20. Junii, & inſertum Tom. 7. Bullar. PP. Prædic. pag. 192. quod ita ſe habet. *In quibuſdam Civitatibus, Oppidis, & Locis Provinciæ Poloniæ tanta hæreticorum potentia, & impietas exiſtit, ut Catholicos impune opprimant, nec iiſdem Catholicis Miſſas in Eccleſiis, quarum raritas in illis partibus exiſtit, audire tuto liceat: Nos ſupplicationibus tuis in hac parte inclinati Tibi, ac pro tempore exiſtenti Ordinis Fratrum Prædicatorum Provinciæ Poloniæ Priori Provinciali, ut licentiam, & facultatem dicti Ordinis Profeſſoribus Altaria portatilia habendi cum debitis reverentia, & honore, ſuper quibus in Domibus Nobilium, Civium, & Incolarum, Civitatum, Oppidorum, & Locorum dictæ Provinciæ, in quibus vel Eccleſiæ deſunt, vel tanta eſt hæreticorum potentia, & impietas, ut impune opprimant, in locis ad hoc congruentibus, & honeſtis, per ſe ipſos Miſſas in præſentia Perſonarum Catholicarum celebrare poſſint, IN CASIBUS NECESSITATIS TANTUM, ita quod eis ad culpam nequeat imputari, concedere valeatis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium de ſpeciali gratia indulgemus*. Tam vero eſt certum in locis Hæreticorum, & Infidelium non licere ob privatam Perſonam in privata Domo celebrare, ut paſſim ad R. Pontificem Fideles ibidem immorantes confugiant impetraturi ſpeciale privilegium Altaris portatilis ad uſum privatæ Familiæ; neque ob alium finem Gregorius XIII. Patribus Miſſionariis S. J. eandem facultatem Altaris portatilis contulit, cujus infra teſtimonium proferemus; niſi ut paucis liceret ex Apoſtolico Indulto, quod ſine neceſſitate nemini, etiam in Terris Infidelium, licuiſſet.

XXIV. Quæ nunc præmiſimus de Orthodoxis in Regionibus Infidelium, & Hæreticorum commorantibus, non militant adverſus facultatem celebrandi Sacrificium in Domibus, Locisque privatis, quando idem Sacrificium in gratiam multorum Fidelium ibidem offertur. Quamvis enim in Provinciis Hæreticorum publica Catholicis Templa non permittantur; imo alicubi nec in privatis Locis ſine mortis periculo convenire poſſint Fideles ad Chriſtianam Synaxim; Attamen cum diu illorum pia multitudo merito nolit ſine Sacrificio vivere, prout patitur minor, vel crudelior feritas iniquorum in privatis Domibus Boni Fideles ad celebrationem Divinorum Myſteriorum, & Sacramentorum diſpenſationem congregantur. Inſpecta igitur neceſſitate, qua multi Fideles in iiſdem Regionibus premuntur, liberrime, & abſque ulla Tridentinis Legi-

Legibus injuria ex ſola Epiſcoporum facultate in privatis Domibus Sacrificium offertur. Nam nihil intereſt quocunque Loco Miſſæ celebrentur, quando deſunt Eccleſiæ ad majorem reverentiam deſideratæ; dummodo facta celebratio extra publica Oratoria non privatam alicujus, ſed multorum Fidelium commoditatem, utilitatemque reſpiciat. Si bene attendimus Caput *Concedimus* ad uberiorem illius firmitatem inſertum inter Canones ubique receptos, nihil determinat de Loco offerendi Sacrificium, quando defectus Eccleſiarum reddit licitam ubique celebrationem Miſſarum, quæ ad ſuccurrendum neceſſitatibus Populorum omittenda non eſt etiam deficiente quacunque idonea, ſacraque æde. Sive igitur eligantur domeſtica cubicula, ſive Campus, Viaque publica, ſive privata, ac remota receptacula, dummodo erectum Altare fuerit ad publicum Fidelium uſum, quocunque die tot poterunt Sacrificia offerri, quot ſufficient devotioni Fidelium explendæ, ac confirmandæ; & proinde non minoris conditionis erunt privata hæc Loca ad celebrationem Sacrificiorum electa, quam ſi publica Oratoria eſſent; quia neceſſitas multorum ibidem convenientium omnem publici Oratorii defectum ſupplet.

XXV. De Itinerantibus agendum ſupereſt, utrum ratione Itineris propter defectum publici Oratorii ſuper Aras portatiles Miſſas celebrare liceat? Rariſſimum puto exceptis Navigantibus, de quibus diligentiorem inquiſitionem ad ſequens Caput referimus, contingere occaſionem, in qua Viatoribus ex mero Eccleſiarum defectu Sacrificium ſine ſpeciali Apoſtolicæ Sedis Privilegio ſit permittendum. Rariſſime ſane continget tantam Fidelium multitudinem ſimul iter arripere ac per eas Terras tranſire, in quibus nullum idoneum occurrat Oratorium. Ubi vero pauci fuerint per deſerta, vel per Hæreticorum, Paganorumque Regiones peregrini, ego exiſtimo pro illis non licere Miſſas facere; niſi alia graviſſima quædam neceſſitas ſuperaddatur. Hanc enim differentiam attendendam fore, dum diſſeritur de licita, vel illicita Sacrificii celebratione extra Oratoria publica ſæpe tum in hoc Opuſculo; cum de Orat. Domeſt. cap. 15. num. 22. innui; videlicet cauſſas excuſantes ab exercitio Tridentini univerſalis Decreti non paucorum utilitatem, ſed multorum ſimul ſpiritualem neceſſitatem reſpicere. Id quidem ſæpius adverti, ac præcipue ſupra cap. 6. num. 9., quo loco expendi antiquos Canones permittentes cauſſa itineris celebrationem ſub dio, aliiſque Locis non conſecratis ad multitudinem reſpexiſſe, ne ideſt *Populus Dei ſine celebratione Miſſarum maneat*. Recolantur itaque ſuperius dicta; nam qua ratione exponitur Cap. *Concedimus*; ea ratione pariter intelligitur quibus Itinerantibus Jure communi conceſſa fuerit facultas Aras portatiles ubicunque erigendi. Confirmo magis hanc differentiam ex privilegio generaliter conceſſo omnibus Miſſionariis Societatis Jeſu a Gregorio XIII., & Prædicatoribus in Africam commigrantibus ex Ordine Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum ab Urbano VIII., aliiſque quibuſdam Peregrinis nonnumquam a RR. Pontificibus elargito, ut occaſione ſuarum peregrinationum ad Loca Infidelium libere ſuper Aras Viaticas quocunque Loco erectas ſacrificare poſſent. Profecto hujuſcemodi privilegium inutiliter poſtulaſſent Presbyteri Societatis Jeſu, cæterique, quoties poſt Tridentinum Concilium univerſim in illis Regionibus, in quibus Oratoria publica, & Sacra non reperiuntur, Altaria Viatica erigere ad frequentem Myſteriorum Divinorum perfectionem liceret.

XXVI. Nonnullum porro diſcrimen admittendum arbitror inter Loca Fidelium, & Loca Infidelium, ſeu Hæreticorum; quod nempe in illis

gra-

gravior cauſa per ſe loquendo requiratur, ut ab Epiſcopis diſpenſatio celebrationis Miſſarum extra Oratoria Sacra concedi poſſit, quam ut eadem Fidelibus incolentibus peregrinantibuſque per Loca Infidelium tribuatur. Enimvero generalis prohibitio facta a Tridentinis Patribus vehementius urget circa Loca Fidelium, ad quæ præcipue eos reſpexiſſe dignoſcitur ſimul perpenſis omnibus, quibus in Lege condenda moti fuerunt. Revera permiſſio domeſticæ celebrationis, aut alio Loco decenti in Terris Infidelium, Hæreticorumque dominationi ſubjectis nullum periculum ingerit, ut facile alii hac facultate abutantur. Quamobrem licet cauſſa miniſtrandi Viatici nequaquam per ſe ſufficiat ad licitam celebrationem in privatis Domibus Fidelium in ditionibus Chriſtianorum Principum; tamen eadem in Terris cæteris ad eamdem impetrandam ſufficere videtur. Quin vel ipſa miſerabilis conditio aliquorum Chriſtianorum inter Turcas, Paganos, Hæreticoſque commorantium uberioribus indiget beneficiis, & opitulationibus, ut in ſancta Religione tot inter pericula ſubverſionis conſtantes permaneant. Majorem ergo etiam requirit indulgentiam in ponderanda gravitate cauſſæ, ob quam domeſtica Sacrificia concedi poſſunt: Secus Fideles quidam in illis Regionibus commorantes non ſolum menſes, ſed annos quoque cum graviſſima ipſorum moleſtia, ac ſpirituali damno tranſigere ſine ſubſidio Sacrificii, ac participatione Euchariſtici Sacramenti cogerentur. In hanc mitiorem ſententiam pro Locis Infidelium, & Hæreticorum libenter flectentur illi Theologi, qui Sæculo elapſo in approbatione cauſſarum pro concedenda domeſtica celebratione Sacrificii etiam in floreniiſſimis Catholicorum Provinciis magis faciles ſeſe præbuerunt: Unde quos in tanta generalitate ſequi nequivimus, ſaltem pro Partibus Infidelium, & Hæreticorum ſequimur. Adhuc tamen, ne videar tam cito oblviſci præcedentium, adverto, quod ideo pro paucis Fidelibus concedi poteſt Sacrificium in privata Domo in illis Regionibus, non quia Jus commune abſolute cuicunque permittat ex defectu Eccleſiæ celebrare ubique; ſed quia attenta anguſtia, quam patiuntur pauci illi Fideles jugo Infidelium oppreſſi, reſultat cauſſa graviſſima, quæ licitam diſpenſationem domeſtici Sacrificii reddat. Quocirca ſicut ſatis ipſorum neceſſitatibus conſulitur permiſſa aliquando domeſtica Miſsa; ita frequenter illam pro paucis Fidelibus in Regione Infideli commorantibus indulgere non expedit.

XXVII. Illis vero Itinerantibus, quibus ob defectum Eccleſiæ Jure communi permittuntur Miſſæ ſub dio, & quocunque alio Loco honeſto, nulla penitus ſit reſtrictio Dierum liturgicorum. Revera Cap. *Concedimus*, & in Conciliis Moguntino, ac Pariſienſi; a quibus illud fuit decerptum, nulla dies limitatur pro Sacrificio; quoties *Populus Dei* in itinere poſitus Eccleſia caruerit. Quare ſi caſus eveniret plures ſimul Fideles in eo Loco adeſſe, in quo deſunt Oratoria Sacra, non video motivum, cur Miſsarum indulgentia ad ſolos Dies Feſtos coarctari deberet. Imo neque tale motivum plurimis Scriptoribus a Varicello de Apoſtol. Miſſion. Tit. 8. quæſ. 155. num. 22. recenſitis occurrit. Quod ſi aliquam reſtrictionem conceſſionis expreſsæ Cap. *Concedimus* Diſt. 1. *de Conſecrat.* faciendam dixerimus, poſtquam rarior evaſit permiſſio celebrationis extra Oratoria publica; ac propterea noluerimus penitus recedere a ſententia illorum Scriptorum, quos recolunt Paſqualigus quæſt. 464. n. 1., Eminentiſs. Card. Petra Tom. 2. Commentar. Edit. Rom. pag. 272. num. 21., & Leurenius quæſt. 913. num. 13., quique Itinerantibus tantummodo liberam reliquerunt celebrationem Miſsarum

rum ſub dio Diebus Feſtivis , ut prompte ſatisfacerent Eccleſiaſtico præcepto de Miſſa audienda : Si , inquam , reſtrictione iſtam admiſerimus , tunc ſolum pro Itinerantibus in Locis Fidelium eam limitationem tenendam ſuaderemus . Pergamus jam ad eos , qui Maritimum iter capeſſunt .

CAPUT XI.

De modo conſulendi Navigantibus circa uſum Altaris Portatilis, & de Maritima Sacrificii celebratione.

I. SEVERA nimis , ac parum commiſerans Navigantium ſpirituales neceſſitates videretur piiſſima Mater Eccleſia , ſi poſtquam itinerantibus , ac cæteris omnibus , quibus deficiunt conſecrata Loca , providit modum celebrandi Sacrificium ſuper Aras Viaticas ; nihil cogitaret de illis , qui Maritimas Plagas decurrunt , & longas per Oceanum navigationes ſuſcipiunt : Neque uſum Portatilis Altaris ad ſalutare ipſorum præſidium concederet . Quot enim ſunt ad Triremes damnati , qui nec ubique , nec frequenter Triremibus deſcendere , & in Ergaſtula tranſire permittuntur ; ac proinde Sacrificio carere diutiſſime cogerentur , niſi coram illis ſuper Aras Viaticas Miſſæ fierent . Quot etiam Maritimam Navigationem aggredientes etiamſi ad portum appullerint , e Navibus in terram deſcendere ſine gravi moleſtia nequeunt , alio quamprimum vela facturi . Optimo igitur conſilio tantæ multitudini Hominum conſulere ſatagunt Epiſcopi , ac pro damnatis ad Triremes curant in Littore , ſeu Porto erigi Altare geſtatorium Feſtivis Diebus , ut Eccleſiaſticum præceptum de audienda Miſſa adimplere valeant . Rectiſſime ſane , & pro debito Paſtoralis ſollicitudinis id Epiſcopi concedunt , quatenus virtute Sacrificii miſeri præteritorum criminum veniam , & præſentium pœnarum , ac miſeriarum patientiam a Deo impetrent ; maxime cum non minori iſti neceſſitate laborent , quam reliqui , qui ſimilium criminum rei intra publicos Carceres retinentur ; pro quibus tamen commoda celebratio Miſſarum providetur . Norma autem ſolita ab Epiſcopis ſervari , Feſtivis nempe tantum Diebus concedendi uſum Aræ Portatilis pro iiſdem damnatis , valde laudabilis eſt , ne ſi quotidie idem erigeretur ad Miſſarum celebrationem ſub dio faciendam , pericula alicujus irreverentiæ facile in hac nimia frequentia orituræ irreperent . Cæterum quoties id judicarent neceſſarium Epiſcopi , poſſent etiam aliquo Die non Feſto concedere Sacrificium ; quando nempe e littere ſolvere deberent Triremes difficilem aggreſſuræ navigationem ; aut quando poſt liberationem a vehementi tempeſtate Maris expediret , ut remiges gratias Deo debitas quam citiſſime redderent ; aut ſimilibus in occaſionibus gravi prudentia ab Epiſcopo ponderandis , ne propria poteſtate abutatur .

II. Quæ vero ratio movet ad ſic favendum damnatis ad Triremes , eadem plane urget pro reliquis Navigantibus in Triremibus , & aliis Navibus ; dum nec e Navi deſcendere , nec ac Eccleſias ire gravi impediente cauſſa ſinuntur . Quantus porro ſufficiat Nautarum , ac Navigantium numerus ,

merus, ut coram illis Miſsa ſuper Altare portatile in Littore concedatur, nullus Scriptor, quem legerim, definit; ſive quia nihil de hac re ſtabilitum habeamus, ſive quia ubi numerus non valde copioſus fuerit, concurrere poſſint aliæ circumſtantiæ v. g. longi, periculoſique itineris proſequendi, & magni intervalli temporis, ex quo caruerint Sacrificio; itaut ſi ſimul hæc omnia attendantur, magis convenientem conceſſionem reddant, quatenus majorem eorundem Navigantium neceſſitatem præſeferunt. Video quoſdam in exemplum adducere *magnam Claſſem*; At eo conſilio ab ipſis factum interpretor, non ut exigant tantam Navigantium multitudinem; ſed ut aliquo exemplo obligationem ſatisfaciendi Navigantium neceſſitatibus Miſſarum celebratione manifeſtent. Certe quando Scriptores diſſerunt de Viatoribus, quibus conceditur ob Eccleſiarum defectum uſus Altaris Viatici, tantam non poſtulant multitudinem. Eccur ergo tam notabiliter excedere debet numerus iter Maritimum tenentium, cum inſpecta neceſſitate æqua ſaltem omnium eſſe poſſit conditio? Itaque quantum mihi videtur, ac prius viſum fuit Dianæ Tom. 4. Tr. 2. de Or. Priv. Reſol. 21. & Fagundez Lib. 3. de I. Præc. Eccl. cap. 3. num. 14., numerus Navigantium, quem ſolent amplæ Naves ſingulæ deferre, ad impetrandam ab Epiſcopo Miſſæ indulgentiam ſuper littus offerendæ ſufficiet. Hinc quibus ſpecialia data ſunt privilegia in Mari celebrandi, pro ſingulis Navibus unum Sacrificium offerri poteſt.

III. Sæpe tamen contingit eodem Die plures magnas Naves eundem Portum attingere unde ſi pro ſingulis earum, ſtatim ac pervenerint, concederet Epiſcopus Miſſam, facile in multa frequentia Sacrificiorum pericula majora irreverentiæ obreperent. Ad hæc arcenda prudenter eos ſe gerere non dubito, cum cavent, ne ob adventum aliarum ſimilium Navium eodem Die iterentur in Littore Sacrificia. Ad finem præcavendi abuſus in frequenti Miſſarum celebratione propter Navium adventum in Littoribus Sardiniæ credidit Diana l. cit. S. Congregationem Concilii ad tertium dubium Archiepiſcopi Calaratini, quo quærebat: *An ſub prohibitione Decreti* Pauli V. *comprehendatur Altare Portatile, quod defertur ad Turre in Littore Maris exiſtentes, ibique ex conſuetudine celebrantur Miſſæ nulla Sedis Apoſtolicæ licentia obtenta?* reſpondiſſe Die 14. Novem. 1648. negative his verbis: *Sub eodem Decreto comprehendi Altare portatile, & de neceſſitate requiri licentiam Sedis Apoſtolicæ*. Hac ſua expoſitione data recitatæ reſolutioni ſtudet Diana communem inter Scriptores ſententiam licitæ celebrationis Sacrificii in Littore Maris propter adventum magnarum Navium defendere adverſus obiecta, quæ ex reſolutione prædicta S. Congregationis efformari poſſent. Si nulla eſſet alia via communem illam ſententiam, quam recentiores quoque, & inter alios D. Card. Petra tuetur Tom. 4. Comment. in Conſt. 2. Urbani V. pag. 272. Edit. Rom. conciliandi cum declaratione Eminentiſſ. Concilii Tridentini Interpretum, eam libenter ſequeremur. At cenſeo nihil obſtare communi ſententiæ laudatam reſponſionem, quoniam directe non reſpicit celebrationem factam in Littore gratia multorum Navigantium, de quibus in propoſito Dubio nulla ſingularis fit mentio. Cum enim generatim inſtrui Calaratinus Præſul peteret de permittenda, aut prohibenda conſuetudine celebrationis Sacrificii in Turribus exſtructis ad Littora Maris; bene, & cohærenter decretis Tridentini Concilii, & Pauli V. S. Congregatio reſpondit neceſſariam eſſe licentiam Apoſtolicam, ut ibi ad celebrandum erigeretur Altare portatile. Imo vix credo, quod in illis Turribus Miſſæ fierent gratia Nautarum a Navibus in Terram deſcendere non valentibus: Etenim

non intra Turres, ſed in aperto cœlo coram Navigantibus Miſſæ celebrantur.

IV. P. La Croix Lib. 3. Par. 1. n. 629. affirmat Præcepto Eccleſiaſtico Diei Feſti ſatisfacere quemcumque adſtantem Sacrificio in littore maris, etiamſi inter Nautas, aut Navigantes non computetur: (Idem pariter de aliis audientibus Miſſam in Caſtris Militum aſſeverat.) Ego quo fundamento huic propoſitioni efficaciter reſiſtam, hæreo, quia nullibi iſta exceptio reperitur; ita ut niſi eam in Privilegiis Apoſtolicis Miſſarum domeſticarum faceret Pontifex pro Perſonis extraneis reſpectu Privilegiati, etiam in domo privata unuſquiſque Sacrificio aſſiſtens præceptum audiendi Sacrum Diebus Feſtis adimpleret. Adderem autem libenter arbitrio Epiſcoporum coarctari poſſe facultatem ad ſolos Navigantes; quatenus ſi iſtam limitationem præciperet, reliqui cogerentur Die Feſto in publica Eccleſia Sacrificio aſſiſtere: Maxime cum finis conceſſionis Miſſarum in littore celebrandarum unice ſpiritualem neceſſitatem Navigantium reſpiciat. Quo uſque tamen Epiſcopi non limitent conceſſionis favorem, quicunque libere ſub dio celebratam Miſſam audiens Eccleſiaſticum Præceptum Feſtivis Diebus adimplebit. Curavimus omnes occaſiones exponere, in quibus tum ex generali Juris conceſſione, cum ex communi, probataque univerſim conſuetudine Sacrificia extra Eccleſias, & Oratoria divino tantum cultui dedicata permittuntur. Præter has nihil ultra ex mera Epiſcoporum poteſtate ſperare licet.

V. Aliquid amplius Navigantibus concedi poſſe quamplurimi Scriptores Sæculo elapſo, imo etiam præſenti crediderunt, videlicet Miſſarum celebrationem in Navibus ipſis in medio mari exiſtentibus, quando Mare eſt tranquillum, navis ampla, ac ſatis firma, quales eſſe ſolent magnæ illæ Naves, quæ per Oceanum, ſive in Americam, ſive in Orientalem Indiam a Regnis Hiſpaniarum ſolvunt; aliæque plurimæ, quæ multis bellicis tormentis muniuntur. In hanc ſententiam conſpiraverunt aliquæ Accademiæ Salmanticenſis, Complutenſis, Coimbricenſis, Eborenſis; earumque ſubſcriptiones Card. Lugo (de Sacr. Euchar. diſp.20.ſect.3.num.80. ſe vidiſſe teſtatur, ſimul proponens congruentias, ac motiva, quibus Academici in eandem deſcenderant non obſtante contraria conſuetudine, quam poſthaberi poſſe putabant, poſtquam longa navigatio facilior evaſerat. Multos revera pertraxit iſtorum Theologorum conſenſus; ita ut eodem Cardinali doctiſſimo teſte Luſitani primum in Navigatione Orientali, Caſtellani deinde occaſionem acceperint celebrandi in medio Mari, & aliqui Epiſcopi ſine hæſitatione ſimilem licentiam tribuendi, ut ita fruerentur Navigantes ſpirituali ſubſidio Sacrificii, quo alioquin diutius caruiſſent; cum ſæpe nonniſi poſt Menſes portum contingant. Similiter Fagundez valide pro licita celebratione in mari pugnavit Lib. 3. in I. Præcept. Decal. cap. 10. num. 15., addiditque hæc verba, quæ confirment uſum tum obtinentem: *Hodie id licet, introductumque eſt, quod fieri poteſt citra omne periculum effuſionis Sanguinis, ſi adſit alius Sacerdos, qui conſecratum Calicem manu firmet, ne cadat*. Quare in hujus conſuetudinis teſtimonium protulit cujuſdam Presbyteri Societ. Jeſu, qui *ſe pluſquam* novies in Indica Navigatione celebraſſe abſque ullo periculo teſtabatur. An autem Presbyter ille ex perſuaſione licitæ facultatis, vel ex præſumpto quodam Privilegio Clemen. VIII. id fecerit, neſcio? Lego tamen tunc prædicatum duplex in hanc rem privilegium Societati Jeſu Presbyteris navigantibus in Indias conceſſum a Clemente VIII., & Paulo V. Horum privilegiorum mentionem faciunt Paſqualigus quæſt.471. PP. Carmelitæ Salmanticenſes Trac.5. de Sacrific. Miſſæ cap.4. Pun.2. num. 63. Reinfeſtuell Diſput.4. de Sacram. Diſtinct.5. quæſt.10.

P. Schia-

P. Schiara Tom. 2. Theol. Bellic. difficul.3. Edit. Rom. Anni 1703. Leurenius quæſ. 975. num. 3., aliique plures a Pignatello Tom. 8. Conſult. 124. allegati.

VI. Imo ex his ipſis privilegiis invictum putarunt colligi fundamentum hujus ſententiæ, per quam liberrimus uſus Altaris Portatilis in Navibus firmis, ac magnis conceditur: Ita quippe diſputant. Ubi ſemel ex Apoſtolica diſpenſatione alicui conceſſum fuerit in medio mari celebrare, jam ſimul deciſum, ac aperte demonſtratum erit in aliquibus circumſtantiis prudenter judicari poſſe nullum probabile adeſſe periculum irreverentiæ futuræ in Sacrificio, ad quam cavendam neceſſe ſit abſtinere ab illius celebratione; cum ſemper honor, ac reverentia Euchariſtiæ cuicumque hominum neceſſitati præcedere debeant. Ex hoc ergo, quod aliquando contingat nullum prudens timeri periculum aut ſubitæ procellæ, aut incommodi ſecuturi, quare non licebit omnibus Navigantibus Sacrificium in Navi offerri, dum pariter nulla hujuſmodi timentur pericula? Enimvero ratio, propter quam dubitatur, utrum liceat in Mari ſacrificari, ex periculo, cui poteſt ſubeſſe Navis ex Maris inconſtantia, & ex ventorum ſubito flatu, unice oritur. Profecto cum Navis valde ponderoſa fuerit, cœlum ſit ſerenum, mare omnino tranquillum, periti Naucleri judicium nihil prudenter mali præſagiat pro illo brevi tempore, quod impendi ſolet in Miſsarum actione; cur non poterit ſine Diſpenſatione Apoſtolica Sacrificium celebrari, quod in his circumſtantiis aliqui ex Privilegio Apoſtolico poterant? Eſt quippe eadem ratio pro omnibus Navigantibus, cum ſæpe omnibus deſit copia Eccleſiarum, ob quam Jus commune, & Cap. *Concedimus* quocunque Loco Miſsas fieri concedit. Illa itaque Privilegia Clementis VIII., & Pauli V. ſatis declaraverunt aliquando contingere, ut ſine ullo periculo irreverentiæ fieri poſſint in Navibus Sacrificia. Ita plane Scriptores diſputabant, cum non alia vulgarentur Privilegia, niſi incertæ Fidei, & certo monumento ſuæ authentiæ carentia; quamvis Card. Albitius in eodem inquirendo non incurioſus fuerit. Quanto magis urgere poterant, ſi prævidere potuiſſent alia certa Privilegia a Clemente XI., ac Benedicto XIV. nuper conceſsa, de quibus infra dicemus? Addebat inſuper P. Schiara ſe audiviſse a duobus aliis Clericis Regular. ſui Inſtituti, nempe Andrea Borromæo, & Antonino Ventimiglia, qui Sacris Miſſionibus fructuoſam operam impenderant, nullum tale periculum prudens timeri aliquando in Navibus, quin tutiſſime Miſsæ celebrari poſſent. Etiam de ſe ipſo teſtabatur Franciſcus Lugo Lib. 5. de Sacr. cap. 6. quæſt. 1. in navigatione ad Indias in Navi tuto celebraſse.

VII. Hujuſmodi momenta, quæ protulimus; non omnes in eandem traxere ſententiam; ſed adhuc neceſſitatem Apoſtolici Privilegii exigi plurimi bene dixerunt, ut quis in Navi licite celebrare poſſit. Unde non ſolum Veteres, quorum catalogum refert Paſqualigus loc. cit. num. 2., inter quos reperitur S. Antoninus Par. 3. Summæ Tit. 13. § 4. dicens: *In nulla autem neceſſitate licet celebrare in Mari, vel ſuper Fluvium, ubi probabiliter timetur de effuſione Sanguinis propter agitationem Navis*: Verum etiam Recentes plures tradunt pro diſpenſatione in Miſſis Maritimis confugiendum eſse ad R. Pontificem. Ita Pignatellus Tom. 8. Conſult. 124. Card. Petra Comment. ad Conſtit. II. Urbani P. V. Meratus in Gavant. Par. 1. Tit. 20. Rotarius in Theol. Regul. Tom. 3. Lib. 1. cap. 2. Berti Tom. 7. p. 453., & qui omnes excellit SS. Pontifex Benedicto XIV. de Sacrif. Miſs. ſect. 2. n. 53. Quare licet generoſi Milites S. Joannis Hieroſolymitani plus forte cæteris exoptarent maritimam celebrationem, noſsentque quanta firmitate pollerent magnæ ipſorum Bellicæ

Na-

Naves; adhuc largis precibus impetrare ſtuduerunt a Clemente XI. ſpeciale privilegium, ſine quo noverant ſibi non licere in Mari Miſſas celebrari facere. Prævio voto S. Congregationis Concilii, ut attente advertit D. Card. Petra l. cit. Tom. 4. Comment. Ed. Rom. p. 275. num. 31., diu exoptatum dedit Privilegium, quo utantur, cum adverſus Infideles quotannis proficiſcuntur, præſente tamen altero Sacerdote, qui juvare poſſit Celebrantem, & calicem tenere, ſi forte inopinata Magnæ Navis commotio contigeret. Extat privilegium in Bullario Clementis XI. pag. 51., quod ne alibi requiratur hoc loco inſerimus. *Exponi nobis nuper fecerunt dilecti Filii Franciſcus de Marevil Frater Miles Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, aliique Præfecti, ſeu Capitanei Navium Bellicarum, ac Fratres Milites ejuſdem Hoſpitalis, quod cum alias Felic. Record. Pius IV., & Sixtus V. Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri Fratribus Militibus dicti Hoſpitalis privilegium utendi in Terra Altari Portatili in Navigationibus, quas ipſi ſingulis Annis contra Infideles ſuſcipere ſolent, conceſſerint, prædictum vero Privilegium eis inutile reddatur, eo quia magnæ Naves, quibus dictos Infideles de præſenti inſequuntur, in alto Mari navigant, ac rariſſime Terram attingunt. Ipſi Exponentes ad conſulendum ſpirituali conſolationi Navigantium, & ad tollendam omnem controverſiam, quæ ſuper alio Indulto hac in re, per recol. mem. Innocentium P. VIII. Prædeceſſorem pariter noſtrum die 28. April. 1485., ut aſſeritur, conceſſo, oriri poſſet, facultatem celebrari faciendi Miſſam in Navibus hujuſmodi, in quibus, cum magni ponderis, & ſtructuræ exiſtant, & quælibet ipſarum quinquaginta, & ultra tormenta ænea bellica ſuſtineat, nullum in celebratione Miſſæ inconveniens enaſci poteſt, ſibi a Nobis concedi plurimum deſiderant. Nobis propterea prædicti Exponentes, ac etiam dilectus Filius Raymundus de Perellos, & Roccafull Magnus Magiſter memorati Hoſpitalis humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportune providere; & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur: Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati de Venerab. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum conſilio eiſdem Exponentibus, & pro tempore exiſtentibus Fratribus Militibus Hoſpitalis prædicti petitam facultatem celebrari faciendi Miſſam in ſupradictis magnis Navibus occaſione dictæ Navigationis, dummodo Naves hujuſmodi enunciatæ qualitatis ſint, ac celebratio Miſſæ eo dumtaxat tempore, quo mare tranquillum, & cælum ſerenum reperiatur; & cum aſſiſtentia alterius Sacerdotis, ſeu Diaconi fiat, ita ut periculum effuſionis Sanguinis in dicta celebratione minime adſit, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus. Salva tamen ſemper in præmiſſis authoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Non obſtantibus &c. Datum Romæ die 22. Martii 1706.*

VIII. Lubuit formam Privilegii referre, ex qua retegatur æquivocatio latens in modo diſputandi illorum Scriptorum, qui ex præſumptis privilegiis Clementis VIII., ac Pauli V. inferebant liberam quibuſcumque facultatem in Navibus celebrandi, dummodo Miſſæ fiant in illis occaſionibus, ac cautionibus, quas Privilegia ideo determinant, quia periculum effuſionis pretioſi Sanguinis removent, cum adhibentur. Certe optime tum experientia, cum peritorum Nauclerorum judicio noverant Milites Nobiliſſimi ſæpius a magnis Navibus abeſſe periculum irreverentiæ, ubi Miſſæ in illis celebrarentur: Hanc ipſam Navium ſecuritatem non in dubium revocabant aut Cardinales Interpretes S. Concilii, aut Clemens XI.; qui in ea probanda prudens Nautarum judicium, ac teſtimonium ſequebantur. Attamen Milites Religioſi nequaquam audebant in magnis Navibus tranquil-

lo licet cœlo, nulloque exiſtente præſagio tempeſtatis Miſſas celebrare facere, niſi ſpeciali Privilegio Apoſtolico inſtruerentur. Non ſufficit ergo, quod deſit periculum effuſionis ſanguinis, ut libere Sacrificium in mari peragatur; & qui licitam admittunt celebrationem maritimam ex mero defectu periculi, hi ſane vim Apoſtolici Privilegii non aſſequuntur. Etenim privilegium jam ſupponit Maris, Naviſque ſecuritatem; quæ niſi prudentiſſime duratura per totum tempus Sacrificii judicaretur, neque etiam illud ſuo effectu frueretur. Verum quia ultra ſecuritatem, ob quam ad indulgentiam animus Pontificis flectitur, adhuc requiritur ad Miſſas maritimas Diſpenſatio Apoſtolica; ideo non obſtante omni illa ſecuritate numquam Miſſæ in Navibus illis celebrari potuiſſent, niſi Pontifex eadem præſuppoſita Privilegium contuliſſet.

IX. Tantum ergo abeſt, ut ex Privilegiis conceſſis a R. Pontifice inferri poſſit libera facultas celebrandi in Navibus, dum ſimiles occaſiones contigerint, quales ſupponit Clemens XI., & nuper in aliis Privilegiis ſupponit Benedictus XIV.; quin potius hæc ipſa Privilegia invictum ſuppeditant argumentum illicitæ celebrationis maritimæ, quoties ſingulariter impetrata non fuerit diſpenſatio ab Apoſtolica Sede; aut ad ſummum alicubi legitima non vigeat contraria conſuetudo. Præterea ſi quoties deſunt prudenti judicio experti Navcleri pericula agitationis aquarum, & copia Navigantium a Portu eſt remota, adhuc liceret ſine ſpeciali Privilegio celebrare; quare ſapientes Pontifices certas limitationes tum Sacerdotis aſſiſtentis, tum alias nonnullas, quæ ut ut magis ad ſtabilitatem Navis conferant, non ſemper ſunt abſolute neceſſariæ, ut tuto Sacrificium offerri poſſit; cur, inquam, has limitationes appoſuerunt?

X. Quapropter qui poſt Tridentinum Decretum maxime coarctans facultatem celebrandi extra Loca Sacra exiſtimant licitum in Mari uſum Altaris Viatici, quoties actu nullum adſit periculum irreverentiæ erga Sacrificium, mihi a vero valde abeſſe videntur. Fatemur quidem poſt tot humanas induſtrias, quibus ingenia hominum laborarunt, ut tutiores a periculis, & ventorum agitationibus redderent Naves, ſæpe morali certitudine conſtare de magnarum Navium ſecuritate ſaltem ad breve illud temporis ſpatium, quo Sacrificium peragi poteſt. Fatemur inſuper, quod ob frequentiam longarum Navigationum, poſt diligentes obſervationes Aeris, Regionum, Mariſque a peritis Navcleris præſentiri ſolent vicinæ undarum commotiones; ita ut prudentiſſimo, ac pene omnino certo judicio opportunitas ad ſecuram in Navi Miſſarum celebrationem diſcerni poſſit. Hinc licet olim in Triremibus tanta ſecuritas non appareret, quoniam per ſe magis agitationi obnoxiæ ſunt; adhuc repetitis experimentis, noviſque ad illarum firmitatem ſuperadditis inſtrumentis patuit non raro eaſdem ſufficienti ſtabilitate gaudere in littoribus, ac medio mari; atque proinde, ſi nihil aliud deſideraretur ad Miſſarum celebrationem, quam periculorum prudens remotio, ſatis bene aliquando fieri poſſent in illis Miſſæ eadem ſecuritate, qua in magnis aliis Navibus celebrari poſſe a prædictis Scriptoribus affirmatur. Omnia hæc libenter fatemur, quia experientia magiſtra confirmantur, ac manifeſto conſtant. Attamen nondum iſta ſufficiunt, ut abſolute liceat ſine ſingulari diſpenſatione Sacrificium in magnis Navibus offerri; alioquin ſimul ſufficerent ad licitam celebrationem in Triremibus, in quibus tamen libere fatebantur recenſiti Scriptores non poſſe etiam ſtante malacia maris Miſſas celebrari.

XI. Ut vero cauſſam aperiam, propter quam prohibita ſit maritima celebratio non obſtante prudenti judicio

cio ſecuritatis, multorum Navigantium ſpirituali utilitate, adverto Concilium Tridentinum in ſuo Decreto prohibente ſeſſ. 22. Miſſas extra Loca Sacra præcipue intendiſſe exſtirpationem omnium occaſionum irreverentiæ erga Sacrificium, quæ contingere poterant, quoties libere permiſſa fuiſſent ubique Sacrificia. Proinde non ſolum abuſus, & pericula irreverentiæ, quæ ex quorumdam incuria contingerent in Miſſarum celebratione, auferre ſtuduerunt Patres: ſed potius radicem, ex qua oriri poterant ſimilia pericula, penitus exſtirpaverunt. Etenim quamvis ſine prophanatione Euchariſtici Sacramenti nonnumquam extra Loca Sacra Miſſæ celebrarentur; tamen quia ad aliorum negligentiam, ac temeritatem cohibendam, qui irreverenter ſæpe Sacrificium extra eadem Loca Sacra celebrabant, non alius opportunior modus aderat, quam univerſim prohibere Miſſas fieri extra dedicata Oratoria; ideo Tridentina Lex facultatem ab omnibus generaliter abſtulit. Hoc autem ſapienti conſilio, quis factum negaverit? Nam quando non aliter pericula aliqua auferri poſſunt, quam generali prohibitione illius, in cujus executione ſolent pericula ipſa emergere; tunc Lex non ſolum prohibet abuſus, ſed illud quoque, unde ſolent abuſus permiſceri; etſi aliquando ſine ullo vitio, quod generaliter prohibetur, antea ab aliquibus fieret. Clare hoc totum patet in modo, quem S. Synodus tenuit circa Miſſas domeſticas. Non ignorabat illa ab aliquibus ſine periculo irreverentiæ factam Sacrificii celebrationem in privatis domibus; ſimulque noverat identidem abuſus ex aliquorum ſocordia, ac vitio irrepere. Ut ergo hos abuſus auferret, non tam illos tantummodo reprobavit, quam ſimul ab omnibus licentiam in privatis domibus celebrandi abſtulit: Atque ita imitata eſt Tridentina Synodus ſagacitatem bonorum Principum, qui ut eliminent abuſus, ac mala, quæ ex iniquitate avarorum in quibuſdam contractibus perpetrantur, eoſdem contractus univerſim prohibent. Quid ſimile apparet in alia Lege a Concilio Tridentino edita, per quam irrita, ac nulla declaravit Matrimonia ſine præſentia proprii Parochi, & Teſtium celebrata, ut abuſus frequenter exortos ex clancularii Matrimoniis funditus deleret.

XII. His præmiſſis proprius ad rem meam accedo, cumque nemo ambigat per Tridentinum Decretum ablatam fuiſſe facultatem celebrandi extra Loca publica, & ſacra, ut penitus pericula irreverentiæ auferrentur; propterea eandem Tridentinam Legem adverſus Miſſarum maritimam celebrationem in magnis licet Navibus faciendam urgeri debere exiſtimo. Revera multa facile contingerent pericula irreverentiæ, ſi libere permitteretur in mari etiam tranquillo, ſerenoque cœlo Sacrificium ſuper amplas, ponderoſaſque naves offerre. Nam cum non valde infrequentes ſint hujuſcemodi Naves, in remotiſſimas paſſim plagas, & per vaſtiſſimos Maris tractus iter capeſſentes, frequenter quoque in illis Miſſæ fierent; ac in multa Miſſarum frequentia, quam prompte vitia irreperent irreverentiæ, ſive quia non diligenter ſemper Naucleri præviderent imminentem fluctuationem Maris, ſive quia ſæpe plus confiderent de firmitate Navis, quam pondus ipſarum polliceatur; ſive demum quia paſſim alia genera irreverentiæ circa materiam Sacrificii, Vaſa, Veſteſque Sacras, & Locum ipſum in Navi ad celebrandum deſignato prudentiſſime timeri poſſent!

XIII. Cauſſam igitur, propter quam cenſeo illicitam maritimam Miſsarum oblationem, non inde deſumo, quod Navis ſit obnoxia fluctibus, quodque Sacrificium periculo irreverentiæ, & effuſionis ſanguinis exponatur. Hæc quippe pericula aliquando a magnis Navibus, imo etiam a Triremibus anchoratis abeſse profiteor; ita ut ſi num-

numquam prudenter judicaretur tuta, & immota in Mari conſiſtens Navis, numquam etiam valerent Apoſtolica Privilegia, quæ cum dedecore Sacrificii diſpenſari nequeunt. Aliunde itaque cauſſam deſumo, nempe ex eo, quia prohibita generaliter ſunt illa omnia, quæ ſi permittantur, quamvis in ſe periculum irreverentiæ aliquando actu non involvant, preberent tamen occaſionem hujuſmodi periculis; ſicut diximus eventurum, quoties liberum foret in Navibus ad ſpiritualem conſolationem multorum Navigantium Miſſas celebrare. Quare mihi non placet adverſus Scriptores expoſitæ ſententiæ inſurgere eis obtrudendo periculum, cui ſubjaceret Sacrificium, ſi in Navi offerretur: Nam bene etiam ipſi fatentur, quod quando tale prudenter timetur periculum, a Sacrificio abſtinere oportet. Contra nec bene me judice Defenſores Miſſarum Maritimarum nituntur ei fundamento, quod nonnumquam nullum prudentiſſime oboriturum timeatur periculum agitationis Navis, per quam effuſioni facer Chriſti Sanguis exponeretur: Nam Lex prohibens Miſſas extra Loca Sacra non unice pericula irreverentiæ abſtulit, ſed radices ipſas avulſit, ex quibus illa prodirent; ac proinde licet in quibuſdam circumſtantiis tuta eſſet maritima celebratio a periculis prophanationis; adhuc quia expediebat adimere occaſiones, quæ periculis veris aditum aperuiſſent, etiam illa facultas ſublata eſt. Exempla porro, quæ proferuntur, Miſſarum Maritimarum poſt Concilium Tridentinum, niſi præſumptis, aut veris Privilegiis Apoſtolicis munita fuerint, ut laudari non poſſunt, ita neque ab aliis imitari debent; maxime cum rariores ſint modo Scriptores, qui affirment id tentari nunc poſſe ſine ſpeciali Indulto Apoſtolico. Quare ſapienter advertit Benedictus XIV. P.O.M. de Sacrif. Miſſæ ſect. 2. §. 53., non ſufficere merum generale Indultum Altaris Portatilis; ſed ob ſingularitatem gratiæ etiam ſingulare Privilegium celebrandi in Navi requiri. Singularem adeo gratiam alteri ignoro conceſſam, quam Viro piiſſimo Cardinali de Tournon Legato Apoſtolico ad Regnum Sinarum; cui Clemens XI. ſpecialiter favere voluit teſte Eminentiſs. Petra Tom 4. ad Conſt. 2. Urbani V. pag. 275. Ed. Rom.

XIV. Imo raro etiam ſolent concedi Aræ Viaticæ in Mari erigendæ, etiamſi de multorum Navigantium conſolatione agatur. Miſſionariis ipſis, licet *ſub dio* eos celebrare permittatur, expreſſe facultas limitatur *ſub terra*; ne in Navibus Sacrificium offerre audeant. Ante Privilegium recitatum Clementis XI. non legi aliud ſimile ulli conceſſum. Imo potius obſervavi Eminentiſſimos Cardinales Congregationis S. Officii non ſemel denegaſſe ſimilem licentiam magnis Navibus Indiam verſus ſolventibus. Card. Albitius Lib. de Inconſtant. in Fide cap. 34. id affirmat de Congregatione habita die 31. Julii Ann. 1607. Pignatellus Tom. 8. Conſult. 124. idem tradit de altera habita Die 2. Auguſti ejuſdem Anni: Ambo autem referunt negatam Triremibus Principis Philiberti ſimilem gratiam in alia Congregatione Anni 1621. Die 2. Septemb. Extat in Archivvo S. Congregationis Rituum Libro Decretor. Anni 1633. fol. 89. a tergo, quam refert Diana Trac. de Or. priv. Reſol. 22. n. 3. reſponſio facta huic *dubio porrecto pro parte Archiepiſc. Limani: An eſſent probibendi Regulares, & Seculares celebrare Miſſæ Sacrificium in Navibus, tam cum navigant, quam cum non navigant; ſed ut vulgo dicitur* (Lingua Limana) *Eſtan Surtaſ. S. Congregatio ad relationem Eminentiſſimi Spinulæ* die 12. Febr. Anno 1633. *reſpondit eſſe prohibendos*. Huic reſponſioni, qua ſuam opinionem ſenſerat opprimi, interpretationem addidit P. Schiara cit. ut a veritate alienam, ita propter modeſtiam, qua eandem ſubjecit S. Congregationis judicio laudabilem. Quin etiam tam pericu-

 loſa

loſa videbatur conceſſio Miſſarum in Navibus, ut vel ipſa delatio Euchariſtiæ vetita fuerit. Refert Card. Albitius laud. num. 133. Decretum in Congregatione S. Officii (Aſſeſſoris munus in eadem ipſe geſſit) editum coram Clemente VIII. Die 3. Junii Anno 1600. his verbis efformatum. *Gubernatoribus Navium Luſitaniæ, qui ſingulis Annis in Indias navigant, petentibus licentiam deferendi Sacramentum Euchariſtiæ, ne Nautæ, & Rectores ſine Viatico decedant; lecto Memoriali, & auditis Votis Sanctiſſimus ſupradictam petitionem omnino rejecit, & mandavit, ne impoſterum de ea tractetur.* Hanc facultatem Sancio Capitaneo Generali Triremium Hiſpaniæ conceſſam fuiſse a S. Pio V. Menſe Julio Anni 1567., ut in Ripa, & in Inſula Miſsam celebrari facere poſset, & Sacramentum Euchariſticum diſtribui, cum elargitione ſeptem Annorum Indulgentiæ, in Regeſtis Secretariæ Brevium Apoſtolicorum adverti.

XV. Magna hæc difficultas, quam habuerunt RR. Pontifices in elargienda facultate Miſsarum in Mari celebrandarum prudentiſſima fuit; quia etiam ante Concilium Tridentinum rariſſima exempla celebrati Sacrificii nautici reperiuntur. Pauciſſima ego reperi certa teſtimonia apud Veteres. Unum extat in Actis S. Vulframni, quod ſupra cap. 7. num. 3. recitavimus. Addent forſan alii antiquius exemplum maritimi Sacrificii ex S. Maximiano Syracuſano Epiſcopo, cujus meminit S. Gregorius P. Lib. 3. Dial. cap. 38.; ubi narrat, quod poſtquam ſæva tempeſtate jactaretur navis, in qua navigabat Sanctus Præſul Romam verſus, ita ut *undæ jam intra navem eſſe viderentur; tunc in eadem Navi reſidentes*, ſibimet pacem dederunt, ac *Corpus, & Sanguinem Redemptoris acceperunt, Deo ſe ſinguli commendantes*. Interpretantur aliqui hæc verba pro celebrato in Navi Sacrificio: Verum nihil certi hac de re exculpitur, cum forte S. Maximianus juxta morem Veterum ſecum Euchariſtiam in itinere detulerit. Neque mirum ſimul detuliſse pretioſiſſimum Sanguinem; quoniam apud Veteres non omnino inſolitum erat ſervare Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, ſicut ex Epiſtola S. Joannis Chryſoſtomi ad Innocentium I. P., & ex aliis monumentis, quæ eruditi Theologi colligunt, dum de Veterum conſuetudine communicandi ſub utraque ſpecie Fideles diſserunt, facile deprehenditur. Cæterum ſecum in itinere ferre Euchariſtiam conſueverant plures SS. Viri, & inter hos S. Satyrus teſte S. Ambroſio Oratione in Fratris Satyri Laudem. Servant adhuc hunc morem RR. Pontifices in itineribus; de quo agunt Martenius Lib. 1. cap. 5. ar. 4. Bona Lib. 2. cap. 17. num. 5. Georgius de Liturg. R. Pontif. Lib. 1. cap. 4. num. 11. Rocca, & alii: Servant etiam plures Græci Monachi, ut ſe ab Turcarum inſidiis tueantur teſte Arcudio Lib. 3. de Concordia utriuſque Eccleſiæ cap. 59. Talem conſuetudinem tenuit S. Ludovicus Gallorum Rex, qui cum non auderet curare Miſſarum perfectarum celebrationem in Mari, adhuc tamen ſecum in Navi decentiſſime deferri ſtuduerat S. Euchariſtiam, & Miſſam quotidie ſine Canone ſive *Siccam* celebrari, cum ab Oriente regrederetur in Gallias, uti narrat Guillelmus de Nangiaco Lib. de Geſtis S. Ludovici dicens: *Totum officium Miſſæ abſque Sacramenti conſecratione aſſidue cum uno Presbytero Prædicatore, me adjuncto ſibi tunc temporis Clerico, ſuo jugiter exſolvebat devoto corde*.

XVI. Miſso incerto teſtimonio, quod ex S. Maximiano ſumunt aliqui pro Sacrificio in Navi celebrato, duo alia habemus certa exempla in Gloſsario Cangiano V. *Miſſa Navalis*, & ab eruditiſs. Pontif. Benedicto XIV. Sect. 2. de Sacrif. Miſsæ relata: Illud videlicet, quod tradit Euſebius Priolus in Orat. Funebri Petri Delfini Generali Camaldulenſi (obiit Anno 1525.

17. Ka.

17 Kalen. Februar. meritis onuſtus.) dum eum laudat, quia *nullum diem intermiſit, quin Miſſam quam devotiſſime celebraret*, *quocunque adeſſet Loco*, ſive iter faceret, *ſive navigio exciperetur*: Extat apud Martenium Tom. 3. amplæ Collect. pag. 1224. Alterum exemplum refert Matthæus Pariſius ad Ann. 1247. de Cardinali Legato Apoſtolico dicens: *Cum navim aſcenſurus eſſet .... juſſit cuidam Fratri de Ordine Prædicatorum in ipſa Miſſam celebrare: quod & factum eſt non ſine multorum, qui hoc non prævideraut, admiratione*. Præter hæc rariſſima exempla, quibus inuſitatum potius deprehenditur Maritimum Sacrificium, nulla ante Concilium Tridentinum invenimus. Quin potius Sacerdotale Romanum a Leone X., aliiſque Pontificibus commendatum, & Anno 1523. ſub Hadriano VI. Venetiis impreſſum cap. 47. ſtatuerat: *In Loco fluctuanti, ut in Mari, vel Fluminibus celebrare non licet alicui*. Allego Librum hunc Ceremonialem eo fine tantummodo, ut ex illo oſtendam vigentem conſuetudinem ante tempora Tridentini Concilii abſtinendi a Celebratione Maritima: Id quippe tantummodo mihi ex illius teſtimonio concedendum expoſco; quamvis aliunde non reſiſtam aptis obſervationibus Cardinalis de Lugo Diſp. 20. de Euch. Sect. 3., & aliorum, qui ipſum poſtea ſecuti ſunt; nempe Librum illum non aliter approbatum dici, niſi quia nihil alienum a probabilibus Scriptorum ſententiis contineret; non quia infallibilem, ac penitus indubitatam auctoritatem obtinuiſſet. Hinc ubi primum in fronte Libri legebatur: *Fuiſſe multoties approbatum auctoritate Pontificum*: etiam hæc verba, cum iterum Anno 1568. impreſſum fuiſſet Venetiis, ſublata fuerint, ut doctus Cardinalis admonet.

XVII. Loco celebrationis Sacrificii in Navibus aliquando olim Preces ſolitæ in Miſſa celebrari, excepto Canone, recitabantur. Hinc eam Miſſam Navalem, ſeu Nauticam appellabant; eademque erat cum Miſſa Sicca, quæ a non jejunis Sacerdotibus pro Defunctis, pro Nuptiis, pro Purificatione Mulierum poſt Partum, & aliis occaſionibus dicebatur. De hac erudite ſcripſerunt Bona Lib. 1. Lit. cap. 15. n. 6. Mauri in Hierolex. V. *Miſſa Sicca*, Martenius Lib. 1. de Antiq. Eccl. Rit. cap. 3. ar. 1. num. 20., & ſeqq. Merati in Gavant. Obſervat. Præliminarib. num. 80. pag. 80. Edit. Rom. Berti Lib. 33. de Theol. Diſcipl. cap. 22. pag. 444. Berlendi de Oblat. Par. 2. §. 8. num. 2., & 3., & Benedictus XIV. de Sacrific. Miſſæ Sect. 2. §. 50. Miſſam Siccam in Navibus celebrari ſolitam indicat Albertus Caſtellanus loc. cit. *Sacerdotalis* ſubdens: *Conſuevit tamen pro Populorum devotione abſque conſecratione. Miſſa, quam Siccam vocant, dici per Sacerdotem*. Exemplum Miſſæ Siccæ in Navi celebratæ jam ex Actis S. Ludovici dedimus. Aliud autem ſuppeditat Martenius laudatus n. 22. ex Nicolao Lanckmanno in Hiſtor. Deſponſationis Friderici III. Imperatoris, & Leonoræ Infantiſſæ Portugalliæ, ubi hæc narrat: *Venit in una Navicula quidam Sacerdos portans Sacramentum Euchariſtiæ in quadam pyxide pendenti in collo, & omnibus in Carraca exiſtentibus cauſa devotionis Corpus Dominicum monſtravit, & ibidem Miſſam Siccam abſque Canone legit, & benedixit*. An poſt Concilium Tridentinum in Navibus aliquando fuerint Miſſæ Siccæ peractæ, mihi non conſtat; quamvis alicubi etiam poſt S. Synodum uſus earumdem Miſſarum ſive in Exequiis, ſive in privatis Cœnobitarum Cellis permanſiſſe apud ſæpe laud. Martenium legatur. Si tamen permanſerant, paullo poſt evanuiſſe non dubito; cum jam larva illa Miſſarum, ubi vigebat, iteratis Epiſcoporum Decretis Synodalibus vetita fuerit, maxime ad abuſus auferendos avarorum Sacerdotum, qui plurima Miſſarum onera frequenti iteratione Miſſæ Siccæ ſolvere arbitrabantur.

XVIII. Ex hac raritate celebrationis Sacrificii in Navibus colligere oportet valde periculoſum a Majoribus noſtris judicatum fuiſſe, illic Miſſas *formatas*, ſeu perfectas facere, ubi inconſtantia aquarum navim inopinato eventu commovere poteſt, & pretioſum Sanguinem effundere. Hinc licet multi etiam in Magnis Navibus iter agerent; tamen facultatem Jure communi Eccleſiaſtico conceſſam, ut quocunque Loco Miſſæ fieri poſſent ob defectum Eccleſiarum, dilatare etiam ad Naves non præſumebant. Multo igitur magis, poſtquam ex Decreto Seſſ. 22. Concilii Tridentini ſeverior evaſit Diſciplina celebrationis extra Loca Sacra ad finem impediendi pericula prophanationis Sacroſancti Sacramenti, cavere omnes debent id agere, quod etiam in laxiori Diſciplina communiter evitabatur. Colligi inſuper debet aliquando poſſe permitti etiam in Navibus Miſſarum celebrationem, cum olim quoque ſine ullo periculo potuerint nonnumquam offerri; imo Deus ſibi acceptam fuiſſe celebrationem in Navi factam magno miraculo S. Vulframno manifeſtaverit. Quoties igitur voluerit R. Pontifex Apoſtolicæ Indulgentiæ beneficia elargiri, rem non penitus inauditam concedet. Verum etiam in hoc prudentiſſime ſe gerunt RR. Pontifices, cum rariſſime ſimile privilegium indulgeant; & nonniſi ant eximii meriti Viris, qualis fuerat Patriarcha de Tournon; aut ob inclytum Religionis zelum, ſanguinis ſplendorem, continuoſque labores adverſus Infideles ſpeciali privilegiorum gratia dignis, quales ſunt nobiliſſimi Equites S. Joannis Hieroſolymitani.

XIX Duo Privilegia nuperrime quoque conceſſit Sanctiſs. D. N. Benedictus XIV. pro Triremibus Pontificis, & Militum eorundem Melitinenſium. Merita Militum, & Officialium tum Pontificiorum, cum Melitenſium perpendit ſagax Pontifex; ac peculiari Beneficio decoranda eſſe judicavit. Miſertus etiam fuit Pontifex pientiſſimus ob ſibi expoſitas calamitates tot miſerorum vel immediate ſibi ſubjectorum, vel Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani ſubditorum; qui ad Triremes illas damnati ſæpius cogebantur longo tempore carere Sacrificio. In hos ſingularem ſuæ charitatis gratiam motus precibus Magnorum Virorum effundere voluit. Verum quanta id fecerit prudentia, quantave attentione, ne inde ullum periculum oriretur irreverentiæ, abunde deprehenditur ex modo, quo Privilegia erogavit. Poſtulat ipſe quidem Mare tranquillum, Cœlum ſerenum, aſſiſtentiam alterius Sacerdotis, ſeu Diaconi: quæ omnia ad majorem ſecuritatem Sacrificii offerendi pertinent: Verum aliud apponit, ex quo ſingulariter majori reverentiæ ejuſdem Sacrificii proſpicitur. Etenim non promiſcue omnibus Triremibus Pontificiis, & Militum S. Joannis Hieroſolymitani eam facultatem tribuit: ſed ſolum iis, quas vel Apoſtolicus Theſaurarius pro tempore exiſtens (hujus quippe imperio, ac juſſu Triremes Pontficiæ regunt;) vel Magnus Magiſter, & Conſilium Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolym. de ea gratia participare voluerint. Hoc profecto modo abunde conſuluit debitæ reverentiæ; quoniam dubitari non poteſt, quin illi diligenter, ac provide ſint conſideraturi, quibus expediat exercitium Privilegii tribuere: Cum enim ſingularum Triremium ipſi perſpectas habeant conditiones, ac bene diſcernere, quæ recte, & decore valeant gaudere Maritimo Sacrificio; ſimul quoque diligenter, uti par eſt in re tanti momenti, diſcernent, cui illud permittere, cui negare opus fuerit.

XX. Claudo præſens Capitulum inſerendo hæc ipſa privilegia penitus ſingularia, ex quibus hæ paginæ exornentur. Ita vero ſe habet privilegium pro Triremibus Pontificiis conceſſum.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Magiſter Marius Bolognetti Noſter, & Apoſtolicæ Sedis Notarius, Prothonotarius nuncupatus, de numero Participantium Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Theſaurarius generalis (Nunc eſt Diaconus Cardin. Titulo SS. Coſmæ, & Damiani, ad Purpuram evectus Die 9. Septemb. 1743.) *quod ipſe conſiderans tum Officiales, & Milites, tum Nautas, & turmam, qui ſuper Claſſe Triremium Noſtrarum repe   riuntur tempore Expeditionum in Littore Maris aliiſque partibus tam Catholicis, quam communi Chriſtiani nominis Hoſti ſubjectis interdum longo tempore, & multoties in Solemnioribus Anni Feſtis Diebus, prout etiam quando in Oris Maritimis Catholicorum Principum, & in illorum Portubus exiſtunt, tum propter Anni tempeſtates ſibi adverſas, quæ minime permittunt Tentorium in Terra figere, & obtendere, ſub quo Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrari poſſit; cum propter diſtantiam Terræ firmæ Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium bujuſmodi audire non poſſe; ut incommodis, & inconvenientibus hujuſmodi, ne pietas, & devotio in Perſonis ſupradictis minuatur, occurri poſſit, idem Miſſæ Sacrificium in Triremibus prædictis celebrari facere poſſe plurimum deſiderat. Nobis propterea dictus Magiſter Marius Theſaurarius humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piis ejuſdem Magiſtri Marii Theſaurarii Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere, eumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab Homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendarum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati eidem Magiſtro Mario, ac pro tempore exiſtenti Cameræ Noſtræ Apoſtol. Theſaurario Generali petitam facultatem celebrari faciendi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium hujuſmodi qualibet Die in Triremibus Noſtris prædictis, tum tempore Navigationis, tum etiam tempore, quo Triremes hujuſmodi anchoratæ exiſtunt, in quibuſvis Oris, Littoribus, & Portubus habitatis, & non habitatis, & dummodo celebratio Miſſæ hujuſmodi eo tempore, quo Mare tranquillum, & Cælum ſerenum reperiatur, & cum aſſiſtentia alterius Presbyteri, ſeu Diaconi fiat, itaut periculum effuſionis Sanguinis in dicta celebratione minime adſit, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die 28. April. 1742. Anno Secundo.*

XXI. En vero alterum Privilegium pro Triremibus Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymit. paullo ante conceſsum.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus Filius Magnus Magiſter Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani; quod ipſe conſiderans tum Fratres Milites, quam Officiales, Nautas, & Turmam Catholicam, qui ſuper Claſſe Triremium Hoſpitalis prædicti reperiuntur tempore Expeditionum, præſertim in Littore Maris Africi, & Lybici, aliiſque Partibus communi Chriſtiani Nominis Hoſti ſubiectis longo tempore, & multoties in Solemnioribus Anni Feſtis Diebus; prout etiam, quando in Oris Maritimis Catholicorum Principum, & in illorum Portubus exiſtunt, tum propter Anni tempeſtates ſibi adverſas, quæ minime permittunt Tentorium in Terra figere, & obtendere, ſub quo Sacroſanctum

ctum Miſſæ Sacrificium celebrari poſſit; tam propter diſtantiam Terræ firmæ Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium hujuſmodi audire non poſſe, ut incommodis, & inconvenientibus hujuſmodi, ne pietas, & devotio in Fratrum, Subditorumque ejuſdem Hoſpitalis minuatur, occurri poſſit, idem Miſſæ Sacrificium in Triremibus prædictis celebrari facere poſſe plurimum deſiderat. Nobis propterea dictus Magnus Magiſter humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piis dicti Magni Magiſtri votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere eumque ſpecialibus favoribus, & gratii proſequi volentes &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati moderno, ac pro tempore exiſtenti Magno Magiſtro, & dilectis Filiis Conſilio Hoſpitalis prædicti petitam facultatem celebrari faciendi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium hujuſmodi quotidie in Triremibus Hoſpitalis hujuſmodi tum tempore Navigationis &c. (Reliqua ſunt ſimilia cum præcedenti.) *Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die* 15. *Januarii* 1742. *Anno Secundo.*

CAPUT XII.

De facultate utendi Altari Portatili, qua adhuc poſt Concilium Tridentinum gaudent Epiſcopi, eorumque Superiores.

I. PRISTINUM Bonifacii VIII. Privilegium Altaris Portatilis Epiſcopis extra Diœceſim commorantibus conceſſum; ac Jus, quo ante fruebantur Epiſcopi erigendi ad ipſorum pietatem fovendam Aram Viaticam intra fines propriæ Diœceſis permanſiſſe poſt Tridentinæ Legis reſtrictiones jam Cap. 17. de Orat. Domeſtic. innuimus: Imo id etiam demonſtravimus, argumenta promendo ex mente, ac ſcopo ejuſdem Tridentini Decreti Seſſ. 22., quæ non minus ſuadebant perſeverantem in Epiſcopis poteſtatem in propriis Epiſcopiis erigendi Oratoria, quam ſimul oſtenderent ſuperfuiſſe omnem reliquam facultatem Epiſcopalem celebrandi extra Loca Sacra; undecunque facultas, ſive ideſt ex Jure, ſive ex Privilegio originem traheret; dummodo tamen exercitium iſtius ſuperſtitis facultatis intra debitos limites, videlicet ad meros uſus Epiſcoporum contineretur. Quæ igitur eodem cap. 17. num. 3. præfati fuimus etiam ad præſens Capitulum reduci poſſunt, ut inde pateat adhuc poſt Concilium Tridentinum licere Epiſcopis ſive intra propriam Diœceſim, & in propriis Domibus uti Ara Viatica, ut propriæ devotioni, cum opus fuerit, ſatisfaciant, ſive etiam extra fines ſuæ Diœceſis privilegium Bonifacii exequi.

II. Ne vero id dimittamus ſine ſpeciali aliqua confirmatione, quæ uſum Aræ Viaticæ aperte reſpiciat, addimus expreſſas declarationes S. Congregationis Cardinalium Sac. Concilii Trid. Interpretum; unde, quod communiter, unanimique conſenſu Scriptores aſſerunt, etiam firmioribus teſtimoniis muniatur. Paucos poſt Annos a promulgatione Concilii Tridentini Die 19. Junii Ann. 1586. quæſitum fuerat ab Eminentiſſ. Patribus *I. An per Decre-*

cretum Concilii de obſerv., *&* *evitand. verſu*: Neve patiantur: *derogatum cenſeatur privilegio Epiſcoporum*, *de quo in Cap. final. de Priv. in VI.? II. An Epiſcopi uti poſſint eodem privilegio Cap. fin. extra caſum abſentiæ a ſuis Eccleſiis*, *&* *Diœceſibus*, *veluti ex cauſſa valetudinis*, *aut alicujus magni incommodi*, *vel ingruentis periculi?* Duabus hiſce quæſtionibus comprehenſa fuerunt omnia, quæ pertinent ad uſum Altaris Viatici reſpectu Epiſcoporum: nam in Prima univerſim eſt ſermo de Bonifacii privilegio, quod proprie reſpicit Epiſcopos a Diœceſi abſentes: in Secunda vero agitur de Epiſcopis in propria Diœceſi commorantibus; ſed æque impotentibus in conſecrato, aut alio idoneo, approbatoque Oratorio ſacrificare. Ita autem S. Congregatio reſpondit: *Ad primum cenſuit non cenſeri derogatum*: *Ad Secundum uti poſſe ex cauſſa legitima*. Extant Lib. IV. Decret. fol. 161. Egregiæ ſane deciſiones: quia ubi eſt ſermo de uſu Aræ Viaticæ extra proprias Diœceſes, generale privilegium Bonifacii valet; nec de legitima cauſſa quidquam inſerere opportebat; cum ratio, propter quam a Bonifacio conceditur Altare Viaticum, per ſe ſit omnino legitima. At ſi de uſu Altaris Portatilis intra propriam Diœceſim agatur, ubi rarius deeſſe poteſt Epiſcopo commoditas celebrandi in domeſtico Oratorio; tum exprimenda fuerat *cauſſa legitima*, quemadmodum eſt ægra valetudo, tempus viſitationis, & ſimilia; ut hinc monerentur Epiſcopi non abuti propria poteſtate, ſed ſervare majorem reverentiam erga Sacrificium; cui ſane dignius conſulitur, quoties in Oratorio aliquo offeratur, quam ſi in quocunque alio cubiculo Altare Viaticum pararetur. Eadem S. Congregationis reſponſa recitantur Tom. IX. *Poſition.* fol. 185., ubi pro illo quæſito de uſu Aræ Viaticæ *propter valetudinem* additur, quod *fuit deciſum ab omnibus die*, *ut ſupra*, *affirmative*; *quia profectionis*, *&* *valetudinis cauſſa æquiparantur*.

III. Alias declarationes pro ſuperſtite uſu Privilegii Bonifacii VIII. Sac. Congregatio Concilii tam ante, quam poſt celebres Litteras juſſu Pauli V. ad Epiſcopos miſſas Anno 1615. edidit, prout ab Epiſcopis identidem hac de re quæſtiones proponebantur. Servatur Tom. 9. *Poſition.* fol. 183. ſupplex iſte Libellus, quem deſcribendum cenſeo.

Illuſtriſ. e Rmi Signori.

Don Nuno di Morogna Veſcovo Viſenſe deſidera intendere da queſta Sag. Congregazione, *ſe per il Concillo Tridentino* Seſſ. 22. in Decr. de obſerv. &c. *è abrogato il* Cap. ult. de Privil. Lib. 6. *ſopra il Privilegio conceſſo ai Veſcovi dell'Altare portatile*; *ovvero ſe doppo il Concilio dura ancora detto privilegio. Supplica dunque le SS. Voſtre Illuſtriſ. ſi degnino di fargliela intendere per una Lettera in nome di queſta Sag. Congregazione*, *e per favor grandiſſimo*.

Similem Libellum obtulit Archiepiſcopus Eborenſis, qui extat Tomo cit. fol. 185. His autem Libellis Sac. Congreg. reſpondit *non fuiſſe derogatum*.

IV. Eandem reſponſionem Ampliſſimi Cardinales etiam poſt Litteras juſſu Pauli V. de Oratoriis ad Epiſcopos miſſas ſæpius dederunt. Tres ego in Decretorum Regeſtis reperi. Prima eſt Lib. XI. fol. 180. in Marturanenſi Die 23. Julii 1616. Alia eſt Lib. XIV. fol. 317. a tergo, ubi Die 17. Aug. 1630. Epiſcopis Provinciæ Lombardiæ Sac. Congregatio reſpondit: *Epiſcopos Oratores quocunque tempore uti poſſe privilegio Cap. finali de Privil. in VI.* Tertia eſt Lib. XVI. fol. 135. *Nullius* Die 22. Septemb. Anno 1640. ubi cum quæreretur: *An ex Decreto S. Concilii Trident. de obſerv. & evit. &c.*, *&* *ex Decreto S. Mem. Pauli V. de privatis Oratoriis ſit derogatum privilegio Epiſcopis conceſſo in Cap. fin. de Privileg. in VI.?* S. Congregatio reſpondit: *Privilegium Epiſcoporum ut ſupra conceſſum Cap. fin. de Priv. in VI. non fuiſſe derogatum*.

gatum. Alia ſumi poſſunt de Orat. Domeſt. Cap. XVII. num. 20.

V. Validius perſeverantia facultatis Epiſcoporum adhibendi Aras Viaticas Conſtitutione edita ab Innocentio P. XIII. Anno 1723. roboratur. Cum enim Clemens P. XI. Anno 1703. Die 15. Decemb. evulgari juſſiſſet generale Decretum ipſius auctoritate editum a S. Congregatione Concilii Trident. Interpretum adverſus abuſus quorundam Epiſcoporum, ac Regularium in Locis vetitis Sacrificium offerentium *prætextu privilegii in corpore Juris clauſi*; Hiſpaniarum Epiſcopi inde penitus abolitam fuiſſe poteſtatem Epiſcoporum erigendi Altare Portatile, quo libere ante Clementis Decretum utebantur in Itineribus, in Infirmitatibus, ſimilibuſque aliis legitimis de cauſſis, veriti ſunt. Ad exortas Animorum anxietates ſedandas in hunc modum Innocentius XIII. inquit: *Declaramus tamen, quod cum in prædicto Decreto ſtatuatur non licere Epiſcopis extra Domum propriæ habitationis in Domibus Laicis erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſeu celebrari facere, hujuſmodi prohibitio intelligenda non ſit de Domibus etiam Laicis, in quibus ipſi Epiſcopi forte cauſſa Viſitationis, vel itineris hoſpitio excipiantur, & hoc etiam quando Epiſcopi in caſibus a Jure permiſſis, vel de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia abſentes a domo propriæ ordinariæ habitationis moram icciroo faciant in aliena domo per modum ſimilis habitationis. His enim caſibus licita iis erit erectio Altaris ad effectum prædictæ habitationis; non ſecus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis*. Ex his Innocentii P. verbis indubitata declaratione oſtenditur, quod antiqua Jura Epiſcoporum, vel cum propria Epiſcopali dignitate conſerta reſpectu propriæ Diœceſis, vel collata ex Bonifacii P. VIII. Indulgentia extra propriam Diœceſim, nullam jacturam paſſa fuerint ſive ex Tridentino, ſive ex poſterioribus RR. Pontificum Decretis; dummodo eadem facultas intra debitos fines cohibeatur. Innocentii Conſtitutionem *alia conſimili* confirmavit Anno 1724. Benedictus XIII., inſertamque voluit in Concilio R. Tit. 15. cap. 3. Anno 1725. celebrato; cujus de Orat. Domeſtic. cap. 17. num. 25. meminimus.

VI. Ex iiſdem autem Conſtitutionibus ſimul confirmantibus Decretum Sac. Congregationis editum juſſu Clementis XI. Anno 1703. aperte conſtat ſublatam fuiſſe priſtinam poteſtatem, qua olim fruebantur Epiſcopi quocunque Loco, etiam in Domibus Laicorum, erigendi Altare Viaticum; ut ibi vel ipſi, vel ipſis præſentibus alii Sacerdotes Sacrificium offerrent, & uberiori devotioni eorumdem Laicorum ſatisfacerent. Revera, ut jam expendimus cit. Cap. 17. de Orat. Domeſt., ad quod iterum ablego Lectorem humaniſſimum; illa poteſtas, quam in Epiſcopis intemeratam reliquit Concilium Tridentinum non cæterorum commoditatem, ſed ad meram Epiſcoporum utilitatem ſpiritualem reſpiciebat; ita ut ſit Tridentinæ prohibitionis immoderata dilatatio, ac ſubdola eluſio exiſtimare licitum Epiſcopis propter ipſorum præſentiam domeſtica Sacrificia in Domo Laicali celebranda concedere, quæ potius ab Epiſcopis ipſis prohiberi, arcerique debent. Quare cum aliqui Epiſcopi nimis faciles ſeſe præbuiſſent erga Amicos, atque ad iſtorum domos privatas veniendo ſuper Aras Viaticas Sacrificium vel celebrarent, vel celebrari facerent, ut illorum commodo faverent; ſtatim eos coercuit Sac. Congregatio Concilii Die 30. Maii Anno 1699. *in Neapolitana* declarans I. *Epiſcopis non licere in aliena Diœceſi erigere Altare extra Domum propriæ habitationis in Domibus Laicis, ibique non ad propriam devotionem, ſed pro inhabitantium commodo celebrari facere per unum, vel per plures ex propriis Capellanis ipſo Epiſc. præſente*. II. *Neque eiſdem Epiſcopis licere ad placitum, & pro*

& pro commodo Amicorum erigere Altare, & celebrare in eorumdem Domibus. Cum autem ſimul quæſiviſſet Archiepiſcopus Neapolit., *quid Juris habeat dictus Archiep. contra hujuſmodi trangreſſores*? Reſpondit S. Congreg. *Quo ad Epiſcopos committendum cenſuit Eminentiſ. Archiepiſcopo, ut eos moneat; & ſi moniti non abſtineant, certioret S. Congregationem*. Hæc Decreta exſtant in Regeſtis S. Congr. Lib. 48. Decret. fol. 471. Reprobatus abuſus, ac exceſſus facultatis Altaris portatilis, quo gaudent Epiſcopi propter ipſorum unice ſpiritualem conſolationem, non penitus ineunte hoc Sæculo ubique ceſſaverat. Hinc gravius Decretum edidit S. Congregatio Anno 1703. Die 15. Decemb. inſertum in Bullario Clementis XI. pag. 540., cujus juſſu ut efformatum, ita ejus auctoritate roboratum fuerat. Maxime reprehendendus eſſem, ſi tam pulchrum teſtimonium hic inſerere prætermitterem, quo patet, quam longe Epiſcopi immoderatum uſum Altaris portatilis arcere debeant. Innotuerat *modernis temporibus* Clementi XI. eximii nominis Pontifici, *quod nonnulli Epiſcopi ſub prætexu privilegiorum .....in nonnullis Diæceſibus ... ea ſibi licere* putabant, *quæ permiſſa non ſunt; quinimo probibita: Siquidem nonulli Epiſcopi etiam in aliena Diæceſi, & extra Domum propriæ habitationis in privatis Laicorum Domibus erigi* faciebant *Altare, ibique per unum, aut plures ex ſuis Capellanis vivificam Chriſti Hoſtiam immolare &c. Ad abuſus hujuſmodi eliminandos, & ad inſtaurandam venerationem tremendo Myſterio debitam Sanctiſſimus Dominus Noſter ex unanimi Voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus alias hac de re editis* (nempe Anno 1699.) *expreſſe declarat Epiſcopis & his majoribus Prælatis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu privilegii clauſi in corpore Juris, neque alio quoque Titulo, nullo modo licere extra Domum propriæ habitationis in Domibus Laicis etiam in propria Diæceſi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamſi Diæceſani conſenſus adhibeatur, erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſeu celebrari facere &c. Ita Sanctitas Sua declarat, & ſervari mandat*. Poſt promulgationem hujus Decreti etiam ubi plus æquo dilatati fuerant limites ſuperſtitis facultatis Epiſcopalis in uſu Altaris Viatici, ceſſaverunt contrarii abuſus; ac omnibus perſuaſum fuit non ad cæterorum commoditatem, ſed propter ſolas ſpirituales neceſſitates Epiſcoporum his relictam veterem poteſtatem, per quam legitimis cauſſis moventibus Ara Viatica uterentur.

VII. Manſit igitur Privilegium Bonifacii in ſua integritate, ſecundum quod commodam rationem concedebat Epiſcopis Miſſæ celebrandæ, vel audiendæ; ne videlicet illi permitterent non audita, aut celebrata Miſſa *tranſire abſque rationabili cauſſa ullum diem*. Miror autem paucos quoſdam a Paſqualigo quæſt. 1220. num. 1. nominatos dixiſſe vigore Concilii Tridentini teneri Epiſcopos itinerantes, aut extra propriam Diœceſim commorantes ad Loci Ordinarium propter uſum Altaris Viatici confugere. Quam falſa propoſitio! Certe Bonifacius, ſi cum hac ſubjectione Epiſcopis extra Diœceſim ſuam exiſtentibus privilegium contuliſſet, nihil penitus eiſdem dediſſet, quod ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulgentia tunc temporis non obtineretur. Sed de hac re ſatis diximus cap. 7. num. 5. Si vero Concilii Tridentini Statuta recte perpendantur, multo magis falſa deprehenditur propoſitio; quoniam ex Tridentino Decreto potius inferre oportet, non aliunde Epiſcopis licere extra Diœceſim uti Ara Viatica, quam ex mero Apoſtolico Privilegio; quod niſi poſt Concilium perſeveraſſet, a nullo alio Epiſcopo licita conceſſio Miſſarum ſuper Aras Portatiles in do-

mibus privatis ſperari poterat. De hac libera facultate, qua ſine ſubjectione ad Diœceſanum extra propriam Diœceſim ubique gentium Epiſcopi gaudent, Paſqualigus, Quarti, Gavantus, Pignatellus, Fagnanus, Card. Petra &c. differunt.

VIII. At jam quæritur, an Romæ pariter uſum Altaris Portatilis libere Epiſcopi habere poſſint? in hac quæſtione ſolvenda Plures negativam partem tenuerunt. Imo Navarrus noſter Conſil. 5. *de Privil.* dicebat, quod neque Cardinales eo utuntur Romæ; *niſi de conceſſione expreſſa Papæ, quam Papa concedit quidem illis, ſed rariſſime ullis Epiſcopis*. Alii vero Scriptores vel illam prætermiſerunt, ut Fagnanus; vel inſolutam dimiſerunt, ut Paſqualigus. Præter Tamburinum Lib. 1. de Sacrif. Miſſæ cap. 4. num. 8. vix ullus affirmativam ſententiam expreſſe tuetur. Sub hoc proſpectu conſtituta quæſtione ego, qui propriæ tenuitatis ſum conſcius, & aliena potius ſequi placita geſtio, quam meis confidere opinamentis, ſtatim in negativam plurimorum ſententiam deſcendiſſem, niſi me cohibuiſſent nonnullæ conſiderationes. Cum enim legiſſem Paſqualigo quæſ. 1221. num. 3. oculato teſte aliquos Epiſcopos Romæ poſt Concilium Tridentinum abſque ulla ſcrupuli hæſitatione, licet nulla ſpeciali petita venia a Pontifice, celebraſſe ſuper Aram Viaticam in propria domo; & audiviſſem nuper a Viro optimo, atque in Negotiis Eccleſiaſticis magna cum dexteritate, ac probitate gerendis occupato adhuc nonnullos Epiſcopos ad Urbem venientes Bonifacii Privilegium exequi; imo etiam ſcirem Eminentiſs. dignitate, & pietate Cardinalem Bellugam facultate Altaris Viatici uſum fuiſſe, cum ad ſuam Palatinam Capellam cauſa infirmitatis accedere non poſſet; rem diligentiori indagine dignam judicavi, ne cum injuria tantorum Præſulum placitis contrariis conſentirem. Plurimum etiam me impedivit, ne in aliorum Scriptorum ſententiam deſcenderem cautela, juxta quam ſapientiſſime ſe in hac quæſtione continuit Eminentiſs. Petra Tom. 4. Comment. in Conſtit. 2. Urbani V. num. 32., dum aliud non pronunciavit, quam quod *Epiſcopi ob facilitatem recurſus* ad Pontificem *optime conſueverint Romæ abſtinere etiam ab uſu ſuarum facultatum*. Non excipit Cardinalis Ampliſſimus his verbis a facultate Epiſcoporum utendi Ara Viatica Romanam Urbem; ſed laudat modeſtiam illorum, qui Romæ ſeſe abſtinent *ab uſu facultatum ſuarum*, non quia deſint; ſed quia in facilitate recurſus ſigna majoris obſequii erga Apoſtolicam Sedem, veluti in animi grati teſtimonium de privilegiis ab eadem antea conceſſis, præbere poſſunt. Poſtquam iſta perpendi, jam non me gravatum ſenſi auctoritate illorum Scriptorum; neque piaculum viſum eſt ab illis recedere, ſi alia non adeſſent, quæ conſenſum ſuaderent.

IX. Ponderanda ſunt itaque momenta, quibus excepta dicitur Romana Urbs. Proferunt declarationem Sacræ Congregationis: Attamen nullam laud. Card. Petra novit hujuſmodi declarationem, quam profecto inveniſſet inter illius regeſta, quæ pluribus Annis evolvit, dum egregie Secretarii munus ſuſtineret. Similis declarationis unicus aſſertor dicitur Bartholomæus Ugolinus Lib. 1. de Offic. Epiſc. cap. 2. num. 2., cui innitentes Gavantus, Quartus, & alii negativæ opinionis defenſionem ſuſceperunt. Attamen de Authentia illius declarationis nemo certa protulit teſtimonia, ac de veritate illius omnino dubitant Paſqualigus, & Tamburinus. Meam quoque impendi fruſtra operam in eadem requirenda. Forte, ut Paſqualigus conjicit, roborata non manſit ſpeciali Pontificia confirmatione, ſicut neceſſarium videbatur ad limitationem Apoſtolici Privilegii nulla ex parte per Tridentina Decreta coarctati. Forte in publicam notitiam delata non fuit ea de-

declaratio, nec promulgata, nec in S. Congregationis Regeſtis inſerta. Forte falſus rumor plures decepit; & quod ex devotione erga Apoſtolicam Sedem aliqui faciebant Epiſcopi, pro Decreto S. Congregationis interpretati ſunt. Undecunque res ſe habeat, tuto quidam Epiſcopi ſibi permiſſum, etiam poſt præſumptam declarationem, Uſum Altaris Portatilis Romæ putaverunt; ac adhuc exiſtimant, ne durante incertitudine prohibitionis cogantur carere exercitio ſuorum certorum privilegiorum, quæ nullam per ſe conſiderata limitationem Romanæ Urbis præſeferunt.

X. Hac omiſsa declaratione incertæ fidei, ac propterea nullam vim inferente, nihil firmum præfatæ limitationis patroni habent. Etenim quod dicitur de conſuetudine multorum Epiſcoporum Romam venientium, & abſtinentium ab exercitio Bonifaciani Privilegii (quamvis neque hæc omnium Epiſcoporum ſit) non ortum habet, ut indicavit D. Card. Petra, qui illum ſequitur P. Andreucci Lib. 1. de Epiſcop. Titular. Par. V. quæſ. 13. numer. 251., ex defectu epiſcopalis facultatis; ſed ſolum ex ſpeciali quadam reverentia, quam recurrendo ad Pontificem plurimi ad Urbem venientes Epiſcopi exhibent. Quod vero profertur ex Conſtitutione Gregorii P. XV. Oratorium privatum etiam in Urbe concedentis Epiſcopis Pontificio Solio Aſſiſtentibus, mihi nullam figit crucem, licet Paſqualigum valde propenſum in ſubſcribendum ſententiæ, quæ Epiſcopis ad Almam Urbem venientibus favet, ancipitem reddiderit, & ſuſpenſum effecerit in judicio ferendo. Nam privilegium collatum aſſiſtentibus Epiſcopis, cujus nos latam mentionem fecimus cap. 17. de Orat. Domeſt., non reſpicit Uſum Altaris Portatilis, de quo agimus, ſed reſpicit *Oratorium* Domeſticum, pro quo nulla antea data fuerunt expreſſa privilegia Epiſcopis extra proprias Diœceſes commorantibus. Aliud non habent Scriptores illi multi, quod exceptionem faciendam R. Urbis in executione Privilegii omnibus Epiſcopis a Bonifacio VIII. conceſſi ſuadeat. Hinc laude dignos prædicabo Epiſcopos, qui cauſsa obſequii a S. Pontifice licentiam petunt in Urbe ſuper Altare Viaticum celebrandi; nec tamen audebo alios culpandos dicere, propterea quod ſoli Bonifacii conceſſioni innitantur etiam in Urbe, uſque dum contraria aliqua expreſſa prodeat, ac certa prohibitio.

XI. Quæritur deinde, an liceat Epiſcopis privilegio Bonifacii P. uti ob meram commoditatem, etiam quando non valde permoleſtum ipſis foret ad Eccleſias accedere, dum iter agunt, ac extra proprias Diœceſes degunt? Dedit huic quæſtioni anſam cauſſa, quam in privilegii elargitione Bonifacius expreſſit; Epiſcopos nempe *non ſemper* poſſe *ad Eccleſias accedere pro Miſſa celebranda*, *vel audienda in ipſis*. Verum pene omnes Doctores Privilegium illud majori extenſione interpretantes non dubitant licitum Epiſcopo a Diœceſi propria abſenti quocunque loco honeſto ſuper Aram Viaticam Sacrificium offerre quotidianum ex ſolo fine majoris commoditatis; etſi nulla infirmitate, aut impedimento detentus facile vicinas poſſet adire Eccleſias. Huic ſententiæ libenter conſentio ſciens, quod ad legitimam interpretationem alicujus ſuboſcuri diplomatis multum deferri debeat communi Scriptorum expoſitioni, ac tunc maxime, quando conſuetudo frequenter hanc ipſam commentationem confirmaverit. Revera multi Epiſcopi ſub ea latitudine utuntur Altari Portatili; & quamvis alii ad Eccleſias accedant, eo tantum conſilio faciunt; ut digniore loco, ac majori reverentia Miſſas peragant. Quare ex acceſſu ad Eccleſias aliquorum Itinerantium Epiſcoporum, aut alibi extra proprias Eccleſias immorantium, ut in illis ſacrificent, aliis Epiſcopis in loco honeſto ſuæ habita-

** Hhh 2 tio-

tionis ſuper Aram Viaticam Sacrificantibus nulla injuria inferri debet. Nam quod illi agunt ex majori affectu pietatis, eſt quidem valde laudabile; ſed aliena pietas nullam reprehenſionem cæteris irrogat, dum interim facultate debita utentes cavent, ne quid indignum Sacrificii excellentiæ in domeſtica celebratione committatur. Profecto laudabilius quidem ſemper eſt in Eccleſiis Sacrificium offerre; ita ut quicumque poteſt, licet Privilegiis Pontificiis ditatus, multo ſanctius, rem ſecundum ſe conſiderando, agat ad publica accedens Oratoria; quam ſi privilegium exequens intra privatam domum Miſſas fecerit. Attamen quia actiones noſtræ ab intentione Agentis dependent, nonnumquam forte continget, ut perſpectis aliquibus circumſtantiis majorem fructum percipiat in privata Sacrificii actione, qui privilegio inſtructus eodem uti voluerit. Cæterum non hic inquirimus, quod uberiori pietate agitur; ſed quod licite fieri poteſt.

XII. Præter communiorem Scriptorum conſenſum, ac conſuetudinem Epiſcoporum Paſqualigus quæſtion. 1223. nu. 3. aliam rationem ex ſcopo Privilegii Apoſtolici adhibet. Conſiderat vir doctus finem Bonifacii VIII. fuiſſe reddere penitus facilem, ac percommodam Epiſcopis viam, ut quotidie Miſſas facerent, vel audirent; ne ullo prætextu difficultatis, aut incommodi ullum diem ſine Miſſa relinquerent. Iſte plane videtur finis, propter quem indultus eſt uſus Altaris Viatici; eumque ſatis inſinuavit R. Pontifex, cum dixit *non decere* Epiſcopos *abſque rationabili cauſſa ullum Diem* ſine Sacrificio *tranſire*. Quod ergo de Eccleſiæ defectu inferitur, ad cauſſam moventem pertinet, quam non eſt neceſſe attendere in gratiarum executione, cum præcipuus interim finis illarum habeatur. Addam demum, quod ſi privilegium Epiſcoporum tantum deficientibus Eccleſiis valeat, vix aliquid ſingulare Epiſcopis contulit, cum aliis itinerantibus propter eundem defectum Uſus Altaris Viatici conceſſus fuerit. Memini quidem me ſuperius cap. 10. num. 23. dixiſſe non uni, aut alteri Itineranti licere tali conceſſione frui, quæ multorum tantummodo ſpiritualem conſolationem reſpicit. Verum etſi aliqua adhuc adeſſet differentia in privilegio Epiſcoporum, parva hæc foret, ac pene nulla; cum Perſona Epiſcopi totam ſuam repræſentet Eccleſiam, juxta illud D. Cypriani Lib. de Unit. Eccleſ. *Eccleſia eſt in Epiſcopi*. Ut ergo aliquid prorſus ſingulare dicatur a Bonifacio conceſſum Epiſcopis, iſtud ſimul diſcrimen a cæteris Itinerantibus faciendum eſſe videbatur; nempe ut, quod multi Viatores poſſunt ex defectu Eccleſiarum, Epiſcopi pariter iter agentes ex peculiari Bonifacii gratia ob meram commoditatem, atque ita ad faciliorem celebrationem quotidianam Miſſarum poſſent. Viderunt diſcrimen iſtud Suarez diſput. 81. de Euchar. ſect. 3. Paſqualigus quæſ. 464. num. 6., & alii nonnulli.

XIII. Diſserunt quidam de Loco, in quo liceat Epiſcopis extra proprias Diœceſes Altare Viaticum erigere: Sed non opus eſt multa dicere, cum nullum locum excipiat Bonifacius P. VIII. niſi quem propria indecentia reddit ineptum, ut ibi Divina Myſteria perficiantur. Poterit igitur, quando aliter aptus Locus non occurrat, Epiſcopus ſub dio in privata domo, in qua hoſpitatur, aut alibi Sacrificium celebrare, aut alio Sacerdote offerente aſſiſtere. Interrogatus vero an etiam in proprio cubiculo, ubi cubat, offerre poſſit Epiſcopus? Reſpondebo abſolute re inſpecta Epiſcopos id facere poſse; nam nullam pro illis factam hujuſmodi limitationem reperio. Imo Benedict. XIII. præcepit quidem, ne in Cellis Regularium Miſsæ fierent, non obſtantibus contrariis conſuetudinibus, ac privilegiis; & Epiſcopos conſtituit tranſgreſſorum hujus Decreti Judices, ſicut cap.

ſe-

ſequenti narrabimus: De cubiculis autem Epiſcoporum nihil protulit. Id advertere opportunum duxi, cum legerim celebrem Scriptorem de Epiſcopis Titularibus agentem coarctatam Epiſcoporum facultatem Decreto Rom. Concilii Anni 1725. exiſtimaſſe. Per ſe pariter non eſt indecens in cubiculo Infirmi celebrare; ſecus nullus Veterum Sanctorum Epiſcoporum illud unquam feciſſet, aut coram ipſis ægrotantibus fieri permiſiſſet. Præſens tamen Diſciplina ægerrime hoc patitur, ac RR. Pontifices vix ulli unquam Altaris Portatilis erigendi intra cubiculum ipſum, in quo ægrotus lecto decumbit, licentiam tribuunt, ſed pene tantum eam in aliquo proximo cubiculo, in quo nemo jacere ſoleat, exerceri poſſe concedunt. Præ cæteris hujus diſciplinæ amantiſſimus fuerat Clemens XII. P. M., cujus ſimilia Privilegia ego legi: Imo etiam ipſe, etſi diuturnis infirmitatibus lecto decumbere ſæpius cogeretur, nunquam paſſus eſt in proprio cubiculo Miſsas fieri; melius ratus Deo offerre gravem moleſtiam, quam patiebatur in carentia Sacrificii, quam ſinere ibi Sacrificium offerri. Inſpecta igitur præſenti conſuetudine, quæ ob reverentiam majorem erga Sacrificium introducta eſt, atque in dies magis creſcit, facile ſe poterit ei quicumque Epiſcopus conformare; ne dum ſuæ nimis vult eſse tenax poteſtatis, aliis præbeat occaſionem ſcandali, etiamſi pro amplitudine cubiculi ſpecialem Locum pro Sacerdote celebraturo ad majorem decentiam Sanctiſſimæ Euchariſtiæ deſignare ſatagat. In Mari porro Privilegium Bonifacii nullum Epiſcoporum exequi poſse exiſtimo: Hinc ut tuto in Navibus celebraret bon. mem. Card. de Tournon Legationem Apoſtolicam in Sinarum Regnis gerens, a Clemente XI. prius petiit, impetravitque diſpenſationem, ut ſupra diximus. Sane nulli intelliguntur ſub generalibus formulis conceſsa privilegia illa, quæ ob nimiam ſingularitatem ſingulari etiam conceſſione exprimi debent. Si enim liceret Epiſcopis in Mari celebrare, quia expreſse illud non excipitur in Privilegio Bonifacii; cur non idem aliis liceret, quibus ubique facultas erigendi Aras Viaticas tribuitur Cap. *Concedimus*, nec tamen Mare, aut Flumina excipiuntur?

XIV. De numero Miſsarum coram Epiſcopo celebrandarum ſuper Aras Portatiles, ſi quæſtio fiat, etiamſi Paſqualigus quæſt. 1224. num. 1. nullam in Privilegio Bonifacii reperiat reſtrictionem, adhuc bene Mente Pontificis perpenſa reperiri. Etenim indultum eſt privilegium, ne ſine Miſsa Epiſcopus diem tranſire ſineret, cum non ſemper poſset ad Eccleſias accedere *pro Miſsa celebranda, vel audienda*. Quantum igitur ad finem attinet conceſſionis, unica tantum pro ſingulis diebus permittitur Miſsa; eamque proinde in ſingulari nominat Bonifacius, & diſtinctione facta illam celebrandi, *vel* audiendi. Ampliare autem privilegium, ut cupit Tamburinus ſupra cit. num. 11. nec ad me, nec ad alios, quam ad ſolum Rom. Pontificem ſpectat. Alia porro eſt ratio dierum, in quibus liceat celebrare ab Epiſcopo ſuper Aram portatilem: Nam cum in privilegio nulla dies excipiatur; imo potius facultas conferatur, ne *ulla* dies ſine Sacrificio tranſeat; aperte conſequitur Privilegio repugnare ullam dierum exceptionem, quam aliunde Eccleſiaſtici Mores generaliter ſervandi non requirant; quemadmodum in poſtremo triduo majoris hebdomadæ obſervare oportet.

XV. Evidens porro eſt ex fine hujus Privilegii neceſsariam eſse præſentiam Epiſcopi, ut licite ſuper Aras Viaticas Sacrificium offerri valeat, cum tota ratio Indulti ad Epiſcopum reſpiciat, atque ad hoc, ut ipſe Miſsæ ſit particeps, conceſsum fuerit. Quare qui dixerunt licere Epiſcopo vigore Privilegii Altaris Portatilis in propria domo deputare Locum, in quo omnibus liceat celebrare; & falſum ſupponunt,

qua

qua parte pluralitatem Sacrificii quotidiani Epiſcopis conceſſam a Bonifacio arbitrantur; & debent clarius ſe exponere, ne licitam in domo Epiſcopi ſuper Aram Viaticam celebrationem Miſſarum abſente Epiſcopo permittere videantur. An vero omnes Adſtantes Miſſæ ab Epiſcopo, aut coram Epiſcopo celebratæ propter privilegium Bonifacii, ſatisfaciant Eccleſiæ præcepto de audienda Miſſa, inquiri poteſt? Pauca ſolum mihi pro hac quæſtione ſolvenda apud P. Paſqualigum quæſ. 1226. num. 4.; & P. Andreuccium de Epiſc. Titul. Par. V. quæſt. 14. num. 259. occurrerunt. Verum quamvis firma deeſſent documenta; vetus, & adhuc perſeverans conſuetudo multorum Populorum magna devotione confluentium ad Hoſpitium Epiſcopi, cum ab illo, ſeu coram illo Sacrificium offertur, me plurimum in affirmantem partem moveret, inclinaretque. Hinc licet uſus Altaris Portatilis in gratiam ſolius Epiſcopi datus fuerit; attamen quia nihil expreſſe cautum eſt in Privilegio de Adſtantibus; potuit prudenter judicari tam amplam conceſſionem Epiſcopis factam favere illis quoque, qui forte adfuerint. Et certe quamvis de Familiaribus Epiſcopi nihil in privilegio decernatur; tamen neminem prudenter ambigere arbitror, quin præcepto Eccleſiæ illi ſatisfaciant audientes Epiſcopi Miſſam. Quod ergo de Familiaribus dicitur, etiam de aliis dici poſſe videtur; cum æqua de his omnibus Epiſcopali inſpecto Privilegio urgeat ratio. Si porro hic aptetur, quod Tamburinus cit. §. 3. num. 6. poſt Vericellum de Apoſtol. Miſſion., alioſque tradit; nempe præceptum de Miſſa audienda impleri ubique, quando aliter expreſſa non ſit limitatio; ſicut in Privilegiis Apoſtolicis conceſſis pro Oratoriis Virorum Nobilium expreſſe, ac manifeſto caveri ſolet: Si, inquam, iſta hoc loco aptentur, magis reſponſio noſtra confirmatur. Addo quod in Decreto Clementis XI. Anni 1703. tunc ſolum expreſſe declaratur inutilis Epiſcopi Miſſa ad hoc, ut valeant Adſtantes in privata domo ſatisfacere Eccleſiaſtico Præcepto; quando videlicet ſine cauſſa, & illegitime utitur Altari Portatili.

XVI. Cum iſta ſcripſiſſem diligentius conſideravi Privilegia Canonicis Patriarchalis Eccleſiæ Ulixiponenſis conceſſa a Clemente XII. P. pro Miſſarum domeſtica celebratione, ut eos in hac parte ſimilibus facultatibus exornaret, quibus Epiſcopi inſigniuntur; atque in Privilegio Altaris Portatilis erigendi cauſſa itineris eiſdem conceſso expreſse dilatatam beneficii participationem adverti ad alios omnes qui præſente Canonico Miſsæ ſuper illud Altare celebratæ interfuiſſet. Verba Privilegii hujuſmodi recitabo cap. 14. Interim autem ex illis valide roboratam exiſtimo, quam hic ſuadere conabar ſententiam, nempe ut ſinguli Adſtantes Sacrificio ab Epiſcopo per ſe vel per alium Sacerdotem ſuper Viaticam Aram celebrato Eccleſiaſticum Præceptum auditionis Miſsæ adimpleant. Niſi enim id dixerimus, non jam ad imitationem Privilegiorum Epiſcopalium conſimilia Canonici, ac Dignitates Ampliſſimi illius Capituli obtinuiſsent; ſed multo majora, ac pene cum dedecore Epiſcoporum impetraſsent. Addo denique declarationem S. Congregationis Concilii die 22. Septemb. Anno 1640., a qua cum quæreretur: *An intereſſentes, etiam ſi extranei, quando Epiſcopus celebrat, ſeu celebrare facit in hujuſmodi privatis Oratoriis, tam in Diœceſi, quam extra ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ?* Reſpondit *ad 2. omnes intereſſentes ſatisfacere præcepto Miſſæ Diebus Feſtis*. Volui Decretum iſtud, quod extat in Regeſt. S. Congreg. Lib. 16. Decret. fol. 435. hic adaptare, quia licet videatur loqui tantum de Oratoriis, tamen cum complectatur ſimul privilegium in cap. Fin. *de Priv. in VI.*, pro cujus perſeverantia affirmative reſpondit ad I. eadem Congregatio; propterea ſimul

reſ-

reſpicitur ad celebrationem factam ab Epiſcopo extra Diœceſim vigore Privilegii a Bonifacio VIII. conceſſi.

XVII. Ad Jura Epiſcopi circa Uſum Altaris Portatilis etiam illud pertinet, quod Par. 2. Pontificalis Romani Tit. 1. legitur, videlicet expleta Benedictione, & impoſitione primarii Lapidis pro Erigenda Ecclesia poſſe, *ſi velit*, celebrare Miſſam *in dicto Loco de Sancto, in cujus nomine Eccleſia fundatur*. Cum enim eo loco fixum Altare nondum exſtrui potuerit, neceſſe eſt, ut ſuper Altare Geſtatorium Epiſcopus Sacrificium celebret. Non valde antiquum eſſe hunc Eccleſiaſticum Ritum exiſtimo; nam licet antiquiſſimi Canones, ac Sacramentaria meminerint Epiſcopalis Juriſdictionis in deſignatione, & benedictione Loci, in quo nova erigenda eſt Eccleſia, ita ut numquam exſtrui poſſet, niſi *Sanctiſſimus Epiſcopus orationem ibi fecerit, & venerabilem fixerit crucem*, ſicut loquitur Juſtinianus Imper. Novella 131: Attamen de celebratione Miſsæ ab Epiſcopo tunc faciendæ nullum in editis vetuſtis Sacramentariis, & Ordinibus veſtigium adverti, niſi ſolum in Pontificali Guillelmi Durandi edito To. 2. Tit. 1. Commentar. Pont. a Catalano ex Codice Vaticano; ubi ait: *His ita peractis*, ideſt expletis Ritibus, & precibus in impoſitione primi Lapidis, *parat ſe* (Epiſcopus) *ad celebrandum Miſſam, ſi velit, in qua dicta prima Oratione de Sancto, in cujus honore Eccleſia fundatur &c.* An Epiſcopi ubique Miſſam hujuſmodi celebrare conſueverint, quam aliunde ipſorum arbitrio dimittit Pontificale, ignoro? Id tamen ſcio SS. P. BENEDICTUM XIV. in impoſitione primi Lapidis pro nova ampla Eccleſia S. Apollinari dicata eandem Miſſam ſolemni ſacra pompa peregiſſe die 26 Aug. Anno 1742.

XVIII. Expoſitis Juribus, ac Privilegiis poſt Concilium Tridentinum vigentibus reſpectu Epiſcoporum pro Uſu Aræ Viaticæ obſervandi jam tempus eſt, quibuſnam eadem competant; cum aliqui electi, approbati, ac a Pontifice in Conſiſtorio ſint proclamati Epiſcopi, nondum tamen ſacra ordinatione conſecrati: Alii vices Epiſcopi gerant in regimine Epiſcopatus ſine Epiſcopali Dignitate: Alii juriſdictionem in propriis Eccleſiis quaſi Epiſcopalem ab omni Epiſcoporum ſubjectione exempti exerceant: Alii renunciaverint, ſeſeque ab Epiſcopatu abdicaverint, perſeverante tamen Supremi Sacerdotii numquam delendo caractere: Alii Titulares tantum Epiſcopi ſint conſtituti ad Eccleſias, pro quibus aſſumpti fuerunt, prohibiti accedere ob Infidelium tyrannidem, vel Schiſmaticorum perfidiam: Alii inſuper licet nec juriſdictionem in Diœceſi, nec Ordinem Epiſcopatus habeant, ſuper Epiſcopos tamen quoſcumque Cardinalitia Dignitate inſigniti præfulgent. De his enim omnibus locus inquiſitionibus noſtris patet; nam in quibus Ordo deeſt, quærendum eſt, utrum juriſdictio, aut dignitas, aut ſaltem electio ad Epiſcopatum ſufficiat ad participationem poteſtatis celebrandi ſuper Aras Viaticas, qua Epiſcopi propriam Eccleſiam regentes fruuntur? Et e contra utrum defectus juriſdictionis in quibuſdam Epiſcopis eos excludat a Bonifacii privilegio, quod in gratiam Epiſcoporum a propriis Diœceſibus ſeſe *abſentantium* fuit conceſsum?

XIX. Singulas has quæſtiones expoſituri duo præ oculis ſtatuimus: 1. Munus, ac Dignitatem Epiſcopalem Bonifacio VIII. P. cauſsam dediſse, ut Altaris Portatilis privilegium largiretur. 2. Dignitatem Epiſcopalem, ſimul cum Juriſdictione junctam non minus Epiſcopis ſartam cuſtodiviſse poteſtatem in propriis Epiſcopiis deſignandi, & approbandi privata Oratoria ad Rem Divinam idonea; quam alteram poteſtatem, qua ante Concilium Tridentinum gaudebant, erigendi, cum opus erat, in propria Diœceſi Aras Viaticas, ut

in

in illis Miſſas facerent, vel audirent. Nemo, quantum arbitror, merito his reſiſtet. Revera ſufficit attendere ad verba Bonifacii, ut prior propoſitio recipiatur: nam dum ille indulſit Altaris Portatilis uſum, de Epiſcopis, eorumque Superioribus unice mentionem fecit., una pariter ſignificans ſe ideo illis ſuæ Indulgentiæ beneficia conceſſiſſe, quia unum diem Epiſcopos ſine Miſſa tranſire *non decet*. Ad Dignitatem ergo Epiſcopalem, atque ad illorum excellentiam, ac ſublimitatem, qua in Hierarchia Eccleſiaſtica fulgent Epiſcopi, reſpiciebat Bonifacius; ut proinde tanto magis illis deceat aut celebrare, aut aſſiſtere quotidie Miſſarum celebrationi, quanto illorum dignitas magis poſtulat per Sacrificium a Deo ea bona deprecari, & impetrare, quibus adjuti exemplo, ac ſanctitate cæteris inferioribus præluceant. Ex hoc autem, quod extra Diœceſim libere frui valeant Epiſcopi privilegio Altaris Viatici, conſequitur etiam a Concilio Tridentino non aliorum probatum fuiſſe uſum ejuſdem Aræ, quam eorum, qui Epiſcopali, vel alia majore Dignitate in Eccleſia cæteros præcellerent. Hinc licet quibuſdam aliquando regimen Eccleſiarum tribuatur, qui Epiſcopi non ſunt ordinati; tamen quantum ad ipſorum privatam Perſonam attinet, nihil penitus peculiare ſibi uſurpare debent, quod ob Dignitatem Epiſcopalem Epiſcopis reſervatur, Sicut enim, ex dictis De Orat.Domeſt. cap. 17. n.28., nequeunt iſti in propriis Ædibus privata ad Miſſarum celebrationem Oratoria conſtruere, licet poteſtatem habeant approbandi ad Rem Divinam publica Oratoria; ita quoque ad privatam ipſorum commoditatem, aut ſpiritualem neceſſitatem nequeunt in cubiculis, privatiſque domibus Miſſas facere ſuper Aras Viaticas; quamvis poſſint in Loco, in quo Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem exercent, Miſſas ſuper Aras Viaticas concedere, quando neceſſitas multorum eas poſtularet.

XX. Iſtis itaque præmiſſis conſequitur I. Adminiſtratores Epiſcopatuum, cæteroſque Prælatos Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem alicubi exercentes non ſolum carere privilegio Altaris Viatici extra Locum ſibi ſubjectum; verum etiam non poſſe eodem uti in Loco propriæ Juriſdictionis; quia cum regimine conjunctam non habent Dignitatem Epiſcopalem, cui multo plura, ut æquum eſt, reſervantur, atque conveniunt. Conſequitur 2. Bonifacii privilegio non gaudere eos, qui ad Epiſcopatum deſignati fuerint, nondum tamen eos R. Pontifex, ut electos Epiſcopos denunciaverit. Imo ante hanc Pontificiam denunciationem nullo externi habitus ornamento a reliquis Clericis diſcernuntur. Poſtquam autem a R.Pontifice in Conſiſtorio aliquis eſt declaratus Epiſcopus, quamvis ob defectum Sacræ Ordinationis exercere non poſſit munera ab Epiſcopali Ordine pendentia; ſtatim privilegio Altaris Viatici libere uti poſſe Paſqualigus quæſt. 1229. num. 2. Fagnanus Lib. 5. Decr. Tit. *de Privil.* Cap. *Nonnullis* num. 23. Card. Petra Tom. 2. Comment. in Conſt. Honorii III. n. 29. & T. 4. in Conſt. 2. Urbani V. n. 22. Paſſarinus in Cap. fin. *de Privil.* in VI., aliique plures affirmant. Proclamatio enim, ſeu, ut vocatur, *Præconizatio* Conſiſtorialis, etſi Epiſcopalem Ordinem non tribuat; tamen reapſe confert Epiſcopalem Dignitatem, per quam Electus ſtatim veſte, titulis cæteriſque honoribus Epiſcopalibus inſignitur; & acquirit Juriſdictionem in ea Eccleſia, ad quam provectus fuit; eo plane modo, quo electio alicujus Clerici in Parochum ab Epiſcopo, aut a Pontifice facta ſtatim electo tribuit Parochiæ jura, quamvis uſque ad impoſitionem manuum Presbyterii nequeat per ſe ipſum majora Parochorum Jura exercere in Sacramentorum adminiſtratione, excepto Matrimonio, ſi Diaconus fuerit. Nihil igitur deeſſe videtur Proclamato in Epiſcopum a Pontifice, ut ſal-

ſaltem gaudeat omnibus illis prærogativis, quæ a dignitate ipſa derivant, & convenire poſſunt etiam ante Ordinationem, qualis eſt aut erectio Oratorii in Epiſcopio, aut uſus Altaris portatilis extra Diœceſim. An tam prompte electi, ac proclamati Epiſcopi ſuæ poteſtatis exercitia facere ſoleant, ego neſcio: Forte modeſtius ſeſe gerentes ſinunt modicum tempus tranſire ſine uſu Aræ Viaticæ, ut poſt Sacram Epiſcopalem Ordinationem eodem libentius utantur.

XXI. Conſequitur 3. omnes Epiſcopos, ſive numquam Juriſdictionem in Diœceſi exercuerint, quales ſunt Titulares; ſive ſponte dimiſerint Epiſcopale regimen ab Epiſcopatu ſeſe abdicantes; ſive alios quoſcunque Epiſcopos gaudere privilegio Altaris portatilis conceſſo a Bonifacio VIII., niſi forte eorum aliquis propter delicta talem ſuſpenſionem meruerit, aut degradationem, qua privilegiis Apoſtolicis indignus effectus deſpoliaretur. Nemo prudens huic aſſertioni abnuet, quam veram eſſe declaravit S. Congregatio Concilii, teſte Pignatello Tomo 6. Conſult. 12. num. 1., ubi allegat illius Decreta Die 8. April. An. 1623. Die 12. Aprilis Anno 1625., & Die 1. Julii Anno 1628., in quibus eſt ſermo de Adminiſtratore Epiſcopatus, quando aliunde Adminiſtrator ſit Epiſcopali Ordine conſecratus. Alteram declarationem huc ſpectantem ex Tomo 38. *Poſition.* fol. 75. recitavimus de Orat. Domeſt. cap. 17. num. 30., quam Sac. Congregatio edidit, ut petitionibus Michaelis de Carvaſal Hiſpani Epiſcopi Titularis Coronenſis in partibus Infidelium reſidentis in Civitate Valentina, & eodem folio inſertis ſatiſfaceret. Veritatem prefactæ propoſitionis ſuadet etiam finis intentus a Bonifacio, qui videns propter Dignitatem Epiſcopalem maxime decere Epiſcopos quotidie Miſſam celebrare, vel audire, iis ſuæ beneficentiæ munera largitus fuit, Ut ergo quicunque Epiſcopi tum dignitate ſint pares, tum ex Epiſcopalis Ordinationis prærogativa eximiam perfectionis viam tenere debent: Ita etiam omnes participes ſunt conceſſionis commodam reddentis quotidianam Miſſam, per quam magis in perfectione ſervanda, augendaque juvantur. Quod ſi volumus quoque in Epiſcopis Juriſdictione, ac regimine Eccleſiæ carentibus verificatam conditionem abſentiæ, quæ maxime movit Pontificem ad privilegii conceſſionem; profecto iſtam magis in Titularibus Epiſcopis reperimus, quam in cæteris: quoniam illi a ſuis Eccleſiis, ac Diœceſibus ob tyrannidem Infidelium jugo infidelitatis oppreſſis ſemper abſentes eſſe coguntur. Hinc Bonifacius P. attendit quidem ad Epiſcopi abſentiam a propria Diœceſi; ſed de cauſſa abſentiæ nihil determinavit, ſciens *diverſis ex cauſſis* eam poſse contingere; neque ignorans plurimos merum Titulum Epiſcopatus tenentes perpetuo a ſuis abſuiſse Eccleſiis, quemadmodum illa quoque ætate non raro contingebat, in qua non infrequentes erant Titulares Epiſcopi, ſicut ex erudito Ludovico Thomaſio de Benef. Par. 1. Lib. 1. cap. 27. & ſeq. deprehenditur. Militat eadem cauſsa abſentiæ in illis demum Epiſcopis, qui ſeſe ab onere Epiſcopalis ſollicitudinis ſubduxerunt; cum Epiſcopatus dimiſſio perpetuæ abſentiæ a Diæceſi correſpondeat.

XXII. Denique colligimus nunc quoque gaudere privilegio Bonifacii omnes S. R. E. Cardinales. Non opus eſt hoc Loco id oſtendere, cum abunde hac Eminentiſſimorum Purpuratorum participatione diſſeruerim ſupra Cap. 7. num. 6. & 7. Tantum ſubjicio apertam declarationem S. Congregationis Concilii Die 18. Februar. Anni 1623., quæ *cenſuit Cardinales non ſecus atque Epiſcopos ſine ulla Epiſcopi Diæceſani licentia uti poſſe privilegio Altaris portatilis ad præſcriptum Conſtitutionis fel. record. Bonifacii VIII., quæ incipit: Quoniam Epiſcopi; nec*

 ejuſ-

ejuſmodi privilegium ſublatum fuiſſe ejuſmodi Concilii Decreto Cap. Unico Seſſ. 22. de obſervandis &c. Extat in Archivvo S.Congreg. Lib. 12.Decret. fol.120.

CAPUT XIII.

De abrogatione Veterum Privilegiorum Aræ Viaticæ conceſſorum Regularibus in Concilio Tridentino facta, & de aliorum conceſſione poſt Concilium.

I. MULTA a RR. Pontificibus ante Concilium Tridentinum conceſsa Viris Religioſis Ordinum Regularium privilegia, ut libere, nullaque etiam poſtulata venia Epiſcoporum poſsent ſive in privatis Laicorum Domibus, aliiſve Locis honeſtis, ſive in propriis Monaſteriis ſuper Altare geſtatorium Miſsas facere, cap. 8. recenſuimus; & quod ſingulariter fuerat adnotandum, non tacuimus, videlicet amplum Altaris Viatici privilegium ab Honorio III. P. datum inſignibus Ordinibus Prædicatorum, & Minorum in collectione Canonum juſſu Gregorii IX. P. ad perenniorem, diligentioremque obſervationem facta inſertum fuiſse. Omnia hæc privilegia ſimul evaneſcere ægerrime tulerunt nonnulli Scriptores; ac proinde ne inania penitus haberentur propter Tridentinas Sanctiones, operam ſuam impenderunt ita ea cum Tridentinis Decretis componere, ut nullatenus ſuppreſsa, & abolita viderentur.

II. Totis itaque viribus defendere cæperunt privilegium in corpore Juris collocatum Cap. *in his.* ſub generalibus prohibitionibus a Tridentino Concilio adhibitis non comprehendi; neque ad illius ſuppreſſionem ſufficere formulam illam generalem, qua Concilium *non obſtantibus privilegiis* Miſſas fieri extra Oratoria Divino tantum Cultui dedicata, & in privatis Domibus prohibuit. Exiſtimabant etenim convenientiſſimum, ut quæ ſingularem quamdam obtinuerant dignitatem, & robur, cum collocata fuerunt in Codice Eccleſiaſticarum Legum, non poſsent deleri, & infringi; niſi diſtincte reſciſsa, & deleta declararentur ſpeciali, expreſsaque abolitione. Alia autem privilegia Regularibus conceſsa pro Altari Viatico, quamvis conſimili robore non munita, quia numquam locum in laudato Codice obtinuerant, adhuc in priſtino permanſiſse vigore dixerunt; quatenus illa tantum a Concilio auctoritati, & vigilantiæ Epiſcoporum ſubjecta fuerint; ita tamen ut Epiſcopi bene perpenſis omnibus concedere, vel prohibere poſsent Regularibus exercitium ſuorum Privilegiorum, pro ut abuſus irreverentiæ futuros, vel non futuros judicarent. Hinc facto diſcrimine Perſonarum ab Ordinariorum arbitrio dependere putabant uſum Aræ Viaticæ in privatis Domibus permittendum potius uni Regulari Privilegiato, quam alteri. Licebat ergo ex illorum Scriptorum ſententia Regularibus propria exequi Privilegia, quoties Epiſcopi non repugnaſsent; quamvis Epiſcopis repugnantibus non poſſent amplius Regulares obſtrepere, poſt-

poſtquam a Concilio injunctum fuerat Epiſcopis munus impediendi omnes in quibuſcunque Sacerdotibus tum Secularibus, cum Regularibus abuſus, qui forte in domeſticis Sacrificiis irrepebant. Tanta contentione animorum diſputatum eſt in favorem hujus interpretationis, ut pluſquam 25. Scriptores invenerim partim à Paſqualigo quæſ. 474. num. 5., partim a Paſſerino de Statu Homin. Tom. 2. quæſt. 189. num. 980., Barboſa in Concil. Trident. *Decret. de obſervan. &c.* num. 20., Fagnano Cap. *in his. de Privil.*, & PP. Carmelitis Salmanticenſibus de Sacrif. Miſſæ Tract. 5. cap. 4. Pun. 2. num. 61. allegatos, qui tamen fere omnes cauſſam ſuam tueri fatagebant; ac propterea aliqua ratione excuſandi, cum facile ſit præoccupari nimio affectu propriæ cauſſæ patrocinandæ.

III. Verum ſæpe Sac. Congregatio Concilii Tridentini Interpres ſublatas penitus fuiſſe, caſſataſque conceſſiones Sacrificii in privatis Domibus a Sancta Synodo declaravit; ita ut non aliam excuſationem quidam habere potuerint, quam quod forte hujuſcemodi declarationes ipſi ignoraverint. Non multo poſt Pauli V. Litteras Pacenſis Epiſcopus ſupplici Libello, qui inſertus legitur Tomo 38. *Poſition.* fol. 162. acriter, meritoque conqueſtus fuit adverſus quoſdam Regulares, qui in quadam Domo, alioque Loco ſuper Altare portatile celebraverant. Sacra autem Congregatio Die 9. Julii 1619. *cenſuit hujuſmodi Regulares nequaquam ibi celebrare potuiſſe, ſcribendumque Nuncio Hiſpaniarum, ut ſi ſibi conſtiterit id commiſiſſe, in eos ſevere animadvertat.* Ita reperitur ad calcem ejuſdem Libelli. Hujus generis querelas emiſit etiam Epiſcopus Poſnanienſis Anno 1672., & inter cætera conquerebatur *Regulares diſcurrere per Villas Nobilium, & privilegiorum pretextu* Dominorum Confeſſiones audire, domi Sacramenta privatim adminiſtrare; *Miſſas in cubiculis celebrare*. Præterea conquerebatur *de frequentia Altarium portatilium, quorum abuſu ſub prætextu Miſſas ad Lectum in hypocauſto celebrari; & privatam devotionem publicam occupaſſe. Ideo* (ſubdebat Epiſcopus in ſupplici Libello ad Sac. Congregationem miſſo) *Eminentiæ Veſtræ dignabuntur decernere: An, & quomodo ſit annuendum petitionibus Epiſcopi, qui inſtat per Sanctam Sedem præſcribi, ne Regulares per Domos privatas Confeſſiones excipiant, Miſſas celebrent, ſeu Sacramenta adminiſtrent .... Altaria portatilia, & Capellas penitus probiberi exceptis Majeſtatibus.* His petitionibus reſponſum fuit Die 7. Maii ad I. *poſſe probibere*. Ad aliud *Probibeat* (Epiſcopus) *niſi adſit Privilegium Apoſtolicum non revocatum; & quo ad Regulares dentur Decreta*. Hæc, quæ deſcribuntur Lib. 27. Decret. fol. 380. *in Poſnanienſi*, manifeſtant ab eadem S. Congregatione etiam antea alia decreta prodiiſſe, quibus vetitus erat Regularibus uſus Altaris portatilis extra Oratoria ad Divinum tantum Cultum deſtinata, quamvis ante Concilium Tridentinum ſpecialia illius privilegia obtinuiſſent. Etiam a S. Congregatione Rituum exiſtimo prius fuiſſe repreſſum abuſum quorundam Regularium, qui privilegio Cap. *in his.* contento forte utebantur. Nam adverſus illos editum puto Decretum Die 23. Februarii Anno 1661. *in Januenſi* relatum a P. Merati pag. 1396. Edit. Rom., ubi declaratur; quod *Miſſæ plures non poſſunt celebrari in Capellis privatis Nobilium a Sacerdotibus Regularibus*.

IV. Clariora adhuc Lib. 27. Decretorum S. Congregationis Concilii fol. 404. habemus documenta caſſationis privilegiorum Aræ Viaticæ, quæ ante Concilium conceſſa fuerant, & in corpore Juris inſerta. Interrogati fuerunt Eminentiſſimi Interpretes a Vicario Generali Cardinalis Aragon Archiepiſcopi Toletani: *An Sacerdos Regularis poſſet celebrare in* Oratorio

privatæ domus, *ſeu privilegia conceſſa aliquibus Regularibus in Cap. in his. de Privil.*, *& per aliquos Summos Pontifices aliis Religionibus communicata utendi Altari portatili, in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia in Locis, in quibus degunt, revocata ſint per Sacrum Concilium Tridentinum Seſſ. 22. cap. 22. de Sacrif. Miſſæ?* Deinde: *Utrum poſito, quod dicta privilegia Cap. in his. de Privileg. revocata ſint vigore Concilii, poſſit Ordinarius procedere contra Regulares contravenientes., ſive Jure Ordinario, ſive tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus ad cenſuras, & pœnas præſcriptas in dicta Seſſ. 22. cap. unic. de obſerv., & evitand. in celebr. Miſſ.?* Denique: *Quibus pœnis vel cenſuris corripi poſſint per Ordinarium Seculares, vel Regulares Sacerdotes in quolibet ex præmiſſis caſibus contravenientes?* S. Congregatio Die 21. Maii 1672. ad Primum ex his quæſitis reſpondit *negative*; *& teneri* ſe nempe informare de jam peracta Miſſa in Oratorio. Ad alterum *negative*. Ad aliud de revocatione reſpondit *affirmative*. Ad ſequens dubium pariter reſpondit *affirmative ad formam Concilii*. Quo ad ultimum vero *diſtulit reſolutionem*, *ut prius videretur*, *an Epiſcopus procedens vigore Concilii Trid. Cap. Unico cit. poſſit imponere Exemptis pœnas cenſurarum latæ ſententiæ?* Igitur Die 4. Junii ejuſdem Anni hujuſmodi dubio eadem S. Congregatio reſpondit: *Potuiſſe in caſu propoſito tanquam in re gravi imponere cenſuras ipſo facto incurrendas*.

V. Poſt hæc Decreta in Italia, & adjacente Inſula Siciliæ adhuc aliqui Regulares ſibi licitum eſſe ex veteribus privilegiis Miſſas ſuper Aras Viaticas quacunque in Domo celebrare arbitrabantur: Hinc novum iterum Decretum S. Congregationis Concilii Die 20. Septemb. Anni 1698. *in Meſſanenſi* prodiit. Cum enim ægrotaret quidam Regularis in Domo Rurali ſuorum Conſanguineorum inſtante mortis periculo alter Regularis *erecto Altari portatili in cubiculo infirmi Sacrum peregit*; & Viaticum miniſtravit. In utroque Regularem celebrantem erraſſe optime contendit Archiepiſcopus Meſſanenſis, & a Sacra Congregatione declarari ſuppliciter poſtulavit: *An ſupradictus Regularis potuerit licere erigere Altare portatile, Sacrum peragere... & Sanctiſſimum Viaticum miniſtrare alteri Regulari Infirmo in Domo privata illius Conſanguineorum, abſque licentia Ordinarii, aut Parochi, & quatenus negative?* 2. *An poſſit Ordinarius in hoc, & ſimilibus caſibus procedere contra Regulares etiam ad cenſuras?* S. Congregatio: *Ad primum reſpondit negative: ad 2. affirmative ad formam Concilii: ſed in præſenti caſu non eſſe moleſtandos*; quia, ut reor, ex ignorantia Prohibitionis ſe geſſerant. Reperiuntur iſta Lib. 48. Decret. fol. 471. Anno ſequenti 1699. Die 30. Maii iterum ab Archiep. Neapolitano fuerunt inter alia dubia, etiam ſequentia propoſita S. Congregationi Concilii, quia nempe nonnulli Regulares male pugnantes pro conſervatione antiquorum Privilegiorum in privatis Domibus, ac Oratoriis privatis contra limites Apoſtolici Indulti celebrare audebant. Quæſitum itaque fuit: *An in Oratoriis, quibus ex Indulto Apoſtolico fruuntur Domus privatæ, liceat celebrare diebus exceptis Indulto, ſeu prohibitis a S. Congregatione; vel Synodali Conſtitutione Diœceſana; & an in hoc, & ſequenti caſu Miſſam ibi audientes ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ?* Inſuper: *An celebrata in præfatis Oratoriis unica Miſſa in Apoſtolico Indulto conceſſa liceat Regularibus eodem die aliam Miſſam celebrare?* Denique *quid juris habeat dictus Archiepiſcopus, quatenus negative ad ſupradicta dubia contra ejuſmodi tranſgreſſores?* Reſpondit S. Congregatio ad primum *negative*: ad aliud *negative pro diebus exceptis in Indulto*: & ad ultimum *quo ad Regulares cenſuit poſſe procedere*

ad

ad formam S. Concilii (Tridentini.)

VI. Non obſtantibus tot, ac ſæpius repetitis decretis compeſci nequiverunt oppoſiti abuſus; hinc vehementius, ac efficacius fuerunt repreſſi decreto Clementis XI. die 15. Decembris Anni 1703., cujus ſupra lacinias ſpectantes ad Epiſcopos, nunc partem reliquam, quæ Regulares contingit, recitamus. Dolet itaque Clementiſſimus Pontifex, quod *complures Regulares ſub prætextu privilegiorum ea ſibi licere putant, quæ prohibita ſunt*: Etenim *Regulares* illi *in quibuſdam Magnatum, ſeu aliarum Nobilium Perſonarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex cauſſis a Sede Apoſtolica concedi ſolent, celebrare audeant; vel plures Miſſas, quam in iis ſit indultum, vel abſque præſentia Perſonarum, quarum contemplatione gratioſa conceſſio emanavit, vel extra debitas horas, vel poſt meridiem, vel in illis diebus, quibus per Conſtitutiones Diœceſanas, aut etiam Decreta S. Congregationis Concilii celebrari prohibentur, aut quæ in ipſis indultis Apoſtolicis excipiuntur, quominus in illis celebrari poſſint; aut etiam Altari portatili uti non verebantur in Sanctarum Sanctionum contemptum, ac ſancti Sacrificii irreverentiam*. Ad hos ergo abuſus eliminandos *expreſſe declarat* Pontifex Sanctiſſimus *in Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem conceſſa fuerint, non licere Regularibus cujuſvis Ordinis, aut Inſtituti, ſeu Congregationis, etiam Societatis Jeſu, aut etiam cujuſcunque Ordinis Militaris, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, aut aliis quibuſcunque Sacerdotibus . . . in iis celebrare in diebus Paſchatis, aliiſque in Indulto exceptis. In reliquis vero diebus prædictis Regularibus, & Sacerdotibus quibuſcunque ... in prædictis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Miſſa celebrata fuerit*, eodem modo ac de Epiſcopis dictum fuit.

VII. His conſtitutis adverſus Regularium abuſus, qui privilegia, ſi quæ habebant, propria Oratoriis intra ipſorum Clauſtra erectis indebite transferebant ad Oratoria domeſtica Laicorum, tranſit Clemens ad declarationem aboliti Privilegii Cap. *in his* contenti in hunc modum: *Quo vero ad Altare portatile iterum inhærendo declarationibus ſupradictis* (S. Congregationis Concilii *alias hac de re editis*) *cenſuit* (Pontifex) *licentias, ſeu privilegia conceſſa nonnullis Regularibus in Cap. in his. de Privilegiis per alios Summos Pontifices aliis Regularibus communicata utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia in Locis, in quibus degunt, revocata eſſe per idem Concilium* (Tridentinum) *atque idcirco eoſdem Regulares eſſe prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præſentis tenore mandat Epiſcopis, aliiſque Ordinariis Locorum, ut contra quoſcunque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati ad pœnas præſcriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto Seſſ. 22. Cap. unico uſque ad cenſuras latæ ſententiæ: tributa etiam eiſdem facultate per hoc Decretum ita procedendi, perinde ac ſi per Sanctam Sedem ſpecialiter conceſſa fuiſset: & ita Sanctitas Sua declarat, & ſervari mandat*.

VIII. Manifeſtata ſæpius iteratis hujuſmodi Sacræ Congregationis Decretis S. Concilii Tridentini mente, nullus eſt recentium temporum Scriptor, qui penitus non conſentiat; nec ullus Regularium, qui falſo prætextu ſuorum privilegiorum id moliatur amplius, quod omnino Concilium prohibuerat. Imo teſtante Reifeſtuell in 3. Decr. Tit. 41. num. 14., & Leurenio in eund. Titul. quæſt. 975. ubi proſerpſerant contrariæ conſuetudines, per poſtremum Clementis XI. Decretum reformatæ fuerunt. Etiam multo ante declarationes abrogationis illorum privilegiorum a Patribus Tridentinis factæ idipſum Viri celebres nullo partium affectu præoccupati, ſed tantum veri-

tati

tati reperiundæ, & enunciandæ dediti noverant; ut Suarez Diſp. 81. de Euchar. Sect. 3., Fagnanus Lib. 3. Decr. ad cap. *in his*, Navarrus noſter, Palaus, cæterique a Paſqualigo, & Paſſerino recenſiti.

IX. Profecto quid magis opportune ad prohibendam Regularibus etiam privilegiatis celebrationem in domibus privatis, uſumque Altaris Viatici afferri poterat a Concilio in Decreto *de evitan. &c.*, in quo multa breviter comprehendere ſtuduit, & ſummatim preſtringere varios adverſus reverentiam, & ſanctitatem Euchariſtici Myſterii irrepentes abuſus, quam expreſse præcipere Epiſcopis, ne Regulares quoslibet in domibus privatis, & extra convenientia Oratoria celebrare paterentur? Cum Epiſcopis id omnino, & ſine ulla Regularium exceptione impedire Concilium juſſerit, ſimul profecto a Sacerdotibus Regularibus omnem illam adimebat facultatem, cujus exercitium Epiſcopi tolerare non poterant. Enimvero quonam modo cohærere poſſunt duo hæc inter ſe penitus adverſa, nempe ut Epiſcopi nullo facto diſcrimine Perſonarum, ſive, ut loquitur Concilium, *in quibuſcumque Regularibus* impedire debeant celebrationem in privatis domibus; & interim gaudere ſinerentur plurimi Regulares privilegio Altaris Portatilis ubique erigendi? Abs re igitur, & inconſulto dicebant aliqui a Concilio fuiſſe arbitratui Epiſcoporum ſubjecta Regularium privilegia, ut pro ſua prudentia quibuſdam ſinerent uſum Aræ Viaticæ in privatis domibus, aut etiam in propriis Cellis, aliis vero prohiberent. Quid enim alienum magis a mente, verbiſque Concilii generaliter jubentis omnibus Locorum Ordinariis, ut *omnino* illud non paterentur *in quibuſcumque Regularibus*? Si volumus hæc verba in proprio ſenſu intelligere, certe nos edocent Epiſcoporum muneri injunctum non minus in omnibus Secularibus Sacerdotibus impedire celebrationem in privatis domibus, & extra publica Oratoria, quam in omnibus Sacerdotibus Regularibus; ut ſicut illorum nemini, quamvis forte timorem, aut ſuſpicionem non ingererent ſecuturæ irreverentiæ, domeſtica celebratio permitti poſſet; ita neque ulli Regularium uſus Altaris Viatici extra Oratoria, ac in privatis domibus concederetur, quantumvis ob illius pietatem, ac attentionem nihil deforme oriturum prævideretur. Jam vero mallem diſcere quomodo valeant permanere privilegia, quoties gratiæ in illis collatæ nullum unquam habituræ ſint, imo nec poſſint habere effectum?

X. Cæterum modus, quem tenuit Sancta Synodus in efformatione Decreti, efficacius oſtendit abolitionem Privilegiorum; nam quia contingere poterat, ut aliquis Concilio rebellis ſeſe defenderet titulo exemptionis a correctione Epiſcoporum; propterea ſermo convertendus erat ad Epiſcopos, qui conſtituti *Apoſtolicae Sedis delegati* omnem obtinuerant Jurisdictionem coercendi quoſcumque etiam Regulares, qui prætextu Privilegiorum auſi fuiſſent in locis vetitis Sacrificium offerre. Demum verum adeo eſt a Concilio deleta penitus fuiſse privilegia Regularium, ut fere unice propter illos in fine Decretorum addita ſint verba illa irritantia: *Non obſtantibus quibuſcumque Privilegiis*; cum vix aliis unquam [excipimus Epiſcopos, de quibus antea effuſo ſtylo diſserui. mus,] Privilegia hujus generis, tantæque amplitudinis ab Apoſtolica Sede conceſsa fuiſsent. Quin imo niſi irritaſset Concilium privilegia præcedentia Regularium, ut libere loquar, ex copia privilegiorum, ob quæ ab illis paſſim in privatis domibus tuto celebrari potuiſset, permodicam utilitatem ſuis Decretis contuliſset, maxime cum ex abuſu privilegiorum orta eſsent plurima incommoda, quæ medelam a Patribus Trident. popoſciſsent.

XI. Miror porro quoſdam olim Scriptores ſuis indulſiſse opinationibus,

cum

cum clariſſime Gregorius XIII. P. Conſtit. 57. oſtenderit privilegia Portatilis Altaris quocunque Loco erigendi in ſeſſ. 22. Concil. Tridentini jacturam paſſa fuiſſe. Obtinuerant Patres Societatis Jeſu Anno 1529. a Paulo III. P. ſimilem facultatem. At bene conſiderantes Apoſtolicum Indultum Tridentini Concilii Decreto poſtea a Pio IV. ſimul cum reliquis Conciliaribus Conſtitutionibus confirmato concidiſſe, ad Gregorium XIII. P. pro reſtitutione confugerunt. Votis annuit Pontifex, ſuppreſſamque in Concilio gratiam nova largitione reparavit dicens: *Uſum Altaris Viatici Societati Veſtræ a fel. record. Paulo III. conceſſum, DEINDE A CONCILIO TRIDENTINO SUBLATUM, vobis hactenus reſtituimus*. In varias ſeſe torſerunt ſpiras tergiverſationum ad hæc manifeſta verba deſtructorum Privilegiorum defenſores; nihilque melius dicendum putarunt, quam Privilegium Pauli III. non fuiſse in Juris corpore comprehenſum. Attamen effugium plane alienum ab omnibus Concilii Sanctionibus ſæpiſſime abrogantibus multa inſerta *in corpore Juris*, quin ulla fieret unquam mentio illius *incorporationis*; quæque aliud non operabatur, quam ut communiter reciperetur, quod ibi inſertum fuerat, uſque dum poſteriori alia contraria lege non caſsaretur! Diligenter collegit Fagnanus ad Cap. *in his. de Privileg.* plurima in Codice Canonici Juris inſerta, quibus derogavit Tridentinum Concilium nulla facta mentione ſpeciali hujuſcemodi inſertionis. Modernis temporibus ſolent RR. Pontifices, quoties in ſuis diplomatibus abrogant, aut concedunt aliquod privilegium, quod Canonicis Decretalibus adverſatur, etiam peculiari formula infringere omnem vigorem contrariorum Decretorum in corpore Juris contentorum. Verum hanc conſuetudinem invexit neceſſitas auferendi contentionibus aditum, quem litigioſi, moroſique homines aperiebant, ut Pontificum Conſtitutiones nonnumquam elevarentur, & eluderentur.

XII. Suppreſſis igitur, deletiſque omnibus Privilegiis Regularium in Concilio Tridentino, nullus jam amplius illis ſuperfuit locus in privatis cubiculis, aut extra Oratoria ab Epiſcopo approbata Aras Portatiles erigendi ad Miſsarum celebrationem. Laborat Paſqualigus quæſ. 476. omni conatu, ut perſuadeat per amplam confirmationem omnium Privilegiorum factam a Gregorio XV. P. favore Clericorum Regularium revixiſse apud illos priſtina etiam Privilegia Altaris Portatilis ante Concilium Tridentinum aliis Regularibus conceſsa; & per communicationis Beneficium Apoſtolicum iiſdem Clericis participata. Nemo prudens invidet ſpecialibus prærogativis merito a RR. Pontificibus conceſſis tam illuſtri Congregationi pietate, ac doctrina multorum Alumnorum florentiſſimæ. Hinc mihi maxime commendandus videtur præclarus Paſqualigus, quod data opportunitate ſuæ Congregationi reviviſcentiam Altaris Portatilis aſſerere ſtuderit. Attamen utrum id perſuaſerit omnibus ex mera Gregorii XV. generali privilegiorum confirmatrice Bulla nullam ſpecialem mentionem faciente de his Privilegiis, quæ in Concilio Tridentino abrogata fuerunt, ignoro. Ego ſiquidem minime percipio, quomodo aliquis adhuc communicare intelligatur in alterius privilegio, quod ab illo quoque, cui primum, ac directe conceſsum fuerat, abrogatione ceſsavit. At unuſquiſque in ſuis vindicandis Juribus, ac Privilegiis, quantum æquitas, ac veritas patitur, egregiam operam navat. Unde ſi data ſunt Clericis Regularibus a Gregorio XV. privilegia Altaris Portatilis, quæ ante Concilium Tridentinum vigebant, nihil adverſus illa valebunt S. Congregationis ſupra adducta Decreta, quibus non violantur Pontificum conceſſiones nonnulis Regularibus liberaliter poſt Concilium diſpenſatæ; ſed tantum repulluntur illo-

ſorum Regularium auſus, qui aut vetera privilegia Altaris Portatilis non obſtantibus Tridentinis Decretis perſeverare arbitrabantur: aut jactitantes confirmationem *vivæ vocis oraculo* factam a S. Pio V. privilegii Cap. *in his.* contenti, Altari Portatili quocunque loco in Miſſarum celebratione utebantur. Hujus prætenſæ Confirmationis Valerus V. *Miſſa* Differ. 2. meminit.

XIII. Pauca mihi nota ſunt privilegia ab Apoſtolica Sede Regularibus conceſſa; & forte majora alter noverit, quæ hactenus ego ignoro. Pius IV. P. biennio poſt confirmationem Concilii Tridentini, & poſtquam Kalend. Martii Anno 1565. ſuppreſſa declaraverat quæcunque privilegia Tridentinis Conſtitutionibus adverſa valde amplum privilegium Altaris Portatilis dedit die 8. Martii Anno 1565. Congregationi Canon. Regular. Lateranenſium, cui plurima alia benificia pro ſua erga Nos effuſa liberalitate, ac benevolentia contulerat. Singularia profecto Pontifex humaniſſimus diſpenſavit gratiarum dona, cum omnibus, ſingulisque Canonicis, Converſis; imo etiam Sanctimonialibus Ordinis Noſtri infirmitate laborantibus, nec e cubiculo exire valentibus permiſit, ut per quemcumque Sacerdotem libere poſſent frui Miſſarum beneficio, in honeſto loco ſuorum cubiculorum ſuper Aram Viaticam offerendo; & Sacram Communionem accipere. Imo (quod ſingularius videtur;) ita hanc facultatem liberam eſſe voluit ſingulis ægrotis, ut bene conſiderata, & ſuo proprio in rigore perpenſa conceſſionis formula, etiam non petita licentia ſuperioris illorum arbitrio eam penitus ſubjecerit. Sane de hac venia poſtulanda nihil traditur in Privilegio, quam tamen neceſſario exprimere oportebat, ſi exercitium Pontificiæ facultatis a nutu Superioris pendere debuiſſet. Hujus privilegii meminerunt Peyrinus, Lezana, Diana, Paſqualigus, Salmanticenſes, Reinfeſtuell, Rotarius, Brencola &c. illudque editum fuit in Bullario noſtro Edit. Rom. Anni 1727. pag. 279., eo modo, quo extabat in antiquioribus Editionibus: Ita vero ſe habet: *Exponi nobis nuper feciſtis*, (alloquitur Pius Rectorem Generalem, & Superiores Congregationis.) *quod in diverſis Monaſteriis, Prioratibus, & Præpoſituris veſtris tam Virorum, quam Mulierum plerumque contingit diverſas Perſonas variis infirmitatibus ſæpe ita laborare, ut illæ e cubiculis ſuis ad Miſſas audiendas juxta eorum devotionem exire non poſſint ... Nos ... veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati omnibus, & ſingulis quorumcumque tam Virorum, quam Mulierum, Monaſteriorum, Prioratum, Præpoſiturarum, & aliorum Locorum Regularium Congregationis, & Ordinis hujuſmodi utriuſque Sexus Perſonis quibuſvis infirmitatibus, pro tempore detentis, quibus ob hujuſmodi infirmitates, vel per Medicum, aut Superiorem ſuum e cubiculis exire prohibitum fuerit, ut durantibus ipſis infirmitatibus tantum Miſſam in proprio cubiculo ſuper Altari Portatili, in loco tamen decenti, & honeſto per aliquem Presbyterum, per eos juxta ſuum libitum eligendum, celebrari facere, illique intereſſe, & eam etiam in ipſorum cubiculis jacentes audire; Sacroſanctumque Eccleſiæ Sacramentum Confeſſi, & Contriti libere, & licite ſuſcipere poſſint, Ordinariorum Locorum, ſeu quorumvis aliorum licentia deſuper minime requiſita Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus pariter, & indulgemus; illiſque, ac Presbytero ſic per eos eligendo Miſſam hujuſmodi reſpective audiendi, ac celebrandi plenam, & liberam licentiam, & facultatem impertimur, non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis &c. Datum Romæ apud S. Petrum die 18. Maii 1565. Anno VI.*

XIV. Ampliſſimum profecto eſt recitatum privilegium ſingulos de noſtra Congregatione Canonicos, Converſos, ac Moniales reſpiciens, in Infir-

firmitate autem aſſignanda nihil penitus limitat, id ſufficere declarans, quod infirmus ex prudenti conſilio Medici, aut Superioris extra cubiculum non permittatur exire, ſive (quod idem eſt quantum ad finem conceſſionis:) propter virium laſſitudinem ex infirmitate ortam ad communem Monaſterii Capellam accedere nequeat. Non determinat inſuper, quod Sacerdotes celebraturi eſſe debeant ejuſdem Congregationis: Imo relinquit arbitrio ejuſdem infirmi celebrare, quando nempe ſine periculo indecentiæ fieri poſſet; aut ab alio celebratam in proprio cubiculo Miſſam audire. Nullam præterea excipit diem, in quo infirmus ſuæ poſſit devotioni ſatisfacere. Demum libere permittit *in proprio cubiculo*, ubi Infirmus moratur, Miſſas celebrari.

XV. Aliqui communicantes cum omnibus Privilegiis Canonicorum Regularium Lateranenſ. addunt Pianam facultatem etiam valere pro illis, quos forte ægrotare contingeret extra Congregationis Loca; quatenus privilegium iſtud penitus ſit *perſonale*, ac proinde comitatur Perſonam privilegiatam ubicunque infirmitate clanguerit. Ego tantam privilegii extenſionem non patior, quam neque paſſus eſt Diana Tract. de Orat. Privat. Reſol. 26., aliique Scriptores, utpote alienam a ſupplicatione facta a Superioribus noſtræ Congregationis pro *benignitate Apoſtolica* impetranda favore illorum Infirmorum, qui *in diverſis Monaſteriis, Prioratibus, & Præpoſituris* noſtris *plerumque e cubiculis ſuis ad Miſſas audiendas* exire non poterant. Sane Petentium deſideria non tantum extendebantur, ut extra Loca Congregationis infirmatis Canonicis noſtris ex Indulgentia Pontificia beneficio cubiculariæ celebrationis Miſſarum conſuleretur. Inſolens quippe valde fuiſſet petitio, maxime cum ex recenter confirmatis Generalis Concilii Sanctionibus Sacrificia in privatis Domibus ſeveriſſime vetita fuerint; & alias non *plerumque*, uti expoſuerant Patres noſtri; ſed rariſſime aliquem ex noſtris extra Congregationis Domos infirmari contingeret. Quo igitur vota Oratorum dirigebantur, eo Pius P. IV. ſuæ beneficientiæ munera extendit, ut in *ipſorum* infirmorum cubiculis ſuper Altare portatile Sacrificium offerretur. Quare perſonale quidem eſt privilegium, quatenus omnibus Congregationis, & Ordinis noſtri *Perſonis utriuſque Sexus* collatum fuit; ſed una ſimul eſt Locale, quatenus Pontifex ſatis ad Perſonas *Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, & aliorum Locorum Regularium Congregationis* ſe reſpicere indicavit. Hæc ipſa tam diſtincta Locorum Congregationis mentio in Diplomate facta abunde demonſtrat, quod ſi ex mente Pii tanta fuiſſet amplitudo gratiæ, ut ſine loci limitatione ea uterentur Alumni Congregationis; id expreſſe inſeri curaſſet ad impedienda omnia obſtacula, quæ facilius extra Loca Regularia Ordinis a vigilantia Epiſcoporum excitari poterant, quemadmodum orta ſunt Meſſanæ circa alios quoſdam Regulares; pro quibus S. Concilii Congregatio Die 20. Septemb. Anni 1698. declaravit, quod *Altare portatile non poteſt erigi a Regulari in Domo privata, ut ubi Sacrum peragat, & Viaticum alteri Regulari infirmo adminiſtretur*.

XVI. Noſtrum hoc Privilegium ceſſaſſe vigore Decreti Clementis XI. juſſu promulgatum Anno 1703. dixit P. Rotarius Tom. 3. Theolog. Regul. Lib. 1. cap. 2. §. 9. num. 7., idemque tradit Cajetanus de Alexandris in Confeſſar. Monial. cap. 11. §. 6. quæſ. 18. Verum quibus verbis ſuppreſſa fuerit Piana facultas, ego deprehendere non potui: Decretum Clementis ſuperius recitavi, quantum ad Regulares pertinet; & certe judicabit Lector privilegia, quorum ſuppreſſionem inculcat, declaratque eximius Pontifex, non jam fuiſſe illa, quæ forte poſt Concilium

lium Tridentinum data fuerant; ſed quæ ante Concilium collata, & ſimul Cap. *in his*, in corpore Juris inſerta erant. Reliqua autem, quæ adverſus Regulares prætextu privilegiorum celebrantes in Oratoriis Laicorum ſtatuit Clemens, aliena penitus ſunt a noſtro Privilegio, quod ad celebrationem in cubiculis noſtrorum Infirmorum in Monaſteriis commorantium reſpicit. Ego potius verebar factam reſtrictionem Piani Privilegii a nupera Innocentii XIII. P. laudata Conſtitutione, & ſubinde roborata a Benedicto XIII., eo quod Epiſcopis ille præceperit animadvertere pænis Eccleſiaſticis in Regulares, qui *in privatis ipſorum Cellis, ſeu cubiculis erigunt Altare pro Re Sacra ibidem facienda.* Attamen his bene perpenſis adverti Innocentium P. noluiſſe ſua Conſtitutione Anni 1723. vulnerare, ſi quæ fuerant, Apoſtolicæ Sedis ſpecialia privilegia, quæ permitterent Regularibus in propriis celebrare Cellis. Solum optimus Pontifex contrarias voluit ſubvertere conſuetudines, de quibus locutus eſt illis verbis: *Remota quocunque in contrarium conſuetudine etiam immemorabili*; & nihil de privilegiis addidit. Ingenue autem fateor privilegium noſtrum maxime coarctatum remanſiſſe in Decreto Concilii R. ſub Benedicto XIII. celebrati Anno 1725., in quo Tit. 15. cap. 2. jubetur Epiſcopis publicare Conſtitutiones Innocentii, & Benedicti, *cuivis inſuper in privatis, ubi dormiri ſolet, cubiculis celebrandi facultate ſublata*; & curare, ut hæc omnia Statuta *ab omnibus Regularibus præſertim* ſerventur, *INDULTIS, aut conſuetudinibus quibuſcunque non obſtantibus*. In eo igitur tantum caſu perſeverare Pianum Privilegium cenſeo, quoties infirmus Ordinis noſtræ Congregationis duo cubicula ſibi deputata habuerit, in quorum uno dormire, in altero ſtudiis, aliiſque exercitiis vacare ſoleat: in hac enim circumſtantia & Benedicti XIII. exacte ſtatuta cuſtodiuntur, & in aliquo vigore Pianum Privilegium conſervatur. Ita plane, nec aliter propriæ ferventi devotioni ſatisfieri ſtuduerat ſingularis pietatis, abſtinentiæ, & ſolitudinis cultor Calliſtus Magnoni Vercellenſis noſtræ Congregationis olim Generalis Abbas. Hic enim cum poſt gravem annis 84. ſenectam ultima infirmitate laboraret in hac Urbis noſtra Canonica exeunte Anno 1742.; ut erat amantiſſimus Sacrificii, & Communionis Euchariſticæ, ita ſedulus obſervator Pontificiorum Decretorum de ſuperſtite Piano Privilegio participavit non ſemel a me celebrato Sacrificio in cubiculo, in quo nullus dormire ſolebat.

XVII. An vero unquam Moniales Congregationis uſæ fuerint eodem Privilegio, quod expreſſe Perſonas *utriuſque Sexus* reſpiciebat? ignoro. Scio tamen, quod poſt Concilium Tridentinum aliquando cum aliis quoque Monialibus diſpenſatum fuit in Sacrificio cubiculari cauſſa infirmitatis: Nam in Majo Bollandiano ad Diem 28. in Vita Vener. Mariæ Bagneſiæ Ord. S. Dominici ſcripta ab Alexandro Capoccio ejuſdem Ordinis, qui a Confeſſionibus Virginis fuerat, in Supplemento I. num 61. ſequentia invenio; *Erectum eſt ejus in Camera Altare ornatum quibuſdam ſimpliciſſimis figuris*; *adeo ut eadem Camera non videretur eſſe infirmæ cubile, ſed devotiſſimum Oratorium, vel Eccleſiola: Ibique miniſtrabantur ei Sacramenta. Obtinuerat enim facultatem, ut uſque ad Diem mortis ſuæ ibi celebrari* [poſſet] *Miſſa cum bona venia Superiorum.* Obiit Vener. Virgo Anno 1577. Quid ſimile potuerant agere etiam devotæ infirmæ Sacræ Virgines Congregationis noſtræ impetrato Pii IV. Privilegio. Quare autem iſtæ ab exercitio Apoſtolicæ conceſſionis abſtinuerint, ſatis præcedenti Opere Cap. 19. n. 6. declaravimus.

XVIII. Alterum Privilegium utendi Altari Portatili poſt Concilium Tri-

den-

dentinum, ut ſupra indicavimus, conceſſit Gregorius XIII. Die 1. Octob. Anno 1579. Patribus Societatis Jeſu, quibus illius *uſum eatenus* reſtituit; *ut inter Miſſiones, quæ a Superioribus fiunt, Presbyteri veſtri... Miſſæ Sacrificium licitæ valeant celebrare ſuper hujuſmodi Altari ubique gentium, etiam in Caſtris Militum, modo loca etſi communia, & prophana, tuta, & honeſta ſint: & Generalis, aut per eum Provinciales Præpoſiti eo tum utendum fore judicaverint. Itidemque poſſint ibi Presbyteri ipſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare Fidelibus ad illud ſumendum debite præparatis*. Hoc privilegium valde amplum, quia ad omnem Orbem extenditur, & ſine illius Loci limitatione, eſt perſonale, ut obſervant Suarez in 3. Par. D. Thomæ Diſp. 81. Sect. 3., & Palaus Tract. 22. Diſp. unica Punct. 8. num. 9., ideſt ad Presbyteros Societatis reſtringitur; & ad tempus Miſſionis; & de licentia P. Generalis, aut Præpoſiti Provincialis. Communicabile autem eſſe aliis Regularibus in Privilegiis Societatis communicantibus tradit Lezana Tom. 1. Quæſt. Regular. cap. 21. n. 14.

XIX. Tertium Privilegium Patribus Prædicatoribus Provinciæ Poloniæ diſpenſatum fuit a Gregorio XIII. Anno 1580. quod cap. 10. num. 21. recitavimus Quartum obtinuerunt Carmelitæ Diſcalceati Congregationis Italiæ a Clemente VIII., cujus verba refert Paſſarinus Tom. 3. de Statu Hom. quæſt. 189. art. 10. num. 987. *Altaria Portatilia cum debitis honore, & reverentia habere, & ſuper illis, in quibuslibet Locis, decentibus tamen, & honeſtis, & ab omnibus actibus humanis ſejunctis, & remotis Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium etiam ante lucem* celebrare poſſent. Quintum Privilegium dedit Urbanus VIII. Die 20. Januar. Anno 1626. Fratribus Diſcalceatis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, uſum Altaris Portatilis concedens, *ſuper quo in Locis Africæ dumtaxat, honeſtis tamen, & congruis, etiam non ſacratis... Miſſas celebrare* poſſent. Hæc ſunt Privilegia mihi nota Regularibus poſt Concilium Tridentinum conceſſa Aræ Viaticæ; de quibus participabunt omnes alii, qui mutuam Privilegiorum communicationem ex Apoſtolica indulgentia impetraverunt; quin tamen unquam extra caſus, & circumſtantias in Pontificiis Diplomatibus expreſſas eadem protendantur.

XX. Si autem Privilegiati Regulares intra debitos limites in Apoſtolicis conceſſionibus præfixos ſeſe cohibuerint, nullus prudens reſiſtet; ne illis injuſta moleſtia inferatur. Huc pertinet ſupplex Libellus Tomo 209. *Poſition.* fol. 107. S. Congreg. Concilii inſertus, qui ita ſe habet.

Eminentiſſ., e Reverendiſſ. Signori.

Li Padri della Compagnia di Gesù della Provincia del Perù hanno ottenuto dalla S. Sede Apoſtolica privilegio dell' Altare portatile in tempo, che vanno nelle ſolite Miſſioni in quel Regno; e ſono ſtati in poſſeſſo molto tempo per tutto il Regno del Perù, e perchè nuovamente il Commiſſario della Cruciada oſta di fatto l'uſo di detti Altari portatili ſenza riſguardo al gran frutto ſpirituale, che dalla detta Miſſione ne proviene... Si ſupplica dalle VV. EE. ſi degnino commandare con cenſure, e pene graviſſime ipſo facto incurrendæ *a detto Commiſſario, e ſuoi Miniſtri non s'intrometta in queſte coſe; anzi debba liberamente laſciar fare dette Miſſioni dandoli ajuto, e favore in quello che biſognerà. Che &c.* His precibus Die 18. Martii 1634. Sac. Congregatio, ut ad calcem Libelli legitur ita reſpondit: *Quatenus Oratores habeant ſuppoſita privilegia a Sede Apoſtolica conceſſa, ea eſſe omnino obſervanda; illorumque uſum, & executionem impediri non poſſe.*

CAPUT XIV.

De Privilegiis Altaris Portatilis, quæ a Romano Pontifice conceduntur Itinerantibus, & Infirmis.

I. PRUDENTISSIMAM moderationem, quæ decet Sacrorum Canonum Cuſtodes, ac Summos Eccleſiæ Paſtores, RR. Pontifices in diſpenſatione Privilegiorum Miſſas celebrandi ſuper Aras Viaticas extra Oratoria approbata, atque ſpecialius Divinis addicta Obſequiis ſervaverunt. Rariſſime ſane hujuſcemodi Pontificiæ conceſſiones datæ fuerunt; quod etiam in Regeſtis Apoſtol. Brevium poſt Concilium Tridentinum adverti. Imo cum inter Privilegia a Leone X. Anno 1514. conceſſa Hoſpitali erecto in Oppido de Utrera Diœceſis Hiſpalenſis, & poſtea confirmata a Paulo III., ac ſubinde a Pio IV. Anno 1561. eſſent quædam pro uſu Altaris potatilis in Hoſpitali erigendi, aut etiam pro Confratribus, & Patronis, ac Officialibus dicti Hoſpitalis extra idem Oppidum immorantibus; Clemens VIII. Anno 1598. confirmavit *cum clauſula, quæ Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis non repugnarent*; ut ita uſus Aræ Viaticæ deleretur. Id in Libro 27. Decret. Sac. Congr. Concilii fol. 505. fuſe deſcribitur; & approbatio limitata Clementis VIII. fol. 528. recitatur.

II. Eundem juſtum rigorem ſervaſſe S. Congregationem Concilii in Libris *Poſitionum* non ſemel adverti. Ita Lib. 35. fol. 718. cùm Decanus Cathedralis Cracovienſis quinquagenarius, podagracus, & male affectus exoraſſet Clementem VIII. pro facultate domeſtici Sacrificii, & uſus Altaris portatilis occaſione itinerum; S. Congregatio ſupplici Libello reſpondit: *Si Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit, eſſe dumtaxat concedendam licentiam celebrandi, & celebrari faciendi Domi ſuæ, in Loco tamen decenti, viſitando, & approbando ab Ordinario.* Aliud exemplum profero ex Lib. 9. fol. 171., ubi inſeruntur preces cujuſdam Ducis valde potentis in Regno Portugalliæ, quibus inter alia quarto loco poſtulabat facultatem *di poter tenere Altare portatile, dove poſſino far celebrare la Santa Meſſa, ancorchè ſia per mezz' ora avanti l' Aurora, & una poi del mezzo giorno da qualſivoglia Prete Secolare, ovvero Regolare, e ſtarci con tutte le Perſone delle loro Caſe, e Familia preſenti alla celebrazione di dette Meſſe.* At vero Card. Mathei S. Congregationis Præfectus, cum ad finem Libelli adnotaſſet propria manu concedi tres alias facultates ab Oratore aptatas, ſubdit *quartum minime eſſe concedendum.* Tertio denique ſupplicem Libellum profero ex eodem Codice fol. 179., unde pateat quanta cautela, ac rigore etiam in Locis, in quibus non ita frequentes ſunt Eccleſiæ, Privilegium Altaris Viatici ubicunque erigendi concederetur.

Beatiſsimo Padre.

N. N. umiliſs. Servitore della S. V. Vice-Cancelliere del Gran Ducato di Lituania la ſupplica fargli grazia, che andando in volta per quelli Paeſi, come che piùvolte non ſi ritrovano Chieſe per potere celebrare la S. Meſſa, che i ſuoi Capellani la poſſino celebrare ove ſi ritrovaranno, acciò non ſij privo delle conſola-

ſola-

ſolazioni ſpirituali in ſimili viaggi, ed occaſioni, & ordinarſi a Monſig. Veſtrio (Erat iſte a Secretis Brevium Apoſtolicorum ſub Clemente VIII.) *Breve, che ſarà à lode del Signore; à conſolazione di detto N., e Suoi, e pregheranno per longa vita, e contento di V. Santità.* Libellum de more expendit S. Congregatio, quæ, ut in calce illius legitur, *cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino N. placuerit, poſſe concedi, pro ipſo tantum, non tamen pro Succeſſoribus, dummodo ſi fuerit in Loco, in quo extet Eccleſia, ad illam accedat; & quatenus non extiterit, in Loco decenti celebretur.* Addit Cardinalis Mathei; *Feci verbum cum Sanctiſſimo D. N., qui mandavit expediri per Breve juxta Decretum Congregationis.*

III. Ex his apparet prius olim conſueviſſe ad S. Congregationem Concilii deferri, & ab ea examinari preces, quæ pro facultate Sacrificii ſuper Altare portatile extra Oratoria ad R. Pontificem mittebantur. Quin etiam hanc conſuetudinem retentam adverti, etſi Oratores eximiis prærogativis fulgerent. Hinc Lib. 18. *Poſition.* fol. 701. extat Summarium precum, quas Regina Poloniæ fuderat petens 1. *Ut poſſit facere celebrare Miſſas in Loco honeſto ſuper Altari portatili. Sæpe enim ob infirmitatem, vel alias cauſſas ipſa, vel Liberi ejus ad Templum ire non poſſunt. 2. Ut ſuper Altare portatile poſſit facere celebrare Miſſas pro infirmis in Aula qui periculoſe decumbunt. Sæpe enim Parochi ignari ſunt Linguæ Germanicæ, & Confeſſiones propterea audire nequeunt Germanorum, qui Reginæ inſerviunt; & aliquando tam longe diſtant ab Aula, & cum difficultate haberi poſſint.* Has preces expendit Sac. Congregatio, & ut ibidem ſubditur, *ad 1. cenſuit ſi Sanctiſſimo viſum fuerit, eſſe concedendum, ut in Loco decenti ſuper Altare portatile celebrari poſſit pro Regina dumtaxat, & Liberis ejus. Ad 2. eſſe concedendum, dummodo tamen celebretur in Loco decenti, & pro infirmis tantum, qui periculoſe decumbunt.*

IV. Etſi vero ad majorem cuſtodiam Tridentinæ Legis vetantis Sacrificium offerri extra idonea Oratoria approbata difficile RR. Pontifices uſum Aræ Portatilis conceſſerint; difficilius tamen privilegium ejuſdem Altaris Portatilis in propria domo erigendi extra Oratorium ab Ordinario approbatum dedere. Hanc facultatem unice propemodum Magni Principes, ac Principiſſæ obtinuerunt; eamque nonniſi quando vel infirmitate, vel aliis graviſſimis ex cauſſis e proprio cubiculo exire, aut ad idoneum Oratorium accedere non poterant. Aliquot hujuſmodi privilegia videre licuit; ac præcipue duo a Paulo P. V. conceſſa, quibus lubet has paginas exornare. En ergo primum; in quo ſimul plura concedebantur.

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ Annæ Ungariæ, & Bohemiæ Reginæ in Imperatricem electæ.

PAULUS PP. V.

Chariſſima in Chriſto Filia Noſtra Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Eximiis Majeſtatis Tuæ meritis, ac noſtra in Te paterna Charitate inducimur, ut ea, quæ ſpirituali Conſolationi Tuæ, & Corporis valetudini cadere poſſunt, Tibi liberrime concedamus. Supplicationibus itaque Majeſtatis Tuæ, ut Altare Portatile, debitis tamen cum honore, & reverentia habere, & ſuper eo Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium per quemcumque Sacerdotem approbatum Secularem, ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem in Locis ad id congruis, & decentibus in Tua, ac Familiæ Tuæ præſentia celebrari facere: nec non (additur diſpenſatio ad eſum carnium, & ovorum diebus eſurialibus de conſilio utriuſque Medici.) *Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium facultatem concedimus. Non obſtantibus . . . Conſtitutionibus . . cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum die 20. Decemb. 1614.*

Aliud

V. Alud privilegium ab eodem Pontifice conceſſum ita ſe habet.

Dilecto Filio Nobili Viro Coſmo Medices Hetruriæ ſibi ſubiectæ Magno Duci, ac Dilectis in Chriſto Filiabus Mulieribus Chriſtierna a Lotharingia Viduæ, nec non Mariæ Magdalenæ ab Auſtria Magnis Duciſſis.

PAULUS PP. V.

Dilecte Fili Nobilis Vir, & Dilectæ in Chriſto Filiæ Nobiles Mulieres Salut., & Apoſtol. Benediction. Eximia Nobilitatum Veſtrarum erga Nos, & Apoſtolicam Sedem devotio, aliaque merita poſtulant, ut veſtris piis deſideriis, quantum cum Domino poſſumus, libenter annuentes Apoſtolicæ Benignitatis favore illas proſequamur. Itaque ſupplicationibus Veſtro Nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, Vobis omnibus, & ſingulis, ut in Loco decenti, & ornato, ab omnibus aliis uſibus libero ſuper Altari Portatili ubivis Locorum Vos commorari contigerit; ac etiam in proprio cubiculo, quotieſcumque tamen urgenti neceſſitate impediti fueritis, vel aliquis Veſtrum impeditos fuerit, ita ut ex eo egredi nullo modo poſſitis, ſeu aliquis Veſtrum poſſit, & non alias, quanta cum majori reverentia fieri poterit Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium per idoneos Sacerdotes celebrari facere, illique intereſſe libere, & licite valeatis, & quilibet Veſtrum valeat, Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium facultatem concedimus. Non obſtantibus &c. Datum Romæ apud S. Marcum die 12. Junii 1609. Anno V.

Simile privilegium pro Joanna Magna Duciſſa Etruriæ, videlicet celebrari faciendi Miſſam in cubiculo tempore puerperii conceſſiſſe S. Pium Menſe Octobri Anno 1571. in Brevium Regeſtis adverti.

VI. Eandem pene ſeveritatem in concedenda facultate erigendi Altare Portatile extra Oratoria ab Ordinario approbata deinceps quoque adhibuerunt Romani Pontifices, qui proinde non ſolent eam ulli Nuncio delegare, illo excepto, qui ad Regis Poloniæ Aulam mittitur, cui propter ſingulares illarum Regionum circumſtantias valde opportuna videtur hæc delegata poteſtas, etſi intra certum numerum Indultorum durante ſuo munere concedendorum cohibeatur. Imo raro ipſi Romani Pontifices, nec niſi valde gravibus cauſſis moventibus, & in defectu Oratoriorum privilegium ſuper Altare Portatile quocumque Loco congruo, & honeſto Miſſas celebrari faciendi elargiuntur. Tantam facultatis amplitudinem neque etiam ſuis Germanis Pontifex elargitur; quibus tantum concedit cauſſa itineris in privatis, & approbatis domorum Oratoriis celebrari facere, cum in eis hoſpitantur. Inter illos autem, qui ab Apoſtolica Sede privilegia celebrandi ſuper Altare Portatile obtinent, ii præcipue ſunt, qui in Terris Infidelium, vel Hæreticorum, in quibus publica Catholicæ Religionis exercitia ab impietate, & tyrannide malorum Principum non permittuntur, degentes, aut Apoſtolici Miniſterii officio occupati, aliter nequeunt Euchariſtici Sacrificii, & Sacramenti participes fieri. Hac facultate a R. Pontifice muniuntur Præfecti, Vicariique Sacrarum Miſſionum in variis Orbis Partibus a S. Congregatione *de Propaganda Fide* deputati, ut ipſorum vigilantiæ incumbat advertere, quibus Miſſionariis pro Locorum, Temporum, & Perſonarum cicumſtantiis Miſſas ſuper Altare Viaticum concedere expediat. Tam caute videlicet ſe gerunt RR. Pontifices, ut neque promiſcue omnibus Apoſtolicæ Prædicationis Miniſtris ad Infideles, atque Hæreticos proficiſcentibus velint ſpecialem tradere licentiam Altaris portatilis; ſed malint ſingulos ſubijcere propriis Provinciarum, Regionumque Præfectis Miſſionis; quia hoc modo minora prudenter timentur futura pericula prophanationis Sacrificii, quæ alias forte irreperent, ſi paſſim ſingulis Miſſionariis tribuerentur.

VII. Aliis

VII. Aliis quibuſdam Sacerdotibus. aut Laicis itinerantibus etiam in Provinciis, Regniſque Chriſtianorum Principum aliquando R. Pontifex conſimilia Privilegia celebrari faciendi ſuper Aras Viaticas elargitur. Verum dum iſtorum devotioni conſulit, atque ſingulari pietati, qui valde gravem moleſtiam tolerarent, ſi vel ad Eccleſias accedere deberent, vel Sacrificio ob defectum Eccleſiarum ſæpius carere cogerentur; ſimul attente reſpicit ad Oratorium conditionem, ac Provinciarum, per quas iter ſuſcipitur, qualitates, ne ſine diſcretione conceſſum privilegium & careat gravi fundamento ad illius elargitionem; & obnoxium reddatur periculo irreverentiæ erga Sanctiſs. Sacramentum. Hinc pro illis Regionibus, in quibus frequenter publica adſunt Oratoria, ac Viatoribus commoda, rariſſime Indultum Apoſtolicum conceditur. Si vero aliquando aliæ graves cauſſæ moverint Pontificis animum, tunc ſimul reſpicit ad dignitatem, Officia, ac pietatem Supplicantium Perſonarum; quatenus dum Oratoris multa ſunt merita, etiam nulla prudenter ſuſpicionis occaſio ingeritur, quod ullus ſit futurus apoſtolicæ conceſſionis abuſus.

VIII. Inter Privilegia a RR. Pontificibus conceſſa Itinerantibus ſingulare valde eſt, quod Clemens XII. P. ad ſupplicationem Magni Regis Luſitaniæ Joannis V. Anno 1738. die 14. Maii diſpenſavit *Modernis, & pro tempore exiſtentibus Dignitatibus, & Canonicis* Patriarchalis Eccleſiæ Ulixiponenſis; nempe *ut in itineribus per Portugalliæ, & Algarbiorum Regna per ipſos faciendis Altare Portatile, debitis tamen cum honore, & reverentia habere; ac ſuper eo, ubi Eccleſiarum commoditas defuerit, & in caſu neceſſitatis tantum per ſe ipſos, ſeu per quoſcumque Sacerdotes approbatos Seculares, ſeu Regulares Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium in Locis ad id congruis, & decentibus in ſua, ac Familiæ ſuæ, nec non aliorum, qui eos comitati fuerint; & quotquot illarum Partium habitatores adeſſe evenerit præſentia celebrari facere libere pariter, & licite poſſint, & valeant; ac quilibet eorum poſſit, & valeat.* Alterum Privilegium etiam ſingulare conceſſit Benedictus XIV. P. Anno 1741. die 28. Aprilis Confratribus Venerab. Archiconfraternitatis Sancti Joannis Decollati Nationis Florentinæ de Urbe, qui inter alia multa merita, ac Chriſtianæ pietatis officia in eo maxime inſudant tum in Urbe, cum extra, ut damnatis propter ſcelera per Vindicis Juſtitiæ tramitem ad ultimum ſupplicium *non ſine magnis ſumptibus, & cum bono omnium exemplo* aſſiſtant patientiſſime, & ad veram pœnitentiam trahere enixe ſtudeant. His itaque, cum *extra Urbem* vocantur *occaſione aſſiſtendi Reis morte tradendis*, facultatem tradidit *extra Urbem Altare Portatile in Locis ad id congruis, & decentibus ſibi beneviſis erigendi, ac ſuper eo Miſſam etiam per duas horas dumtaxat ante auroram, &* per horam *tantum poſt meridiem celebrari faciendi*. Plurimum autem admiratus ſum ſagaciſſimam prudentiam Magni Pontificis, quod in eadem ipſa Conſtitut., quæ incipit *Chriſtianæ Pietatis*, in qua prædictum elargitur Privilegium; dum confirmaret alia multa privilegia laudatis Confratribus antea a RR. Pontificibus conceſſa; noluit tamen in ſua amplitudine confirmare illud, quod ad Uſum Altaris Portatilis cauſſa infirmitatis reſpiciebat: Cum enim adverteret jam non pauca ſuboriri poſſe incommoda, ſi generatim omnibus Confratribus ſine diſcrimine ad prædictum finem Altaris Portatilis uſus concederetur; propterea expreſſe priſtinas facultates huc reſpicientes coarctavit; & intra hos limites redegit dicens: *Licentia tamen, & facultate celebrari faciendi in privatis domorum ſuæ habitationis in caſu infirmitatis Confratribus præfatis a Pio IV. conceſſa, & a Pio V. Prædeceſſoribus prædictis*

con-

confirmata dumtaxat excepta; quam ut quilibet ex dictis Confratribus in caſu infirmitatis hujuſmodi a Nobis, ſeu Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus petere debeat, volumus, & decernimus.

IX. Cauſſa infirmitatis raro pariter facultas in domibus Laicornm celebrandi conceditur extra domeſticum ipſorum Oratorium antea ex Apoſtolico Indulto ab Ordinariis Locorum conceſſo. Si tamen aliquibus magne Nobilitatis, ac Dignitatis Viris e proprio cubiculo propter gravem infirmitatem exire non valentibus datur numquam tamen eiſdem permittitur Sacrificium ſuper Altare portatile intra cubiculum ipſum offerri, in quo lecto decumbunt. Tam ampla facultas, ſi aliquando conceditur, unice reſervatur ad uberiorem ſpiritualem conſolationem Magnorum Principum, atque Principiſſarum. Hujuſmodi privilegium a Benedicto XIV Pont. Opt. Max. die 10. Maii Anno 1742. Magnæ Principiſſæ conceſſum fuiſſe novi, videlicet *ut ſuper Altari Portatili in proprio cubiculo, quotieſcumque tamen e cubiculo, prædicto ob infirmitatem aliquam egredi non poſſet, & non alias, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, quanta cum majori fieri poterit reverentia per idoneos Sacerdotes celebrari facere, illique intereſſe libere, & licite valeret.*

X. Formula autem Privilegii, qui nunc ſolent a R. Pontifice diſpenſari Privilegia Altaris portatilis cauſſa infirmitatis, ita ſe habet.

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte Fili Salutem &c. Cum ſicut Nobis nuper exponi feciſti, Tu, qui, ut aſſeris, Nobilis &c. exiſtis, propter nonnullas graviſſimas, & periculoſas corporis infirmitates, quas pateris, e cubiculo tuo in Civitate N., (vel *in Oppido Diœceſis N.*) *egredi, & ad Capellam Palatii tui, in qua Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium de Sedis Apoſtolicæ licentia celebratur, accedere nequens: Nos ſpirituali conſolationi tuæ, quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere, Teque ſpecialis favore gratiæ proſequi valentes, & a quibuſvis Cenſuris abſolventes.... ſuplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, ut in aliqua manſione cubiculo tuo vicina, decenter ornata, & ab omnibus domeſticis uſibus libera, unam Miſſam pro unoquoque die, quo propter corporis infirmitates hujuſmodi cubiculo tuo egredi non poteris, ſuper Altari Portatili per quemcumque Sacerdotem Secularem approbatum, ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem, quanta majori fieri poterit reverentia, celebrari facere, illamque per feneſtram, ſeu cancellos audire, ſine tamen ullo Jurium Parochialium præjudicio, libere, & licite valeas, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum &c.*

XI. In exemplum Formulæ privilegii, quo itineris cauſſa Altaris portatilis uſus conceditur, profero ſequentes Litteras Apoſtolicas.

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſt. Benedictionem. Religionis zelus, vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur: Cum itaque ſicut pro parte tua Nobis nuper expoſitum fuit, tu qui, (ut aſſeris) Presbyter Congregationis Miſſionis, & in Domo Regulari dictæ Congregationis in Civitate Varſavienſi fundata degis, ut Brefotrophium, ſive Curotrophium Puerorum expoſitorum, ſeu projectorum in dicta Civitate erigere, & omnibus ſuis numeris abſolvere valeas, varia itinera per Poloniam peragere debeas, cupiaſque propterea opportune Tibi in præmiſſis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri; Nos ſpirituali conſolationi tuæ, quantum cum Domino poſſumus benigne conſule-

ſulere, teque ſpecialibus fovoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis ... Cenſuris ... ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis ad effectum præſentium dumtaxat conſequendarum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; tibi ut donec Breſotrophium, ſeu Curotrophium ſupradictum abſolutum non fuerit, tuque illius fundationis ratione itinera peragere debeas, in itinere prædicto per Te per Poloniam pro tempore faciendo Altare Portatile, debitis tamen cum honore, & reverentia habere; ac ſuper eo, ubi Eccleſiarum commoditas defuerit, & in caſu neceſſitatis tantum; Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium in locis ad id congruis, & decentibus in eorum tecum comitantium præſentia celebrare libere, & licite poſſis, & valeas Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus; non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 24. Jan. 1744.

XII. Concinit formula hujuſmodi cum ſimilibus Indultis, quæ Nobilibus Viris Laicis conceduntur. Apud me habeo apographum Privilegium duobus conjugibus Polonis ab Innocentio X. P. Anno 1651. die 23. Decembris conceſſum, cujus normam adhuc ſequuntur RR. Pontifices, quodque integre concordat cum deſcripto privilegio. Lubet hoc ipſum indultum recitare; unde prædicta conformitas clare pateat. Ita ergo ſe habet.

Dilecto Filio N. N., & dilectæ in Chriſto Filiæ N. Modernæ ejus Conjugi Nobilibus Polonis.

INNOCENTIUS PP. X.

Dilecte Fili, & dilecta in Chriſto Filia Salut. &c. Spirituali conſolationi veſtræ, quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere &c. volentes ... Vobis, qui, ut aſſeritis, de Nobili Genere procreati exiſtitis, ut in itinere per Vos in Regno Poloniæ pro tempore faciendo Altare Portatile ... habere, ac ſuper eo ... in Veſtra, & Familiæ veſtræ præſentia celebrari facere libere, & licite poſſitis, & valeatis; ac quilibet Veſtrum poſſit, & valeat, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus &c.

Deſcribit Ciampinus de Abbreviat. Orig. cap. 18. pag. 113. alteram Privilegii hujuſmodi formulam a R. Pontifice uſurpatam, quæ ſi bene ponderatur, cum recitata concinit; quoniam etiam in illa cauſſa movens exprimebatur. Nolo eam præterire, & ita ſe habebat;

Dilecto Filio Nobili Viro N. N. Diœceſis N. Salut. &c. Sinceræ devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geris Eccleſiam, non indigne meretur, ut petitionibus tuis, illis præſertim, quas ex devotionis fervore procedere conſpicimus, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod Nos tuis devotis ſupplicationibus inclinati, ut liceat tibi habere Altare Portatile cum debita reverentia, & honore, ſuper quo in Locis ad hoc congruentibus, & honeſtis poſſis per proprium Sacerdotem idoneum Miſſam, & alia Divina Officia, ſine Juris alicujus præjudicio, & in tua præſentia facere celebrari, devotioni tuæ tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo &c.

CAPUT XV.

Exponuntur Privilegia Pontificia pro Uſu Altaris Portatilis.

I. AD expoſitionem Apoſtolicorum Privilegiorum, quæ pro Miſſis celebrandis ſuper Altare Portatile conceduntur, pauca addere operæ pretium eſt, cum multa, quæ diximus in expoſitione alterius Privilegii pro Oratorio privato etiam huc revocari poſſint. In primis ergo ſupponitur vera cauſſa motiva ad valorem Indulti; ita ut niſi vel iter, vel infirmitas prohibens egreſſum e cubiculo cum nobilitate, aut aliis requiſitis ex parte Supplicantis revera nitantur, nullatenus Pontificiæ conceſſionis effectus obtineri valeat. Dum enim falſo motivo a Superiore impetratur Privilegium a Legis obſervantia eximens, vitio ſubreptionis gratia inquinatur, omnique robore deſtituitur. Similiter ubi cauſſa movens ceſſaverit, ſimul ceſſat privilegium, quod non minus illam ſupponit, & exigit, ut vim ſuam primo exerat, quam ut deinceps de ejuſdem largitate Privilegiatus gaudere valeat. Hinc ſi nobilitas ſupponatur in Oratore, & iſta deturpata amitteretur, ſimul etiam abſtinere ſe oporteret a facultate utendi Ara Viatica, quamvis adhuc occaſio itineris perſeveraret. Quamobrem cum Benedictus XIV. P. ad privilegium, de quo agimus, concedendum illi Preſbytero Congregationis Miſſionis motus eſſet, non tantum ipſius pietatis teſtimonio, ſed ſimul ex munere, quo fungitur in Curotrophio Puerorum expoſitorum, aperte declaravit ſuam conceſſionem eo uſque tantum extendi, *donec Curotrophium ſupradictum abſolveretur*.

II. Perſeverantia cauſſæ motivæ multo magis exigitur ad durationem Privilegii Altaris Portatilis, quod ob infirmitatem conceſſum fuerit. Certe irrationabilis omnino evaderet gratia, & magna irreverentiæ crimina committerentur erga Dignitatem Sacroſanctæ Euchariſticæ Hoſtiæ, ſi nulla gravi cauſſa movente extra Loca divino tantum cultui deputata Sacrificium perageretur. Quare expreſſe limitatur facultas ad certum tempus, quo durat infirmitas; ex qua prudenter timeatur grave incommodum omnino ſecuturum, quoties e proprio cubiculo Infirmus Privilegiatus ad Oratorium Domeſticum cauſſa Sacrificii accedere cogeretur. Etiam in Privilegio conceſſo piiſſimæ Principiſſæ ſuperius recitato reſtringitur facultas ad illud tempus, in quo *e cubiculo* proprio *ob infirmitatem aliquam egredi* non poterat; *& non alias*: Ita ut prudentiſſimus Pontifex non permiſerit cubiculariam celebrationem, quoties Infirmitas ſineret accedere ad Oratorium privatum, & approbatum, in quo ſane decentius Miſſa celebratur.

III. Unicum porro tantum Sacrificium quotidie peragendum in privilegio Altaris Portatilis conceditur, ſicut expreſſe in deſcripta formula apparet. Imo licet nulla expreſſa fiat limitatio unius Miſsæ, ſatis iſta reſtrictio detegitur conceſſionis fine perpenſo, qui eo reſpicit, ut cum Pius Orator propriis ſpiritualibus votis in Eccleſia ſatisfacere nequeat, ſaltem id alio Loco per exercitium impetrati Indulti conſequatur. Profecto nimis excedere videretur, & ſine legitima cauſa, Privilegii amplitudo, ſi paſſim pluralitas Miſsarum in cubiculis celebrari ſineretur; cum aliunde rariſſime pro ſingulis die-

bus etiam in Oratoriis privatis ad duplex Sacrificium licentia extendatur. Evidenter eadem limitatio detegitur, quando Sacerdoti indulgetur hujuſcemodi facultas; nam expreſſe determinatur ad Miſſam per ipſum faciendam; ſicut legitur in Apoſtolico Diplomate num. 11., & ſimilibus, quæ Miſſionariis Apoſtolicis conceduntur. Imoetiam in Ampliori Privilegio Canonicis Ulixipponenſibus conceſſo limitatur Miſſarum celebratio, ſive *per ſe ipſos*, *SEU per quoſcumque Sacerdotes* peragenda. Emicat quidem in iſto uberior Pontificiæ conceſſionis largitas, minime coarctans inſignes illos Canonicos, ut Miſſam *per ſe ipſos* celebrent; at vero ſimul disjunctivam particulam *ſeu* addens; propter quam inferretur, tunc ſolum alium advocari poſſe Sacerdotem celebraturum, quando Privilegiatus abſtinere ſe a Sacrificio eligeret.

IV. Circa dies, in quibus licita conceditur in Privilegio ſacra oblatio ſuper Aram Viaticam, nullam lego limitationem Feſtorum; quam non prætermitteret Pontifex, ſi aliquando gratiæ exercitium ſuſpendi voluiſſet. Imo aperte ait concedere *unam Miſſam pro unoquoque die*. Hæc dierum illimitatio opportune a Benignitate Apoſtolica relinquitur; quoniam finis ipſe, propter quem uſus Aræ Viaticæ traditur, ſæpe exigit, ut etiam in Solemnioribus Diebus exerceatur; ne in tanta Feſtorum Solemnitate compellantur carere Privilegiati Sacrificio, cui in Eccleſiis aſſiſtere non poſſunt. Imo arbitrarer, quod etſi in triduo majoris hebdomadæ ob generales eccleſiaſticas conſuetudines a privilegii uſu abſtinere oporteat; tamen ſi Feria V. in Cœna Domini Feſtum Annunciationis M. Virginis, aut ejus Sponſi concurreret, poſſet exequi Privilegium; cum aliter Præceptum Eccleſiaſticum impleri nequiret.

V. Dum vero permittitur Sacrificii oblatio facienda per quemcumque Sacerdotem, nec limitatur ad Sacerdotem Privilegiatum; non videtur mihi liberum qualemcumque Secularem, etiam non approbatum ab Ordinario, aut Regularem repugnante ipſius Superiore advocare. Etenim, quæ ratio Pontificem in privilegiis Miſſarum intra privata Oratoria agendarum movet ad exigendam Sacerdotis celebrantis approbationem, ſimul pro privilegiis Aræ Viaticæ urget; ſecus cum dedecore Sacrificii, & ſpretu Diœceſani, Sacerdotes quantumvis ſuſpenſi ad divinum Opus ſuper Aram Viaticam complendum adhiberi poſſent; quod aſſerere turpe eſt. Quocirca ſæpe in Litteris Apoſtolicis exigitur Sacerdos *idoneus*; imo in privilegiis, quæ cauſa infirmitatis conceduntur, expreſſe ſupponitur approbatio Sacerdotis celebraturi; & Clemens XII. in privilegio Ulixipponenſium Canonicorum requirit Sacerdotes *approbatos Seculares, & Regulares*; eodem modo, *ut prædicitur* in ipſa Conſtitutione, quæ antea agens de privilegio celebrationis in privatis Oratoriis *eorumdem Canonicorum* in Celebrante Sacerdote Seculari approbationem ab Ordinario, in Regulari licentiam a ſuo Superiore expoſtulat. Cæterum arbitror, quod ſi Sacerdos celebraturus comitaretur Privilegiatum, & alias non eſſet aut ſuſpenſus, aut incapax Sacrificii offerendi, tunc ſine ſpeciali approbatione Ordinarii Loci poſſe ab eodem ſuper Altare Viaticum Miſſam celebrare; alias nimis moleſtum foret, imo non raro inutile privilegium evaderet, ſi ad Loci Ordinarium pro ſpeciali approbatione Celebrantis confugere oporteret. Ut enim Privilegiatus Sacerdos poteſt per ſe ipſum privilegio uti abſque illa ſpeciali approbatione; ita poſſet alter Sacerdos itineris comes, qui alias proprii Ordinarii judicio eſſet *idoneus*.

VI. Exercitium Privilegii Altaris Viatici Itinerantibus conceſſi ſpeciales habet coarctationes, & in primis reſpectu Regionis; ita ut ad determina-

tas Provincias, pro quibus iter ſuſcipitur, aut Apoſtolicæ Miniſterium Miſſionis, limitari ſoleat. Pene tantum Epiſcopi gaudent illimitata facultate Altare Viaticum cauſſa itineris ubique erigendi: Aliis autem pro certis Regnis, ac Ditionibus Indultum limitatur. Hinc in privilegiis recitatis ſolum ad Regna Portugalliæ, & Algarbiorum, & ad Poloniæ Regnum facultas extenditur. In reliquis vero intra ſolam Germaniam, Daniam, ſimileſque Regiones choibetur. Limitatur inſuper reſpectu durationis cauſſæ moventis, de quâ ſupra locuti fuimus. Addimus autem hic, quod Privilegium cauſſa Itineris, aut Sacræ Miſſionis conceſſum ad ſui executionem poſtulat, ut actu iter conficiatur, aut munus Apoſtolatus exerceatur. Hinc in Loco ſuæ habitationis, quamvis ſit intra fines Provinciæ, ad quam amplitudo Indulti extenditur, Privilegiatus Ara Viatica uti non poſſet. Similiter Miſſionarius in deſignata Regione iter agens ob alios fines, quam cauſſa prædicationis Indulto non gauderet, quoties ob meram occaſionem Apoſtolici muneris fuiſſet conceſſum.

VII. Reſtringitur adhuc facultas pro Locis, in quibus *Eccleſiarum commoditas* deficit Itineranti. Nam ſi commode adiri poſſet Eccleſia, penitus cauſſa legitima careret Privilegium; & tamquam ſubreptitium, nulliuſque roboris haberetur. Dum vero defuerit Oratorium publicum, tunc rationabiliter Oratori, alioquin digno Apoſtolica Indulgentia, conceditur beneficium Aræ Viaticæ; ne ſpirituali conſolatione Miſſarum privetur. Sufficit autem ad ſolvendum verum Privilegii rigorem, quod acceſſus ad Eccleſiam ſit Itineranti cauſſa moleſtiæ, ac incommodi gravis; quia licet diſtantia Eccleſiæ per unicum, aut duplex miliare ſæpe non ſufficiat ad diſpenſationem a præcepto auditionis Miſſæ; aliquando tamen hujuſmodi diſtantia nimium gravis videtur Itinerantibus, qui non ſine magno incommodo ad eandem Eccleſiam poſſunt accedere; ſive quia moleſtum valde foret ipſis tantam temporis moram inſumere; ſive aliis plurimis ſimilibus ex cauſſis, quibus iter agentes non raro ſunt obnoxii: Unde ex hac Eccleſiarum diſtantia redditur Privilegiato opportuna facultas Altaris Viatici, & integre adheretur intentioni Pontificis, qui limitando Indultum ad defectum *Commoditatis Eccleſiarum*, pro hujus valore, tantam Eccleſiæ diſtantiam exigit, quanta incommodum non leve inferret Viatori, ſi cogeretur cauſſa Præcepti Eccleſiaſtici ad illam properare, ut Sacrificio aſſiſteret. Mihi autem hic omnino veroſimile, imo verum apparet, quod ad exercitium Papalis Privilegii non ſit neceſſe, ut futurum incommodum diſtantis Eccleſiæ ſit grave. Etenim vix tunc quidquam tribueret ſingulare, quantum attinet ad obſervantiam præcepti auditionis Miſſæ; cum omnes Viatores ab Eccleſiaſtica hujuſmodi Lege immunes, ac liberi efficiantur, quoties gravis cauſſa, ac notabilis moleſtia ſubeunda foret. Quocirca ut ſuus Indulti aſſeratur ſpecialis fructus, & ſimul finis Pontificis prudenter coarctantis facultatem cuſtodiatur, nec qualecumque incommodum etiamſi leve diſpenſat pro uſu Altaris Viatici Privilegiatum; nec iſte viciſſim cogitur attendere ad grave incommodum alias futurum, niſi impetrato frueretur privilegio, cum mediocritas incommodi ad ejuſdem executionem ſufficere videatur. Hæc autem commoditas Eccleſiarum, quantum exiſtimo, non ſolum conſiderari debet reſpectu principaliter Privilegiati, quam etiam reſpectu aliorum Comitum itineris, ſi videlicet iſti ſubſint curæ, ac regimini illius; & aliunde incommodum tales Comites afficiens redundaret in eundem Privilegiatum, quoties ad Eccleſiam aliquantulum diſtantem tunc properare propter Sacrificium compelleretur.

VIII. Ubi vero commoditas vicina-

narum Eccleſiarum adeſſet, nullatenus Privilegiatus frui poterit Indulto, niſi urgente *caſu neceſſitatis tantum*, uti expreſſe in Papali Diplomate cavetur. Profecto nimis immoderata appareret facultas, ſi ſtante commoditate ſatisfaciendi tum præcepto Eccleſiaſtico, cum propriæ ſpirituali conſolationi, quin extra Locum Divinis ſolum cultibus dedicatum, ac proinde magis idoneum, & decorum Sacratiſſimæ Victimæ, Miſſas facere oporteret. Iſta eſt prærogativa tantummodo reſervata Epiſcopis iter agentibus, quibus non obſtante commoditate vicinæ Eccleſiæ ſæpius non modicam ipſis inferret moleſtiam, ad eandem accedere; maxime ſi vellent per ſe ipſos Sacrificium offerre. Quanta vero requiratur neceſſitas, ut tuto Privilegium Apoſtolicum exerceri valeat, ſatis intelligitur ex modo, quo limitationem hujuſmodi verba Pontificum abſolutam, ac propterea veram, ac rigoroſam neceſſitatem indicantia exprimunt. Eo magis rigor ejuſdem neceſſitatis apparet, ex addita particula *tantum*, qua clarius declaratur ſtrictiſſimo ſenſu intelligenda, ac exponenda neceſſitas, quam Romanus Pontifex expoſcit. Nulla autem determinate neceſſitas ab Indulto exprimitur; atque ideo Privilegiatus libere poterit illo gaudere, undecunque neceſſaria cauſſa ipſum prohibens ad Eccleſiam etſi vicinam accedere exoriatur. Quare ſi tempore itineris infirmetur, tunc ſane morbi neceſſitas, quæ aliis neceſſitatibus non cedit, Apoſtolici Privilegii exercitium licitum præbebit. Expoſitæ conditiones in Pontificiis Indultis etiam tempore Pauli V. inſerebantur; quales legi in Par. 2. Bullar. Carmelitar. pag. 380., ubi recitatur Indultum conceſſum Adamo Viſityki Anno 1620. Aræ Viaticæ, *ubi Eccleſiarum commoditas non fuerit, & in caſu neceſſitatis tantum*.

IX. Quarta limitatio a Pontifice rectiſſime expreſſa in Privilegiis Itinerantium ad Loca ipſa, in quibus peragendum erit ſuper Aram Viaticam Sacrificium reſpicit. Quare Indultum jubet Miſſas celebrari *in Locis ad id*, ideſt ad Sacrificium *congruis*, *atque decentibus*; ne videlicet propter fæditatem, & indecentiam Loci gravis in majeſtatem, ac dignitatem Euchariſticæ Hoſtiæ injuria, atque irreverentiæ redundet. Quamobrem maxime commendandi ſunt Majores noſtri, qui ut religioſius conſulerent decori Sacrorum Myſteriorum, portatiles ſecum etiam deferebant Eccleſias. Hanc reverentiam erga Sanctiſſimum Sacramentum æmulantur adhuc aliqui optimi Viri, ac præcipue Epiſcopi, ſollicite curantes, cum ſine gravi incommodo fieri poteſt, portatile quoddam in cubiculo aptari Oratorium decentibus ſtromatibus effectum, in quo Altare geſtatorium ad Rem Divinam faciendam collocetur. Semper ab Itinerantibus tanta cautela, & reverentia exhiberi nequit; Verum ſemper æquum eſt, ut Locus, in quo Sacrificium peragitur, ſit decens, atque honeſtus. An vero ſynonima ſint duo illa vocabula ab Indulto uſurpata *congruis*, & *decentibus* forte quæretur? Ego quidem nonnullam diverſitatem conſiderari a Pontifice in illis vocibus puto, quamvis a Linguæ Latinæ peritis *congruum* pro conveniente, ac *decente* uſurpetur. Cum enim videam in Facultatibus, quæ a R. Pontifice per Congregationem S. Officii concedi ſolent Miſſionariis *de Propaganda Fide*, reticeri Tὸ *congruis*, & ſolum adhiberi Tὸ *decentibus*; ideo arbitror congruitatem ad Locum ipſum, ſive *ad ſitum* ſecundum ſe conſideratum reſpicere; decentiam vero ad qualitates Loci referri. Revera non omnis Locus decens, ornatus, atque honeſte compoſitus, ſimul ad Miſſarum celebrationem congruus judicatur. Hinc licet in Navi locus aliquis decenter præparatus fuerit, non tamen Divino Sacrificio propter inconſtantiam, atque Loci mobilitatem congruus eſt, atque opportunus.

Igi-

X. Igitur Locorum congruitas poſtulabit ſecuritatem, atque aptitudinem illorum, ut tuto, ac commode, & ſine ullo periculo prophanationis Divinorum Myſteriorum Sacrificium offerri poſſit. Hac de cauſſa conſequitur ex mera conceſſione Altaris Viatici non licere *ſub dio* Miſſas peragi, cm ſæpe periculis, atque incommodis plurimis irreverentiæ exponeretur Sacra Hoſtia, ſi paſſim ſub aperto cœlo Sacrificium permitteretur. Solis Apoſtolicis Miniſtris in Regionibus inimicorum Chriſtianæ Fidei, & Capellanis Exercituum permittitur ab Apoſtolica Sede *ſub dio* Sacris operari; idque expreſſe in Indulto proponitur, ut quod ſingularitatem privilegii indicat, etiam aperte, ſicut æquum eſt, indulgeatur. Quare in formula Privilegii Miſſionariis, & Majoribus Capellanis prædictis traditi dicitur eos celebrare poſſe *quocunque Loco decenti ETIAM SUB DIO ſub terra ... ſi aliter celebrari non poſſit*. Ad eandem congruitatem Loci pertinere non dubito Domum ipſam, in qua Sacrificium perficitur; nam ſi ob Infideles, aut Hæreticos in illa habitantes timeatur futurum aliquod incommodum, aut irreverentiæ genus, tunc ab uſu Privilegii abſtinere oporteret. Nam licet aliis ex cauſſis prohibeamur præſentibus Hæreticis, Excommunicatis, & Gentilibus Miſſas facere; niſi ſpecialiter ab Apoſtolica Sede etiam in hoc fuerit diſpenſatum, ſicut pro aliquibus Miſſionariis, & Capellanis nuper indicatis diſpenſare ſolet; ſimul tamen ex ipſa congruitate Loci coram illis, & in ipſorum Domibus Sacrificii oblatio vetita intelligeretur.

XI. De Loci decentia non eſt opus plura dicere, cum ſatis indicaverim Cap. 12. num. 11. valde expedire inſpectis conſuetudinibus optime nunc diligentius cuſtoditis, ne facile in cubiculis, in quibus aliquis dormire ſolet, Miſſæ a Privilegiatis fiant. Quia vero hujuſmodi diſciplina in conſuetis Altaris Portatilis Privilegiorum Itinerantibus conceſſorum formulis retinenda abſolute non præcipitur; propterea, niſi alia obſtiterint indecentiæ ſigna, etiam in illis cubiculis aliquando Sacrificium celebrari poſſet. Propter eandem decentiam dubio procul Sacrificium in communibus, vilibuſque Hoſpitiis, atque tabernis expleri nequit; quoniam indecorum valde eſt, ut in deformi, ac ab omnibus etiam abjectiſſimis vectoribus frequentato diverſorio Sacra Dona immolentur. Demum nemo non videt ad decentiam pertinere quoque Locum immediatum, ſive Menſam, ſuper quam collocatur Ara Viatica; ne videlicet immunda, aut vilibus ſit deputata uſibus. Hæc porro Menſa tantam longitudinem, ac latitudinem habere debet, quantum ad tuto Sacrum Lapidem regendum, ad Miſſale collocandum, & ad rectam, decentemque Sacrificii celebrationem requiritur.

XII. Multo autem majora exiguntur pro congruitate, & decentia Loci in Privilegiis, quæ aliquibus Viris, aut Mulieribus Nobilibus propter infirmitatem egredi e proprio cubiculo non valentium R. Pontifex nonnumquam concedit. Enimvero aperte prohibetur Miſſarum celebratio in ipſo cubiculo ægrotantis; ut hinc decori Divini Sacrificii magis conſulatur; quod ſolum *in aliqua manſione* ejuſdem *cubiculo vicina* faciendum permittitur. Hæc porro *manſio* juxta Apoſtolici Indulti præſcriptum debet *decenter ornata, & ab omnibus domeſticis uſibus libera*. Quid autem hæc verba præſeferant, late expendimus de Orator. Domeſtic. Cap. 23. n. 18., dum ſimiles conditiones iiſdem phraſibus præfixas in Privilegio Miſſarum intra Oratoria celebrandarum expoſuerimus. Non eſt autem neceſſe, ut ejuſdem Manſionis ſtructura, ac amplitudo correſpondeat formæ, atque latitudini, quam Oratoriis Domeſticis congruere Cap. 23. cit. num. 3. diximus: Nam vocabulum *Manſionis*

etiam

etiam parvo cubiculo convenit. Quamobrem ſufficere poterit Nobili Infirmo habenti privilegium Altaris Portatilis, vicina Manſio quantumvis anguſta; capax tamen continere decentem Menſam, in qua conſecratus Lapis collocetur; & tantum Loci ſpatium Sacerdoti celebraturo, & Miniſtro inſervienti relinquens, quantum ad rite, & commode peragenda Divina Myſteria requiritur. Quia vero nullus cenſetur aſſiſtere Sacrificio, niſi conſiderata Loci ratione moraliter ſit præſens Sacerdoti celebranti; propterea ut hujuſmodi moralem præſentiam habeat Infirmus, Pontifex in in ſuo Privilegio ſupponit, ac ſupponendo exigit aliquam feneſtram, ſeu cancellos, ex quibus cubiculum Infirmi cum Manſione electa ad Sacrificium immediate communicet. Revera ſola vicinitas cubiculorum non reddit moraliter præſentes eos, qui ſeorſim in illis extiterint; niſi facta communicatione Manſionum iſtarum auferatur impedimentum ſimultaneæ præſentiæ, quod ex intermedio cubiculo dividente ſumitur. Hinc Scriptores vere affirmant nullatenus Eccleſiaſtico Præcepto de Miſſa audienda eos ſatisfacere, qui poſt Eccleſiæ parietem illi aſſiſterent; niſi tamen ob multitudinem Populi ab ingreſſu, aut ſaltem ab acceſſu ad ejuſdem januam prohiberetur. Juvat etiam præcepta feneſtræ, aut cancellorum aperitio Infirmi pietatem; quoniam hac ratione non ſolum audire, verum etiam Sacerdotem celebrantem videre; atque ita ferventius ad pietatis officia excitari poterit. Similem modum conſulendi Infirmorum ſpirituali conſolationi Paulus V. in Privilegio deſcripto de Orat. Domeſt. cap. 19. num 9. popoſcerat.

XIII. Quamvis autem iſthæc omnia præcipiat R. Pontifex, ut *quanta majori fieri poterit reverentia*, Sacrificium pro Nobili Infirmo celebretur, non tamen Ordinarii approbationem, aut viſitationem poſtulat, priuſquam in vicina Manſione Pivilegium executioni tradatur. Valde quippe diſpar eſt ratio Oratorii Domeſtici, quo ex Apoſtolico Indulto facultas Miſſarum celebrandarum diu perſeverat, ab ea Manſione, quæ ſolum durante gravi alicujus infirmitate impediente egreſſum a cubiculo ad executionem alterius privilegii deſervire licite poteſt. Sicut enim decori, ac decentiæ Oratoriorum conſulere oportebat prævia Ordinarii approbatione; ita ſuperfluum pene Romano Pontifici hactenus apparet ejuſdem viſitationem requirere pro eo Loco, in quo paucis forte diebus Miſſarum Divina Myſteria celebrantur. Alia etiam ex cauſſa mihi videtur prætermiſſa iſta approbatio; ne videlicet duplex Oratorium in eadem domo ſimul eodem Privilegiato approbari videretur: Maxime cum aliunde nulla prudens dubitatio eſſe poſſit, quin Nobiliſſimi Infirmi privilegiati ſingularitate gratiæ Apoſtolicæ præditi omnem curam adhibeant, ut præſcripti limites in Pontificio Indulto diligentiſſime obſerventur, quibus reverentiæ Divini Sacrificii proſpicitur. Semel præmiſſa hac diſparitate inter Locum pro Miſſis domeſticis forme quotidianis approbandum ab Ordinario; & Locum, in quo intra modicum tempus, paucoſque forte dies abſque illius approbatione Miſſæ peragi permittuntur, nemo jam dicere poterit magis nunc ex ſimilibus Indultis Altaris Viatici pro Infirmis relaxatum eſſe rigorem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, quam foret etiam paullo ante Decretum Seſſionis XXII. Concilii Tridentini, cum videlicet Paulus IV. tribus annis ante idem Decretum Altare Viaticum ad Miſſas celebrandas in Loco non approbato ab Ordinariis, aut ipſorum Vicariis erigere prohibuerit. Enimvero Sanctiſſima Conſtitutio Pauli IV. non jam reſpiciebat ad Privilegia Apoſtolica, quæ pro Nobiliſſimis Infirmis impotentibus e proprio cubiculo exire conceſſa fuerunt; ſed ad alia multa privilegia, quæ a RR. Pontificibus

No-

Nobilibus, *&* *Graduatis* tradita pro domeſtica Miſſarum celebratione, iis ſepæ abutebantur, cum in comunibus cubiculis, & Locis indecentibus Sacrificium paſſim celebraretur.

XIV. Hic plane eſt ſcopus Conſtitutionis, quæ nuper ex Regeſtis Archivi Vaticani eruta in recentiſſima Editione Bullarii Romani Anni 1745. Tomo IV. Parte I. pag. 359. edita fuit, quamque hic ſaltem recitare non negligimus; cum nobis ignota eſſet, dum opus de Oratoriis Domeſticis prælo ſubjiciebatur, in quo forte meliùs inſeri debuiſſet.

PAULUS PP. IV.

Ad futuram rei memoriam.

Æqua Rom. Pontificis proviſio in concedendis gratiis debet dirigi affectu, quo illis, quibus conceſſæ fuerint, ita ſolatio perveniant, ut aliis per hoc ſcandali materia non præſtetur. Nuper ſiquidem Nobis innotuit, quod cum Chriſtifidelibus præſertim Nobilibus, vel Graduatis a Sede Apoſtolica indulgeri ſoleat, ut liceat eis habere Altare Portatile cum debitis reverentia, & honore; ſuper quo in Locis ad hoc congruentibus, & honeſtis poſſint per ſe ipſos, ſi Presbyteri exiſtant, aut per proprium, vel alium Sacerdotem idoneum Miſſam celebrare, ſeu celebrari facere, ſæpius contingit, ut ipſi Chriſtifideles Miſſam eandem in Loco minus congruenti, ac honeſte celebrent, aut celebrari faciant cum modica Miniſterii Altaris, & qui in eo immolatur, D. N. J. C. reverentia, ac maxime aliorum Chriſtifidelium id videntium, aut audientium ſcandalo. Quamobrem inconvenientibus hujuſmodi occurrere, & neminem ſibi conceſſo Indulto fruſtrari volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine eum ſolum quo ad hoc congruentem, & honeſtum Locum cenſeri volumus, qui arbitrio Ordinarii Loci, ſeu ejus Vicarii in Spiritualibus generali pro congruenti, & honeſto habitus, & reputatus fuerit. Omnibus, & ſingulis utriuſque Sexus Perſonis ſimile Indultum habentibus cujuſcumque Status, Gradus, Ordinis, Conditionis, Dignitatis, Nobilitatis, & Præeminentiæ exiſtant, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna diſtrictius inhibentes, ne prætextu cujuſvis Indulti eis a dicta Sede hactenus conceſſi, aut in poſterum concedendi in aliquo loco, qui arbitrio Ordinarii, ſeu Vicarii prædicti pro congruenti, & honeſto habitus, & reputatus non fuerit celebrare, aut celebrari facere non præſumant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Indultis prædictis contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 9. Maii 1559. Pontific. Noſtri Anno IV.

XV. Expoſitis breviter iis, quæ ad Locum Sacrificii celebrandi ſuper Aram-Portatilem pertinent, aliqua dicenda ſunt de præſentia principaliter Privilegiati in Privilegio Altaris Viatici, quæ expreſſe a R. Pontifice requiritur; quamque in altero Privilegio pro Infirmis ſupponit. Sufficit autem, ut cum duo fuerint principaliter Privilegiati, & ad eos æqualiter Apoſtolicum Breve directum, quod alter ipſorum præſens ſit; Hinc de illorum ſingulis in Brevi aperte dicitur; *quilibet veſtrum poſſit, & valeat.* Quantum porro attinet ad alios adſtantes manifeſto conſtat, eos nullatenus Eccleſiaſtico Præcepto auditionis Miſſæ ſatisfacere, niſi expreſſe ad illos Privilegii communicatio extendatur. Pro Comitibus Itinerantis Privilegiati opportune conſulit benignitas R. Pontificis; ac quemadmodum in Familiares, ac Hoſpites extenditur communicatio Indulti pro Miſſarum celebratione in Oratoriis privatis; ita ad Comites viæ participationem alterius Indulti pro uſu Aræ Viaticæ dilatat. Hæc enim ipſa dilatatio gratiæ in ſolamen, ac commodum Privilegiati refertur; cui profecto ſæpe moleſtum foret, ſi Comites illi propter Sacrificium ad remotas Eccleſias accedere cogerentur.

XV. Cæteri autem Fideles, quamvis aſſiſterent Sacrificio, non tamen præcepto ſatisfacerent. Hujuſmodi amplitudinem favoris rariſſime extendit R. Pontifex; niſi ob dignitatem ſingularem, aliaque multa merita Privilegiatorum inclinetur prudenter ipſius animus ad amplificationem gratiæ in omnes Adſtantes, ut ex hac largitate Beneficii argumenta majora dignitatis, ac meritorum Privilegiati pateſcant. Hac prærogativa inſignitur Privilegium Epiſcoporum, & aliud Privilegium ſupra recitatum Cap. 14. num. 8., quamvis etiam in hoc nonnullam limitationem adverterim, nempe *ad habitatores illarum Partium*, in quibus Canonici, Privilegiati ſuper Altare Viaticum, vel per ſe, vel per alios Sacerdotes Sacrificium obtulerint.

XVII. Exigit porro expreſſe Pontifex, ut *debito cum honore, & reverentia teneatur* Altare Viaticum; quoniam id poſtulat ipſius conſecratio. Hinc diligenter in itineribus eſt transferendum, & caute cuſtodiri debet; atque in munda capſula collocari expediret, ut ita ab omnibus prophanationum periculis immune foret. Nihil porro hoc loco dicam de neceſſitate aliarum rerum, quæ juxta Sacros Ritus in omni Sacrificii oblatione ſunt neceſſariæ, veſtes videlicet, vaſaque ſacra; tres mappulæ mundæ, & alia omnia, a quibus per conceſſionem uſus Aræ Viaticæ nemo diſpenſatur. Unice enim Privilegium extendit facultatem Miſſarum ad omnem Locum, & vice integri Altaris mobilem parvum conſecratum Lapidem adhibere permittit. Jam vero nihil aliud ad expoſitionem Privilegiorum Altaris Portatilis addimus; cum multa ad id pertinentia in præcedenti Tractatione *de Oratoriis Domeſticis*, accuratiori, qua potuimus, methodo afferre ſtuduerimus; a quibus proinde modo abſtinendum duximus, ne inutili repetitione rerum præſentis Opellæ molem adaugeremus.

XVIII. Impono tandem optatum finem commemorando egregium morem eo tempore conſtantiſſime retentum, quo vacante Apoſtolica Sede, & in Conclavi commorantibus Eminentiſſ. Cardinalibus, a Clero in porticu Palatii Vaticani, qui loco Conclavis proxime ſubjacent, ſuper Altare Portatile bene expanſis Aulæis Divina Myſteria quotidie ſolemniter celebrantur, enixe invocando Sancti Spiritus lumen, afflatumque, *ut ipſe, qui concordiam facit in ſublimibus ſuis, ſic efficiat eorundem Cardinalium Corda in eligendo concordia, quod proviſio celer concors, & utilis, prout Animarum ſalus exigit, & tutius requirit Orbis utilitas, ex ipſorum unanimitate ſequutur*. Ita loquebatur Gregorius P. X. Conſtit. edita in Concilio Lugdunenſi II. §. 2. Anno 1275., cum omnes Fideles ad humiles preces fundendas pro Supremi Pontificis electione hortabatur. Quando cœperit conſuetudo cantandi Miſſam extra Conclave mihi adhuc ignotum eſt: Verum jam ante tempora Concilii Tridentini illa vigebat; cum ejuſdem mentio fiat in Conſtitutionibus Cantorum Majoris Sacrarii Pontificii. Harum Conſtitutionum vetera ſcripta temporibus Clementis VII. *Roma capta, & in direptionem impiis data fuere igne abſumpta, & Muſicorum Majoris Sacrarii Leges periere. Quæ igitur vel memoriæ retentæ ſunt, vel etiam innovandæ ſunt viſæ, Pauli III. Pont. Max. juſſu, curaque, R. D. Ludovici Aſſiſienſis Epiſcopi dictæ Capellæ Cantorum Magiſtri inſtauratæ, innovatæ, ſtabilitæ, in perpetuam memoriam editæ hujuſmodi ſunt*. Hæc verba Codici præmittuntur. En vero clarum monumentum conſuetudinis Miſſæ quotidianæ prope Conclave celebratæ promptum ex earumdem ConſtitutionumCapite 35., quod hunc titulum præfert: *Modus ſervandus Cardinalibus in Conclavi exiſtentibus*; & iſta ſubdit: *Clauſo Conclavi quotidie cantatur Miſſa de Spiritu Sancto uſque ad creationem novi Pontificis in loco, & hora per Magi-*

ſtrum Domus Sacri Palatii deputandis; & qui non interfuerit, quotidie in die punctabitur, pro ut in Ordinario Officio dictæ Capellæ conſuetum eſt punctarii; & in hujuſmodi Officio non admittuntur excuſationes, infirmitatis dumtaxat excepta; & præfatus Magiſter Domus Sacri Palatii tenetur quotidie dare Cantoribus prandium in Tinello Majori uſque ad creationem novi Pontificis ratione familiaritatis. Antiquius hactenus reperire non potui teſtimonium. Imo Marcellus Corcyrenſis, qui ſub Leone X. Sacrarum Ceremoniarum Libros Auguſtini Patricii *ſub ſuo nomine evulgavit,* ut inquit Pariſ. de Craſſis in Diario, licet de Conclavi late loquatur Lib. 1. cap. 2.; nihil tamen de conſuetudine Miſſam quotidie cantandi extra fines Clauſuræ inſerit; ſed ſolum commemorat Capellam, ſeu Sacellum, quod *pro Re Divina* intra Conclave eſſe debet. Ejuſdem Capellæ Conclavis meminit Petrus Amelius Epiſcopus Senogallienſis in ſuo Ceremoniali cap. 149. edito a Mabillonio T. 2. Muſæi Ordine XV., ubi etiam ait: *in hac Capella omni die Cardinales Miſſam debent audire omnes inſimul, non tamen cantando, ſed baſſe.* Verum de Miſſa cantata ſuper Altare Portatile extra, & prope Conclave ne verbum quidem facit; & ſolum monet, quod *ſi non ſit Capella, quæ Conclave contingat, fiat infra Conclave in aliquo angulo, vel pro Conclavi unum Altare Portatile, & inibi audiant omni die* Cardinales *Miſſam*. His terminum imponimus Opuſculo humiles gratias agentes DOMINO JESU CHRISTO, *quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia; Ipſi gloria in Sæcula.*

JOAN-

JOANNIS BAPTISTÆ GATTICO

CANONICI REGULARIS CONGREGATIONIS LATERANENSIS

EPISTOLA AD AMICUM APOLOGETICA,

IN QUA DEFENDITUR CAPITULUM XXIX.

DE VETITA ADMINISTRATIONE

SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

IN ORATORIIS PRIVATÆ DOMUS,

OPERIS INSCRIPTI

DE ORATORIIS DOMESTICIS ETC.

ADDITUR EPISTOLA ENCYCLICA NUPER EDITA REGNANTIS FELICITER PONTIFICIS MAXIMI.

BENEDICTI XIV.

PER QUAM TOTA HÆC CONTROVERSIA FINITA EST.

LO STAMPATORE DI BERGAMO, A CHI LEGGE.

AVendo il Reverendiſs. Padre Abate Gattico di Novara, Canonico Regolare Lateranenſe, compoſta una ſua Opera nella materia ſingolare, *de Oratoriis Privatis*, meritevole di ſtima per la Dottrina, Erudizione, e Pietà, già ſtampata in Roma nell' anno 1746., con due Dedicatorie, l'una a Gesù Criſto, l'altra al Santiſſimo di Lui Vicario nella Cattolica Chieſa, il Regnante Sommo Pontefice BENEDETTO XIV: ed eſſendoſi nel Capitolo XXIX. della ſteſſa Opera dimoſtrato, non eſſere lecito amminiſtrare ne' privati Oratorii la Venerabile Eucariſtia, con indipendenza dagli Ordinarii; un Anonimo, (noto per le ſue moderne Opinioni: *mortaliter peccat Sacerdos, non adminiſtrans in Miſſa Euchariſtiam digne petenti &c. = Non eſt Poteſtas in Eccleſia quæ poſſit probibere adminiſtrationem Euchariſtiæ in Miſſa &c.*) ha voluto impugnare queſto Punto, col ſoſtenere, che la detta Amminiſtrazione ſia lecita anche ne' privati Oratorii ſenz' altro, in un Libello, che ha il titolo: *Nuove Oſſervazioni ſopra il Decreto...... per la Comunione da farſi nella Meſſa*. Il Padre Abate perciò ſi è ſtimato in dovere di riſpondere con una Apologìa nel ſuo ſolito uniforme Latino ſtile, a diſinganno di chi potrebbe forſe rimanere ſorpreſo dalle contrarie Apparenze. E perchè hanno l'Onore i miei Torchj di dare queſta Apologìa alla pubblica luce, non devo ommettere di rendere i Leggitori conſapevoli, qualmente ſi ſono tralaſciate le degne Ap-

pro-

provazioni , ideate da' Perſonaggi nella Letteraria Repubblica Illuſtri in commendazione dell' Apologetico Scritto; a cagione di eſſere novamente emanata la Pontificia ſentenza, tutta favorevole al ſentimento del Padre Abate, che a notizia comune ſarà aggiunta quì in fine; e non v' ha biſogno di Approvazioni dopo un Dogma, che eſce dal Vaticano. Ma può tuttavia oſſervarſi, come dal Reverendiſſimo Padre ſianſi fortemente ribattute le Oppoſizioni dell' Anonimo, e ſormontati con ammirevole modeſtia i di Lui motteggi.

AMICE.

AMICE CARISSIME

POST acceptas litteras tuas menſe Aprili ſcriptas tuæ erga me ſinceræ dilectionis teſtes, quibus monueras ad manus tuas perveniſſe Libellum ſub hoc titulo; *Nuove oſſervazioni ſopra il Decreto della Sagra Congregazione de' Riti emanato a' 2. di Settembre 1741. in favore del pubblico Diritto, e dello ſpezial valore dell' Eucariſtica Comunion de' Fedeli fatta nella Santa Meſſa colle Particole conſecrate in quella &c. in Lucca preſſo Leonardo Venturini con Licenza, e Privilegio*: & in eo acerrime frequentibus ſcommatum aculeis refelli a pag. 40. uſque ad pag. 81. Capitulum XXIX. *de vetita adminiſtratione Sacramenti Euchariſtiæ in Oratoriis privatæ Domus*, Operis *de Orator. Domeſtic.*, quid ego reſcripſerim optime meminiſſe poteris, Amice Cariſſime. Ut enim animi tui demulcerem dolorem, quo angebaris ob eum, quem mihi inde futurum verebaris, cum obſervationes illas legiſſem, teſtimonio bonæ conſcientiæ acquieſcendum reſpondi, nec ſuſpicandum propterea vigilantes Epiſcopos ſuas ipſorum expreſſas prohibitiones eſſe retractaturos, aut paſſuros in poſterum, ut in privatarum ædium Oratoriis Sacramentum Euchariſtiæ, ipſis inconſultis, eorumque licentia non impetrata, iis Adſtantibus traderetur, qui peculiari privilegio Apoſtolicæ Sedis donati minime eſſent. Addidi inſuper eo me conſilio, cum hanc in Capitulo 29. quæſtionem expendere cæpi, fuiſſe adductum, non ut in controverſiam antea excitatam dedita opera ipſe me conjicerem, quam potius conſopitam judicaveram, ſed ut ſuſcepti Operis partes explerem, eaque fere omnia ſingillatim exponerem, quæ in Oratoriis privatarum domorum fieri tuto poſſent; dumque in Oratoriis ipſis e Sacra Communione adſtantes illos, quibus nulla eſſet ab Ordinariis locorum facta facultas, excludendos eſſe putavi, ne vel minimum quidem receſſiſſe me a receptiſſima Romanæ Urbis conſuetudine, quæ quum Pontificis Maximi Sedes præcipua ſit, ejus quoque exemplum in expoſitione privilegii Apoſtolici circa domeſticam ac privatam Miſſæ celebrationem, utpote cæteris omnibus religioſe ſequendum, amplectendumque haud dubie proponi potuiſſe cenſebam; deque toto illo cenſurarum, & objurgationum genere quo me perſtringit, id demum ſcripſi, non ejus eſſe ponderis, quæ æquis veritatis æſtimatoribus fucum facere queant, a prudentibus deſpici, a Chriſtianis hominibus ac multo magis a Sacerdotibus, iis cum primis qui perfectionis Evangelicæ documenta exequi ſunt profeſſi, æquo animo tolerari.

II. Hæc poſtquam tibi, Vir optime, ſcripſiſſem, neque hic, neque Lucæ inventus fuit Libellus, quem ineunte tantum hoc menſe Inſuber quidam mihi facie penitus ignotus, pro ea, qua a natura ipſa inſtitutus eſt, ſingulari humanitate, ultro ad me mittere voluit. Quos vero ſenſus, quos affectus in animo meo illius Par-

tem II.,

tem II., in qua Capitulum 29. anguſto cribro excuſſum fuit, excitaſſe putas? Verecundiæ, an pœnitudinis, amaritudinis, an iracundiæ? Horum nullus opitulante Deo tranquillitatem turbavit, nullus abrepſit, immo quod æquum erat ad debitas gratias Deo reddendas me converti, cum cernerem poſt ſeveram trutinam nihil inventum eſſe in illo Capitulo, quod aut falſum, aut merito culpabile videatur, ſi mea omnia reddantur verba, & ſuis locis, quibus fuerunt collocata, iterum aptentur. Facile eſt id ipſum advertere una tantum, eaque nuda illius Capituli lectione, quod breve eſt, & abſque ulla verborum perplexitate conteſtum, multoque tibi facilius, qui nullo partium affectu traheris, & doctrina valde excellis. Verum pro tua humanitate patienter audi, quæ ad abſtergendas maculas eidem affictas ſelegi.

III. Voces in primis illæ *Sacramentalis Communio*, *Perceptio Sacramenti*, *Diſpenſatio Euchariſtiæ*, *Sacramentum Euchariſtiæ*, *Diſtributio Euchariſtiæ*, *Diſpenſatio Euchariſtici Sacramenti*, *Communio Euchariſtica*, *Diſpenſatio Cibi Sacri*, *diſpenſanda Fidelibus Cœleſtis alimonia*, *Euchariſtiæ ſumptio*, *ad Sacram Menſam acceſſus*, quibus nuncupo Sacroſanctam Communionem & Euchariſtiam, quæ in Miſſa Fidelibus datur; veluti nimis parce in querelam vocantur (1). At parcæ hæ voces, quæ ubique inveniuntur in Conciliis, in Patribus, in Sacramentariis, in Theologorum libris, atque in illis teſtimoniis, quæ in Libro Obſervationum ab Anonymo recitantur, aut indicantur? Etiam in Epiſtola Benedicti XIV. die 13. Novembris 1742. ad Italiæ Præſules ſcripta ad ſedandas controverſias exortas circa diſpenſationem Euchariſtiæ plures ex ſupradictis vocibus adhibentur, nec ſemper idem vocabulum ad Communionem Euchariſticam, quæ in Miſſa diſtribuitur, ſignificandam uſurpatur; quod profecto non ad moleſtam affectationem, ſicut mihi opponitur, Pontifici Doctiſſimo imputabitur; quin potius factum id ſapienter exiſtimabunt omnes, ne iiſdem vocibus idem ſemper exprimeretur; neve tam magni hujus Sacramenti nomina longo Patrum uſu, & antiquitate conſecrata, ſicubi poſtulaverit Oratio, parvi quodammodo pendere, & negligere videremur. Sacrificium abſolute (2) numquam ego appellavi Communionem ipſam, quam nuſquam in litteris Pontificiis abſolute Sacrificium nuncupari reperi, ſed *participationem Sacrificii*, a qua appellatione tantum abeſt me abhorruiſſe, quemadmodum mihi tribuit Anonymus §. 16., ut eam primo, ac præ cæteris clariſſime uſurpaverim, cum n. 2. dixi, *ut qui præſentes fuerint Sacrificio non ſolum ſpirituali affectu, verum etiam ipſa perceptione Euchariſtiæ uberiorem de Sacrificio fructum participent*.

IV. Verba hæc deprompſi ex verbis Tridentini Concilii ſeſſ. 25. cap. 6. quæ in laudatis litteris §. 3. SS. Pontifex iteravit; *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles adſtantes non ſolum Spirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione Communicarent, quo ad eos hujus Sanctiſſimi Sacrificii fructus uberior proveniret*. Hinc Amice æquiſſime judicare poteris, qua veri-

(1) En verba Anonymi pag. 40. *Paſſiamo all'Autor di un altra recente Opera ſtampata ſopra gli Oratorj Domeſtici ...... Increſcerà or certamente a lui pure la ſtucchevole ſua affettazione di nominar ſempre la Sagroſanta Comunion nella Meſſa con queſti ſcarſi vocaboli*: Sacramentalis Communio &c.

(2) *E il Sacrifizio? e la partecipazione del Sacrifizio? e l'offerire e conſumar col Sacerdotelo ſteſſo comun Sacrifizio? O queſto non mai, nè anche in portare il Sagroſanto Concilio di Trento, di cui hà voluto pur cambiar le parole, e guaſtare il ſenſo, con dire, non*: Quo ad eos Sanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret, *mà*: Ad abundatiorem fructum participandum pretioſiſſimo ac ſuaviſſimo Sacramento.

veriſimilitudine Auctor Obſerv. §. 16. ſuſpicari poſſit me mutare, imo corrumpere voluiſſe ſenſum horum verborum Concilii: *quo ad eos Sanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret*. Qua apologia utar repellendo accuſationem, quæ Virum Orthodoxum cæteris gravius vulnerat, niſi te rogando, ut oculos ad verba mea convertas, & excuſando accuſatorem, qui ut vitium mutationis, & corruptionis obtruderet, verba mea ſelegit *ad abundantiorem fructum participandum pretioſiſſimo, ac ſuaviſſimo Sacramento*, quæ non jam protuli num. 2. Concilii Tridentini Capitulum VI. indicans, ſed poſtquam litterarum Benedictus XIV. meminiſſem. Cum enim laudaſſem veterem diſciplinam, inſtitutionem Cœnæ Dominicæ, Tridentinum Concilium, & litteras ejuſdem Pont. Max. declarantis obnoxios eſſe increpationi illos Sacerdotes, qui Euchariſtiam Fidelibus Miſſæ adſtantibus, illamque petentibus denegarent, quæ omnia, ut antea exiſtimaverant, ita nunc adarbitror cardines eſſe, quibus argumenta illicitæ denegationis Euchariſtiæ Fidelibus poſt Communionem Celebrantis colligantur, vel ad quos cætera revocantur, quæ adverſa viderentur inferius in eodem meo Capitulo ſtatuendis; cum inquam hæc commemoraſſem, ſtatim ſubjunxi. *Hæc quippe omnia ſuadere videntur non tantum licitam, ſed penitus debitam Communionem illis, qui cum aſſiſtunt Miſſæ privatæ in Oratorio privatæ domus ad abundantiorem fructum participandum pretioſiſſimo, ac ſuaviſſimo Sacramento ſaturari optant*. Hinc vides verba hæc, non tanquam e Concilio Tridentino peculiariter excerpta, me protuliſſe, ſed illud etiam intelligis Vir docte haudquaquam verbis meis verba Concilii Tridentini corrumpi, aut permutatione ſenſus mutari; nam abundantior fructus participatus ex Sacramento Euchariſtico in Miſſa, cujus expreſſe in verbis meis fit mentio, ipſe idem fructus uberior eſt Sacrificii, qui ad Communicantes Sacramenti perceptione provenit.

V. Interim tu judica, an de Catholico Viro ſuſpicari jure debeat magis illum terreri *falſis larvis* (3) cujuslibet privati Scriptoris, quam in efficaciſſimis Concilii Tridentini obteſtationibus, notiſque confidere: Ego enim neque judicabo de P. Merato, quod in Gavan. tom. 1. par. 2. tit. 10. n. 30. falſas larvas Lectoribus oppoſuerit; de me tantum repetam, quod in proemio Operis num. 10. dixi: *Quia vero non partibus ſtudere, ſed veritati aperte adhærere opus eſt, ſic alienis Scriptorum placitis adhæſi, ut ſimul amarem nullius abripi opinamentis, ſi tutioribus, ac certioribus motus argumentis in contrariam ſententiam deſcendere juberer*.

VI. Vitiatas a me fuiſſe Benedictus XIV. litteras pervulgatiſſimas aſſerit Anonymus, ejuſque reprehenſionem non recuſarem, ſi tantum de vitio inconditi ſermonis mei, quo eaſdem compendio perſtrinxi, loqueretur; cum elegantiam Pontificii eloquii imbecillitas mea æmulari nequeat. Sermonis leporem a meis ſcriptis abeſſe noveram propriæ imperitiæ conſcius, eamque faſſus fueram proemio Operis num. 8. ac propterea etiam de iſta in fine proemii a Lectoribus veniam exoraveram, quam ſane mihi a Benevolis concedendam pollicebar. Aſt in primis redarguor, (4) quia

(3) *Avrà egli forſe in ciò avuto più paura delle falſe larve del P. Merati, che fiducia ne' sì valevoli ſcongiuri del Tridentino Concilio.*

(4) *Figurisi poi ognuno, ſe avrà voluto trattar meglio la Lettera Appoſtolica* Certiores effecti, *sì ſconciamente da lui riportata, e poi ſigillata ciò non oſtante con queſto bell'epifonema: Iſta eſt ſumma Literarum Bened. PP. XIV. Vi baratta già egli ſempre quel* Conſortium ejuſdem Sacrificii *in una mera* Sacramenti perceptionem; *e vi ſcancella ancor finalmente l'obbligo degli amminiſtratori di quello, e la colpa de' mancanti a tal obbligo, e la corezion grave della Chieſa intimata a cotai mancanti.*

verba Pontificis *conſortium ejuſdem Sacrificii* in hæc mutaverim *Sacramenti perceptionem*. Mirum me in eo redargui, in quo ſenſum illorum verborum exponi cenſeo. Profecto Sacramenti perceptio *intra Miſſarum actionem*, ſive *poſt ſumptionem calicis*, quam in compendio litterarum non ſemel expreſſi, idem etiam in Litteris Pontificiis ſignificat, quod *conſortium ejuſdem Sacrificii*. Quid enim verbis iſtis exprimitur, quod verbis participationem Sacrificii manifeſtantibus, & a me quoque ſuperius adhibitis non exprimatur? Ego equidem verba iſta *Conſortium Sacrificii*, & *participationem Sacrificii*, quibus Pontifex §. 3. ſuarum litterarum deſignat, partem victimæ a Sacerdote oblatæ, quæ in Miſſa Fidelibus ſumenda traditur, inter ſe non poſſum diſcernere; nec ipſe Pontifex inter ſe diſtinxit. Enim vero cum prius hæc dixiſſet; „ & quamvis de eodem Sacrificio participent præter eos, quibus a Sacerdote celebrante tribuitur in ipſa Miſſa portio victimæ a ſe oblatæ, ii etiam quibus Sacerdos Euchariſtiam reſervari ſolitam miniſtrat; non tamen idcirco aut vetuit unquam, aut modo vetat ſatisfieri ab ipſo Sacerdote pietati, & juſtæ eorum petitioni, qui Miſſæ adſtantes ad conſortium admitti poſtulant ejuſdem Sacrificii, quod & ipſi pariter offerunt ea ratione, quæ ipſos decere poteſt, imo probat atque cupit, ne id omittatur „ : Cum hæc præmiſiſſet, ſtatim vocem participationis iterum adhibet ſubdens: *eoſque Sacerdotes increparet, quorum culpa, & negligentia Fidelibus participatio illa denegaretur*. Scriptor Obſervationum non repugnabit, qui in adnot. X. pag. 41. profert Concilii Toletani Cap. 5. verba; *Quale erit Sacrificium, cui nec ipſe Sacrificans particeps eſſe voluerit*; adverſus Sacerdotes illos prolata, qui conſecrata dona, oblatumque Sacrificium non ſumebant.

VII. Mirum deinde me de ſilentio verborum Pontificis reprehendi, quibus ab Eccleſia eos Sacerdotes increpandos docet, quorum culpa, & negligentia Fidelibus participatio Sacrificii denegaretur. Hæc ego non tacui, quæ num. 2. hiſce apertiſſime protuli; *ſimul prudentiſſime monuit* (Benedictus XIV.) *graviter corripiendos eſſe illos Sacerdotes, qui Fidelibus adſtantibus Sacrificio, & petentibus realem perceptionem Sacramenti ſine cauſa illam poſt ſumptionem Calicis denegarent*; atque hæc una ſimul cum iis quæ num. 3. a me traduntur, ſummam litterarum Pontificis conſtituunt, qua expleta non jam epiphonematis, ſeu magnæ acclamationis gratia ſed ſimpliciter dixi, *Iſta eſt ſumma litterarum Benedicti PP. XIV.*, ne quis dubitaret alia in illis contineri, quæ ſatis non fuiſſent expoſita. Indulgendum porro mihi erit, ſi frequentius in appellatione Communionis Euchariſticæ uſus fuerim Sacramenti vocabulo; quoniam aſſuetus ſum quotidie poſt ſumptam victimam Chriſtum Dominum exorare, ut nulla in me remaneat macula, quem pura & Sancta refecerunt Sacramenta.

VIII. Pergamus Amice ad ſequentem accuſationem violatæ fidei, quam c. 21. de Orat. ſpoponderam obſervare in expoſitione Pontificii Privilegii pro celebratione Miſſarum in Oratoriis privatæ domus, quo loco n. 3. *hanc methodum* me ſervaturum profeſſus ſum, *ut nihil penitus reſtringi paterer, quod proprio verborum ſenſu retento conceſſum appareat*: Eccur vero me fidem fregiſſe Anonymus §. 17. accuſat? (5) Quia cum privilegio Miſſæ domeſticæ ſimul

(5) *Dal già detto di ſopra comprenderà abbaſtanza ancor queſto diſavveduto Scrittore i ſuoi graviſſimi abbagli. Comprenderà, ſe abbia egli veramente la parola di voler tenere* hanc metho-

ſimul conceſſam nec novi, nec dixi facultatem communicandi Adſtantes eidem Sacrificio. Haudquaquam a Te Viro ſagaci fedifragi notam mihi inuri pertimeſco, neque ab aliis, qui legerint verba mea n. 3. ſtatim ſequentia, *nihilque permittendum affirmemus quod aperte a Pontificio Indulto permiſſum non fuerit*. Equidem in illis privilegiis, quorum Exemplar cap. 20. num. 20. recitavi, *aperte* conceſſam Miſſæ celebrationem, *aperte* favorem ad Privilegiati conſanguineos, alioſque nonnullos extenſum lego, Communionem Adſtantium *aperte* conceſſam non lego: Ubi vero eam ſimul conceſſam legi, etiam *aperte* expreſſam adverti, ſicut cap. 29. num. 6. & 7. ſincera fide oſtendi.

IX. Fidem iterum me fregiſſe clamat, quod cap. 21. num. 3. promiſerim me intacta relicturum ea omnia, quæ in Pontificiis diplomatibus prætermiſſa eſſent, quoties illa, *quæ ſunt expreſſa neceſſario ſupponerent reliqua prætermiſſa, ſine quibus majores gratiæ impetratæ exequi nullatenus poſſent*; ea ratione ductus, (6) quoniam Miſſa, quæ conceditur, a Sacerdote celebrari nequit, quin neceſſario ſupponatur facultas diſpenſandi Sacram Communionem omnibus Adſtantibus bene ad illam ſuſcipiendam paratis. Facile ab hac macula alienum me oſtendo id unum a te poſcens, ut verba illa mea cap. 29. num. 3. advertas, quibus affirmo Sapientiſſimis Litteris Benedicti XIV. *opertam parari occaſionem negandi facultatem Communionis domeſticæ, quoties Apoſtolicum privilegium Miſſarum Celebrandarum in Oratoriis privatis expreſſe illam non conceſſerit*; atque ideo præmiſſo compendio earumdem litterarum aliud non ſtudui, quam ex *planiſſimis* illius *documentis* aſſertum meum roborare de vetita adminiſtratione Euchariſtiæ in Oratoriis privatarum ædium, quin ad theologicas alias diſputationes deſcenderem de eſſentia Sacrificii, de peculiaribus fructibus Communionis Euchariſticæ, de qualitate culpæ Sacerdotis denegantis ſine cauſa participationem Sacræ Victimæ a ſe oblatæ Fidelibus illam petentibus, & quin opus eſſet late, & diligenter inquirere, atque diſſerere de veteri conſuetudine in adminiſtratione Euchariſtiæ. Has enim diſputationes, & inveſtigationes inſtituendo intime ingreſſus fuiſſem controverſiam, ad quam ſopiendam prædictæ litteræ Summi Apoſtolici Præſulis prodierunt. An non Amice ſagaciſſime vides, quod ſi ad eas res pro dignitate pertractandas deflexiſſem in opere de Oratoriis, quod potius ad meram diſciplinam, & praxim pertinet, diverſi generis amplas diſquiſitiones permiſcere, eoque pacto non ſolum voluminis molem augere, ſed inſuper abſque ulla neceſſitate tot argumenta excutienda proponere oportuiſſet? Cum tamen ad propoſitam cauſam meam documenta recentiſſimarum litterarum Apoſtolicarum ſufficerent, & ſi alia inibi permiſcere voluiſſem, viſa potius fuiſſet a me cap-

thodum, ut nihil penitus reſtringi patiamur, quod proprio verborum ſenſu retento, conceſſum appareat: *quando non conſiderando il ſenſo proprio della parola* Sacrificio, *dato dalla Chieſa alla Comunion de' Fedeli fatta in eſſo, e il reciproco proprio ſenſo di* Comunione, *dato da' Santi Padri al Sagrifizio medeſimo, egli nel concederſi dalla Chieſa la libertà di quel Sagrifizio, che per ſe ſteſſo è Comunione, non hà ſaputo riconoſcere conceduta altresì la libertà di quella Comunione, che per ſe ſteſſa è Sagrifizio.*

(6) *Comprenderà, che una tal libertà fondata, non ſol nell'Eccleſiaſtiche, mà ancor nelle Divine parole del medeſimo Sacrifizio, e di quelle coſe ch'egli pur s'impegnò di voler laſciar immuni, quantunque non ſingolarmente eſpreſſe ne' Pontifizj Indulti, ſempre che* quæ ſunt expreſſa neceſſario ſupponerent alia prætermiſſa, ſine quibus majores gratiæ impetratæ exequi nullatenus poſſent: *ſenza poi riflettere, che la Meſſa tanto neceſſariamente ſuppone la libertà di comunicare tutti gli aſtanti diſpoſti, che non ſi può celebrarla ſenza dir ogni volta*: Prendete di queſto, e mangiatene tutti quanti.

tata occaſio ad ventilandos iterum, quos credebam ſepultos diſſidiorum præcedentium cineres? Queſtiones illę examinandæ forent, vel ſaltem aliunde examinatę preſupponi deberent ab his, qui de obligatione Celebrantis pro miniſtranda Euchariſtia Fidelibus Miſſæ adſtantibus, & de eodem Sacrificio participare optantibus, univerſim agerent, non vero neceſſum eſt ab illo petractari, qui de eadem Communione vetita, aut licita diſputat, cum peculiariter certo in loco Miſſa celebratur. Huic peculiares obſervationes determinate locum celebrati Sacrificii reſpicientes ſunt neceſſariæ; aliis vero expedit etiam memoratas quæſtiones movere, atque diſſolvere, maxime cum ab oppoſitoribus ad eas provocentur. Quemadmodum igitur tunc ad rei ipſius, qua de agere inſtitueram, argumentum pertractandum aliis prætermiſſis firmos litterarum Apoſtolicarum cardines apprehendi, ut ex illis vim ſumerent momenta, quæ peculiariter Communionem vetitam in Oratoriis privatæ domus perſuaderent; ita nunc tecum agens non patiar me ad alia rapi. Provinciam hujuſmodi ſuſcipiant, qui velint; & tibi ſatisfeciſſe non dubito in hac Epiſtola, ſi ſoluta videas objecta aſſertis; quæ a me poſita ſunt toto illo capitulo 29., nec poſtulabis, ut aliis reſpondeam, quæ ibi non pertractaveram.

X. His te præmonitum volui, ut magis ad rem meam pertinere intelligas, quæ in refellendis objectis mihi ab Anonymo accuſationibus profero. Jam vero conſidera an actualis diſtributio Euchariſtiæ Adſtantibus in Oratorio privato ex illorum, numero ſit, ſine quibus major gratia, videlicet facultas celebrandi Miſſam in Oratorio privato executioni mandari nullatenus poſſit? Quamvis Euchariſticum Sacrificium numquam peragatur, niſi ſimul recolendo verba Chriſti, quibus dixit diſcipulis præſentibus: *Accipite & manducate ex hoc omnes*; atque ideo ſupponendo in ipſa Euchariſtiæ inſtitutione conceſſam a Chriſto abſolute facultatem illius diſtribuendæ Fidelibus, ad quos Chriſti verba feruntur; attamen non ſolum recta fide credimus idem Sacrificium perfici, etſi nullus Fidelis Communionem petat, nullique tradatur, verum a litteris Pontificiis inſtruimur *quandoque pro tempore*, *loco*, *& perſonis minime opportunum* cenſeri *a Sacerdote celebrante diſtribui Euchariſtiam iis*, *qui adſtant*, & participes eſſe cupiunt Sacræ Menſæ. Ergo cum non conceſſam oſtendo peculiarem facultatem Communionis, ideſt actualis diſtributionis Victimæ Sacræ in Miſſa, cujus celebratio conceditur in Oratoriis privatæ domus, id tantum contendo Oratoria hujuſmodi unum ex illis locis eſſe, in quibus minime opportunum eſt, petentibus licet, Euchariſtiam diſtribuere, niſi explicate oppoſitum in Brevi occurat. Cœterum cum me provocent ad fidem ſervandam in his, quæ dixi cap. 21. num. 3., tu melius exprobrares, cur regulam 28. Juris, & ſententiam Alexandri III. ibidem prolatam, iis, quæ a me dicta fuerant in Capitulo 29., non aptaverim; quod ſi id faceres, non alia uterer excuſatione, niſi quod maluerim certa quædam teſtimonia reticere, quibus verborum aſperitatem in illis contentam ad alios pungendos accomodare voluiſſe viderer.

XI. Vera autem, imo veriſſima profiteor me habere, ſemperque habiturum verba mea, ſi integra, & non mutila, ſicut poſita ſunt c. 29. n. 3. ab Anonymo mihi reddantur (7). Sunt ea

(7) Ita Cenſor ait: *Comprenderà ſe ſia vero*, *che* nullum urget Divinum præceptum intra tempus Miſſæ *per la diſtribuzione Euchariſtica a chi la brama e la merita*; *e quanto ſia falſo*, *che* iſta duo (Miſſa, & Communio adſtantium digne communicare volentium) non omnino cohæreant, nec abſolute connectantur.

ea autem ; *neque ullum urget divinum præceptum*, *quo neceſſario diſtributio Euchariſtiæ Adſtantibus intra tempus Miſſæ facienda præcipiatur*: Imo falſiſſimum eſſe oppoſitum ſecure pronuntio litteris Pontificiis ineluctabili ratione fretus. Cum enim Pontifex doceat quandoque minime opportunum a Sacerdote celebrante diſtribui Euchariſtiam iis, qui adſtant, & participes eſſe cupiunt, quique non aliter animum minime compoſitum Euchariſtiæ, qua par eſt pietate percipiendæ habere demonſtrarent, niſi cum contumaciter, ac refractarie inſiſterent pro accipienda Euchariſtia in iis temporis, loci, & Perſonarum circumſtantiis, quas excipiendas cenſuiſſet Epiſcopus; nonne manifeſte declarat Sacerdotem celebrantem nullo divino præcepto neceſſario urgeri ad communicandos Adſtantes, qui Communionem petunt, quique inſpectis tantum requiſitis ex parte communicantium digni ſunt? Aut certe quidem nonne aperte tradit, eoſdem Sacerdotes Epiſcoporum prohibentium in illis circumſtantiis diſtributionem Euchariſtiæ mandata exequi debere? Si *neceſſario* facienda divino præcepto intra tempus Miſſæ diſtributio Euchariſtiæ, & portionis Victimæ a Celebrante oblatæ Adſtantibus præciperetur, quæ tempora, quæ loca, quæ Perſonæ, quæ circumſtantiæ ſuadere poſſent Epiſcopis *minime opportunum* eandem concedere, niſi iis tantum Perſonis, quæ ex illarum numero eſſent, de quibus juſſit Chriſtus, ne Sancta canibus traderentur?

XII. Quocirca cum argumentis contendam cap. 29. num. 6. a Pontifice in Privilegiis Miſſæ domeſticæ ſimul non concedi Communionem Adſtantium, eandemque non niſi obtenta ab Locorum Ordinariis licentia, vel peculiaribus aliis Pontificiis Privilegiis impetrata miniſtrari poſſe, non jam falſo, ut arguit Anonymus, ſed veritati obſequens dixi, quod *iſta duo* (conceſſio Miſsarum domeſticarum, & conceſſio Communionis Adſtantium) *non omnino cohæreant*, *nec abſolute connectantur*. Enimvero in illis circumſtantiis, ob quas Apoſtolicæ litteræ edocent opportunum minime eſſe celebrantem Sacerdotem diſpenſare Euchariſtiam, Miſſa, & actualis diſtributio Euchariſtiæ non *omnino* cohærent, *abſolute* non connectuntur, ſed potius tunc disjunguntur, & ſeparantur.

XIII. Quamobrem Apoſtolicæ litteræ quibus me erudiri cupit Auctor Obſervationum, (8) evidentiſſime tradunt divina omnia præcepta de Sacrificii celebratione, & Fidelium Communione recte obſervari, etiamſi humanis, ideſt Epiſcopalibus, aut Pontificiis Edictis vetaretur quandoque Communionis diſtributio in Miſſa, pro ut circumſtantiæ illæ temporis, loci, & Perſonarum expoſcerent. Intelligo has circumſtantias exinde pariter attendi, ne ut dixit Pontifex *in laudabilibus aliis inſtitutis oriatur perturbatio*, *unde facile confuſio etiam & ſcandalum oriretur*; ad quæ verba ego reſpiciens num. 3. dixi, *ne ex imprudenti, & irrationabili deſiderio eorumdem petentium inferatur aliis indebitum gravamen*, *ac reliqua Eccleſiaſtica officia turbentur*. *Imprudens* voco *deſiderium* iſtud, quoniam debita circumſtantiarum conſideratione non dirigitur; *irrationabile* vero nuncupo, propter verba Pontificis inferius poſita; *Hæc eorum petitio utpote nec juſta*, *nec rationabilis*: demum *indebitum gravamen aliorum* dixi, ut non ſolum cœterorum Adſtantium, ſed ipſiuſmet Celebrantis complecterer gravem moleſtiam; quæ non-

(8) *E comprenderà in ſomma la grande incompetenza dell' umanamente ſtatuita località delle Meſſe a fronte di un tal Divino comando: l'incertitudine del timore, che per tal Santiſſimo e ſopracceleſtial Miſterio s'impediſcano gli altri Eccleſiaſtici Officj: l'indegnità del riguardo, che ex* imprudenti & irrationabili deſiderio petentium Communionem intra Miſſarum actionem non inferatur aliis indebitum gravamen.

nonnumquam inferretur, ſi nulla facta diſcretione Circumſtantiarum Euchariſtiæ, diſtributio intra eandem Miſſam peteretur. Laudo equidem Euſthatium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, qui graviſſimum laborem, ut pag. 95. Libri Obſerv. dicitur ex cap. 8. vitæ ejuſdem, tulit diſtribuendo *in magnam Populi multitudinem incruenti Sacrificii Communionem ab hora tertia uſque ad nonam*; cui ſimilem frequenter alios Eccleſiarum Antiſtes, animarumque Paſtores ſuſtinuiſſe vix ambigo, vigente veteri more, quo ut Pontifex §. 5. litterarum tradit, *in ſingulis Eccleſiis paſſim unica Miſſa celebrabatur, cui Fideles adſtabant, indeque participabant, quin a ſolis Paſtoribus quemadmodum reliqua Sacramenta, ita etiam Euchariſtiam licite accipere valebant*. Attamen hiſce temporibus, & ex Eccleſiæ diſciplina, quæ modo viget, qua, ut iterum verba Pontificis adhibeam, *ex Sacerdotum celebrantium, ex locorum, Altariumque, quibus ea celebratio publice peragitur, multiplicitate patet cuilibet facile parabilis Sacra Menſa, & ad Sacrum convivium admiſſio*, compellere Sacerdotem aliis diſtentum curis, & maxime ſenem, maxime debilem, maxime Epiſcopum, maxime ſupremum Pontificem ad miniſtrandam Euchariſtiam in Miſſa adſtantibus, & petentibus, enixeque optantibus ad ſimilem aut ferme ſimilem laborem ſubeundum pro multitudine Adſtantium tanto fervidius expoſcentium participationem Sacrificii, quod & ipſi pariter offerunt ea ratione, quæ ipſos decere poteſt, quo ſolemniori pompa, & a potioribus, dignioribuſque Chriſti Sacerdotibus oblatum eſſet, nonne etiam indebitum inferretur gravamen. Id enim *indebitum* voco, quod nec præceptum exigit, nec ratio ipſa in certis quibuſdam circumſtantiis ſuadet.

XIV. Quibus autem modis laudabilia alia inſtituta Eccleſiaſtica perturbari poſſent, aut quo pacto confuſio etiam, & ſcandalum facili negotio oriri contingeret, niſi pro loco, & tempore a Sacerdote celebrante diſtributio Euchariſtiæ intra Miſſam omitteretur, melius ex Epiſcoporum judicio poterimus Amice Cariſſime intelligere, & conſideratis Eccleſiaſticarum ſolemnitatum, atque Sacrarum functionum obſervationibus deprehendere, quam hic a me indicari operæ pretium ſit. Quod porro attinet ad aſſertam in Libro Obſervationum pag. 42. adn. c. (9) dilationem Communionis ex conſecratis particulis uſque ad completam Miſſam, libenter concedo tunc impediri gravamen adſtantium non communicantium, & proinde hanc etiam rationabilem cauſam eſſe agnoſco, ut Communio fieri poſſit *poſt Miſſam*, ſicut exigit Rituale Romanum Tit. de Min. Sac. Comm. eandemque cauſam differendæ diſtributionis Euchariſtiæ ad Miſſæ finem probavit Pontifex in Opere de Sac. Miſſæ jampridem edito. Viciſſim autem concedendum erit haud ſemper abſque perturbatione laudabilium aliorum inſtitutorum, & abſque aliqua confuſione hunc ipſum modum diſtribuendi Euchariſtiam poſt Miſsam obſervari poſse, & maxime in Miſſis celebratis cum magna ſolemnitate, ingentique Populorum concurſu peractis,

(9) *Coteſto aggravio o incomodo, che pur non può dirſi giammai* indebito, *del praticare la Comunion de' Fedeli in quel tempo, in cui dice il Ritual Romano, che* fieri debet, *cioè* ſtatim poſt Communionem Sacerdotis Celebrantis, *ſecondo il ſenſo naturale delle Liturgiche Poſcomunioni; ſi permette di riſparmiarlo qualche volta agli altri aſtanti non comunicanti, col diſpenſare* quandoque *in fin della Meſſa le ſteſſe Oſtie ritenute ſull' Altare*, uſque ad finem Miſſæ, *qualor non tutto il Popolo, ma ſolo una gran parte di eſſo, prudentemente ſempre e regionevoliſſimamente, e non mai* ex imprudenti & irrationabili deſiderio, *ama di participar realmente del medeſimo Sacrifizio*. Rit. Roman. in Ordin. Miniſt. Sacr. Com., & Miſſal. Rom. in Ritu celeb. Miſs. §. 10. nu. 6. & 7.

ctis, aut certis in Altaribus, locis, in quibus cum non poſſit aſservari Euchariſtia extra Sacrificium, vix aliquando poſset evitari quodcumque periculum alicujus irreverentiæ erga particulas conſecratas poſt Communionem ſuperſtites, aut earumdem parva fragmenta; ad quæ, aliaque incommoda præcavenda, aut nullæ formatæ ad alios communicandos a Celebrante conſecrantur, aut pauciſſimæ pro miniſtrorum, & paucorum quorumdam, ſicut in Miſſis Papalibus fieri ſolet, Communione.

XV. Quare Pontifex prudentiſſimus poſtquam dixiſſet quandoque pro tempore, loco, & Perſonis minime opportunum cenſeri a Sacerdote celebrante Euchariſtiam diſtribui iis, qui adſtant, non alios ſuggerit modos ejuſdem diſtributionis differendæ ad finem Miſſæ, aut transferendæ pyxidis ad aliud Altare, & per alterum Sacerdotem miniſtrandæ Communionis; ſed unice tradit facilem; & obviam ſuppetere rationem accedendi ad Menſam Euchariſticam pluribus aliis locis cuivis inſtructam. Addam quod tenuitas mea neſcit cogitare ullum diſcrimen inter Communionem, quæ fit poſt completam Miſſam particulis conſecratis in eadem Miſſa, & illam quæ fieret ex particulis in altera Miſſa conſecratis; cum revera Miſſa completa, de completo penitus Sacrificio nemo poſſit ambigere; & ſicut vere dicitur participare de Sacrificio, qui partem Victimæ in Sacrificio paullo ante oblato ſumit; ita Pontifex docet eos participare de Sacrificio antea peracto, *quibus Sacerdos Euchariſtiam reſervari ſolitam miniſtrat*, nullum verbum ſubdendo ſive de reſervatione facta per breviſſimum, ſive per longum tempus.

XVI. Transeamus Amice optatiſſime ad illas breviter cauſsas, quibus ad prohibendam Communionem domeſticam in Oratoriis privatarum domorum efficaciter permotos Epiſcopos arbitror, quaſque cum n.5. *graves* appellaſsem, Auctor Obſervationum pag. 42. invalidas (10) autumat, nulla tamen prolata ratione, niſi quia cauſis illis non obſtantibus conceſsum fuerit Miſsas in prædictis Oratoriis celebrari. Verum etſi aliquæ ex illis cauſis, quarum gravitas manifeſta eſt, Romanos Pontifices permoveant, ne paſſim, & ſine Perſonarum differentia Privilegium Miſsæ domeſticæ concedant, non tamen iis expedire videtur Privilegia Miſsarum in Oratoriis domeſticis nulli concedere, ſed periculis irreverentiæ erga Divina Myſteria, aliiſque incommodis, quæ ex Miſsarum conceſſione in iiſdem Oratoriis irrepere poſsent, ſatis conſultum eſse judicant pluribus ilis conditionibus, & requiſitis, quibus eadem Privilegia coarctant, quaſque in Opere de Orator. expoſui; imo antequam litteræ Privilegii tribuantur, teſtimonium exigitur Ordinariorum, qui Oratores dignos eſse gratia petita teſtentur; cauſæ autem illæ a quibus permotos Epiſcopos cenſui cap.29. n. 5., ne ſinerent ſine ipſorum licentia Communionem tribui in Oratoriis domeſticis, peculiari ratione Euchariſtiæ diſtributionem reſpiciunt, & præſertim urgent, *ubi libere Adſtantibus liceret in Oratorio privato Euchariſtiam ſumere*; ſicut dixeram, cum cauſſas illas enumerarem. Quamvis enim Privilegium Apoſtolicum ſuffragetur ſolum Privilegiatis, aliiſque in diplomate nominatis ad Satisfaciendum Eccleſiæ præcepto Miſſæ diebus feſtis; libere tamen poſſunt, quicunque voluerint, eidem Miſſæ cauſſa devotionis intereſse, niſi a Privilegiatis ipſis repellerentur. Quod ipſum advertens Anonymus pag. 62. attenta conceſſione Miſsæ domeſticæ haud dubitat licitum eſse omnibus quibuſcunque de Sacrificio illo participa-

(10) *Comprenderà ...... l' inſuſſiſtenza di que' tanti altri motivi di proibirne l'uſo in que' luoghi, ove con tutti que' motivi ſia ſtata pur conceduta da legittima Autorità la Santa Meſſa.*

eſpare Communione Euchariſtica, niſi aliud peculiariter alicubi obſtaret.

XVII. Recole nunc dilecte Vir cauſas a me illo in loco indicatas, & primo illam de facili occaſione abuſuum, qui in diſtributione Euchariſtiæ non raro gliſcerent, eoque facilius, quo magis creſceret numerus communicantium in Oratoriis privatarum domorum, præcipue cum haud liceret, Epiſcopis hos potius præ aliis excipere a Communionem inibi ſumenda, quoties ut judicat Anonymus, ratio repellendi quoſdam a participatione Sacræ menſæ ubique paratæ ſeu parandæ unice deſumenda foret ab illis impedimentis, propter quæ accedentes indigni convincuntur, vel non probatæ pietatis. Profecto ſi libera eſset miniſtrandæ Euchariſtiæ facultas in privatis illis Oratoriis, vix evitari poſsent pericula irreverentiæ, quæ nonniſi magna ſedulitate, & ſollicitudine Sacrorum Miniſtrorum ab Eccleſiis arcentur cuſtodia, & nitore Sacræ pyxidis, linteorum expanſione, & munditia, parvarum oblatarum diligenti præparatione, aliiſque multis modis, quæ omnia licet in quorumdam domeſticis Oratoriis eſse obſervanda prudenter ſibi ipſis polliceri poſſent Epiſcopi, in aliis tamen plurimis, ne neglectui traderentur, prudentiſſime vererentur.

XVIII. Altera cauſa quam protuli, Communionem ipſam Fidelium adſtantium maxime attingit; nam licet propter Privilegia Miſsarum domeſticarum minuatur frequentior acceſſus ad Eccleſias, multo ſane magis frequentia ipſa imminueretur ſimul conceſſa facultate domeſticæ Communionis Adſtantium, qui ſaltem ad ſumenda divina myſteria Eccleſias frequentant. Gravis adeo viſa fuit hæc cauſsa Benedicto XIV., ut in ſuo Edicto 44. pro Bononienſi Diœceſi ante Pontificatum Supremum, edito, eam præcipue ſelegerit: ut §. 3. num. 12. Communionem in privatis Oratoriis abſque ſpeciali ſua licentia prohiberet hiſce verbis. *E però acciochè le Chieſe pubbliche non ſervano che per le ſole perſone, che non hanno in Caſa l' Oratorio privato, e per altri degni riſpetti comandiamo, & Ordiniamo, che nelli Oratorii privati, non oſtante la conceſſione della Meſſa, non ſi amminiſtri il Sagramento dell' Eucariſtia in verun modo da qualunque Sacerdote Secolare, o Regolare, ſe prima da Noi, o dal noſtro Vicario Generale non ſe ne ſarà ottenuta la licenza.*

XIX. Hinc conſequitur tertia cauſa, quæ ex publicis pietatis exemplis a Communione Fidelium in loco publico percepta prodit, cum bona opera alios ad imitationem non excitent, quæ palam non fiunt. Alterum quod poſtea addidi, ne videlicet Animarum Paſtores penitus lateat, qua frequentia Fideles ad Sacram menſam accedant, non æque militat pro adimpletione præcepti audiendæ Miſsæ, cum illis facile innoteſcant, quibus Privilegio Apoſtolico Miſsæ in Oratorio domeſtico frui conceſsum fuerit.

XX. Ultima tandem cauſa a me prolata, exinde videlicet *nimis immoderate* laxari *Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigorem, qui alibi quam in locis Sacris a Fidelibus Euchariſtiam ſumi ægerrime patitur*, abſque ulla dubitatione opportunam fore prohibitionem Epiſcopalem, ne domeſtica fiat Communio ſine Epiſcopali licentia ab his, quibus ſingularis Privilegii favor pro Communione in Oratoriis privatarum ædium licite, & libere ſumenda a R. Pontifice conceſsus non fuerit. Enimvero licet Eccleſiaſticæ Leges exigant tam Miſsas in Eccleſiis, & Locis ad divinum tantum cultum dedicatis peragi, ut cum Tridentino Concilio Seſs. 22. loquar, cujus mentem cap. 13. de Orat. late expendi; quam in Eccleſiis, ſeu Oratoriis privatis ex diſpenſatione, ſeu Privilegio Pontificis de manu Sacerdotis ſumendam SS. Euchariſtiam, ut utar verbis Decreti S. Congregationis Concilii Anni 1679., de quo infra in hac Epiſtola tecum Amice agendum erit; tamen

cum

cum RR. Pontifices rigorem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ circa locum Miſſarum celebrandarum nonnihil remittendum cenſuerint, nec hactenus eis viſum fuerit expedire, ut Privilegia Miſſarum domeſticarum minus frequenter concederentur, ſaltem eundem rigorem adhuc ſervaverunt, & ſervant in eo, quod rariſſime largiantur alia Privilegia Communionis in Oratoriis Privilegiatis, ejuſque conceſſionem relinquunt Epiſcoporum judicio, qui ad eam ſumendam ſicut ob occurrentes juſtas, & neceſſarias cauſas licentiam poſſunt concedere; ita e contra *nimis immoderate* relaxari ſinerent Eccleſiaſticas Leges de Communione in locis ad divinum tantum cultum dedicatis diſtribuenda, ſi permitterent omnibus Adſtantibus Sacrificio in Oratoriis Privilegiatorum peracto, iis tantummodo exceptis, de quibus prudenter dubitarent an indigni eſſent ut ad Euchariſticam menſam admitterentur. Hæc de cauſis prædictis ſcripſiſſe tibi ſufficiat.

XXI. Abſurda me, & pugnantia dixiſſe redarguit Anonymus, (11) ubi cap. 29. n. 3. hæc poſui: *Bene diſpenſari, in ſingulis Miſſis Sacramentum Euchariſtiæ; & aliquando intra tempus Miſſæ merito denegari quibuſdam moroſis, ac importunis Fidelibus, qui aliter ſuis deſideriis ſatisfacere valent*: Inter quæ ea cum primis verba *quibuſdam moroſis &c.* dira cenſura afficit, exclamatque continuo barbarum id eſſe loquendi genus, & in Eccleſia Catholica hactenus inauditum. Obſtupeſcis Amice tantam mihi tribui mentis craſſitiem, ut in verbis proxime inter ſe junctis advertere non valuerim contradictionem, quam Pueri contradictionis natura cognita devitaſſent; tamque male de me judicari, ut auſus fuerim ſermonem in Eccleſia Catholica novum, inauditumque proferre. Ego autem manifeſte depello contradictionis vitium mihi reſtitui depoſcens nonulla verba mea ab Anonymo prætermiſſa, nimirum; *& aliquando certis in circumſtantiis illius diſtributionem intra tempus &c.*, quibus a generali propoſitione aliqui caſus propter ſingularitatem circumſtantiarum excipiuntur. Tum iterum profiteor, ſicut num 3. profeſſus fueram, quod nempe illa *duo ſimul expreſſe demonſtrant prudentiſſimæ litteræ Benedicti XIV*.

XXII. Primum quod recte diſtribuatur in ſingulis Miſſis Euchariſtia, profecto Auctor Obſervationum in dubium non revocabit, & clariſſime oſtendunt verba ſuperius ex §. 3. earumdem litterarum recitata. Alterum vero an non pariter manifeſtiſſime declaratur illis verbis Pontificis, *quandoque pro tempore, loco, & Perſonis .... minime opportunum a Sacerdote celebrante diſtribui Euchariſtiam iis, qui adſtant*; unde ſupra monendos dixit Fideles, *ut participes eſſe cupientes Sacræ Menſæ ſtudeant tempus, locum, & circumſtantias nanciſci, quibus & ipſi juſtorum votorum ſuorum compotes evadant, nec inſtituta illa* (alia) *pietatis impediant*? Ita evidens eſt a Pontifice traditum *aliquando certis in circumſtantiis* merito denegari Euchariſtiam intra tempus Miſſæ, ut in collectione Bullarum, & Litterarum Pontificis Romæ Typis Collegii de Propaganda Fide Anno 1746. Tomo I., cui alias litteras Doctiſſimus Pontifex ad ſuos Bononienſes præfixit, in fronte litterarum, de quibus diſſero, hæc tantum velut ſum-

(11) *Comprenderà .... l' aſſurdità (ſimile in tutto a quella del primo Scrittore riferita nel* §. *XIII.) di quel ſuo* Bene diſpenſari in ſingulis Miſſis Sacramentum Euchariſtiæ, *e poi* aliquando intra tempus Miſſæ merito denegari; *che è quanto dir, bene e male nel tempo ſteſſo (non parlando già egli dal negarla agl' indegni, ma ſolo* quibuſdam moroſis ac importunis Fidelibus, qui aliter ſuis deſideriis ſatisfacere valent; *e non intendendo egli in quel ſuo* bene *di computarvi mai differenza alcuna da Comunione di Sacrifizio a Comunion di ſemplice Sagramento).*

Che barbero linguaggio, inudito finora nella Chieſa Cattolica!

ma eorum, quæ præcipue in illis traduntur, verba collocata fuerint: *Sacerdotes Miſſam celebrantes non teneri Sacram Euchariſtiam omnibus petentibus infra ipſam actionem miniſtrare*. Porro Adſtantes illi, quibus minime opportunum dixit Pontifex a Sacerdote celebrante diſtribui Euchariſtiam, non *indigni* vocantur; ſed ii, *quibus eo ipſo tempore facilis, & obvia ſuppetit ratio ad eandem Menſam accedendi pluribus aliis locis cuivis inſtructam*: quique propterea tunc ſolum indigni deprehenderentur, *ſi ita moniti importune inſiſterent, pro accipienda Euchariſtia in iis temporis, loci, & Perſonarum circumſtantiis, quas excipiendas cenſuiſſet Epiſcopus Ritualis Romani auctoritate etiam fretus*; quoniam *hæc eorum petitio utpote nec juſta, nec rationabilis contumacem, ac refractarium animum demoſtraret, cupidumque perturbationis, ac proinde minime compoſitum Euchariſtiæ, qua par eſt, pietate percipiendæ*.

XXIII. En totum illud loquendi genus in Eccleſia Catholica, & a Supremo illius Rectore uſurpatum, e quo verba mea depromta fuerunt. Quos Pontifex *importune inſiſtere* dixit, eos ego *moroſos, ac importunos* dixi, importunitate ipſa moroſitatem, ſeu faſtidium Sacerdotibus inferentes: Quibus dixit Pontifex *facilem, & obviam ſuppetere rationem ad eandem Menſam accedendi*, ut videlicet *juſtorum votorum ſuorum compotes evadant*, ego compendio uſus, ſimulque expreſſurus vehementiam eorumdem votorum dixi eos *aliter ſuis deſideriis ſatisfacere valere*.

XXIV. Accedo ad aliam accuſationem ultimo loco in §. 17. Libri Obſerv. poſitam, (12.) qua verba mea, quibus num. 3. *diſciplinam Eccleſiæ* nuncupavi Euchariſtiæ diſtributionem extra Miſſam, *ut ita commodius Fideles Chriſtum ſumere poſſint*, falſitatis & injurie adverſus vetuſtiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem acriter redarguuntur. Amice Sagaciſſime accipe integre verba mea, quæ ut in compendium redigerem litteras Pontificias, adhibui. *Hinc licet per ſe valde conveniat, ut in ſingulis Miſſis Divinum panem edant Fideles, tamen cum aliunde juxta præſentem diſciplinam Eccleſiæ, quae extra tempus Sacrificii, & tunc maxime quando aliqua prudens cauſa ſuaſerit diſpenſationem Euchariſtiæ permittit, ut ita commodius Fideles Chriſtum ſumere poſſint, etiam ſæpe expedit, ut Fideles ipſi ab importuna petitione Communionis intra tempus Miſſæ miniſtrandæ abſtineant, quando forte ipſa Euchariſtiæ diſtributio aliquam occaſionem perturbationis in Eccleſiaſticis Officiis præberet*.

XXV. Audi jam vero latius hæc ipſa litteris Pontificiis contineri. Præmiſſo controverſiæ ſtatu *de obligatione, qua Sacerdotes Miſſas celebrantes adſtringantur Euchariſtiam miniſtrare intra eaſdem Fidelibus iis, qui ad ipſam accipiendam paratos ſe exhibent, ac petunt Sacrificii, cui adſtant, participes fieri*; primo recolit Pontifex Capitulum VI. & Canonum VIII. Seſſionis XXII. Concilii Tridentini definientis illicitas non eſſe Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat. Tum ejuſdem Concilii, ſuumque votum pro frequenti Fidelium Communione ad cujuslibet Miſſæ cele-

(12) *E finalmente (comprenderà) la falſità ingiurioſa all'antichiſſima pratica, non mai certamente caſuale nè improvvida, ma Divinamente e Appoſtolicamente avvedutiſſima e prudentiſſima della Chieſa, ed anche alla ſua preſentanea e immutabile, non men ſapientiſſima e ſantiſſima intenzione, contro cui egli volle chiamar diſciplina della Chieſa ſteſſa l'odierna sì uſitata Comunion de' ſani fuor della Meſſa*, ut ita commodius Fideles Chriſtum ſumere poſſint; *quando tutti i dotti e Santi Uomini gridarono e gridan ſempre, che il far ciò sì d'ordinario, e non per mera eccezion di regola, egli è un abuſo della tolleranza della medeſima Chieſa, un' infingardaggine e traſcuraggine de' Miniſtri, e un' ignoranza incallita sì di molti de' medeſimi, come de' laici, che non ſanno, o non penſano alla vera proprietà del Rito, nè al maggiore o minor frutto, che nell'una o nell'altra guiſa provvengane.*

celebrationem exprimit hoc modo : *Nihilominus quandoquidem vetus Eccleſiæ praxis, & diſciplina juxta quam Fideles Miſſis adſtantes participare paſſim, atque in publicis conventibus ſolebant Sacroſanctum Sacrificium, inſtitutioni, & exemplo Domini omnimode convenit*, verba ejuſdem Concilii eo ipſo Spiritu, quo ab eodem prolata ſunt iteramus : *Optaret &c.* Quamobrem noſtrorum temporum Fideles ad exemplum imitandum Fidelium primorum ſæculorum excitari optat *ad eam mentis puritatem ſectandam, unde digni reddantur frequenti ad Sacram Menſam acceſſu, & non Spirituali tantum, ſed Sacramentali etiam participatione Sacrificii, quod a Sacerdote tamquam publico Eccleſiæ Miniſtro non pro ſe tantum, ſed pro ipſis, & ipſorum nomine offertur*. Paucis ego hæc complexus ſum illis verbis : *licet per ſe valde conveniat, ut in ſingulis Miſſis Divinum Panem edant Fideles*, nec opus fuit alia repetere, ſive quæ ſuperius dixeram num. 2. *Cum valde antiquæ Chriſtianorum diſciplinæ, ac Inſtitutioni Cœnæ Dominicæ congruat, ut qui præſentes fuerint Sacrificio, non ſolum ſpirituali affectu, verum etiam ipſa perceptione Euchariſtiæ uberiorem de Sacrificio fructum participent*; ſive cum vota Tridentini Concilii a Pontifice iterata ſupra recolui. Pergit Pontifex §. 3. probare morem ad conſortium ejuſdem Sacrificii admittendi Miſſæ Adſtantes, ita ut increpandi forent ab Eccleſia Sacerdotes illi, quorum culpa, & negligentia Fidelibus participatio illa denegaretur : Verba Pontificis legiſti Amice antea recitata, cum præcedentes accuſationes diluens, in Capitulo 29. de Orat. ad illa me omni ex parte conformaſſe oſtendi.

XXVI. Intuere jam quibus ex verbis Pontificiis expreſserim cætera, quæ a me uſurpata falſa, & injurioſa Eccleſiæ conſuetudini inſimulantur. Pontifex dum §. 5. ubi ad animarum Paſtores pertinere tradit opportunitatem temporum, & locorum pro Communione ſtatuere, (verba ſunt iſta ad oram poſita hujus §. in editione prædicti Tom. I. Bullarii) hæc profert : *Hiſque Paſtorum ſuorum monitis Fideles ſeſe dociles præbentes cavebunt, ſi quandoque pro tempore, loco, & Perſonis Epiſcopus minime opportunum cenſuerit a Sacerdote celebrante Euchariſtiam diſtribui iis, qui adſtant, quibus ſcilicet eo ipſo tempore facilis, & obvia ſuppetit ratio ad eandem Menſam accedendi pluribus aliis locis cuivis inſtructam* : Pontifex inquam dum hæc protulit, non determinate reſpexit, nec coarctavit ad Communionem ſumendam in altero Sacrificio, cum illis adſtantibus *eo ipſo tempore* facilis, & obvia non ſuppeteret ratio tunc ad eandem accedendi, vel nullo Sacerdote celebrante, vel ad aliam Eccleſiam non ſemper eo ipſo tempore accedere valentibus, vel aliis impedimentis occurrentibus ; ſed univerſim facilitatem, & obviam rationem accedendi ad Sacram Menſam ſignificavit, quoniam *pluribus aliis locis cuivis* eadem Menſa inſtructa eſt. At quæſo te num tantum inſtructa ſit Menſa Divina, cum Sacerdos Miſſarum ſolemnia complet, & non etiam propter aſſervationem Euchariſtiæ, quæ in Eccleſiis non tam ad Infirmorum, quam ad aliorum Fidelium Communionem facile, & opportune (utrumque enim horum Tò *Commodius* a me uſurpatum ſignificat :) ſumendam in tabernaculo conſervatur ?

XXVII. Plurimis autem modis ſubinde Pontifex §. 5. docet hodiernam diſciplinam Eccleſiæ reddere faciliorem acceſſum ad Euchariſtiæ participationem *ex Sacerdotum celebrantium, & locorum, Altariumque, quibus ea celebratio publice peragitur, multiplicitate* ; cum e contra *veteri more in ſingulis Eccleſiis paſſim unica Miſſa celebrabatur, cui Fideles adſtabant, indeque participabant, quin a ſolis propriis Paſtoribus, quemadmodum reliqua Sacramenta, ita etiam Euchariſtiam licite accipere valebant*. His Pontificis verbis nondum enitet

facilitas major hodierni temporis ad Euchariſtiam ſumendam a Fidelibus bene valentibus ex ritu eandem diſtribuendi extra Miſsam: Aſt abunde facilitatem ipſam exprimit Pontifex, cum poſtea aſserit Epiſcopum quaſdam circumſtantias excipiendas cenſentem, ne in Miſsa, cui adſtant, Fideles Communionem ſumant, etiam *Ritualis Romani auctoritate* eſse fretum.

XXVIII. Jam vero Amice dilectiſſime breviter perpendamus Ritualis Romani auctoritatem Tit. de SS. Euch. Sac. Monita, quæ in ipſo præmittuntur ad digne miniſtrandam, ſumendamque Euchariſtiam nequaquam ad Communionem intra Miſſam faciendam limitantur; imo potius quædam peculiariter Communionem Fidelium extra tempus Miſſæ reſpiciunt, illa videlicet quibus monetur Parochus, *ut perpetuo aliquot particulæ conſecratæ eo numero, quo ſuorum infirmorum, & aliorum Fidelium Communioni ſatis eſſe poſſint, conſerventur in pyxide .... in tabernaculo clave obſerato*; & ut *Sanctiſſimæ Euchariſtiæ particulas frequenter renovet*: Deinde ritus Sacræ Communionis extra Miſſæ actionem miniſtrandæ a Sacerdote *ſuperpelliceo, ac deſuper ſtola* induto Rituale explanat; Poſtea tradit, quod *Communio Populi intra Miſſam*, quæ nempe in ipſa Miſſa fit, *ſtatim poſt Communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet*, propter hanc cauſam, *cum Orationes quæ in Miſſa poſt Communionem dicuntur, non ſolum ad Sacerdotem, ſed etiam ad alios Communicantes ſpectent*; Illæ enim verbo multitudinis exprimuntur. Excipit autem Rituale cauſam rationabilem, ob quam expediat Communionem ipſam poſt finem Miſſæ facere; *niſi quandoque ex rationabili cauſa poſt Miſſam ſit facienda*: Hoc quippe caſu eundem ritum ſervandum eſſe docet, quem ſervandum miniſtrando Euchariſtiam poſt Communionem Celebrantis præcipit: *Quod ſi contingat* (ſunt verba Ritualis) *abſoluta Miſſa ſtatim aliquos interdum communicari, tunc Sacerdos adhuc planeta indutus Sacram Communionem eo modo, quo ſupra dictum eſt, miniſtrabit*.

XXIX. Hæc omnia oſtendunt vera eſſe, quæ dixeram ego n.3. cap.29. *præſentem diſciplinam*, ideſt modum, normam, morem, conſuetudinem (Hæc enim diſciplinæ nomen ſignificat) *Eccleſiæ extra tempus Sacrificii diſpenſationem Euchariſtiæ permittere, & tunc maxime quando aliqua prudens*, ſeu rationabilis *cauſa ſuaſerit*; altera nempe illarum circumſtantiarum occurrente, quas tradente Pontifice §.5. excipiendas cenſuiſſet Epiſcopus. Quid ergo falſi ſcripſi? Quid nam litteris Pontificis non conſonans? Quam injuriam veteri diſciplinę Chriſti exemplo munitæ inuſſi, quam propterea *valde congruentem*, uti æquum erat, laudavi, & laudo; quamque ab Eccleſia adhuc *cautiſſime, prudentiſſime, ſapientiſſime, & ſanctiſſime* cuſtoditam exceptis circumſtantiis prędicti ego etiam ſequor? Quod verbum protuli adverſum dicta illorum Sanctorum, Doctorumque Virorum Communionem Fidelium intra Miſſam commendantium, & adhortantium, ſicut Pontifex in ſuis laudatis litteris, ut Fideles *digni reddantur frequenti ad Sacram Menſam acceſſu, & non Spirituali tantum, ſed Sacramentali etiam participatione illa Sacrificii, quod a Sacerdote tanquam publico Eccleſiæ Miniſtro non pro ſe tantum, ſed pro ipſis, & ipſorum nomine offertur*? Ubi nam dixi ſine cauſa rationabili denegandam a Celebrante Fidelibus participationem Sacrificii intra Miſſarum celebrationem? Ubi nam dixi Fideles ſollicitos in eo veterum Patrum more ſervando eſſe non debere, cum ad Communionem accedunt; niſi etiam ipſos rationabilis cauſa moveat ad eam extra tempus Miſſæ percipiendam? An denique illud etiam imputandum mihi erit me invidere uberioribus Fidelium fructibus, qui illis ex Sacramentali participatione Sacrificii

cii

cii proveniunt; nec in tanta ubertat ad alios Sacramentaliter non communicantes profluunt; Etſi Sacrificium offerri ad impetranda a Deo beneficia omnibus Fidelibus, & in ſatisfactionem, ſeu propitiationem pro peccatis viventium, & defunctorum in Chriſto Orthodoxi omnes profiteamur? Longiſſime a me, meiſque ſcriptis abſunt univerſa hæc portenta, ſeu melius inventa, quæ forſitan aliquis ſolum legendo poſtrema verba §.17. Libri Obſervationum, & Capitulo meo 29. non perlecto a me admiſſa ſuſpicari poſſet.

XXX. Rejectis omnibus erroribus, quibus dicta n. 2. & 3. Capituli 29. fœdata fuerunt, & in quibus nihil non depromptum ex litteris R. Pontificis aut ſaltem iis non omnino conſonum continetur, brevius reſpondebo his, quæ ab Anonymo §.18. & ſeqq.(13) adverſus duo genera argumentorum, quibus poſt Pontificium Privilegium Miſſæ in Oratoriis privatarum ædium celebrandæ aliud privilegium, vel ſaltem expreſſam Epiſcopi licentiam requiri oſtendi, ut Communio Euchariſtica licite in illis miniſtrari poſſit. Synodalia Decreta Epiſcoporum, quæ expreſſe vetant Communionem ibi diſtribui abſque ipſorum licentia, & Pontificia aliquot privilegia peculiarem facultatem Communionis domeſticæ elargientia protuli. Neque enim planius, tutiuſque dirimi poteſt quæſtio de licito, vel illicito opere poſt conceſſionem alicujus Privilegii, quam perpendendo Decreta eorum, ad quos pertinet, etiam ex voluntate Privilegium elargientis, ſtudioſe curare, ne quis Privilegii ejuſdem limites tranſgrediatur, aut inveſtigando an ille, qui Privilegium conceſſit, ad illud unice remittat Oratores, qui facultatem poſtulaverint, ut id licite peragere valeant, ſicut exemplum cap. 21. num. 30. de Orat. declarat; an vero novum, & peculiare Privilegium concedat ad idem opus peragendum, ſicut exempla in Capitolo 29. demonſtrant.

XXXI. Multa ſunt, in quæ Anonymus ſe effundit declinaturus, aut ſaltem infirmaturus vim eorumdem argumentorum; ſed pauca adverſus me congerit. In primis pag. 49. (14) tradit Synodalia Decreta non jam prohibere Communionem ipſam in Oratoriis privatis; ſed ſolum conſulere, ut in illis *melius*, *cautioreque decentia* fiat; cum enim Oratoria privata ſint,

(13) *Ma perchè codeſto ſecondo Scrittore tratta di propoſito della Comunion delle Meſſe Celebrate negli Oratorj privati, e qui è dov' egli* aerem verberans, *ſi fa bello con Epiſcopali Editti, e con Apoſtolici Privilegj ſopra tal Comunione, quaſi coſe contrarie a' da lui non inteſi intemerati principj di noſtra Cauſa; egli è meſtiere diffonderci alquanto più ſu queſto particolare &c.*

(14) *E come non ſi accorſe egli (il qui confutato Trattatore delle Familiari Capelle), che il proibire di Comunicare in que' luoghi ſenza licenza, non è gia un proibire la Comunione, ma un provvedere che la Comunione facciaſi ivi meglio, e con più accertata decenza? Come non conſiderò, che non eſſendo i familiari Oratorj eſpoſti alla pubblica viſta della Chieſa, non ſi può però dire che le perſone ſien colà in faccia alla Chieſa ſteſſa degne aſſolutamente, e ben diſpoſte alla Santa Comunione, ma vi anno ſempre una indiſpoſizion preſuntiva, la quale avvegnachè non baſti da ſe a rendergli veramente immeritevoli e incapaci di comunicarſi, e perciò in quelle Dioceſi, ove non è preſcritto dagli Ordinarj di chieder prima a tal fine il di loro eſpreſſo aſſenſo, reſti interamente libero, e da neſſun'altra legge interdetto agli aſtanti a quelle Meſſe il participare Sagramentalmente delle medeſime, ſol che realmente degni e ben preparati (come dimoſtrò anche il Clericato* de Sacram. Euch. decil. 8. n. 54.,) *con tutto ciò quella preſuntiva indiſpoſizione è ſufficiente motivo per devenire alla prefata provvida ordinazione, col cui adempimento* qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, *venendo ſpezialmente approvato e dichiarato perſona giuſta anche dal proprio Paſtore? Come non vide, che i ſupremi Privilegj conceduti in tal caſo, non fann'altro che ſuplir al detto biſogno di una particolar approvazione, e togliere l'anzidetta profonzion d'indiſpoſizione, che cade meritamente nell' animo della Chieſa ſopra di sì appartati Comunicanti? I quali eſſendo i Templi, e gli Altari vivi, ove s' ha ad accogliere Gesù Sagramentato, poſſono ben più abbiſognare di eſſer viſitati e approvati, che non gli altari e luoghi materiali deſtinati per la celebrazion delle Meſſe domeſtiche.*

ſint, qui in illis Miſſæ interſunt, tradente Anonymo *ſemper habent præſumptam indiſpoſitionem* ad Communionem, quæ ſufficiens fundamentum Epiſcopis ſuppeditat illam prohibendi, niſi prius ab ipſis obtenta licentia, per quam ſpecialiter idonei ad eandem ſumendam probentur. Nullum de verbis litigium inſtituam, & ſi lubet, etiam ego dicam illis Statutis *abſolute* domeſticam Communionem non denegari; dummodo neque mihi contradicatur Communionem ipſam vere in iiſdem Statutis denegari, *niſi facultate ab Archiepiſcopo petita*, ut habetur in Panormitano Decreto cap. 29. num. 5. recitato, *ſine noſtra licentia*, ut legitur in altero Aquilejenſi. Similiter non ibo inficias ex neceſſitate petendæ, & benigne conſequendæ licentiæ ab Epiſcopo, ut Euchariſtia miniſtretur in Oratoriis privilegiatis, magis coſuli decentiori ejuſdem diſtributioni, cautiuſque etiam præfixis iis limitationibus, quas in licentiæ conceſſione opportune addendas judicaret Epiſcopus, arceri illa pericula, quæ in Oratoriis prædictis facile oritura putat Anonymus §. 21. (15) ob ignaviam, & puſillitatem illorum Sacerdotum, qui pene in domibus Laicorum mancipati magis verentur faciem hominis, quam Deum ultorem inique diſpenſationis cœleſtium Sacramentorum. Tandem non repugnabo ex neceſſitate ejuſdem Epiſcopalis licentiæ facilius vitari aliud periculum irreverentiæ erga Sanctiſſ. Euchariſtiam ex indecentia habitus Communicantium exoriens; etſi ambigere nequeamus a Concilio Tridentino Seſſ. 22. Dec. de Obſer. & Evit: exigi eandem habitus decentiam ab omnibus Adſtantibus Sacrificio. Poſtquam enim Concilium edidiſſet Decretum de non permittenda Miſſarum celebratione niſi in Eccleſiis, & Locis ad Divinum tantum cultum dedicatis, ſtatim addidit; *Ac niſi prius, qui interſint* [Sacrificio] *decenter compoſito habitu declaraverint ſe mente etiam, ac devoto cordis affectu non ſolum corpore adeſſe*: Unde ne in exercitio Privilegii Miſſæ Domeſticæ ſimilis ſubrepat abuſus, Ordinarii Locorum in approbatione privatorum Ordinariorum identidem de hac habitus decentia non negligant Privilegiatos monere, ac Eminentiſſimus Cardinalis Spinellus publico Edicto ſuis Neapolitanis Privilegiatis indecentiam veſtium ab Oratoriis domeſticis avertendam indixit.

XXXII. Quamvis vero illa conceſſerim Anonymo, numquam tamen ipſi concedere potero, quod ob meram *præſumtionem indiſpoſitionis* Communicantium prohibentia illa Statuta prodierint, niſi nova, & nondum hactenus edita aut ab Epiſcopis, aut a Rom. Pontifice Statuta proferantur. Etenim a Romanis Pontificibus Communionis ſumendæ in Oratoriis domeſticis facultas nonniſi *ob infirmitatem*, aut *convaleſcentiam*, aut *ſenium* aut *mariti multiplicem infirmitatem* con-

(15) *Negli Oratori famigliari ognun vede quanto a ragione temer ſi poſſa, che i ſoggetti non vi ſieno appunto tutti e ſempre tali, e che talvolta la ſervil dipendenza di que' Sacerdoti, che il Santo Arciveſcovo Agobardo (S. Agobar. Archiep. Lugdun. tract. de Privil. & jur. Sacerd.) ed il Pontefice Niccolò I. (Ex Cronic. Hug. de Flavigni in Capitular. Theodul. Aurelian. c. 45.) udirono con loro indegnazion mancipati* in domibus laicorum, *e chiamati* Preti del tal Conte, o del tal Duca, *non ſia per aver petto ſufficiente a reprimere, non direm quelle corruttele, e quel miſto di fuoco ſagro e profano, che su' dimeſtici Altari piangeva a' ſuoi tempi S. Baſilio Magno (Homil. in Pſalm. 115.), ma alcuna almeno di quelle improprietà e irriverenze, che vi ſuccedevano, e ſi rappreſentarono alla Sagra Congregazion del Concilio al tempo d' Innocenzo XI. (Decr. de Comm. Quot. 12. Feb. 1679.). Si ſa in oltre, che lo ſteſſo Concilio Sagro di Trento eſige ben giuſtamente anche per la ſemplice aſſiſtenza alla ſanta Meſſa, non ſol le diſpoſizioni dell' animo, ma eziandio quelle del corpo, e dell' abito, che ſono indizj e pruove di un cuor veramente Criſtiano e pio (Seſſ. 22. Decr. de Obſervand. &c.). Molto più poi per la ſanta Comunione. E pur quanto è facile che anche tai circoſtanze vengano ne' privati Oratorj a mancare!*

conceditur, ſicut declarant exempla a me num. 6. & 7. indicata, ſeu recitata; illudque recentius a Benedicto XIV. Edicto 44. §. 3. num. 12. prolatum; aut tantummodo ad quoſdam ſpecialibus Privilegiis Apoſtolicis dignos, *amplioris favore gratiæ* proſequendos, ſicut oſtendit Privilegium num. 7. quod ſua ex Gente natis ſolent RR. Pontifices concedere, nulla tamen facta mentione extraneorum, ad quos alterius Privilegii de Miſſis celebrandis in privatis illorum Oratoriis favor extenditur. Inſuper cum morem ab Eminentiſſimo Urbis Vicario, ſuiſque prædeceſſoribus retentum in licentia domeſticæ Communionis conceſſione obſervo, in ea magis opinione confirmor, ut credam cæteros Epiſcopos Rom. Pontificis, ejuſque Adminiſtrorum exempla æmulantes numquam eandem licentiam daturos eſſe, niſi *ob juſtam, & neceſſariam cauſam*, ut verbis utar laudatæ Synodi Panormitanæ. Hinc ſequitur haud congruere cum his, quæ ad prædictam facultatem elargiendam exigere ſolent RR. Pontifices, ea quæ ab Anonymo pag. 49. (16) dicuntur, & pag. 58. (17) repetuntur, videlicet Pontificia Privilegia aliud nihil efficere, quam *præſumptam* illam *indiſpoſitionem* ab aliquibus auferre; neque cum aliis Anonymi verbis pag. 52. (18) concinere, ubi affirmat Epiſcopos ſpecialiter recognita pietate eorum, *de quorum debitis diſpoſitionibus prudenter, & non ſine cauſa dubitant*, *neminem reiicere* debere; nec verba Benedicti XIV. ad Italiæ Præſules huc revocata ab eodem Anonymo, & ſuperius jam in hac ipſa Epiſtola a me expenſa; *Non tamen idcirco aut vetuit unquam, aut vetat Eccleſia &c.*, id ſuadent, cum Pontificis verba ſum integrum robur obtineant, conſerventque, etſi certis in circumſtantiis minime opportunum cenſuerit Epiſcopus a Sacerdote celebrante Euchariſtiam diſtribui iis, qui adſtant.

XXXIII. Multo minus verum eſſe credam, niſi me moveat irrefragabilis auctoritas, quod pag. 49. (19) ab Auctore Obſervationum additur, in illis videlicet Diœceſibus, in quibus nullum peculiare prohibens Epiſcopale Statutum invenitur, libere poſſe Adſtantes Communionem in Privilegiatis Oratoriis ſumere nulla petita licentia ab Epiſcopis ad eandem licite percipiendam. Quamvis enim rectiſſime affirmetur *præſumptam illam indiſpoſitionem per ſe* non ſufficere ad Communicantes reddendos *vere* indignos Sacræ Communionis; adhuc certiſſimum eſt quam plures, ac ferme omnes, qui confugerunt, aut confugiunt ad Rom. Pontificem pro ſimili obtinenda facultate, in illis Diœceſibus Sedem habuiſſe jam, aut adhuc habere, in quibus nullum Synodale Decretum, nullum Epiſcopale Edictum peculiariter editum invenitur circa vetitam Communionem in Oratoriis domeſticis

(16) *Come non vide, che i ſupremi Privilegi conceduti in tal caſo, non fanno altro che..... toglicre l'anzidetta proſonzion d'indiſpoſizione.*

(17) *I Privilegi, dalla S. Sede ſu di ciò conceduti, non concedono propriamente la S. Comunion nella Meſſa, conceduta già naturalmente nella conceſſion della Meſſa medeſima; ma, come può ſcorgerſi dal tenor de' Privilegi ſteſſi, la concedono ſol tanto in ordine alle tali e tali perſone, riſpetto alle quali levan la detta ſvantaggioſa proſonzione.*

(18) *Raggionevoliſſimamente dunque fanno i ſagri Paſtori, in eſigere per que' luoghi una particolar ricognizione della pietà de' ſoggetti*, de quorum debitis diſpoſitionibus prudenter, & non ſine cauſſa dubitant: *aſſicurati poi delle quali*, neminem rejicere debent, quemadmodum Deus neminem ad ſe ſincero corde revertentem abjicit.

(19) *Come non conſiderò, che non eſſendo i familiari Oratorj eſpoſti alla pubblica viſta della Chieſa ..... le Perſone .... vi anno ſempre una indiſpoſizion preſuntiva, la quale avvegnachè non baſti da ſe a rendergli veramente immeritevoli e incapaci di comunicarſi, e perciò in quelle Dioceſi, ove non è preſcritto dagli Ordinarj di chieder prima a tal fine il loro eſpreſſo aſſenſo, reſti interamente libero, e da neſſun' altra legge interdetto agli aſtanti a quelle Meſſe il participare ſagramentalmente delle medeſime?*

cis non obtenta Ordinariorum licentia. Privilegia quæ protuli, aliaque quorum adumbrata exempla obſervavi in Regeſtis Sacræ Congregationis Concilii, plurimarum Diœceſum Oratoribus conceſſa fuerunt, in quibus nullum quantum novi, ſimile antea ſtatutum prodierat. Quod ſi in illis omnibus, aut ferme omnibus aderat, eo tutius judicabo cæteros Epiſcopos libertatem ab Anonymo aſſertam haud fore toleraturos. Semel enim conceſſa hac libertate non ſolum ii, qui a Pontifice donati ſunt Privilegio celebrationis Miſſæ in ipſorum Oratoriis privatis; verum etiam reliqui omnes, qui voluerint, & quibus a Privilegiatis non denegabitur acceſſus ad illa Oratoria, inibi libere Communionem ſumere poterunt, dummodo ex illorum numero non ſint, quorum indignitas manifeſta eſt, & a Communione repellendi ex Rituali Romano Tit. cit. ab Anonymo pag. 51. adnot. n. cenſentur. Addo quod cum quæſiviſſem utrum ſaltem pro Romanæ Urbis incolis aliquod unquam emanaſſet Decretum prohibens Communionem in iiſdem Oratoriis abſque expreſſa licentia Rom. Pontificis, aut ipſius Generalis Vicarii in ſpiritualibus, nullum inveni; etſi Romæ tam accurate mos iſte a communicandis licentiam prius petentibus obſervetur.

XXXIV. Ut vetitam non eſſe oſtendat Anonymus in Oratoriis domeſticis Euchariſtiæ diſtributionem his, qui ibidem Sacrificio adſtent, imo etiam in illis eadem libertate diſtribui poſſe, atque in omnibus Eccleſiis, fuſe §§. 23. 24. 25. obſervat in qualibet Miſsa Chriſti mortem repreſentari, quam pro omnibus ſuſtinuit, & renovari immenſam ejus charitatem erga homines; atque ideo inſeparabilem omnino eſſe a Miſſæ Sacrificio *liberam communicabilitatem* Sacræ Victimæ, neque iſtam participationem a Chriſti Miniſtris unquam impediri poſſe, niſi propter *præſuppoſitam* Chriſtianorum *indiſpoſitionem*: (20) denuo repetit verba, quæ in ſingulis Miſſis recitantur, *Accipite*, *&* *manducate ex hoc omnes*, quæ *liberam* eandem *communicabilitatem*, & invitationem Chriſti ad manducandum ſuum Corpus manifeſtant, neque irriſorie a Sacerdotibus proferuntur.

XXXV. Nihil his reponere opus eſſet, cum non niſi latius exponant, quod brevius ſupra dixerat pag. 42. mihi obtrudens eadem Chriſti verba, *Accipite* &c., a quibus me nullatenus premi noviſſimi litteris Pontificiis demonſtratum eſt. Addam præterea cum illa ſincera voluntate, qua Chriſtus in ſingulis Sacrificiis ſeſe paratum exhibet ad omnes ſuo Corpore, & Sanguine ſaturandos & hanc eſſe conjunctam, ut perpetuo in Eccleſia ab ipſo conceſſa poteſtas integre perſeveret, qua utens ea ſtatuat, vel mutet in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, quæ pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaverit. Addam quod non conceſſa propter convenientes, rationabileſque cauſas participatione Euchariſtiæ in Miſſis domeſticis libere adhuc poſſunt Fideles alibi ad Chriſti convivium accedere. Addam nullo facto obice liberalitati Chriſti per ſe paratæ non ſemel, ſed ſæpius, & ſæpiſſime admittere quoslibet dignos ad ſui realem in Sacramento participationem, adhuc non ſolum Laicos excludi ab iteranda Communione eadem die, quamvis Sacrificiis pluribus

(20) *La volontà de' Luogotenenti di Criſto non può eſſer mai per ſe ſteſſa un vero oſtacolo alla pubblica partecipazione di sì prodigo e ineſauſto Miſterio, ma ſi ha l' impedimento ſempre a rifondere in una preſuppoſta e ſempre ammovibile indiſpoſizion de' Criſtiani &c. Cotal perpetua, libera, ed eſterna comunicabilità conſiſte appunto formalmente in ciò, che ogni Sacerdote in ogni Meſſa dice (non egli propriamente, ma Gesù Criſto per bocca di lui, e non già in guiſa di mero ſtorico detto, ma di vero e proprio invito, fatto e continuato evidentemente colla ſteſſa Divina Conſecrazione in adempimento del medeſimo* Hoc facite *del noſtro Divin Precettore*) = Accipite, & manducate ex hoc omnes

bus interſint, & quamvis hujuſmodi tam ſuavis convivii deliciæ valde differant a corporalibus cibis, qui cum eduntur, famem extinguunt, illæ vero ardorem deſiderii incendunt, ut iterum, iterumque guſtentur; ſed etiam Sacerdotes prohiberi a renovanda Sacrificii celebratione exceptis aliquibus caſibus, in quibus duplex vel triplex Miſſa conceditur, quamvis in Miſſa, quam celebrant, ſinguli Sacerdotes ſemper illa verba proferant; *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*; quibus liberam, non coarctatam facultatem Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus idem Sacrificium offerendi Chriſtus contulit. Addam quod eadem ampla, & liberalis invitatio Chriſti non arctata fuit ad participandum de Corpore, & Sanguine ſolum ſub ſpeciebus panis, verum etiam illam extendit ipſa eadem liberalitas Chriſti ad participandum de iiſdem ſub ſpeciebus vini, *Accipite, & bibite ex eo omnes*; neque inde colligere quis recte poterit Verbis Chriſti vim, aut injuriam intuliſſe Eccleſiam, cum ſapientiſſime coarctavit Communionem Euchariſticam Fidelibus, & cæteris non Sacrificantibus ad unicam panis ſpeciem. Adderem alia, ſi me impeterent, quæ ab Auctore Obſervationum a p. 53. ad p. 58. dicuntur, aut quæ addidi non eſſent certiſſima.

XXXVI. Legi equidem, quæ p. 72. de iteranda Communione Fidelium eodem die dicat Anonymus, & licet iſta alicui ſevero cenſori reprehenſione digna viderentur, quod aliquod jus Fidelium ad licite etiam nunc iterandam Communionem eadem die perceptam videantur aſſerere; ego nullum ex modo ipſius loquendi contentionis funem cum illo ducam; (21) ſed unice ab illo expoſcam, ne ambigat cum cæteris affirmare vetitum eſſe Fidelibus ſanis bis in die Euchariſtiam ſumere; quod ſi Legem expoſcat, quæ id vetat, eam ipſam eſse dicam, qua vetitum dicitur Sacerdotibus bis, aut ter eadem die ſacrificare: Etenim & cauſa, propter quam Vvalfridus de Reb. Eccl. cap. 22. ab Anonymo allegatos culpandos non exiſtimaverit illos, qui ſicut in una, ſic in omnibus, quibus adfuerint, Miſſis in die communicare velint, exemplo nitebatur Sacerdotum, qui plures Miſſas aliquando celebrabant; & ratio illa ob quam RR. Pontifices Alexander II., & Honorius III. interrogati de pluralitate Miſsarum, reſponderunt unicam Miſsam a ſingulo Sacerdote ſingulis diebus peragendam ſufficere, *Non modica res eſt unam Miſſam facere, & valde fœlix eſt, qui unam Miſſam digne celebrare poteſt*, æque demonſtrat ſemel in die ſumendam eſse Euchariſtiam; & demum quæ conſuetudo vim legis habere dicebatur a D. Thoma 3.

(21) *Si è cercato da qualcuno, ſe le perſone già comunicate nella Meſſa della notte del S. Natale, poſſano poi tornare a comunicarſi in qualche altra Meſſa del giorno ſteſſo. Valfrido Strabone atteſta, che a' ſuoi tempi ciò facevaſi da alcuni anche infra l'Anno ordinariamente.* Addendum videtur (*dic' Egli*) eſſe quoſdam, qui ſemel in die communicare, etiamſi pluribus interfuerint Miſſis, pro dignitate Sacramentorum ſufficere credant: eſſe vero alios, qui ſicut in una, ſic in omnibus quibus adfuerint Miſſis in die communicare velint. *E ſiegue ſubito:* Quorum neutro culpandos exiſtimo: quia, ſicut Auguſtinus ait de his qui quotidie communicant, & illis qui rarius, iſtos reverentia ſanctarum retrahit rerum illos vero amor ſalubrium invitat Sacramentorum. Nam & ipſe Sacerdos, quoties in die Miſſas facit (*come più volte all' Anno coſtumavaſi anticamente*) communicare non omittit. Quod ſi non faciat, canonico eſt feriendus judicio (*De Reb. Eccl. c. 22.*) *Certa coſa è, che non avvi Legge alcuna eſpreſſa in contrario. Con tutto queſto ſembra che il Miſterio Euchariſtico, fondato ſull' allegoria di una Cena (che è l' ultima rifezion del dì) non laſci luogo a Criſtiani da poter eſigere con iſtretto jus la Comunione, che una ſola volta il giorno. Perocchè quantunque non ſia proibito il cenar due volte, ſe un generoſo amico il brami, e un ſano appetito il comporti, tutta volta non v' è comunemente nè rigoroſamente il dritto di ciò fare, che una volta ſola. La concluſione però ſi è, che l'interpretare deciſivamente, ſe l'intenzione di Gesù Criſto nel dir =* Pigliate e mangiate, *riguardi ſolo chi ancor non cenò, o pur chi l' aveſſe anche fatto già un'altra volta, ſpetta alla Spoſa dello ſteſſo Criſto, alla Santa Chieſa.*

p.q.83,art.2.,ut Sacerdos unam ſingulis diebus Miſsam celebraret; *In contrarium eſt conſuetudo, quam ſervat Eccleſia ſecundum Canonum ſtatuta*, eadem conſuetudo generalis vim generalis legis ad prohibendam iterationem Euchariſticæ Communionis eodem die obtinet, a qua ſervanda alii non excipiuntur ſententia quorumdam Scriptorum, quam qui poſt matutinam Communionem Sacro Viatico ob inopinam gravem infirmitatem muniendi eſsent.

XXXVII. Pergamus nunc Amice Cariſſime ad §. 26. Anonymi, ubi licet repetat ea, quæ jam ſuperius cohærere non poſſe cum Pontificiis Privilegiis Communionis domeſticæ a me prolatis oſtendi, alia tamen inſerit aliquo examine ponderanda. In primis certum eſſe pronunciat nullam unquam extitiſſe legem generalem (22) Eccleſiæ, quæ miniſtrari Euchariſtiam in Oratoriis Domeſticis vetet, dum in illis Miſſa celebratur. Legem hujuſmodi, quæ diſtincte, & determinate de Communionem Fidelium agat, nullam ego etiam inveni; ſed in Decreto generali Concilii Tridentini Seſſ. 22. prohibente *privatis in domibus* Sacrificium peragi, involutam etiam prohibitionem Communionis in Oratoriis privatarum ædium non ambigo, quoniam vetita Celebratione Miſſarum in iis locis, in quibus profecto ſervari non licebat Euchariſtiam, quæ tantum in Eccleſiis, ſeu in Sacrariis cum debita veneratione aſservabatur, exceptis aliquibus caſibus apud eruditos notis, ſimul alter modus ſumendi Euchariſtiam, videlicet intra ipſam Miſsam prohibebatur. Opus vero non fuit hactenus Legem ullam generalem poſt Concilium Tridentinum condere, qua aperte vetaretur diſtributio Euchariſtiæ in Oratoriis privilegiatis pro celebratione Miſſarum, quin potius integra relicta fuit poteſtas Ordinariorum, qui eam concederent, pro ut expedire judicarent. Si liceret conjecturis uti, illud dicerem, quod cum decretum Tridentinum eo quo par erat rigore exequi RR. Pontifices satagerent, ſicut cap.14. Operis oſtendi, & quorumdam abuſus evellerent, tum difficiliorem ſeſe præbebant plures Epiſcopi non ſolum in probanda cauſa idonea ad Miſſas concedendas extra loca Sacra, quod pariter cap. XV. expoſui; verum etiam in concedenda licentia Communionis in Oratoriis a Rom. Pontifice Privilegiatis; adeoque tum frequentius ad Rom. Pontificem a Privilegiatis ipſis pro licentia ſumendæ Communionis ſupplices mittebantur Libelli. Prætermiſſis autem conjecturis illud ſecurius dicam, tam ad Epiſcoporum ſtatuta, quam ad plurimorum Oratorum e diverſis Regionibus ad Rom. Pontificem ſupplicationes advertens, eam conſuetudinem vigere, propter quam non liceat Privilegiatis pro Miſſa Domeſtica, & multo minus cæteris eidem Miſsæ Adſtantibus Communionem Euchariſticam ſumere abſque licentia ab Epiſcopis, aut a Rom. Pontifice ſpecialiter obtenta. Propterea qui cap. 29. n. 1, Statutis, & Conſuetudine hanc & alteram quæſtionem de loco adminiſtrandæ Sacramentalis Pœnitentiæ expedire ſpoponderam, Statuta tantum, & Privilegia Apoſtolicæ Sedis manifeſta indicia ejuſdem conſuetudis in medium protuli.

XXXVIII. Subditur §. 26. (23),

& pa

[22] *Egli è certo primieramente, che Legge alcuna general della Chieſa, che tolga il communicar in que' luoghi, mentre vi ſi celebra Meſſa, non vi fu mai.*

(23) *I Privilegi, dalla S. Sede ſu di ciò conceduti, non concedono propriamente la Santa Comunion nella Meſſa, conceduta già naturalmente nella conceſſion della Meſſa medeſima; ma, come può ſcorgerſi dal tenor de' Privilegi ſteſſi, la concedono ſol tanto in ordine alle tali e tali perſone, riſpetto alle quali levan la detta ſvantaggioſa proſonzione, ed anche (ove s'incontra) il preſato condizionato divieto degli Ordinarj. Ma dove un tal divieto non c' è, il Privilegio diventa allora della ſorta di quegli, che chiamanſi* præter legem, *a' quali lo ſteſſo Scrittor degli Oratorj confeſſa doverſi applicar la regola Canonica:* Odia reſtringenda, favores ampliandi. *Quindi i privilegiati allora ſon bensì ſpezialmente approvati, e decorati di più autorevole ricognizion di merito: ma non s'inferiſce già per queſto, che foſſero poſitivamente diſapprovati e indegni ſenza di quello. Giuſto &c.*

& pagina 62. (24) Privilegia Pontificia pro illis Locis, in quibus nulla extant contraria Epiſcoporum ſtatuta, ex genere eorum eſſe, quæ *præter legem* dicuntur; & cap. 21. Operis n. 4. a me indicantur; imo pro illis locis *ad merum honorem* concedi eadem Privilegia Anonymus pag. 63. affirmat. Id ipſum ego affirmare nequeo, cum & Legem prohibentem Communionem in privatis domibus involutam non dubitem in Tridentino laudato Decreto, & conſuetudinem oppoſitam vigere ſciam, quæ Legi correſpondet; & inſuper advertam ad aliquas ſaltem ex plurimis graviſſimis cauſis, quibus moventibus Pontifex, & Ordinarii Locorum in licentiis concedendis Communionis domeſticæ plus juſto faciles ſeſe non præbent.

XXXIX. Hinc, prudentiſſime Vir, conſidera utrum Privilegium, quod recito Cap. 29. num. 7., quodque extenditur *ubivis pro tempore morari, vel eſſe contigerit* Privilegiatos, *mere* ſit ad honorem, & non potius *ad amplioris gratiæ favorem*. Conſidera etiam an alia Privilegia a me prolata pro multis earum Diœceſum incolis, in quibus nulla extare prohibentia expreſse Communionem domeſticam Epiſcoporum ſtatuta facile concedet Anonymus, cum ipſo judice p. 61. rara hæc ſint, an illa Privilegia ob merum honorem, & decus Privilegiatorum conceſsa fuerint; cum nec Oratores auſi fuiſsent petere, niſi infirmitas, ſenium, graveſque aliæ cauſæ ſpem ipſis addidiſsent gratiæ impetrandæ? Demum conſidera, an iſtis Privilegiis aptari poſſit exemplum illius exceptionis, quam adhibent RR. Pontifices in privilegiis Miſſæ, & Communionis in Oratoriis privatis Conſervatoriorum Puellarum, ſeu Collegiorum Tertiariarum, his verbis, *citra approbationem Conſervatorii* (25) Exceptio iſta, ut expoſui Cap. 19. num. 17. eo fine additur, ne propter Privilegium, quod conceditur, ſimul approbatus modus vivendi ſine clauſura videretur: At Communionem in Oratoriis privatarum ædium expreſſe concedit Pontifex in illis Privilegiis, quæ Cap. 29. proferuntur.

XXXX. Aliud mihi opponitur §. 26., quod melius omitti poterat, videlicet Privilegium infirmis noſtræ Congregationis Lateranenſis conceſſum, & in exemplum illorum Privilegiorum, in quibus expreſſe conceditur facultas Communionis, Cap. 29. num. 6. indicatum, quaſi extenſum a me ampliſſime fuerit num. 12. non tantum ad omnes Religioſas Domus, & Perſonas, verum etiam ad cœteros quoſcunque, qui Sacrificiis in Religioſis Domibus intereſſent. (26) Legiſti,

**

[24] *Riconoſcaſi dunque riconfermata in queſto ſteſſo quella ſi notabile differenza di un Privilegio* contra legem, *dinotato col primo termine, e di un Privilegio ſol* præter legem, *indicato col ſecondo: il primo però neceſſario a lecitamente operare: e il ſecondo ſolamente utile e di mero onore.*

(25) *Giuſto come l'Autor medeſimo dice di que' Conſervatorj di Terziarie, che dopo il Concilio di Trento, e la Coſtituzione 8. di San Pio V. reſtano tuttavia ſenza Clauſura: i quali in tal modo non ſono eſpreſſamente approvati, mà nè tampoco condennati e interdetti: che anzi la ſteſſa Sede Appoſtolica nel conceder loro ciò nulla oſtante Privilegi, e Indulgenze, non fa altro che interporvi la ſolita clauſola* = Citra approbationem Conſervatorii; *laſciandogli poi per altro lecitamente e piamente, benchè men canonicamente ſuſſiſtere. Così appunto nel caſo noſtro.*

[26] *E lo Scrittore ſteſſo [coſa ben rimarcabile] ce ne ſomminiſtra una preciſa ripruova col proprio eſempio. Mercecchè quantunque al c. 29. n. 6. adduca un Privilegio di Pio IV. per la Comunion de' ſoli ammalati de' Canonici Lateranenſi ne' lor privati Oratorj; pure al num. 12. dello ſteſſo capo, anzi che tirarne in conſeguenza la proibizion della Comunione per gli altri non compreſi in quel Privilegio, paſſa francamente a ſtendere da ſe ſenz'altro la libertà della Comunion medeſima, non ſolo a tutte le religioſe caſe e perſone, mà anche a tutti quegli, chiunque ſieno, e quantunque ſani, che ſi truovin colà preſenti al medeſimo Sacrificio:* Cum nullum incommodum. (*dic'egli*) prudenter timeatur futurum, ſi in Oratoriis Religioſarum domorum Sacramentum Euchariſticum adſtantibus Sacrificio diſtribuatur; *che è quanto dire,*

giſti, Amice. in Opuſculo meo de Altari Portatili Operi de Oratoriis domeſticis adjuncto, in quo Lectorem monui Privilegium illud recitandum, quanto rigore cap. 13., num. 13. & ſeqq. ſingulare illud Privilegium expoſuerim, ægrotos unice gratiæ participes exhibens, & illis tantum in Miſſa in eorumdem *cubiculis* celebranda *Sacroſanctum Eccleſiæ Sacramentum* ſumere permittens. Relege iterum verba mea Cap. 29. num. 12., & inſpice an ea adaptaverim Privilegio noſtro Pii IV. *Hactenus de Communione diſpenſanda in Oratoriis privatis valent tantummodo pro Oratoriis privatæ domus, ad quæ ſe extendit Epiſcoporum juriſdictio: At Oratoria erecta in Religioſis Domibus, & ab illorum juriſdictione exempta, neque huic, neque aliis multis reſtrictionibus ſubjiciuntur, quibus privatæ domus Oratoria ſunt obnoxia.* Heccine de Miſſa, & Communione in cubiculis infirmorum dicta ſunt; an ne de *Oratoriis erectis* in Domibus Religioſis, quæ in Decreto Tridentino non fuiſſe comprehenſa oſtendi Capitulo XVI. & XVIII., in quo pariter oſtenſum eſt iis non ſubeſse limitationibus, quas Pontificium Privilegium pro Oratoriis privatæ domus complectitur?

XXXXI. Quæ autem poſtea num. 12. addidi, *cum nullum incommodum prudenter timeatur futurum, ſi in Oratoriis Religioſarum Domorum Sacramentum Euchariſticum Adſtantibus Sacrificio diſtribuatur*, in dubium non revocabuntur ab illis, qui recte de vigilantia Rectorum earumdem Religioſarum Domorum ſenſerint. Aliquæ enim ex cauſis, quas num. 5. protuli, pro Oratoriis Religioſarum Domorum nullo modo militant, aliæ non æqualiter urgent, aliæ demum hactenus viſæ non ſunt idoneæ RR. Pontificibus ad prohibendum univerſim Regularibus, ne Euchariſtiam Adſtantibus diſtribuant, propter quas, cæteraſque Epiſcopis prohibere Communionem Adſtantium in Oratoriis privatarum ædium, ipſorum prius non obtenta licentia, prudenter viſum eſt.

XXXXII. Ex decreto Sac. Congregationis Concilii de Commun. quotid. die 12. Februarii 1679. approbato ab Innocentio XI. pag. 59. (27.) & ſeqq. verba illa eruit Anonymus, quibus

dire non v'è più allor da temere, nè da far caſo di quel ſuo medeſimo: Hinc anſa major præberetur ad Eccleſias deſerendas; *nè di quel* Tot publica pietatis exempla, quæ in publica exhibenter Communione, ceſſarent; *nè di quel* Minueretur fervor devotionis in pluribus, qui ſæpe ad frequentiorem Communionem accenduntur, ut alios pios imitentur; *nè di quell'*Ignotum foret Parochis, & ceteris animarum curam gerentibus, qua frequentia Fideles ad ſacram Menſam accedant. *Chi non vede qui adoperate quelle doppie bilance e miſure, cotanto deteſtate dallo Spirito Santo? (Prov. XX. 10.)*

(27) *Sebbene il Decreto della Santa mem. d'Innocenzo XI. nella Sag. Cong. del Concilio (Decr. de Com. Quot. 12. Febr. 1679.) aſſai più validamente compruova la noſtra chiariſſima verità. Concioſſiachè trattandoſi ivi pure della Comunion ne privati Oratorj; ſi mette per primo fondamento* l'Optaret Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis &c. *del medeſimo Concilio di Trento, di cui quella Congregazione è Interprete. Dove oſſerviſi per incidenza, che l'affare della Comunion nella Meſſa, e in ciaſcuna Meſſa, è ben d'altra condizione preſſo la Chieſa, che non ſono i mentovati Conſervatorj ſenza Clauſura: poichè ſe quegli ſon* citra approbationem, *perchè vi manca quella Clauſura appunto, che vi ſi deſidera, queſta anzi per ſe medeſima è ſempre* cum approbatione, *perchè è la coſa ſteſſa deſiderata dalla Santa Chieſa Cattolica, e dallo Spirito Santo. Tanto è certo, che non reſta poi a deſiderarſi altra approvazione, che per le perſone. Ma ſeguitiamo il Decreto. Dopo quell'immobile fondamento ſi viene poſcia alle diſpoſizioni neceſſarie o congrue per la maggiore o minor frequenza della Sagra Communione, che ſi rimettono al particolar giudizio degl'intimi Direttori delle Coſcienze. Indi ſi vuole, che ſecondo quelle ſi permetta a chi più, a chi meno, ma non in maniera che* a frequenti aut quotidiana ſacræ Communionis ſumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur. *Che anzi badiſi bene, che quel che vuol dir ributtare alcuno dal ſagro Convito, o ſovente, o cotidianamente ch'ei vi ſi accoſti, queſto non facciaſi mai:* Illudque omnino provideat (Paſtorum diligentia) ut nemo a ſacro Convivo, ſive frequenter, ſive quotidie acceſſerit, repellatur: & nihilominus det operam, ut unuſquiſque digne pro devotionis & præparationis modo, rarius

aut

bus ab Epiſcopis, Parochis, ſeu Confeſſariis doceri Fideles jubentur *in Eccleſis, ſeu Oratoris privatis ex diſpenſatione, ſeu Privilegio Pontificis de manu Sacerdotis ſumendam Euchariſtiam*; & licite ipſe pag. 61. adn. u. aſſerat illis *expreſſe* liberam relinqui facultatem miniſtrandi Adſtantibus SS. Sacramentum in Oratoriis privatis, adhuc tamen ibidem §. 28. obſcuritatem verborum *diſpenſatione, ſeu Privilegio* non denegans, permittit illorum alterum interpretari poſſe pro conceſſione Miſſæ domeſticæ, aliud pro facultate percipiendæ intra illam ab Adſtantibus Euchariſtiæ, dummodo Privilegium Pontificium Communionis *præter legem*, atque ob *merum bonorem* conceſſum eſſe dicatur, quod utante oſtendi, ipſi concedendum fore mihi non videtur.

XXXXIII. Tuam Amice, tibique ſimilium multorum reprehenſionem, etſi moderatam, vererer, ſi in quæſtione qualibet reſolvenda non ſequerer regulam illam exploratiſſimam, ut claris obſcura explicentur, non e contra obſcuris clara implicentur. Quamobrem cum Decretorum Sacrarum Congregationum, aut Rom. Pontificis, quæ res ubique gerendas, aut vitandas ſtatuant, ſenſum genuinum, & intentum apertius vix aſſequi valeamus, quam norma inſpecta, qua in Romana Urbe coram Pontifice, & ampliſſimis Patribus Sacrarum Congregationum Præſidibus Decreta ipſa executioni mandantur, ad conſuetudi-

---

aut crebrius Dominici Corporis ſuavitatem deguſtet. *Comprendeſi abbaſtanza da queſte sì peſate parole la prudentiſſima economia di Chieſa Santa in così grave materia; e l' effetto ben diverſo delle diverſe ſorti di diſpoſizioni, o indiſpoſizioni ne' Fedeli in ordine ad eſſa, e la conſiderabiliſſima differenza dell'approvare, o non approvare a varj ſtati e gradi di perſone la più ſpeſſa e facile Comunione, dal rigoroſamente precettare o vietar la medeſima. Finalmente da tai limpidiſſime, e ſodiſſime regole paſſa il Decreto a ordinare anche ſul particolar degli Oratorj, che i Veſcovi, i Parrochi, o i Confeſſori* doceant de manu Sacerdotis eſſe ſumendam ſanctiſſimam Euchariſtiam, *non ſolo* in Eccleſiis, *ma eziandio* in Oratoriis privatis, *che godono della ſolita* Diſpenſatione, ſeu Privilegio Pontificis. *Il quale, termine di* Diſpenſa, *è coſa chiara che non può intenderſi, ſe non della facoltà per la celebrazion della Meſſa; non eſſendovi, come ſi è detto, altra legge in ciò da cui poter diſpenſare, fuorchè quella del Concilio ſteſſo di Trento*: Ne patiantur Epiſcopi privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria (*cioè gli Oratorj publici*) ab eiſdem Ordinariis deſignanda & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium a Sæcularibus aut Regularibus quibuſcunque peragi, *rinforzata poi maggiormente dal Decreto di Clemente XI.; ed eſſendo evidente, che ſe foſſe ſtato ſtabilito neceſſario un diſtinto Privilegio Appoſtolico ancor per quella Comunione, ſarebbe ſoperchio il preſcrivere i Veſcovi, che negli Oratorj delle caſe non ſi comunicaſſe ſenza lor licenza, la qual licenza eſſi da ſe neppur potrebbero darla, come per la Meſſa appunto dar non la poſſono.*

§. *XXVIII. Ma diraſſi, che ſe la parola* Diſpenſatione *non può impertar veramente altro, che la diſpenſa dall'unica previa legge di non celebrar Meſſa in caſa, l'altra* ſeu Privilegio *può intenderſi ancor del Privilegio della Communione. Sia come più piace: ma riconoſcaſi dunque riconfermata in queſto ſteſſo quella sì notabile differenza di un Privilegio* contra legem, *dinotato col primo termine, e di un Privilegio ſol* præter legem, *indicato col ſecondo: il primo però neceſſario a lecitamente operare: e il ſecondo ſolamente utile e di mero onore. E perchè ne compaja ancor maggiormente l'utilità, notiſi che quando, o per metterſi al coperto dagli Editti de' Veſcovi (nel qual caſo tal Privilegio ſerve pur di diſpenſa) o anche ſolo per decoroſa diſtinzione (ove quegli Editti non trovanſi) s' ottenga da Roma un qualche ſpezial Breve o Reſcritto per la Comunione domeſtica, in conſeguenza di quello dice allora il Decreto della S. C., che ſi può legittimamente amminiſtrar la Divina Eucareſtia nelle Caſe, portandola eziandio* ab Oratorio privilegiato cum forma decenti ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valent; *Siccome per la ragione ſteſſa ſi potrà allora pure diſpenſarla liberamente nella Capella medeſima a quegli ancora, che non ſi foſſer trovati preſenti nè all' Oblazione, nè alla Conſecrazione, ma ſopravveniſſero alla ſola Comunione, tuttochè nè a queſti, nè a primi competa rigoroſamente quel proſſimo Diritto alla real partecipazione del medeſimo Sacrifizio, ch' è proprio ſol di chi fù coofferente e convitato dal Divino* = Accipite & manducate, *detto propriamente à ſoli circoſtanti, pe i quali però milita in iſpezieltà e in tutto il ſuo rigore quell'* Illud omnino provideat Paſtorum diligentia, ut nemo a Sacro Convivio repellatur.

dinem ipſam Romanæ Urbis me converto. At enim Romæ conſtantiſſime mos retinetur, ut non niſi ſpeciali obtenta prius licentia ab Eminentiſſimo Vicario, qui eſſe ſolet unus ex Cardinalibus Sac. Congregationis Concilii, vel immediate a Romano Pontifice Privilegiatus ullus Communionem in Oratorio privato audeat ſumere, & Sacerdos celebrans diſtribuere. Romani Pontifices inſuper cum cenſent quorumdam preces exaudiendas, Privilegium domeſticæ Communionis eiſdem adhuc verborum formulis deſcribi jubent, quibus antea deſcribi conſueverat; Imo non numquam etiam clarius aliquibus expreſſis limitationibus. His adeo perſpicuis argumentis ſuffultus adducor, ut animoſe, ac fidenter affirmem illius Decreti mentem eſſe, ne Communionem Euhariſticam ſumere quis poſſit unquam in Oratoriis privatis abſque peculiari facultate ſive per modum diſpenſationis, ſive per modum Privilegii. Cum enim diſpenſatio in rigore ſumpta a Privilegio differat in eo, quod ipſa certo tempore duratura definiatur, non minus complectitur facultatem, quæ ad certum tempus limitata a Pontifice aliquando concederetur, verum etiam licentiam, quæ ab Epiſcopis non numquam traditur; quin tamen Epiſcopos unquam proprie dictum Privilegium concedere dicatur. Quocirca exiſtimo verbis illis *ex diſpenſatione, ſeu Privilegio Pontificis* Sacram Congregationem nullatenus reſpexiſſe ad aliud Privilegium Pontificium pro Miſſa celebranda in Oratoriis privatis, ſed unice ad requiſitam facultatem pro Communione in illis ſumenda, cum in eum ſcopum illo condendo Decreto collineaverit, non ſolum ut prohiberet ſimplicibus Sacerdotibus a peccatis venialibus ullum abſolvere, quam ut abuſus evelleret, qui in Euchariſtia adminiſtranda, & ſumenda irrepſerant; quin tamen ulla pietati Fidelium in frequentanda etiam quotidiana Communione injuria fieret; quam, ut declararet a ſe probari, ſi nihil obſtaret ex parte ſumentium, appoſite recitavit verba Concilii Tridentini, quibus evidenter apparet votum Eccleſiæ, ut quotidie Fideles communicent. De altero autem neceſſario Privilegio Pontificis ad Miſſam in ædibus privatis celebrandam, nihil tunc quærebatur, & nullatenus in dubium illius neceſſitas revocabatur, de qua ſæpius Decreta a me cap. 14. expoſita eadem Sacra Congregatio ediderat. Illud inſuper accedit, quod cum initio laudati Decreti fiat diſtinctio *in privatis Oratoriis, & Domi*, judico potius illa privata Oratoria jam inſtructa fuiſſe Apoſtolico Privilegio Miſſarum celebrandarum, quæ ob hanc tantum cauſam a verbo *Domi* diſcerni potuerunt. Quid vero vetat dicere, quod in illa Oratoria Privilegio Miſſarum munita irrepſiſſent aliqui ex abuſibus in Decreto recenſitis, videlicet quod Adſtantes, gaudentes licet diſpenſatione, ſeu Privilegio ad Euchariſtiam ſumendam in Miſſis ibidem celebratis, *in Communione acciperent plures formas, ac particulas, vel grandiores ſolito*? Imo ibi facilius hi abuſus inveniri potuerunt, quos proinde una cum aliis abſtulit Sacra Congregatio, quamvis integra relicta fuerit neceſſitas ad Communionem in iiſdem ſumendam *diſpenſationis, ſeu Privilegii Pontificis*. En Amice dilectiſſime quam contraria ex Decreto illo eruam dictis ab Anonymo, ſemel præmiſſa certa regula ex vigente conſuetudine interpretandi ſenſum Congregationis.

XXXXIV. Præſtat autem hic attente a te obſervari, ne ullam ex verbis Anonymi p. 62. patiaris moleſtiam, quod ejuſdem Decreti vigore, obtenta diſpenſatione, ſeu Privilegio pro Communione miniſtranda in Oratoriis privatis, poterit Euchariſtia ab Oratorio privato cum decenti pompa ad Infirmos in eadem domo exiſtentes deferri, hac tamen neceſſaria conditione præſuppoſita, ut in Oratorio privato adſit unus ex privilegiatis

prin-

principaliter, qui Miſſæ ibidem adſit, in qua conſecrentur particulæ ad Infirmos deferendæ; ſecus ſi præter Infirmum alius non ſit Privilegiatus, quando ipſe in Oratorio Miſſæ non aſſiſtit, neque poterit Miſſa celebrari ob defectum præſentiæ, quam in Privilegio Miſſæ in Oratorio privato exigit Pontifex, ut iſta valeat celebrari; neque proinde poterit Euchariſtia pro infirmo Communicando conſecrari. Quare eſt, quod alia diſtincta Privilegia aliquando concedit Pontifex pro celebratione Miſſæ coram infirmo, qui ad Oratorium privatum accedere nequit, cujus exemplar habes in Opuſculo meo de uſu Altaris Portatilis cap. 14. Itaque dum Miſſa in Oratorio privato licite celebrari poterit, & pro infirmis in eadem domo exiſtentibus, etſi Miſſæ non præſentibus, habeatur exigita diſpenſatio, ſive licentia Ordinarii pro Communione domeſtica, vel Rom. Pontificis Privilegium, tunc ad illos Euchariſtia *ab Oratorio privato* deferri poterit, ſicut tradit S. Congregatio, quæ in hac parte Decreti illud cavendum ſtatuit, ne *ullo modo* Euchariſtia deferatur *in crumena, aut ſecreto ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta* (ideſt ad Eccleſias, ſeu Oratoria privata ex diſpenſatione, ſeu Privilegio Pontificis) *accedere non valeant, & ad eos* (infirmos), *ſi ab Eccleſiis deferatur, publice, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani; ſi vero ab Oratorio privato, cum forma decenti*.

XXXXV. Nunc geminas adnotationes p. 60. & p. 61. Libri Obſervationum attendamus, in quarum prima ignoro an me etiam alloqui voluerit, dum *dormitantes diſcipulos S. Auguſtini* alloquitur, (28) quos ad ipſius ſequenda ſalutaria monita excitat, ne a diſpenſatore ullus prohibeatur manducare cibum Cæleſtem, ſed ſolum moneatur timere exactorem? Ego Sanctiſſimum Patrem moribus equidem non ſequor, unde te, cæteroſque bonos omnes exoro, ut precibus apud Deum me adjuvent ad illius ſectanda veſtigia. Attamen quantum valeo, & cum occaſio ſeſe offert, operam do, *ut unuſquiſque digne pro devotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis ſuavitatem deguſtet*, ſicut laudato Decreto Sac. Congregatio monuit; dummodo nullus eorum laudabilibus aliis inſtitutis Eccleſiaſticis perturbationem inferat, ſicut litteræ Benedicti XIV. edocent.

XXXXVI. In altera adnotatione aperte redarguor, quia cap. 29. num. 12. non ſum locutus, pro ut vellet Anonymus (29). Cum neceſſarium eſſe affirmarem Regularibus Privilegium

(28) *Dormiglioſi Diſcepoli di S. Agoſtino, quanti tiri di pietra ſi dilungò da voi il voſtro sì ſvegliato Maeſtro! E pur Dio ſa, ſe nel rivenirvi egli ora in faccia cotante volte, non ancor vi ſcotete.*

(29) In Congr. Conc. 15. Decemb. 1703. *E nè qui, nè nell'altro Decreto de' 12. Feb. 1679., nè altrove mai fu fatta alcuna riſerva della Comunione in quegli Oratorj; ove legittimamente ſi celebra, quantunque nel ſecondo, ch' è anteriore, ſi foſſe queſta pur mentovata, ed anzi eſpreſſamente laſciata libera, toltone le irriverenze e indecenze, come ſi è veduto. Laonde comprendeſi quanto ſtorta, e contraria a quel che anzi doveva inferirſene, ſia quell'illazione del quì impugnato Scrittore: che mentre* nec Clemens XI. &c. *Altro vi voleva quì, che quel* forte, *buttato là appunto a caſo e alla ventura. Conveniva dir più toſto, che eſſendo già notiſſimo l'uſo della Comunion miniſtrata sì da' Regolari, che da' Secolari Sacerdoti nelle Meſſe degli Oratorj Dimeſtici, ſempre che occorreva, e ciò o con licenza de' Veſcovi, ov'eranvi i pochi moderni loro Editti di doverla chiedere, o ſenza tal licenza ove per la più parte non v'erano, e non eſſendoſi pur contro di ciò nè da' Sommi Pontefici, nè dalla Sagra Congregazione fatto mai parola alcuna; dovea perciò eſſere ſtato evidentemente riconoſciuto sì ſagroſanto il Diritto della Comunion degli aſtanti al medeſimo Sacrifizio, che non ſi ſtimò mai di averlo a ſottoporre ad alcuna ſorta d'interdetto. E non aveva egli già così dichiarato lo ſteſſo Regnante Pontefice con quel* Non vetuit unquam Eccleſia, aut modo vetat &c.

gium Pontificium, peculiariter ipſis concedens facultatem diſtribuendi Adſtantibus Sacrificio in Oratoriis privatarum ædium celebrato, ut abſque legitima contradictione Ordinariorum licite poſſent eandem miniſtrare, ſi quandoque in illis ad ſacrificandum advocarentur, hæc præcedentibus conſona dixi: *Profectò nec Clemens XI., nec unquam, quod ſciam, Sacra Congregatio in pluribus Decretis editis adverſus illos Regulares, qui in Oratoriis privatis limites ſuæ facultatis transgrediebantur, Communionis adminiſtrandæ meminerunt: Hinc quippe colligendum exiſtimo vel numquam illud invitis Epiſcopis tentaſſe; vel ſi aliqui fecerant, forte ſpecialibus Privilegiis inſtructos fuiſſe*. Nec Anonymo hæc diſplicitura judicaſſem, ſi dum iſta ſcribebam, de illo cogitaſſem, cum non neget invitis, ideſt prohibentibus Epiſcopis obſequendum eſſe, niſi Supremi Paſtoris auctoritas majorem reverentiam ſuis Privilegiis exigeret. Quare autem non fortuito, nec temere, ſed conſiderate, & caute Tò *Forte* adhibuerim, ingenue tibi dico, ne videlicet litigium moverem in examine quorumdam Privilegiorum, in quibus mihi non videbatur tam ampla facultas conceſsa, ſicut aliqui contendunt; ac propterea ſaniori judicio, ut æquum erat, illorum examen dimittere volui, ad quod inſtituendum non me trahebat argumentum.

XXXXVII. Ex eo autem quod nec Clemens XI. nec Sacra Congregatio inter abuſus quorumdam Regularium unquam meminerint adminiſtrate Communionis in Oratoriis privatis, a me potius inferri debuiſſe tradit Anonymus, quod cum notiſſimus mos vigeret, ut Sacerdotes tam Regulares, quam Sæculares in Oratoriis privatis Euchariſtiam adminiſtrarent nulla petita licentia in illis locis, pro quibus pauca recentia Edicta licentiæ Epiſcopalis petendæ non extant, RR. Pontifices, & Sacra Congregatio numquam reſtiterunt, ut jus Communionis ſumendæ ab Adſtantibus Sacrificio in Oratoriis celebrato integrum relinqueretur, nullique prohibitioni ſubjiceretur; maxime cum Benedictus XIV. in ſuis litteris idipſum declaraverit illis verbis, *Non vetuit unquam, nec modo vetat &c.* Imo Sacra Congregatio Concilii Decreto ſuo anni 1679. die 12. Februarii, cum de Communione in Oratoriis privatis ageret, ſublatis omnibus abuſibus hanc eandem liberam facultatem illius adminiſtrandæ approbavit. Iſta ſunt, quæ a me inferri debuiſſe Anonymus urget. Sed qua ratione hæc eruere poteram ex ſilentio prædicto? Nam ex Decreto Sacr. Congregationis anni 1679. quid eruatur, jam paullo ante dixi; de verbis Benedicti XIV. ſimiliter non eſt neceſse alia addere, cum expreſſe docuerit quibuſdam in circumſtantiis, & præcipuæ loci minime opportunum eſse a Sacerdote celebrante diſtribui Euchariſtiam, iis, qui adſtant; tandem de notiſſimo illo more Regularium, & Sæcularium Communionem miniſtrantium in Oratoriis domeſticis nihil ſcio, neque Anonymus ad me inſtruendum quidquam protulit. Potius ego notiſſimum habeo ex Privilegiis Communionis, quæ a Rom. Pontifice poſt Concilium Tridentinum ad hæc uſque tempora poſtulantur, conſuetudinem viguiſse, adhucque perſeverare, ut nulli Euchariſtia in illis privatis Oratoriis miniſtrari poſſit ſine ſpeciali conceſſione Epiſcoporum, aut Rom. Pontificis, cum Oratores ad Apoſtolicam Sedem confugientes pro impetratione illius gratiæ non omnes ſint illarum Civitatum Incolæ, in quibus pauca illa recentia Statuta Epiſcoporum edita fuerunt, quæ ob eam cauſam peculiariter ab Epiſcopis condita judico, ut opportune longius arcerentur pericula, ne in Oratoriis privatis illud fieret, quod ſine ipſorum licentia, aut Rom Pontificis fieri non permittitur.

XXXXVIII. Ad Privilegia pergit

git Anonymus §. 29., (30) & ſelectis duobus Indultis a Sacra Congregatione conceſſis annuente Pontifice Monialibus infirmis, ac ſenibus in valetudinario morantibus in iis indirecte tantummodo indicatam Communionem eo ſenſu putat, tanquam aliquid per ſe conſequens ex conceſſione Sacrificii, neque aliter illam conceſsam eſse, niſi quia Sacrificium in Oratorio valetudinarii celebrari poſse conceditur: *Ut Moniales infirmæ poſſint videre, & audire Miſſam eo dumtaxat die, quo Sacroſanctam Euchariſtiam ſumere voluerint*: Sunt verba Sacræ Congregationis a me cap. 19. num. 7. & 8. recitata.

XXXXIX. Etiam hic aptanda eſt regula, ut claris obſcura exponantur, & ex verbis ab eadem Congregatione adhibitis anno 1731. num. 15. a me recitatis ambiguitas, ſi quæ foret, omnis auferatur, ubi expreſſius concedendam a Pontifice cenſuit facultatem Communionis ſumendæ in privato Oratorio: *Petitam facultatem* (ita Sacra Congregatio) *celebrari faciendi Miſſam in privata capella ..... necnon recipiendi in ea Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum*. Aut ex litteris Pauli PP. V. contentis in ſupplici libello ad Sac. Congregationem exhibito anno 1616., & a me recitato cap. 18. num. 14., in quibus expreſſe dicitur indultum fuiſſe Oratoribus, ut in ipſorum capella privata *Miſſam celebrare facere poſſent ..... & prævia Sacramentali Confeſſione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum ibi recipere libere, & licite*: Evidentius id ipſum inſpicitur in Privilegio cap. 29. n. 7., quod ob hunc unice finem conceditur, ob Communionem ſcilicet miniſtrandam in Oratoriis privatis a Sacerdote inibi celebrante, vigore alterius Privilegii Miſſarum celebrandarum, quod ibidem iiſdem Privilegiatis conceſſum expreſſe traditur. Phraſes eaſdem adhibere conſueverunt RR. Pontifices, cum utrumque concedebant Miſſas celebrari faciendi, & facultatem Communionis intra illas ſumendæ, eaſque ſubinde adhibuerunt, noſtraque ætate adhuc adhibent, quemadmodum in litteris Benedictus XIII. relatis cap. 19. n. 14., & Benedictus XIV. n. 12., & aliis num. 14. indicatis, & a me perlectis, in Archivo Eminentiſſimi Urbis Vicarii apparet. Brevioribus itaque verbis uſa Sacra Congregatio in duobus illis reſcriptis (tunc enim aliquæ circa Oratoria domeſtica gratiæ reſcriptis tantum Sacræ Congregationis Concilii expediebantur, ad quam ut monui cap. 14. Operis num. 1. ſupplices Libelli mitti, & a qua examinari conſueverant:) quibus benigne annuente Pontifice geminas illas facultates conceſſit ea verborum formula, quæ licet non eundem ſtylum litterarum Pontificiarum ſequantur, ſenſu tamen idem exprimunt.

L. Revera niſi exploratum fuiſſet lit-

(30) *E che a queſti attuali coofferenti nel più vero e proprio ſagro Convito non ſia ſtato mai pregiudicato dagli anzidetti Privilegi cotal loro Divino Diritto, il conteſtano abbondantemente que' Privilegi ſteſſi, che dall'Avverſario così all'ingroſſo ſon riferiti. Quello ch'ei porta al num. 7. del cap. 19. concede direttamente la ſola Meſſa, ſottraendo i tali Oratorj privati dell'Infermerie di alcune Monache dalla comun proibizione* de non celebrando in privatis Oratoriis, *e dicendo*: Poſſe ibi Miſſam celebrari, purchè quel *luogo* Ordinarii arbitrio ſic aptetur, ut Moniales infirmæ poſſint videre & audire Miſſam eo dumtaxat die, quo ſacroſanctam Euchariſtiam ſumere voluerint. *Ed ecco quì la Comunione eſpreſſa ſolo in maniera indiretta, come un' acceſſorio dipendente da ſe medeſimo dal ſuo principale, e ſuppoſto già in balia di quell'anime, che lo deſiderano. Ecco conceduto propriamente il ſolo mezzo che non era libero, per quel fine che è poi sì libero, che qualunque volta eſſo vogliaſi, rende libero anche il mezzo medeſimo, la cui neceſſaria conceſſione vien fatta dipendere dalla ſola volontaria condizione di quello. Così nell' altro Privilegio del num. 8., ove miraſi impartita la ſteſſa facoltà con gli ſteſſi termini, alla ſemplice domanda* di poter far dir Meſſa *in una privata Capella del Moniſtero di S. Eufemia di Modena per le inferme.*

litteris Sacræ Congr. conceſſam peculiaris gratiæ favore Communionem tempore Miſſæ, nonne vane, atque ineptiſſime interrogaſſet immediate poſt Sac: Congregationem Epiſcopus Mutinenſis, ad quem litteræ anni 1579. miſſæ fuerant, an infirmis ſolum, an vero cæteris etiam Monialibus in Oratorio valetudinarii facultas Euchariſtiæ percipiendæ ſuffragaretur? Si tunc omnes libere poterant ſemel conceſſo Sacrificio in Oratorio privato etiam Communionem ſumere, cur de excipiendis Monialibus bene valentibus dubitabatur? Cur a Sacra Congregatione reſponſum fuit, ſanis non eſſe tradendam, ſi verba ab ipſa uſurpata peculiarem facultatem pro Communione ſumenda non expreſſiſſent, cujus percipiendæ libera facultas *neceſſaria connexione* cum conceſſione Sacrificii conſequitur?

LI. Clare autem Sacra Congregatio in reſponſione ad quæſitum iſtud Mutinenſis Epiſcopi declaravit Moniales *ſenes* etiam ipſas gaudere eodem Communionis Indulto in Oratorio, quas in litteris non expreſſerat, niſi voce tantum illa *Infirmæ*, ad quarum numerum ſenes revocaverat, licet diſtincte in ſupplicibus libellis tam Mutinenſium, quam Genuenſium Monialium relatis cap. 19. num. 7. & 8. pro infirmis, & ſenibus ſupplicaretur; enim vero modum uniformem in ſuis litteris ſervabat Sac: Congregatio, ſicut in ſimilibus conceſſionibus eaſdem phraſes RR. Pontifices in ipſorum diplomatibus uſurpare ſolent. Et ecce cauſam, cur Communionem conceſſerit in ambobus illis reſcriptis Sacra Congregatio, quamvis Moniales Mutinenſes in libello non fecerint Communionis mentionem; nam cum cauſa movens eadem pro utroque Monaſterio urgeret, non attendentes ad defectum in ſupplici libello, ſimiles facultates Miſſæ audiendæ, & Communionis ſumendæ ampliſſimi Purpurati Interpretes conceſſerunt.

LII. Vim minui exiſtimat Anonymus ex reſponſis Sacræ Congregationis ad Epiſcopi Mutinenſis interrogationes, aitque (31) ſanas idcirco Mo-

(31) *Che ſe poi la Sag. Congr., riſpondendo ad alcuni dubbj di quel Veſcovo ſu tal Privilegio, e ſegnatamente a quello della Comunione anche per le non inferme, riſpoſe:* Solum Monialibus infirmis, non vero ſanis, niſi eſſent ſenes, tradendam eſſe: *queſto è perchè le inferme e attempate ſole ſuppongonſi allor aſtanti a quella Meſſa, come appare dall'altro Privilegio dato dallo ſteſſo Regnante Pontefice, e riportato al num. 12., in cui concedeſi la celebrazione* in infirmarum, ſenumque, illiſque inſervientium dumtaxat præſentia: *e aggiungeſi poi* = Dictæque infirmæ, convaleſcentes, & ſenes a ſacerdote inibi celebrante ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere libere & licite poſſint & valeant. *Dove è ben da rimarcare, che con tutto quel* dumtaxat, *poſto alla conceduta preſenza di quelle Meſſe, ſuppone ciò non oſtante il Santo Padre, che ancor delle altre Monache poſſan liberamente e lecitamente intervenire alle Meſſe medeſime: poichè ſoggiugne in tal caſo, e nient'altro ſoggiugne, ſe non che* aliæ Moniales, præter ſupradictas, Miſſæ hujuſmodi intereſſentes ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus Feſtis de præcepto minime liberæ cenſeantur. *Onde molto più s'ha a dire lo ſteſſo ancor della Comunione, a cui Sua Santità non mette tampoco il* dumtaxat. *E molto più s'ha a dire lo ſteſſo di quel* ſolum *poſto dalla S. C. alla Comunion medeſima nella predetta ſua riſpoſta: cioè, che le altre Monache non compreſe in quello ſpezial privilegio, non adempiano col comunicarſi in quegli Oratorj l'obbligo, che an di ciò fare in Chieſa al luogo ſolito* in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis: *e che per le prime ſole v'abbia una diſtinta approvata legittimità nel far a parte quella Cumunione, ma non giammai un'eſpreſſa e propria proibizione per le altre (che richiede ben altri termini, che non ſono i ſuddetti); ſempre che tal proibizione altronde non venga da' particolari Superiori, condizionata però ſempre, e non mai aſſoluta, che obblighi quelle altre Suore a prender anch'elleno particolar permeſſo per particolari ſoſpetti di forſe non retta diſpoſizione; e ſol che oſſervisi realmente da ogni parte la dovuta cautela, modeſtia, e religioſità, ſenz'alcun pericolo d'irriverenza, o d'altro abuſo, che ſolo, come ſi è moſtrato, può eſſer fondamento di vere inibitorie eccezioni in queſta Diviniſſima materia, e ſenza cui ſiegue toſto la regola del Ritual Romano poſta in caſi ancor di maggior conſiderazione (cioè di farnetici e mentecati)* = Licebit, ſi nullum periculum indignitatis adſit.

Moniales exceptas fuiſſe, quia ſolæ Infirmæ, & ſenes ſupponuntur præſentes tempore Sacrificii in valetudinario celebrati, idque probat ex verbo *dumtaxat*, quod ponitur in Privilegio Benedictus XIV. a me inſerto cap. 19. n. 12. Ut tu pariter, Vir graviſſime, ad litteras haſce attendas, quibus potius a me dicta roborantur, enixe rogo. Cum ennarraſſet Pontifex *in Infirmaria* Monaſterii S. Clementis Pratenſis Civitatis *Moniales infirmas, Convaleſcentes, & Senes reperiri, quæ ad Eccleſiam Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium audiendi, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum ſumendi cauſa accedere nequeunt*, ſubinde præmiſſis conditionibus, quæ pro Oratoriis privatis in Pontificiis litteris exigi, & determinari ſolent, *unam Miſſam* concedit, *pro unoquoque die tempore, quo Infirmæ, Convaleſcentes, ac Senes prædictæ, quæ ad Eccleſiam prædictam accedere nequeunt, reperiuntur .... in Infirmarum, Convaleſcentium, Senumque, illiſque inſervientium dumtaxat præſentia, & caſu quo aliquam ex Monialibus in mortis agone conſtitutam eſſe contigerit, celebrari facere*. [Clare vides *dumtaxat* a ldi tanquam particulam determinantem tempus, in quo Miſſa illa celebrari poſſit; nam cum illarum Monialium gratia, quæ ad Eccleſiam accedere nequeunt, Indultum Miſſæ conceſſum fuerit, iiſdem non præſentibus cauſa conceſſionis ceſſat; quam tamen adhuc permanere voluit Pontifex unica tantum Moniali mortis agone laborante. Simili plane modo in aliis Privilegiis Miſſæ domeſticæ, quæ Nobilibus, aliiſque nonnullis a Pontifice conceduntur, verba hæc adduntur, *in veſtra Familiæque præſentia*, de quibus late diſſervi cap. 21. n. 23. & ſeqq., atque ex Decreto S. Congregationis confirmato a Benedictus XIV. neceſſariam eſſe præſentiam Privilegiati ad Apoſtolici favoris executionem demonſtravi. Verbum autem illud *dumtaxat* potius exprimendum duxit Pontifex in his litteris, quod omittitur in reliquis, ut oſtenderet, quod licet omnes Moniales illius Monaſterii ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequeretur, cum omnes infirmitatibus obnoxiæ eſſe, & ſeneſcere poſſint, non tamen favorem extendi volebat ad eas, quæ actu Infirmæ, Convaleſcentes, aut Senes non eſſent, nec in mortis agone conſtitutæ; ſed tantummodo Indultum ſatisfaciendi præcepto Miſſæ ad illas ſanas Moniales extendit, quæ prædictis Infirmis, Convaleſcentibus, & Senibus deſervirent. Idcirco ſimiles coarctantes phraſes in fine litterarum addidit, quæ pro Familiaribus cæterorum Privilegiatorum frequenter adduntur: *Volumus autem, quod aliæ Moniales præter ſupradictas Miſſæ hujuſmodi intereſſentes ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus Feſtis de præcepto minime liberæ cenſeantur*. Ex his adeo falſum eſſe intelligis in Privilegio Pontificio præſupponi tantum præſentes Moniales privilegiatas, quam manifeſtum eſt ad alias Moniales *Miſſæ hujuſmodi intereſſentes* verba hæc pertinere; quemadmodum pro Familiaribus actu non neceſſariis tempore Miſſæ, principaliter privilegiatis, ſimilis Declaratio in litteris Apoſtolicis ponitur. Si enim tam magno Sacrificio licite, imo piiſſime poſſunt aſſiſtere Laici in Oratoriis Privilegiatorum, quanto magis eidem ſæpe intereſſe exiſtimandum eſt ſanas, piaſque Moniales, quum ab aliis Ordinis, aut proprii muneris impedimentis non prohibentur.

LIII. Aſpice nunc, Vir ſagaciſſime, alteram facultatem a Pontifice expreſſe conceſſam, & limitatam ad *infirmas, Convaleſcentes, & ſenes* Moniales; *dictæque Infirmæ, Convaleſcentes, & ſenes a Sacerdote inibi celebrante SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſumere libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate noſtra Apoſtolica concedas, & indulgeas*. Indirecte equidem his factam Communionis mentionem non dices; ſed nec etiam

libere conce[illegible]andem omnibus Monialibus, ſi adeſſent, ſuſpicari poteſt Anonymus, cum deſignatæ fuerint, & determinatæ, quæ a Sacerdote celebrante inibi Euchariſtiæ Sacramentum ſumere libere, & licite poſſint. Imo arctius reſtricta fuit hæc ſecunda gratia, quam fuerit coarctata præcedens; nam illius favor ad ſatisfaciendum præcepto Miſſæ etiam ad Moniales illis inſervientes extenditur, idcirco diſtincte ſuperius cum iiſdem commemoratas; ad hujus vero participationem nullatenus admiſit, ſed omnino prætermiſit. Peculiarem adeo hunc favorem judicavit Pontifex, ut licet ſervitia Infirmis præſtita ſufficerent ad hoc, ut elargiretur eis beneficium ſatisfaciendi præcepto Miſſæ, cujus obligationem non excedunt ulla Ordinis Regularis inſtituta, non tamen viſa ſunt ſufficientia, ut inibi recipiendæ Communionis facultas impertiretur. Similem ſingularitatem Indulti pro Communione in Oratoriis privatis advertes in Privilegio cap. 29. num. 7. recitato, quæ tantum conceditur natis ex Gente Rom. Pontificis, eorumque Familiaribus; licet propter eorumdem Gentilium merita, ac dignitatem congruum videatur Pontifici aliud Privilegium de Miſſarum celebratione in privatis ipſorum Oratoriis extendere ad omnes alios Adſtantes, ut inibi valeant Miſſæ præcepto ſatisfacere, etiam Gentilibus ipſis ab Oratorio abſentibus, ut ex Privilegio cap. 20. n. 23. recitato conſtat. Etſi vero bene valentes Moniales diebus ex Ordinis inſtituto præſtitutis in choro debeant Communionem ſumere, adhuc abſque ullo periculo violandorum inſtitutorum in Oratorio valetudinarii ad SS. Euchariſtiæ Sacramentum accedere poſſent aliis diebus pro Communione ab Inſtituto non deſignatis, quæ nempe, ut in Decreto laudato Sacræ Congregationis circa Communionem quotidianam dicitur, *ea puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritus ita incalverint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana SS. Sacramenti perceptione videri poſſint*; idque illis a Superioribus fuerit permiſſum. Atque hæc dixi ſatisfaciendi ergo Anonymi obſervationibus.

LIV. Plura vero de Communione Paſchali idem Scriptor §. 30. & ſeqq. ſubdit, ne vis ei ulla inferatur exceptione illa *in Paſchate Reſurrectionis*, quam Privilegium cap. 29. n. 7. recitatum, & alia ſimilia habent. Nullam ego ibi ad verba illa peculiarem animadverſionem adjunxi, nec niſi cap. 28. n. 7. ejuſdem exceptionis memini, cum de vetita Communione Paſchali in Oratoriis agebam. Cum enim præceptum Communionis Paſchalis implendum ſit in propria Parochia, abſque ulla dubitatione, qua die Privilegiatus præceptum impleverit, a cujus obedientia non liberat prædictum Privilegium, non poterit in Oratorio ſuo privato Communionem ſumere, ne bis eadem die SS. Sacramentum audeat comedere. Sed nec alteram ego quæſtionem inſtituti, an eadem quoque die ſolemni Paſchæ pro Privilegiatis ipſa die præceptum Eccleſiaſticum Communionis non implentibus, vigore Privilegii ejuſdem poſſit Euchariſtia diſtribui? Nihil ergo quod mea aſſerta contingat, ibi ad Anonymo proponitur, niſi quædam non nullorum repetitio, quæ jam ſupra expendi, aut fragmentum aliquod Democharis Viri Cl. Lib. 4. Chriſt. Reli. propugn. cap. 31., ubi tamen non jam diſſerit de Miſſarum celebratione in Oratoriis privatarum ædium poſt Concilium Tridentinum, cujus Decreto juſſum eſt Epiſcopis, ne Miſſas in iiſdem a quoquam celebrari paterentur; ſed adverſus Lutheranos oſtendit *Sacerdotis* eſſe *tam ſolemnem, ſeu publicam, quam privatam Miſſam celebrare, etiamſi ſolus communicet*; atque in eodem catholico dogmate probando veterum teſtimonia colligit Miſſarum, quas interdum in Oratoriis agreſtibus, atque domeſticis Epiſcopi celebrari concedebant, illis diebus exceptis, in quibus *Populus com-*

communicare jubetur, *ſeu ſolitus eſt*. Ex his quippe, aliiſque argumentis Miſſas celebratas fuiſſe colligit doctus Scriptor, *etiamſi ſolus Sacerdos* communicaret. Hinc cum teſtimonium M. Gregorii Lib. 2. ep. 12. ad Caſtorium pro Miſſa in Oratorio cujuſdam Nobilis Timotheæ conceſſa proferret; *ecce*, inquit Demochares, *verbis diſertis prohibet* (S. Gregorius) *in Oratorio illo Miſſas publicas celebrari*, *in quo & Presbyterum conſtitui concedit*, *qui Miſſas ſolus ibi celebret pro Timothea muliere*; *qua in re ſatis indicat multo minus ibi*, *dum Miſſa celebratur*, *a Sacerdote Populum admitti ad Communionem:* At de mente Monchiaceni mea nunc non attinet diſſerere.

LV. Verum §. 34. ſecundum exemplum, (nam primum in hac ſecunda Parte ab Anonymo intactum dimittitur) quo attenta circumſtantia loci, prohibitam dixi cap. 29. n. 4. Euchariſtiæ diſpenſationem in Eccleſiis Regularium Parochiali jure carentibus die Sancto Paſchatis, variis modis vexatur; & primo quod addiderim *etiam intra Miſſæ actionem*, (32) qua generali dictione compræhendi utroſque modos miniſtrandi Euchariſtiam ſive per particulas in eadem Miſſa conſecratas, ſive per particulas præconſecratas. Id abſque injuria me proferre potuiſſe judicavi, non tam propter conſuetudinem Romæ vigentem, & roboratam Edicto Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii Joannis Antonii Guadagni 1738. die 21. Martii, quam ex Decretis Sac. Congregationis Concilii anni 1682. die 31. Januarii, & Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium anno 1627. die 10. Septembris apud Nicolium *in Floſc.* V. *Paſcha*; imo etiam ex Conſtitutione Pii V. anni 1567. (*Etſi*), in quibus dum ſacra Communio ipſo die Paſchatis a Regularibus miniſtrari prohibetur *etiam cauſa devotionis*, (Hoc exprimit Decretum anni 1627.) nulla ponitur diſtinctio inter Communionem, quæ fit extra, vel intra Miſſam, ex particulis præconſecratis, vel conſecratis in Miſſa eadem; quemadmodum non diſtinguitur circa modum miniſtrandæ Euchariſtiæ in altera parte eorumdem Decretorum, ita nempe ut liceat aliis diebus in Eccleſiis Regularium SS. Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrari, etſi præcepto Eccleſiæ non ſatisfiat, quoties Euchariſtia cæteris diebus Paſchalis temporis in iiſdem Eccleſiis ſumeretur.

LVI. Vexantur inſuper alia verba ibi a me prolata, *cum diſpenſatio Cibi ſacri ad Paſtores proprie pertineat*, *& ad præcipua Parochorum officia*, quæ vera eſſe concedit Anonymus de mero Cibo (33) ſacro, non vero de diſpenſatione portionis ſacræ Victimæ, cujus diſpenſandæ facultas non minus competit unicuique Sacerdoti celebranti, quam Sacrificium ipſum. Sincere fateor ego etiam omnibus Sacerdotibus utramque datam eſſe poteſtatem in ipſa ordinatione Sacerdotali, ut Sacramentum conficiant, ac Fidelibus diſtribuant: At quoniam non omnibus Sacerdotibus paſtorale munus in animarum regimine collatum eſt, inde fit, ut ſi olim Fideles, docen-

(32) *Queſt'ultima circoſtanza ve l'aggiugne egli onninamente di autorità propria: ma poteva aggiugnervela, parlando lui ſempre a ſuo modo del mero Sagramento &c. La Bolla di S. Pio V., ove ciò ordinaſi, non parla punto della Comunion della Meſſa, ma eſprime ſol tanto il mero Sagramento da poterſi miniſtrar da' Regolari a' Secolari, coll'eccezion che queſti uol vadano a ricever da quegli nella Domenica di Paſqua.* Ipſique Chriſti Fideles Sacramentum Euchariſtiæ, Reſurrectionis Dominicæ Feſtivitate dumtaxat excepta, ſumere, eiſque illud per Fratres hujuſmodi adminiſtrari valeat. Conſtit. 20. S. Pii V. (Etſi) §. 4.

(33) *Dice bene del mero Cibo ſacro, ma non della ſagra Porzione della ſteſſa Vittima, da tutti comunemente offerta: il diſpenſar la quale doveva egli imparare da S. Tommaſo (di ſopra nell'Annot. (b) del §. XI.), o almen dalla ſteſſa Meſſa ch'ei celebra, competere così propriamente a chiunque ſacrifica, come gli compete lo ſteſſo ſacrificare, di cui manifeſtamente è parte il diſpenſar una Comunione che è Sacrifizio.*

docente Benedicto XIV. in laudatis ſæpe litteris *a ſolis propriis Paſtoribus, quemadmodum reliqua Sacramenta, ita etiam Euchariſtiam licite accipere valebant*; nunc etiam proprie ad Paſtores pertinet ſibi creditas oves Euchariſtico cibo alere. Etſi vero modus paſcendi oves ſit diverſus, idem tamen Cibus eſt in ratione Cibi, ſive tribuatur in ipſa Miſſa Adſtantibus portio Victimæ a Sacerdote oblatæ, ſive ille Cibus ſit participatio alterius Sacrificii. Ex eo autem, quod abſque rationabili cauſa (Hæc haud raro occurrit ſacris Paſtoribus, quibus perſpectæ ſunt plures illæ circumſtantiæ, unde rationabilitas cauſarum exoritur;) non debeat poſt Miſſam differri Adſtantium Communio, cum dicitur ad Paſtores *proprie* pertinere Cibi ſacri diſpenſationem, ſtatim conſequitur *proprie* etiam ad illos ſpectare intra Miſſæ actionem ſuis ovibus portionem ſacræ Victimæ tribuere.

LVII. Quoniam vero ad teſtimonia Angelici Doctoris Libro Obſerv. pag. 26. recitata, me appellat Anonymus, ſcias velim, Amice, illa me quoque legiſſe, nec tamen aliquid reperi, quod meæ huic ſententiæ de præcipuo Parochorum officio in diſpenſatione Cibi ſacri adverſaretur. Nam D. Thomas 3. par. q. 82. art. 1. Eccleſiæ dogma eſſe tuetur, quod Euchariſtiæ conſecratio ad Sacerdotes pertineat: Art. 3. oſtendit diſpenſationem ejuſdem pariter ſpectare ad ſolum Sacerdotem, atque inde ſententiam ſuam aperit, quid in eadem diſpenſatione Diaconis liceat. Art. 4. faciendum probat, quod Divino præcepto ſtabilitum eſt, ut *Sacerdos quotieſcunque conſecrat*, ſumat *integre hoc Sacramentum*: Hoc enim modo *Sacrificii ſit particeps*, ſicut *per hoc, quod Sacrificium Populo diſpenſat, oſtendit ſe eſſe diſpenſatorem myſteriorum Dei*. Obiter vero, Amice, adverte a me jure potuiſſe Communionem ex portione Victimæ in Miſſa oblatæ *Sacramentum* appellari, cum D. Thomas illo etiam vocabulo uſus ſit pro Communione ipſa Celebrantis eodem ipſo loco, quo Sacrificii nomine Communionem Populi exprimebat, quoniam revera Populo Sacrificium illud, quod fuit oblatum, porrigitur comedendum. Quæſt. 83. art. 5. ad 1. defendit Angelicus ritum Eccleſiæ aſſervandi Euchariſtiam pro infirmis, & ſufficere tradit, ut in eo Agni Paſchalis figura recolatur ab Eccleſia, *quia ſcilicet non debet pars hoſtiæ conſecratæ, de qua Sacerdos, & Miniſtri, vel etiam Populus communicat, in craſtinum reſervari*. Hæc autem nullus adverſus vigentem nunc in Eccleſia, approbatamque conſuetudinem aſſervandi Euchariſtiam non ſolum pro infirmis, ſed etiam pro Laicis, & cæteris non ſacrificantibus torquebit. Imo ratio, quam ibidem profert S. Doctor pro conſervatione Euchariſtiæ ad infirmos communicandos, etiam ſuffragari valet aſſervationi Euchariſtiæ pro ſanis; *quia*, inquit, *hoc Sacramentum quotidie ſumendum eſt ..... ideo oportet alias oſtias conſecratas pro Infirmis conſervare*. Eadem quæſtione Art. 4. declarat Angelicus omnia, quæ circa Euchariſtæ Sacramentum in Miſſa aguntur, magna ratione inſtituta eſſe; quod cum per ſingulas Miſſæ partes decurrens explanet, nihil ad mea verba pulſanda idoneum invenio; imo potius obſervo, quod de Communione Populi in Miſſa loquens, non niſi hæc verba *perceptionem Sacramenti* uſurpet, quas ego ſæpius cap. 29. adhibui; & iſtas *myſterii ſumptionem*, quas ego aliter expreſſi dicendo *Euchariſtiæ ſumptionem*: Quamvis enim probe noverim Euchariſticam Communionem eſſe Sacrificii participationem, lubuit tamen aliis vocibus uti, cum etiam in Catechiſmo Rom. Par. 2. c. 4. adverterim aliquando nomen Sacrifici prætermitti, cum Communio exprimitur: *diu etiam* (ſunt verba ejuſdem) *in Eccleſia ille mos fuit, ut Sacerdos peracto ſacrificio cum Euchariſtiam ſumpſiſſet, ad Populum, qui aderat,*

rat, *converſus his verbis ad ſacram Menſam Fideles invitaret!* Venite Fratres ad Communionem; *tunc qui parati erant, ſumma cum religione Sacramenta ſumebant*. Ultimum denique teſtimonium eo loco ex D. Thoma 2.2. q.85. Art.3. ad 3. ab Anonymo relatum, nihil penitus continet, quod ad rem meam pertineat.

LVIII. Proſequitur Anonymus p.68. ſuas cenſuras, falſiſſimumque (34.) tradit, quod ego dixi cit. n. 4. Eccleſias Regularium Parochiali jure non inſignitas, *ſolum ex ſpecialibus Sedis Apoſtolicæ privilegiis hac prærogativa* gaudere, ut in eis libere omnibus Euchariſtia miniſtretur. Attamen ad ea aſſerenda author mihi fuit S. Pius V. in Conſtitutione prædicta, ubi §.4. hæc habet: *Quidam etiam in aliquibus partibus nituntur aſſerere, ſeu facere, ne quiſquam infra annum poſſit ſacram Euchariſtiam, in Eccleſiis Mendicantium recipere .... cum tamen ſolum in Paſchate, quo ad Sæculares dumtaxat, juxta Privilegia Sum. Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum eiſdem Ordinibus conceſſa, id obſervari debeat*. Omnes quidem (iterum repeto dicta, ut indulgeam Anonymo iterum opponenti objecta ſuperius poſita,) nullo excepto per Ordinationem poteſtate Chriſti muniuntur, qua abſolute poſſint Euchariſtiam miniſtrare Fidelibus, ſicut etiam eos a peccatis abſolvere; ſed cavere oportet pro exercitio ejuſdem facultatis, ne invadantur jura illorum quibus cura eſt animarum commiſſa.

LIX. Falſiſſimam denique cauſam objurgat Anonymus p. 69. me indicaſſe prohibitionis miniſtrandi Euchariſtiam die ſancto Paſchatis in Eccleſiis Regularium his meis verbis n. 4., *ut ſaltem ſemel in anno, & maxime in Dominicæ Reſurrectionis Feſtivitate, ob quam Eccleſiaſticum præceptum annuæ Communionis ad tempus Paſchale fuit determinatum, fieret diſcretio Eccleſiarum, in quibus viget Ordinaria poteſtas diſpenſandæ Fidelibus Cœleſtis alimoniæ &c.* Non enim ut Eccleſiæ ab Eccleſiis, ſed ut *Agni ab Hædis* diſcernantur exceptionem illam diei Paſchatis factam fuiſſe in Eccleſiis Regularium contendit Anonymus. [35.] Me non pœnitet cauſam illam protuliſſe, quæ ſimul continet omne id, quod altera poſtulat, & alia exprimit, quæ ſunt exprimenda. Munere Parochorum inſpecto magis ipſis innoteſcere poſſe, qui ſint Agni, qui Hædi, non repugno; ac propterea licet omnes

---

(34) *Falſiſſimo, che i Regolari Sacerdoti celebranti godano per ſolo ſpezial Privilegio Appòſtolico della prerogativa di comunicare nella lor Meſſa. La godono per iſtituto di Gesù Criſto, di cui pur eſſi ſon ordinati, e allor attualmente impiegati Vicarj immediati, e Miniſtri diſpenſatori de' ſuoi Divini Miſterj.*

(35) *Falſiſſimo altresì, che il deſcernimento delle Chieſe ſia il motivo dell' Eccleſiaſtica invalſa determinazione della Comunion Paſquale nelle riſpettive Parrocchie. Si è ſentito già il vero motivo di ciò, eſpreſſo da' Padri dell' Avenioneſe Concilio:* Ut nulli quæſitis coloribus, & ſimulatis devotionibus, fraudem quærentes facere Canoni, fraudent potius ſe ipſos. *Una tal cautela di Chieſa Santa non è, che maggiormente favorevole alla ſteſſa Comunione cioè ad aſſicurarſi meglio, che tutti i ſuoi Figliuoli almen quell' unica oggidì comandata volta mangino ſinceramente il Divino Paſquale Agnello. Ecco tutto ciò che vuole in ſoſtanza la Santa Madre Chieſa &c. Finalmente ſe ancor ſi voleſſe da chi può volerlo (cioè da' ſoli Superiori) che l' anzidetta privativa legge aveſſe a intenderſi anche della Comunion della Meſſa, non pur nelle Chieſe de' Regolari, ma eziandio in qualunque altro luogo, tornerebbe ciò ſempre a quel gran principio, da cui niun' Avverſario noſtro potrà mai ſottrarſi: ed è, che per la ſteſſa ragine appunto, per cui vuole allora la Chieſa (con qualche anologia pure alla figura dell' antico Teſtamento* Exod. XIII.*) che l' immolazione, o partecipazione del vero Divin' Agnello facciaſi almen una volta da tutti nella propria famiglia, cioè nella Chieſa propria di ciaſcun Fedele, per diſcernere così più agevolmente, non Chieſe da Chieſe, ma* Agnos ab hædis, *in quel tempo maſſime che ciò più biſogna, e importa; per la raggion medeſima, dico, potrebbeſi anche volere, che s' abbiano allora comunemente a tener per mondi e ben preparati alla celebrazione di tanto Rito quei ſoli, che vengon riconoſciuti tali dal capo di famiglia, cioè dal proprio Paſtore; e paſſino regolarmente per immondi e indegni quei, che declinando altrove, e non eſſendo di abbaſtanza chiara probità, portan così un gagliardo ſoſpetto, non ſol d'inobbedienza; ma ancor di qualche altro grave oſtacolo, per cui amino di ſottrarſi malizioſamente a chi più gli conoſce.*

nes diſpenſatores Euchariſtiæ cavere debeant, ne ſanctum tradant canibus, facilius tamen, an aliquis ſit jure a ſacro Convivio repellendus, a Paſtore ſuo cognoſci poterit, ſi ad ipſum accedat, quam ſi alibi ad paratam Menſam accedere auderet. At enim Eccleſiæ, in quibus viget ordinaria poteſtas diſtribuendi Euchariſtiam, illæ ipſæ ſunt, quibus præſunt Paſtores, per quos expetita diſcretio Agnorum ab Hædis conſequetur. Illud autem in aſſignanda cauſa prædictæ exceptionis præ oculis habere neceſſum eſt, videlicet non exigi ab Eccleſia, ut præceptum impleatur die ipſo ſolemni Paſchæ, & tamen concedi adhuc in reliquis Paſchalibus diebus liberam adminiſtrationem Euchariſtiæ in Eccleſiis Regularium, quamvis Communionem ſumens extra propriam Parochiam, non conſentiente Parocho, præcepto haud ſatisfaciat. Quamobrem ſi fuiſſet excepta Dominicæ Reſurrectionis feſtivitas, quia præceptum in ipſa implendum foret, cauſa illa diſcernendi agnos ab hædis in medium proferri potuiſſet; & ad eam maxime reſpexiſſe Concilium Lateranenſe IV. ſtatuens Communionem Paſchalem *a proprio Sacerdote* ſumendam exiſtimo. Hinc concilium Avenionenſe anni 1337. c. 4., quod ab Anonymo mihi opponitur, appoſitiſſime præcipit, ut *Curati nulli Parochiano ſuo cujuſcunque conditionis, vel ſexus exiſtat nec in feſto Paſchæ, nec in octo diebus immediate præcedentibus, & octo ſubſequentibus concedant licentiam recipiendi, niſi ex cauſa infirmitatis, nec etiam alicui conferendi, ſeu miniſtrandi Sacramentum Euchariſtiæ extra Eccleſias ſuas parochiales, vel alias Eccleſias, ubi per ipſos Curatos miniſtrari extitit conſuetum*; Hæc, inquam, præcipiens veriſſimam illam cauſam protulit, *quod nulli quæſitis coloribus, & ſimulatis devotionibus, vel alias dum ab aliis, quam a propriis Sacerdotibus recipere velle ſe aſſerunt Corpus Chriſti, fraudem quærentes facere Canoni* (Concilii Generalis), *fraudent potius ſemetipſos*. Cum igitur cauſam inquirerem, propter quam una ſaltem dies Paſchalis temporis, eademque præcipua (ob eam quippe Eccleſiaſticum præceptum annuæ Communionis ad tempus Paſchale fuit determinatum, & in ea ſacram Communionem ſumere adhortabatur Populos S. Carolus Concil. Mediol. 1. Par. 2. inſtruc. de Sacr. Euch.) fuerit excepta, ne in illa Regulares Sacramentum Euchariſticum extraneis miniſtrarent, alia mihi non occurrit, quæ aptior videretur ea, quam protuli.

LX. Siſtere aliquantulum oporteret in examine adnotationis p. 69. & in §§. 35. & 36. Libri obſervationum, ſi Tibi hanc Epiſtolam ſcriberem, ut aliena dicta ſcrutarer, non vero mea defenderem: Neque enim ibi Anonymus de his agit, quæ ad Capitulum meum 29. ſpectent. Quæ vero ab ipſo §. 37. traduntur, ſolum ea repetunt, quæ ſuperius expendi. Cum autem ego, ne longius vagarer per illa teſtimonia, e quibus Pontifex in ſuis litteris laudata verba eruit, *a ſolis Paſtoribus* olim Euchariſtiam accipere valuiſſe Fideles, ut Veterum exemplis maxime commendanda oſtenderem Synodalia Statuta cap. 29. n. 5. a me recitata, unum tantummodo Decretum ſelegerim ex Concilio Derthuſano anni 1479., quod aliqua ratione aſſimilari poſſe videbatur cum iiſdem ſynodalibus ſtatutis hoc ipſum mihi ab Anonymo §. 38. [36] eripitur. Scio nihil deperire aſſertis meis, & ſi

(36) *Ricapitolando l' oſſervazione della diſtinzion del Sagramento dal Sacrifizio, in vano il qui ribattuto Scrittore ſi ſtudiò di appogiare il fallace ſuo ſiſtema a un luogo del Concilio di Tortoſa, celebrato nel 1429., e portato da lui troppo mozzo: poichè ſe l'aveſſe eſpoſto intero, avrebbe riſparmiato a noi l'incomodo di farvi alcuna interpretazione, facendoſela eſſo abbaſtanza da ſe medeſimo, e non aggiugnendovi però noi altro, ſe non ſe più toſto quelle maggiormente vantaggioſe con-*

& ſi hujus Concilii exemplo carerent, quod ad eadem firmanda non ſelegi. Attamen cum penitus a vero aliena interpretatio mea non videatur, patienter ſuſtine, Amice, prolixitatem integra deſcriptione Statuti Derthuſani cap. 7. in Harduini collectione hunc titulum præferentis, *Quod in privatis domibus Sacramenta non adminiſtrentur, nec celebrentur Miſſæ pro Nuptiis, Sepulturis, vel Novinuptiis*, ne tu pariter quæraris mutilum a me fuiſſe prolatum. En illud: *Sicut omnibus unum eſt, & æqualiter efficax Euchariſtiæ Sacramentum, ſic eſſe debet modus miniſtrandi unus omnibus, & conformis cum debita cæremonia, & reverentia ſingulari*.

LXI. His prioribus verbis me vehementer impeti putat Anonymus (37), cum modus ille unus omnibus, & conformis Euchariſtiam miniſtrandi alius non ſit, quam cum Fideles una cum Celebrante portionem Victimæ ſumunt. At ego qui illius ritus vetuſtatem, & convenientiam cum exemplo Chriſti cap. 29. n. 2. palam confeſſus ſum, quam quæſo ex verbis illis, ſi de eodem ritu exponerentur, adverſam vim ſentiam? Quoties conceſſa fuerit ab Epiſcopis, aut a Rom. Pontifice licentia Communionis in Oratoriis privatarum ædium, alius modus non erit illius ſumendæ, quam convenientiſſimo, atque probatiſſimo illo ritu. Verum ad hunc determinate ritum commendandum verbis illis profecto non uterer, quæ ſequentibus connectens eo reſpexiſſe Derthuſanos Patres exiſtimo, ut modus miniſtrandi Euchariſtiam unus eſſet omnibus, & conformis in hoc, quod debita cæremonia, & reverentia ſingularis ſervaretur; etenim exinde ſumunt fundamentum ſequentia decernendi circa adminiſtrationem Euchariſtiæ ſanis, & delationem ejuſdem ad Infirmos, in quorum Communione numquam ritus ille ſervari potuit, niſi quando ad Eccleſiam deferebantur, quod raro factum legitur, aut coram illis in domibus Sacrificium offerebatur, quod paſſim non fiebat.

LXII. Ita ergo Derthuſani Patres proſequuntur: *Quapropter ne ipſum* [Sacramentum] *aſſociare, & venerari volentium lucrandi Indulgentias meritum ſubtrahatur, ſtatuimus, quod nemini ſano per privatas domos, vel capellas Sacramentum Euchariſtiæ miniſtretur*. Hic me vehementius ad ruinam percuſſum jubet Anonymus [38] adver-

---

conſeguenze, che in tal ſomminiſtrataci occaſione la Dottrina noſtra indi pure raccoglie. Nemini ſano (*diceſi quivi nella Coſtit. 7.*) per privatas domos vel capellas Sacramentum Euchariſtiæ miniſtretur. *E quì il relator ſi fermò, non curandoſi più d'altro. Ma Sentaſi un poco il reſto, cominciando dal bel principio del Capitolo ſteſſo:* Sicut omnibus *&c.*

(37) *Queſto è un colpo aſſai forte contro l' Avverſario. Perche primieramente la ſagra Eucariſtia, preſa anche ſotto la ſola denominazione di Sagramento, e in tal ſemplice concetto, eſſendo la ſteſſa di ſua natura verſo di tutti, ed egualmente in tal ragione a tutti efficace; ſi vuol perciò, che uno parimente e conforme in tutti ſia anche il modo di miniſtrarla, colla dovuta cerimonia, e ſingolar riverenza. E qual' altro fu poi, o ſarà mai in verun ſecolo queſto modo di sì doveroſa e uniforme cerimoniale proprietà, con tanta ſingolarità di venerazione, e di culto, fuorchè appunto la ſolita, antica, e col Rito di Criſto, non che della Chieſa, perpetuamente uniforme maniera di far tutti in uno col Sacerdote la ſanta Comunione nell'attual celebrazione della S. Meſſa? ove quell'eſpreſſa e diretta ſolenne latria, che Divinamente vi ſi eſercita, fa goder poſcia appieno raccolte, e ordinatamente diſtribuite in un colli virtù del Sagramento ancor quelle cotanto inſigni e ſpeziali di Sacrifizio a tutti anch'eſſe riſpettivamente comuni, e di egual efficacia, che già non ſol col Decreto della Sagra Romana Congregazion de' Riti, ma con tante altre irrefragabili Autorità ſi ſon di ſopra ſpiegate. Ma andiamo inanzi:* Quapropter *&c.*

(38) *O quì sì, che il diſattento citatore prende una ſcoſſa più rovinoſa. E non ſente egli come quì trattaſi, non già di non diſpenſare la Santiſſima Eucariſtia* in domibus & capellis *a chi vi aſcolta Meſſa, ma di non portarla* per privatas domos vel capellas *alle perſone ſane, e ciò tanto privatamente e ſegretamente, che gli altri perdano le Indulgenze conceſſe a chi l'accompagna e venera portata con quel decoro che ſi conviene? Queſto è ben ſenza dubbio quel mero Sagramento, di*

adverterc non quidem prohiberi *in domibus, vel capellis* Euchariſtiæ diſpenſationem ſanis, cum Miſſæ interſunt; ſed non eſſe illam deferendam ſanis *per privatas domos, & capellas* ita ſecreto, quod meritum Indulgentiarum ſubtrahatur illis, qui Sacramentum aſſociare, & venerari vellent. Libenter ſiſto, quærens utrum hæc interpretatio cohæreat verbis ſequentibus, in quibus expreſſe prohibetur miniſtratio Euchariſtiæ ſanis extra Eccleſias, & loca ad id deputata? Si tantummodo in Communione domeſtica Sanorum diſplicebat Concilio ſecreta delatio Euchariſtiæ, id ſolum ſtatuere opus erat, quod de decenti, & honorifica delatione Euchariſtiæ ab Eccleſia ad Infirmos ſtatim decrevit. Quare cum certum ſit meritum lucrandi Indulgentias aſsociatione Sacramenti potius ſubtrahi in Communione Sanorum, ex hoc, quod prohibeatur tam publica, quam ſecreta delatio Euchariſtiæ ad eoſdem, neceſse eſt, ut verba illa Concilii, *ne ipſum aſſociare, & venerari volentium lucrandi Indulgentias meritum ſubtrahatur*, reſpiciant unice ad ea, quæ deinde de Communione domeſtica Infirmorum a Concilio decernuntur.

LXIII. Hic adhuc me exprobrat Anonymus, quod immemor eorum, quæ laudato Paſſerini teſtimonio dixi n. 10. *Singulariter eſt commemorandum, quod penitus eſt ſingulare*, non diſtinxerim inter Communionem, quæ fit ex particulis in Pyxide aſſervatis, dum ad ægrotos defertur, & Communionem, quæ fit ex particulis intra Miſſæ actionem conſecratis. Reprehenſionem non deſpicerem, ſi ulla me cauſa moviſſet diſtinguendi hoc loco ritus in miniſtranda Euchariſtia: Sed verius dixeram ego cap. 29. num. 6. *generatim omnibus ſanis* prohibitum fuiſſe in Concilio Derthuſano *per privatas domos, vel capellas Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare*. Occaſione autem Indulgentiarum, quarum fit mentio, haud mihi licebat peculiariter meminiſſe ritus Communionis intra Miſſam; cum ego nondum legerim ſpeciales Indulgentias fuiſſe conceſſas iis, qui potius communicaverint ex particulis conſecratis in Miſſa, cui aſſiſtunt, quam ex particulis præconſecratis; etſi noverim theſauros Indulgentiarum a RR. Pontificibus conceſſos devote Sacrificio adſtantibus; multoque minus ignorarem, quod omnes etiam tyrones norunt, Sacrificium offerri in remiſſionem peccatorum, ejuſque fructus uberius participare eos, qui de Sacrificio oblato ſacramentali perceptione Euchariſtiæ præ illis, qui ſolum, ut utar verbis Concilii Tridentini, ſpirituali affectu communicant. De hac fructus ubertate nemo Orthodoxus dubitat, ſed ſolum a Theologis diligentius inquiritur, quorum peccatorum remiſſio in Communione obtineatur; & ab eis, qui defendunt Euchariſtiam interdum per accidens primam gratiam, ſeu remiſſionem peccatorum mortalium conferre, efficacia hujuſmodi non refertur peculiariter ad circumſtantiam temporis, in qua de Sacrificio ſumitur participatio; ſed in ipſam Euchariſtiæ perceptionem, quæ alios ſuos operari effectus non poteſt, niſi

di cui inſegna il Romano Cathechiſmo, che Dum in pixide continetur, vel ad ægrotum defertur (*lo ſteſſo del portarla a' ſani*) Sacramenti, non Sacrificii rationem habet (*P. 2. c. 4. n. 71.*). *E come mai il buon Trattatore di sì grave argomento dimenticò sì facilmente quel* ſingulariter eſt nominandum, quod penitus eſt ſingulare, *ch'egli preſe in preſtito dal* Poſſevino? *Come mai non vide quell'incomparabil vantaggio, che gode ſopra le Eccleſiaſtiche Indulgenze* (*delle quali il Concilio di Tortoſa amò che non ſi defraudaſſero i ſemplici accompagnatori e veneratori dell' Euchariſtico Sagramento*) *la grande, immediata, plenariſſima, e per ſe infinita Indulgenza, che il Catechiſmo ſteſſo, fondato ſull' Evangelico* Pro vobis datur in remiſſionem peccatorum, *inſegna col ſuo* Ut Chriſtus Dominus in paſſione ſua pro nobis meruit, ac ſatisfecit; ſic qui hoc Sacrificium offerunt, quo nobiſcum commnnicant, Dominicæ paſſionis fructus merentur ac ſatisfaciunt? *Ma ſeguitiamo il Concilio ſteſſo: &c.*

niſi ignoratum a ſumente peccatum mortale deleatur; idque idem affirmant de aliis Sacramentis, quorum virtus primo, & *per ſe* ad juſtificationem non ordinatur. At cap. 29. de Orat. has theologicas diſputationes ubi permiſcuiſſem, ecquis prudens Lector non me reprehendiſſet, cum argumentum ibi propoſitum illa tantum expoſceret, quæ miniſtrationem Communionis in Oratorio privatæ domus vetitam ob circumſtantiam loci demonſtrarent?

LXIV. Proſequor reliqua verba Concilii Derthuſani a te veniam petens interpoſitæ moræ ab Anonymo mihi factæ: *Sed ipſis ſanis* [Sacramentum Euchariſtiæ miniſtretur] *in Eccleſiis, & certis locis ad hoc deputatis, vel etiam ſpecialiter deputandis; Ad Infirmos vero ab ipſis Eccleſiis deferatur, accenſis luminibus, honorifice, & decenter. Cæterum præſenti ſalubri ſanctione prohibemus, ne in domibus privatis ſacrum Baptiſma alicui conferatur, ſed Clementina ſuper hoc diſponens obſervetur; neque etiam Miſſi pro Nuptiis, vel Sepulturis, vel Novinuptiis in domibus celebretur.* Me tandem his Concilii verbis proſtratum clamans Anonymus (39) modum ſuggerit, quo in aſſerenda neceſſitate licentiæ Epiſcopalis pro licita Communione in Oratoriis privatis opportune a me prolatum Derthuſanum Statutum clare pateat. Perlibenter itaque ſuſcipio hanc Anonymi interpretationem, videlicet *certa loca illa*, in quibus permittitur extra Eccleſias miniſtratio Euchariſtiæ ſanis, eſſe Oratoria in privatis domibus. Perlibenter etiam admitto illa Oratoria, in quibus conceditur ſanis Euchariſtiæ adminiſtratio, ex eorum numero extitiſſe, in quibus Epiſcopi Miſſas celebrari annuebant; atque ideo vera me dixiſſe gaudeo cap. 29. n. 6. *etiamſi in illis Epiſcopali facultate Miſſæ celebrarentur*. Duo hæc libenter excipio, qnibus tertium addo in verbis Concilii contentum, loca illa *ad hoc*, idest ad miniſtrandam Euchariſtiam, fuiſſe *deputata*, *vel etiam ſpecialiter deputanda*. Specialis iſta deputatio, ipſa eſt ſpecialis licentia, quam Epiſcopi concedunt, ut in certis Oratoriis domeſticis Euchariſtia miniſtrari poſſit; ſine qua deputatione *per privatas domos*, *vel capellas nemini ſano* miniſtrandam eſſe ſtatutum eſt; ſed ipſis ſanis *in Eccleſiis* tradenda, & ab Eccleſiis ſimiliter ad Infirmos, accenſis luminibus, honorifice, & decenter deferenda.

LXV. Cum autem Baptiſma, & Matrimonium, & Sepulturæ officia, ut ſæpius ſtatutum fuerat, in Eccleſiis debeant celebrari, ſicut etiam cap. 28. de Orat. dixi, propterea ne illa peragerentur in privatis domibus, univerſim Derthuſani Patres nulla facta certorum, locorum exceptione prohibuerunt. Mallem vero, Vir optime, ut adverteres in hac poſtrema parte Sta-

(39) *Queſto finalmente butta l' Avverſario a terra. Conciosſiachè accordaſi dunque eſpreſſamente a' ſani l'amminiſtrazion della Comunione, non ſol nelle Chieſe, ma anche in altri luoghi deputati, o ſpecialmente da deputarſi a tal fine. E quali altri luoghi vi ſono poi, fuor delle Chieſe, ove deputar ſi poſſa con tale ſpecialità la diſpenſazion dell'Euchariſtia, che già dalle Chieſe ſteſſe, ſecondo tal Ordinazione, non può portarſi altrove ſe non agl'infermi, pe' quali ſoli vi ſi conſerva, e fuor delle Chieſe non può certamente conſervarſi nè per gl'infermi, nè per gli ſani, come moſtra il Card. Petra (To. 3. Conſt. pag. 300. edit. Rom. 1708.); quali altri luoghi, replico, vi poſſon reſtare, ove ſpezialmente uſar ſi poſſa l'Euchariſtica Diſtribuzione, ſe non ſe appunto gli Oratorj e le Capelle deputate a potervisi dir Meſſa? E che tali Oratorj aver ſi poſſano anche in Caſa, gli ſteſſi Dertuſani Padri lo accordano ivi medeſimo, ove parlando veramente di Meſſa, e* in domibus privatis, *non vi ſan poi reſtrizione alcuna della ſanta Comunione, ben conoſciuta ſempre propria della Meſſa, e per ſe già ſempre incorporata colla medeſima; ma vi appongon ſol tanto le ſeguenti diverſiſſime eccezioni:* Ceterum præſenti *&c. Dal che tutto è forza didurre, che quelle altre private Capelle, di cui ſi parlò dianzi, non foſſer tampoco ſpecialmente deſtinate o approvate per la celebrazion della Meſſa, ma foſſero puri luoghi di domeſtica orazione, ove ciò non oſtante ſi portaſſe da alcuni troppo confidentemente e di naſcoſto il Santiſſimo Sagramento anche fuor di malattia.*

tuti Derthuſani, in qua peculiariter quædam Miſſæ prohibentur in Nuptiis, & Novinuptiis, & in Sepulturis, eandem generalem loquendi rationem adhiberi *in privatis domibus*, qua initio vetita fuit *per privatas domos, vel capellas* ſanis Euchariſtiæ Communio. Si in aliis Oratoriis domeſticis non permittebatur a Patribus Derthuſanis Sacrificium Miſſæ celebrari, quam in illis locis deputatis, aut *ſpecialiter* deputandis, in quibus concedebant ſanis adminiſtrari Euchariſtiam, haud idoneæ viderentur voces illæ *in privatis domibus*, cum mera exceptio quarumdam Miſſarum ſolum pro illis locis ad miniſtrandam Euchariſtiam deputatis facienda eſſet. Quamvis enim abſque contradictione concedam etiam in illa Provincia in nullis privatis domibus abſque Epiſcoporum licentia Miſſas celebrare licuiſſe; tamen cum de neceſſaria Epiſcopali deputatione ad Miſſas in domibus privatis celebrandas ibi Patres non agerent, ſicut non meminerunt iſtius deputationis ad Miſſas celebrandas in fine Statuti, dum quaſdam ſolum Miſſas in privatis domibus prohibuere, ita neque oportuit eandem exprimere, dum initio Statuti per privatas domos, vel capellas Communionem ſanorum fieri prohibuerunt. Quod vero in illis omnibus locis, in quibus Derthuſani concedebant Miſſas celebrari, ſimul concederent deputationem pro miniſtranda Euchariſtia, determinate affirmare nequeo, quum certa mihi deſint eorumdem teſtimonia, & ſolum conſtet ex Statuto eos *certis in locis* deputationem pro Communione ſumenda conceſſiſſe; Miſſas autem in privatis domibus celebrari poſſe ſupponunt indicata exceptione aliquarum tantum Miſſarum, quin deputationis ejuſdem *ad hoc*, ideſt ad Euchariſtiam miniſtrandam, de qua ibidem agitur, ullam mentionem faciant. Quod ſi licentia celebrandi certis in locis comprehenſa, & præſuppoſita dicatur in ipſa locorum deputatione pro diſpenſatione Euchariſtiæ, ego non contradicam, dummodo viciſſim mihi concedatur præter facultatem Miſſarum domeſticarum, etiam neceſſariam fuiſſe ſpecialem Epiſcoporum licentiam, ſeu deputationem pro Euchariſtia in iiſdem miniſtranda. Parce, Amice Cariſſime, quod multa ſcripſerim de Derthuſano Statuto, ſine quo integra manent aſſerta mea in Capitulo XXIX.

LXVI. Alia non invenit Anonymus in meo Capitulo vexanda, ſed §. 39. me tandem illaqueatum (40) aſſerit meis ipſis verbis n. 8. & 9., cum dixi, quod Diœceſanus Epiſcopus *pro ſui muneris paſtoralis vigilantia curabit, ne in exercitio iſtius conceſſionis* [Communionis ſcilicet in Oratoriis domeſticis, quam Rom. Pontifex interdum concedit,] *quidquam divino Sacramento indecens, vel a ſumentibus, vel a Miniſtrantibus patretur: Si enim vitia, & abuſus ex aliena negligentia irrepſerint, tunc bene ſuſpenſione Privilegii ab Epiſcopo Privilegiati mulctarentur*; Concilii Tridentini ſeſſ. 22. decr. de obſer. &c. auctoritate, a quo Epiſcopis tanquam generaliter etiam ab Apoſtolica Sede delegatis facultas tribuitur ad corrigendos quoslibet abuſus in Sacramentorum diſpenſatione, & Miſſarum celebratione. Eccur autem me his implicavi, quæ vera eſſe Anonymus confitetur? Audi: [41] quia exinde conſequitur multo magis Epiſcopos cura-

[40] *Or non reſta, che da riaſſumere ancor l'altra circoſtanza delle perſone non ben diſpoſte: nel che l'Autor contrario ſi è illaqueato da ſe medeſimo, avviſando (e in queſto ben ſanamente) che con tutti i Privilegi Appoſtolici per la Comunion domeſtica*, Epiſcopus Diœceſanus &c.

(41) *Sicchè per li ſoli difetti e abuſi poſſono i Veſcovi metter mano in un Privilegio Appoſtolico, e ſoſpenderne l'eſecuzione. Molto più dunque per gli ſoli difetti e abuſi potran metter mano nel* Si qui ſunt Communicandi, eos communicet *del Meſſal Romano: che oltre la total ſua corriſpon-*

curare debere, ut verba illa Miſſalis Romani cujus ritum, normam, & modum ſequendum iteratis Conſtitutionibus RR. Pontifices decreverunt, examuſſim ſerventur, *Si qui communicandi ſunt*, *eos communicet*. Facillime nexus iſtos reſolvo negando in Oratoriis privatarum ædium adeſſe communicandos, quando non fuerit ab Epiſcopo, vel a Rom. Pontifice Communionis licentia ipſis conceſsa; ſed potius in eorum numero eſse recenſendos, qui, ut docet Pontifex in ſuis ſapientiſſimis litteris, refractarium animum oſtenderent petentes ad Communionem admitti illa in circumſtantia loci, quem Epiſcoporum Statuta, & Conſuetudo Legi æquivalens ſine ſpeciali diſpenſatione, aut privilegio Pontificis ad miniſtrandam licite Euchariſtiam non approbant. Cum hæc licentia conceſsa fuerit, nec ego, nec ullus alius negaverit juxta Miſsalis Romani Tit. de Ritu celeb. Miſsam §. 10. n. 6., & Ritualis Romani Tit. de SS. Euch. Sac. rubricas, a Sacerdote poſt ſumptionem Sanguinis, antequam ſe purificet, communicandos eſse.

LXVII. Supereſſent examinanda verba plura de me, meiſque ſcriptis in Parte II. Libri Obſervat: frequenter ab Anonymo prolata; ſed æquo animo toleranda eſse jam Tibi ſcripſeram, antequam Librum legerem. De Decreto S. Congregationis Rituum die 2. Septembris 1741., quo initio Partis 2. Anonymus me pudore afficiendum dixit,(42.) non eſt opus quidquam ſcribere, cum ad argumenta mea nullatenus pertineat; ſed in eo tandem diverſa ejuſdem Congregationis Decreta pro Communione miniſtranda in Miſſis Defunctorum ita conciliata fuerunt, ut ex particulis in pyxide contentis, quæ rationem Sacramenti habent, Euchariſtia non miniſtretur; poſſit tamen miniſtrari *per modum Sacrificii*, ideſt præbendo Communionem Fidelibus ex particulis infra eandem Miſsam conſecratis, quæ ad idem Sacrificium tanquam portio Victimæ a Sacerdote oblatæ ſpectant; atque in hujus Decreti editione uſa eſt Sacra Congregatio verbis adhibitis a Magiſtro Cæremoniarum, cujus in hac cauſa meri ritus miniſtrandæ Euchariſtiæ in Miſſis Defunctorum prius ſententiam exploravit; quamque egomet legi in Archivo Sacræ ejuſdem Congregationis. Finem itaque ponam huic Epiſtolæ a te enixe petens, ut tuis precibus me adjuvare non deſinas. Vale.

Romæ VI. Kal. Novembris Anno Jubilæi MDCCL.

M O-

---

pondenza coll'Iſtituzion Divina, vien confermato anche dallo ſteſſo Sagro Tridentino Concilio (*Seſſ. 22. cap. 6.*), *ed è parte del Canone della Meſſa, canonizzato pur dal Concilio medeſimo* (*Seſſ. 22. can. 6.*), *e corroborato da più Bolle Pontificie, e in iſpezieltà da quella di S. Pio V., ove comandaſi che la Meſſa ſi celebri* juxta ritum, modum, ac normam, quæ per Miſſale hoc traditur.

(42) *Paſſiamo all'Autor di un'altra recente Opera ſtampata ſopra gli Oratorj Domeſtici. Anch'eſſo per verità o quanto avrà ad arroſſire in viſta del sì luminoſo Decreto della Sagra Congr., a lui ignoto, e da noi ſpianato!*

MONITUM.

CUm ſub prælo eſset præcedens apologetica Epiſtola, Romæ in lucem prodiit Encyclica Epiſtola Bened. PP. XIV. die 2 Junii nuper elapſi ad Primatem, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Poloniæ, qua excitatas in illorum Diœceſibus controverſias, & excitata quoque moleſta diſſidia propter Oratoria privata penitus præcidit Pontifex Vigilantiſſimus indicatis *certis regulis*, *ad quarum normam ſublatis abuſibus privati Oratorii privilegium exerceri debeat*, *ut cum ordinationes* eorumdem Præſulum *Pontificia auctoritate munitæ fuerint*, *non ſolum ab omni malevolorum cenſura immunens evadant*, *verum majus ſemper eiſdem onoris*, *atque æſtimationis pondus accedat*. In hac Epiſtola tum ſuam, quam ſuorum Prædeceſsorum mentem, ſenſuſque aperuit Sapientiſſimus Pontifex, *quibus quidem præter obedientiam*, *quæ eiſdem debetur ratione auctoritatis*, *a qua velut a fonte dimanant*, *aliud etiam neſcio quid majoris ponderis ineſt materiæ ipſius nomine*, *quæ eorum objectum eſt*, *quæque in quæſtione veratur*, *cum omnis hujuſmodi res ab Apoſtolicis Privilegiis dependeat*. *quorum explicatio privativo jure Summis Pontificibus reſervata eſt*; *cumque eadem præcipuam normam deſumere debeat ex intentione illius*, *a quo conceſſio facta eſt*, *cujus ſenſus Concedenti ſemper*, *quam alii cuilibet notior eſſe debet*. Ut autem nihil in Opere de Oratoriis domeſticis a Joanne BaptiſtaGattico ſcriptum inveniatur, quod non omnino his conſonet, quæ in Pontificia Encyclica traduntur, ita cum ipſe neceſſariam eſse Epiſcoporum licentiam dixit, ut Sacra Euchariſtia in Oratoriis privatis diſtribuatur, in quibus Miſsarum celebratio ex indulto Apoſtolico conceditur, ne minimum quidem a Pontificiis Litteris diſcrepaſse facile omnes intelligent, ſi hæc verba earumdem Litterarum attente legerint.

Reliquum eſt ut de ſacris Functionibus dicatur, *quæ in iis Oratoriis fieri poſſunt*, *quæ in domibus Privatorum ſunt &c. Extra Paſchalem vero Communionem cum in Sacro Tridentino Concilio* Seſs. 22. cap. 6. de Sacrif. Miſſæ, *quæ ſubiicimus verba leguntur*: Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret; *non defuit*, *qui ex eiſdem verbis deduceret*, *quod certe*, *& clare inde conſequatur*, *ut in privatis Oratoriis*, *quando in ipſis celebrandi Miſſam facultas eſt*, *diſtribui Euchariſtia poſſit iis*, *qui Miſſæ præſentes adſtant*; *neque ad hoc præſtandum ullo particulari Indulto opus ſit*. *Super hujuſmodi quæſtionis capite Nos in noſtra Inſtitutione* 34. §. 3. *diſſeruimus inter eas*, *quas tum cum Bononiæ reſideremus Eccleſiæ illius Archiepiſcopatum gerentes publicavimus*; *quas quidem Inſtitutiones cum Italico ſermone edidiſſemus*, *poſtea Romæ latine redditæ*, *atque impreſſæ ſunt*: *Ibi autem expoſitam paulo ante opinionem retulimus*; *Verum aliam eſſe ſubiunximus*, *quæ Epiſcopi licentiam requirit*, *ut qui domeſticum Oratorium domi habet*, *dum Miſſæ in eodem intereſt*, *communicare poſſit*. *Hujuſmodi opinio tum bono rerum ordini*, *tum Romanæ etiam conſuetudini*, *ſive praxi cohærens Nobis viſa eſt*; *Ac proinde ordinavimus*, *ne in privato Oratorio recipi Communio poſſet ab iis*, *qui in eodem Miſſæ interſunt*, *quam vel Secularis Sacerdos*, *vel Sacerdos Regularis celebraret*, *niſi vel Noſtram*, *vel Vicarii Generalis noſtri licentiam obtinuiſſet*. *Neque etiam in præſens voluntas Nobis*, *aut ratio eſt*, *cur ab hoc ſyſtemate recedamus*. *Siquidem cum Nos in magna illa controverſia ſuper Communione illis diſtribuenda*, *qui Miſ-*

ſæ

ſæ præſentes cum ſint, eamdem petunt, quæ aliquot ab hinc annis in Italia exorta fuit, poſtquam Tridentini Concilii verba retuliſſemus, atque eorum zelum commendaſſemus, qui inter Sanctæ Miſſæ celebrationem Communionem recipiunt, Eccleſiaſticos quoque Paſtores excitaviſſemus, ne Euchariſtico cibo illos fraudarent, qui ejuſdem famelici forent; cum, inquam, animadvertiſſemus ejuſmodi circumſtantias dari poſſe, in quibus vel temporis, vel loci ratione Epiſcoporum prudentia oportunum factu exiſtimet ſacram Euchariſtiam etiam illi, qui Miſſæ interfuit, minime diſtribui; eo magis quod juxta præſentis temporis diſciplinam libera eidem facultas patet, ut eandem alio loco, atque alio tempore recipere poſſit, ordinavimus, ut in hoc debita proprii Superioris præcepto obedientia præſtari deberet, cui qui morem gerere recuſaſſet, nimis manifeſtum indicium præbuiſſet, quam parum animo diſpoſitus, ac paratus eſſet ad Altaris Sacramentum recipiendum, quemadmodum in Litteris Noſtris, quarum initium eſt Certiores effecti, *& quæ in Bullario Noſtro Tomo* 1. *num.* 64. *leguntur, videre eſt.*

Atque hæc ſunt, venerabiles Fratres, quæcunque in Encyclica hac Epiſtola Noſtra Vobis opportunum exponere exiſtimavimus, a quo quidem ſatis intelligetis, quod legendis, & conſiderandis Apoſtolicis Litteris conceſſionum Oratorii Deceſſorum Noſtrorum Decretis, harum Congregationum reſolutionibus, quæ a Nobis etiam in præſentia confirmata ſunt, nullus amplius litibus, & controverſiis locus reliquus ſit &c.

FRANCISCI MARIÆ
S. R. E.
CARDINALIS BRANCATII
EPISCOPI PORTUENSIS
DE PRIVILEGIIS
QUIBUS GAUDENT
S. R. E. CARDINALES IN PROPRIIS CAPPELLIS
DISSERTATIO.
ADNOTATIONIBUS NOVISSIME ILLUSTRATA.

ADPROBATIO.

ADnotationes ad Diſſertationem Cardinalis Brancatii de privilegiis, quibus gaudent S. R. E. Cardinales in propriis Cappellis, juſſu Reverendiſſimi Patris F. T. A. Ricchini S. P. A. Magiſtri, non ſine animi voluptate perlegi; Doctus enim Auctor Eminentiſſimi Differentis Sententias illuſtrat, &, adnotatis Summorum Pontificum, ac Sacrarum Congregationum recentioribus Decretis, ſaniori noſtri temporis diſciplinæ componit. Quare cum nihil contineant contra Sacroſancta Fidei noſtræ Dogmata: Nihil contra bonos mores: Nihil contra probatos Eccleſiæ Ritus, dignas plane cenſeo, quæ multorum commodo typis mandentur, ac publici juris fiant. Datum Romæ Idibus Decembris 1769.

Lucas Antonius Verdiani Apoſtolicar. Carem. Mag.

DE

DE PRIVILEGIIS, QUIBUS GAUDENT CARDINALES IN PROPRIIS CAPPELLIS.

DUBITANTI aliquandò mihi, quibuſnam fruamur privilegiis, aut quid nobis, ex Pontificum indulgentia, in noſtris domeſticis Sacellis, quidue in iis ipſis, liceat Cappellanis noſtris: viſum fuit peropportunum, totam hanc materiam in quatuor dividere quæſtiunculas, quæ diſſertationem complectantur univerſam, ne in poſterùm, quæ nobis, quæve illis concedantur, ignoraremus. *Mihi enim*, ut ait Auguſtinus, *non videtur errare quiſquam, cum aliquid neſcire ſe ſcit, ſed cum putat ſcire, quod neſcit.*

Auguſt. Ep. 80.

Cardinales iiſdem fruuntur, quibus Epiſcopi, Privilegiis.

Antequam ſingulas diſſolvam, præmittendum eſſe cenſui, ut certum, privilegiis, quibus Epiſcopi diverſis in rebus fruuntur, potiri etiam Cardinales, iiſque ſex præſertim, de quibus meminit Gloſſa, *Manfredus*, *Villadiegus*, *Barbatius*, *Jacobatius*, *Layman*, *Diana*, *&* *Fagnanus*.

Gloſ. in cap. fin. de Privil. in 6. in verbo indulgemus. *Manfred.* in Tract. de Card. dec. 214. *Villadieg.* de orig. Card. q. 13. num. 63.

Imò in hac re noſtra, non ſolùm iiſdem, ac Epiſcopi, gaudent privilegiis, ſed etiam amplioribus, cum in adminiſtratione majores ſint Epiſcopis, ut firmant Concilium Lateranenſe, *Turrecremata*, *Villadiegus*, *Barbatius*, *Manfredus*, *Albanus*, *&* *Zerola*.

Barbat. de præſ. Card. q. 3. p. 1. num. 6. *Jacobat.* de Concil. lib. 1. fol. 36. col. 2. *Layman.* Theolog. Moral. lib. 1. tract. 5. p. 3. c. 2. nu. 1. *Diana* p. 5. tract. de poteſt. & privil. Card. reſolut. 48. *Fagnanus* in c. Quod nonnullis a nu. 4. de privil.

Concilium Lateranen. ult. ſeſſ. 9. Card. *Turrecrem.* in Sum. lib. 1. cap. 81. *Villadieg.* de orig. Card. qu. 11. *Barbat.* de præſt. Card. q. 1. num. 52. *Manfred.* d. tract. deciſ. 114. *Alban.* de Card. q. 7. *Zerol.* in prax. par. 2. Verbo Epiſcopi.

Hinc quamvis, cogente ſolummodò neceſſitate, *Extra tabernacula divinis precibus à Pontificibus delibuta*, vt ait Felix IV. (quod reddita Eccleſiæ pace, & poſt Conſtantini tempora cœptum, ut ex Minutio, & Arnobio, & pariter ex Tertulliano colligi poteſt) & in domibus etiam Epiſcopis interdictum fuerit, ut in Concilio Laodiceno, & in Pariſienſi ſub Gregorio IV. & in Sacra Tridentina Synodo, & apud Barboſam, qui congerit ceteros; licèt ante Felicis Conſtitutionem, in domibus privatis, & in carceribus, Miſſæ holocauſtum ex cauſa liberè oblatum fuiſſet, ut ex S. Auguſtino, & aliis latiùs infra videbimus.

Felix IV. in Epiſt. ad omnes Orthodoxos, & habetur in c. ſicut non alii de Conſecr. diſt. 1.

Minutius, & *Arnobius* lib. 6. adv. Gent. *Tertull.* ad Scapulam.

Conc. Laodicen. c. 58.

Nihilominùs hodiè etiam poſt Tridentinum poſſunt Cardinales (non tamen, ſecundùm aliquorum ſententiam (1), Epiſcopi) ex

** Sſſ 2

(1) Hanc paucorum Doctorum ſententiam negantium, ſeu potius in dubium vertentium, an liceat Epiſcopis poſt Concilium Tridentinum frui privilegio *cap. Quoniam, de privilegiis in 6.* celebrandi ſcilicet extra locum ſacrum ſuper Altare portatile, vulgo rejiciunt Doctores reliqui, quorum plures recenſent Barboſa *in Collect. in Concil. Trident. ad decret. Seſſ. 22. de obſerv. & evitand. in celebr. Miſſ. num. 16.* & Card. Petra *tom. 4. Comment. ad Conſtit. 2. Urbani V. num. 15.* Jure quidem meritoque. Res enim ſæpius declarata fuit a S. Congregatio.

ex Pontificum privilegio extra locum ſacrum ſuper Altare portatile celebrare. Ita Navarrus, & Rodriquez, qui ſcribit, *Ni el Papa lo concede a los Obiſpos, excepto à los Cardenales*, & alii.

Et quod olim indultum Sacerdotibus fuerat in Concilio Triburienſi, & habetur in Canone, ut ſcilicet, ſi in itinere deeſſet Eccleſia; *poſſint in tabula conſecrata* (ait) *ſacrificium offerre*, & deinceps ſolis Epiſcopis in itinere *etiam ante lucem permiſſum*. Ita Gloſſa, quam ſequuntur Navarrus, Paludanus, & Sotus, quos refert, & amplectitur Henriquez, Suarez, Azorius, Sà, Coninck, & poſt alios Barboſa.

Hoc Cardinalibus, etiam non iter facientibus, & ante lucem eſt permiſſum, ut concludit idem Henriquez ex Paludano, & Soto, & firmant Scortia, Alzedus, & poſt hos Diana, (his poſtremis indiſtincte loquentibus in itinere, vel extra) & Tamburinus ea ratione, quia licet conceſſionis cauſa itineratio, ut ita dicam, Epiſcoporum ſit; conceſſio tamen eſt abſoluta, & univerſalis, ita ut, vel ægritudinis, vel belli, vel peſtis, vel ex alia ſimili cauſa id poterunt. Sic Valerus, & alii apud Barboſam, & Sylveſtrum ex eodem Paludano (qui ait, *Cardinalibus Papam in hoc diſpenſare, quod celebrent ante Auroram*) taleque privilegium Cardinalium eſſe mixtum, perſonale videlicet, & locale, optime ad rem advertit Valerus; cum ratione illorum perſonæ (2) id quilibet locus nanciſcatur, quod infra ſæpius nobis rememorandum ſit. Cumque duo ſint, quæ, ut vidimus, Epiſcopis, & Cardinalibus ſupra leges concedantur, alterum, ut extra Martyria, & Eccleſias ſuper portatili Altare, itineris occaſione, valeant celebrare, ut expreſſe Bonifacius ſtatuit; alterum, ut ante lucem, ex dicta Gloſſa, id facere poſſint: De utroque peracturis ſupponere viſum fuit (ut altius ſubſtruamns diſquiſitionis reſolutioni fundamentum) aliqua ex Eccleſiaſticis Hiſtoriis, & Conciliis eruta. Primo circa Sacrificii oblationis loca: deinde circa tempus, ut clarius, quid Pontifices quidve populorum uſus indulſerint, & fa-

Conc. Pariſien. ſub Gregor. IV cap. 47. *Conc. Trident. Synod.* Can. 1. ſeſſ. 22. de Sacrif. Miſſæ. *Barboſ.* in Collect. nu. 15. *S. Auguſt.* Collat. cum Donat. Coll. 3. cap 5. & contra eoſdem Donat. poſt Coll. cap. 14. *Navarrus* in manual. lat. c. 25. nu. 32. *Rodriq.* in Sum. p. 1. cap. 242. num. 14.

Can. Concedimus de conſec. diſt. 1.

Gloſ. in d. c. fin. de privil. Verbo. Indulgemus. *Navarrus, Paludanus*, & Sotus diſt. 3. q. 2. *Henriq.* Sum. l. 9. c 24. lit. P. *Suar.* loc. inf. cit. ver. tertia exceptio *Azor.* to. 1. lib. 10. c. 25 q 5. *Sà* in Aphor. verb. Miſſa num. 27. *Coninck* de Sacram. qu. 83. ar. 2. dub. 4. n. 217. *Barb.* de off. Epiſc. par. 2. alleg. 23. n 5.

Henriquez. loc. cit. ex *Paludano*, & *Soto* in 4. diſt. 13. qu. 2. art. 2. *Scort.* de Sacrif. Miſſæ lib. 2. c 15. n. 4. *Alzed.* de præſt. Epiſcop. p. 1. c. 13. num. 13. *Diana* d. part. 5. reſolut. 77. *Tamburin.* de Sacrif. Miſſ. l. 1. c. 4. §. 2. n. 9. *Valer.* de diff. utr. for. v. Miſſ. Diſſ. 2. *Barboſ.* In Coll. d. c. 8. de Sacrif. Miſſæ num. 16. *Sylveſter* in Sum. verb. Miſſa 1. num. 6.

Valer. de diff. utr. for. diff. 2. in Verbo Miſſa.

Bonifacius in d. c. fin.

Gloſ. in d. c. fin.

gatione Cardinalium S. Conc. Trid. Interpretum. Sic *in Lamacen. 19. Junii* 1586. propoſitis dubiis: I. *An per decretum Concil.* De obſerv. & evitand. verſ. Neve patiantur, *derogatum cenſeatur privilegio Epiſcoporum, de quo in cap. fin. de privileg. in 6.* II. *An Epiſcopi uti poſſint eodem privilegio* cap. fin. *extra caſum abſentiæ a ſuis Eccleſiis, & Diœceſibus, velut ex cauſa valetudinis, aut alicujus magni incommodi, vel ingruentis periculi*: Sacra Congregatio *Ad primum cenſuit non cenſeri derogatum: Ad ſecundum, uti poſſe ex cauſa legitima. Lib. 4. decret. fol.* 151. & in decreto pro S. R. E. Cardinalibus die 18. Februarii 1623. *lib. 12. decret. pag.* 120. *a tergo* hæc diſertis verbis leguntur: *S. Congregatio cenſuit, Cardinales non ſecus atque Epiſcopos, ſine ulla Epiſcopi Diœceſani licentia, uti poſſe privilegio Altaris portatilis ad præſcriptum Conſtit. fel. record. Bonifacii VIII. quæ incipit*: Quoniam Epiſcopi; *nec ejuſmodi privilegium ſublatum fuiſſe ejuſmodi Conciliari decreto cap. unic. Seſſ. 22. de Obſerv.; proindeque Capellas, & Oratoria ad illorum uſum ubique locorum extructa minime comprehendi in probibit. juſſu s. m. Pauli V. jampridem edita de non celebrando in privatis Oratoriis*. Plura ad rem Card. Petra *loc. cit.*, & Gatticus *De uſu Altaris portatilis cap. 12.*

(2) Quæ tradit Eminent. Auctor de facta tam Epiſcopis, quam Cardinalibus privilegii conceſſione *abſoluta*, & *univerſali*, tum etiam de loco quolibet *ratione illorum perſonæ* ejuſmodi privilegium acquirente, intelligenda ſunt ad tramites poſteriorum decretorum S. Congregationis, & Summorum Pontificum. Re quidem vera S. Congregatio Concilii *in Neapolitana die 30. Maii 1699.* cenſuit ad I.

& facilius intelligatur.

De Loco Sacrificii. Cognoſcendum igitur erit, poſt Conſtantini Magni tempora, ut diximus, & quartum ſalutis humanæ ſeculum (quo, Tyrannorum, & Gentilium furor jam deferbuerat, & templa impune divino Numini excitabantur, Chriſtianaque profeſſio palam cæperat exerceri, adeoque e cryptis, & catacumbis oblationes Sancti holocauſti fidenter emerſerant) ceſſante Deuteronomii lege; *Cave, ne offeras holocauſtum tuum in omni loco, quem videris, ſed in loco, quem elegerit Dominus*, non tantum in Martyriis, Baſilicisque Sacerdotes, ſed in privatis etiam domibus, & ſic ſuper Altaria, quæ plerumque à Fidelibus ex tempore excitabantur, obtuliſſe: tum, ut ipſorum fervori fieret ſatis, tum etiam, ut arbitror, quia profundius fixæ Cap. 12.

ad I. *Epiſcopis non licere in aliena Diæceſi erigere Altare extra Domum propriæ habitationis in Domibus Laicis, ibiq. non ad propriam devotionem, ſed pro inhabitantium commodo celebrari facere per unum, vel plures ex propriis Capellanis, ipſo Epiſcopo præſente; Ad II. Neque eiſdem Epiſcopis licere ad placitum, & pro commodo Amicorum erigere Altare, & celebrare in eorumdem Amicorum domibus. Ad V. neque Epiſcopis licere in Oratoriis privatis celebrare, vel celebrari facere ipſis præſentibus pro commodo fruentium ipſis Oratoriis, celebrata una Miſſa in Apoſtolico Indulto conceſſa, nec in diebus exceptis in Indulto, vel prohibitis a S. Congregatione, vel Conſtitutione Synodali*. Hinc diſcimus, privilegium erigendi Altare portatile ad celebrandum extra locum ſacrum ea limitatione Epiſcopis convenire, ut eo uti nequeant ad aliorum commodum, ſed tantummodo ad propriam devotionem. Card. Petra *loc. cit. num.* 18.

His aliiſq. inhærens declarationibus Clemens XI. *in decreto circa celebrationem in Oratoriis privatis d. 15. Decembr.* 1703. expreſſe declaravit: *Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu privilegii clauſi in corpore juris, neque alio quoque titulo, nullo modo licere extra domum propriæ habitationis, in domibus laicis, etiam in propria diæceſi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamſi Diæceſani conſenſus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſive celebrari facere*: Decretum hoc confirmavit Innocentius XIII. *in Conſt. Apoſtolici Miniſterii* 13. *Maii* 1723. hac addita explicatione: *Declaramus, quod cum in prædicto Decreto ſtatuatur, non licere Epiſcopis extra domum propriæ habitationis, in Domibus laicis erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſive celebrari facere, hujuſmodi prohibitio intelligenda non ſit de Domibus etiam Laicis, in quibus ipſi Epiſcopi forte, occaſione viſitationis, vel itineris, hoſpitio excipiantur, & hoc etiam quando Epiſcopi in caſibus a jure permiſſis, vel de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, abſentes a Domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum ſimilis habitationis; his enim caſibus licita iis erit erectio Altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non ſecus ac in domo propria ordinariæ habitationis*.

Ex his patet, conceſſionem a Bonifacio VIII. *Epiſcopis, eorumque ſuperioribus* factam *cit. cap. Quoniam, de privileg. in 6.* celebrandi *ubicumque* in Altare viatico, *abſolutam* non amplius eſſe, & *univerſalem*, neque locum quemlibet nanciſci ejuſmodi privilegium *ratione perſonæ* Cardinalium vel Epiſcoporum. Ea enim conceſſio ſtatis quibuſdam limitibus, ut vidimus, circumſcripta fuit, nempe intra domum tantummodo propriæ ordinariæ habitationis, non vero extra ipſam in domibus laicis, niſi Epiſcopus tanquam hoſpes in iiſdem laicorum domibus moretur aut Diœceſim viſitando, aut iter faciendo, aut ex licentia Sedis Apoſtolicæ habitando in domo aliena extra Diœceſim. Quamvis autem in hac Innocentii XIII. declaratione fiat ſolum mentio Epiſcoporum: attamen dubitandum non eſt, eam ad Cardinales etiam quoſcumque pertinere. Summus enim ille Pontifex per ea verba explicandum ſibi propoſuit decretum Clementis XI. Quæ autem in hoc habentur, reſpiciunt æque Epiſcopos ac Cardinales quoſcumque, ut apertiſſime indicant verba illa ejuſdem decreti: *Epiſcopis, & his majoribus Prælatis etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus*: de his itaque omnibus intelligenda eſt

xæ conſuetudines repente eradicari vix poſſunt, *& duris mentibus*, ait Gregorius, *ſimul omnia abſcindere impoſſibile eſſe, non dubium eſt*. Hinc in D. Ambroſii vita, à Paulino conſcripta, eumdem Sanctum in Tranſtyberinæ cujuſdam domus oratorio, cum ad ſacrificium offerendum invitatus fuiſſet, paralyticæ mulieri reddidiſſe ibidem ſanitatem habemus, ut ex eodem Paulino refert Card. Baronius; & Divus Auguſtinus meminit ſacrificii in fundis Heſperii, & privata domo peracti, ipſamque a ſpirituum infeſtationibus, quibus ſummopere vexabatur, occaſione hac liberatam, & alibi ad Xantippum *In fundo Straboniano Abundantium Ordinib us inſignitum* ait (3) quod pluries in Sancti Gregorij Epiſtolarum Regiſtris confirmatum reperimus, (de quibus oratorijs copioſe non minus, quam docte diſſeruit Nico-

Gregorius ep. 71. lib. 9. in his terminis.

Baron. tom. 4. an. 377.

D. Auguſtinus de Civitate Dei lib. 22. cap. 8.

Epiſt. 236.

---

eſt Innocentrana ſanctio. Hæc omnia confirmavit, innovavitq. Benedictus XIII. tum *in Conſt. in ſupremo* 23. *Septembr.* 1724. cum *in Concilio Romano an.* 1725. *tit.* 15. *cap.* 2.

Citatis Clementis XI. decreto, & Innocentii XIII. declaratione, necnon Concilii Romani conſtitutione nullo modo affici privilegium, quo gaudent Protonotarii Apoſtolici ex Conſtit. Sixti V. *Laudabilis* nonis Februarii 1586. pluribus (ſalvo omni meliori judicio) contendit P. Andreas Hieronymus Andreucci S. J. in opuſculo: *De Protonotariis Apoſtolicis e numero Participantium part.* 3. *cap.* 9. *n.* 176. *& ſeq.*; ac proinde de hujus Auctoris ſententia ex vi talis privilegii poſſunt ipſi jam in uno, jam in alio loco decenti, & honeſto, prout libuerit, Miſſam celebrare vel celebrari facere per quemcumque Sacerdotem idoneum & approbatum, etiam ante diluculum, & circa meridiem, etiam tempore interdicti, & ceſſatione a divinis; dummodo cauſam hujuſmodi interdicto, & ceſſationi ipſi non dederint &c. Inſtituti mei ratio minime patitur, ut de his ſim ſollicitus. Unum tantummodo occurrit nulla ratione diſſimulandum: nimirum Protonotariorum cauſam ita ab eo agi, eorumque vindicari privilegium, ut dubius eſſe videatur de privilegio, quo gaudere Epiſcopos, & iis majores Prælatos, hoc eſt Cardinales, & ſupra evicimus, & exploratum eſt omnibus. Et ſane cum *num.* 174. hoc ſibi oppoſuiſſet argumentum: *Non licet Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, abſolute, & illimitate uti privilegio Altaris portatilis... ergo ſimiliter dicendum eſt reſpectu Protonotariorum participantium &c.* Hoc inquam, argumentum cum ſibi oppoſuiſſet, ei *num.* 179. hunc in modum ſatisfacit: *Eſto talis uſus Altaris vetitus, ſeu limitatus ſit Epiſcopis, & his majoribus Prælatis non proinde ſtatim ſequitur, quod idem vetitus, aut limitatus ſit Protonotariis: nam reſpectu iſtorum non militat eadem ratio adæquata limitationis Pontificiæ: ſiquidem hi obtinent privilegium* CERTUM, ET EXPRESSUM *conceſſum a Pontifice poſt Tridentinum, ac præterea obtinent ex titulo oneroſo, ac remunerativo; quæ omnia non concurrunt in Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, qui* VEL DUBIUM OBTENDUNT PRIVILEGIUM, *vel certe non conceſſum ex titulo oneroſo*. Non abſimili modo locutus fuerat *num.* 177. contendens uſum Altaris portatilis factum a Protonotariis eſſe *ex clara, expreſſa, formali, & indubitata conceſſione Pontificis*: rem vero ſe ita non habere de privilegio Epiſcoporum. Doceat me quæſo Vir præclariſſimus, quod nam ſit *dubium* illud *privilegium*, quod Epiſcopi & his majores Prælati *obtendunt*? Dubium ne privilegium illud, quod verbis legitur diſſertiſſimis *in cap. Quoniam, de privileg. in* 6. ex Bonifacio VIII.? Dubium ne privilegium, quod Doctores omnes, ſi unus vel alter ut ita dicam, excipiatur, uno ore, ac ſententia eiſdem adſcribunt? Dubium ne tandem privilegium, quod nullo modo a Concilio Tridentino ſublatum eſſe, ſæpe declaravit S. Congregatio ejuſdem Trid. Concil. interpretationi præpoſita? Vid. *adnot. ſuper.*

(3) Auguſtini verba, uti leguntur *Epiſt.* 65. *nov. edit.* ita ſe habent *Inſinuo prudentiæ tuæ, Abundantium quemdam in fundo Strabonianenſi pertinente ad curam noſtram ordinatum fuiſſe Presbyterum*. Mirum fortaſſe videri alicui poterit, ex hoc Auguſtini textu, in quo ne verbum quidem habetur de Miſſæ Sacrificio, argumentum deſumi ab Eminent. Auctore, ut probet, in privatis etiam domi-

Nicolaus le Maiſtr. in lib. 2. c. 5. de Bonis Eccleſiaſticis.

S. Greg. Epiſt. 9. lib. 2. ind. 10. & alibi, & in *Epiſt.* 5. ad Pipinum Regẽ apud *Gretſerum* pag. 38. Impreſ. Ingolſtadien.

colaus le Maiſtre) Idemque Sanctus Pontifex abſque publicis Miſſis hæc privata conſecrari oratoria juſſit, quod in Regum Palatijs per publicas Miſſas fieri ex Zacharia Papa novimus. Immo in ijſdem domeſticis Sacroſanctam Euchariſtiam retentam fuiſſe a Sancta Gorgonia ejus ſorore affirmat D. Gregorius Nanzianzenus, de quo nuper noſter Lupus plenius diſſerit (4).

Lup. in Not. ad Canon. 31. Synod. Trullan. par. 2. pag. 916.

Juſtinian. Novell. 131.

Adeo quod licet Juſtinianus in privatis domibus celebrari prohibuerit, contrarius nihilominus uſus ſemper invaluit, & ſucceſſorum Imperatorum, & Mauritii præſertim, temporibus, ut ex ejuſdem Sancti Gregorii epiſtolis facile conſpici poteſt, ac notat Baronius. Atque hinc conſequentibus ſeculis ſæpius, & præſertim in Synodo Regia Ticinenſi, non permiſſus tantum,

S. Gregor. Epiſt. 42. ad Venan. Epiſt. 43. ad Joan. Epiſcop. Syracuſan. l. 5. Ind. 14. *Baron.* Tom. 8. ann. 596. & To. 9. ann. 835.

ſed,

---

domibus, & ſic ſuper Altaria, quæ plerumque a fidelibus ex tempore excitabantur, fuiſſe olim celebratum. Is tamen mirari deſinet, ubi animadvertit, non alio unquam tempore fuiſſe olim ordines, præcipue ſacros, collatos, niſi cum divina celebrabantur myſteria. Rem fuſe probat Hallier *de ſacr. elect., & ordinat. part. 3. ſect. 8. cap. 5. art. 1.*, cui aſſentitur etiam hereticus Binghamus *Orig. Eccleſ. tom. lib. 4. cap. 6.* §. 8. Vid. & Bened. XIV. *de Synod. lib. 8. cap.* 11. §. 3. *& ſeq.* Neque obſtat, Veſperis, aut nocte celebratas olim fuiſſe ordinationes. Ab uſu enim priſcorum fidelium alienum minime fuit, ut in diebus præſertim jejuniorum Miſſarum Sacrificium ad Veſperas conficeretur, quæ Veſpertinæ Miſſæ dicebantur, de quibus nos infra.

Difficultas potius ex eo petenda videtur, quod ſi per verba illa ab Auguſtino adhibita, *in fundo Strabonianenſi*, privata domus intelligatur, excluſo loco ſacro, ſeu Eccleſia, pronum inde erit inferre ſacras Ordinationes, Auguſtini tempore, habitas non ſemper fuiſſe intra locum ſacrum, ſeu Eccleſiam. Id tamen negant Doctores plurimi, inter quos Bened. XIV. *de Synod. loc. cit.* qui, ſi antiqua Eccleſiæ diſciplina reſpiciatur, indubitatum eſſe ait, primis dumtaxat exceptis temporibus, quibus ob ferventes perſequutiones integrum non erat Fidelibus in unum locum congregari, ordinationes, non alibi, niſi intra Eccleſiam fuiſſe celebratas, idq. probat ex S. Gregorio Nazianzeno *Carm. de vita ſua*, & ex Socrate *lib. 4. cap. 29.* Quæ cum ita ſint, haud ſatis firmum, atque perſpicuum mihi videtur argumentum ab Auctore noſtro petitum ex citato S. Auguſtini loco.

(4) Sacram Euchariſtiam domum deferri olim a Fidelibus conſueviſſe, ibique reſervari, ut ea poſſent privatim reſici, nemini ignotum eſſe, arbitror, qui ſcientiam antiquæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ vel etiam e limine ſalutaverit. Tertullianus porro *in lib. de Orat. cap. 14. Accepto*, inquit, *corpore Domini, & reſervato, utrumque ſalvum eſt, & participatio Sacrificii, & executio Officii.* Pariter *lib. 2. ad Uxorem cap. 5. Non ſciet maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes. Et ſi ſciverit: Panem non illum credit eſſe qui dicitur?* S. Cyprianus *in lib. de lapſis* narrationem inſtituit de quadam muliere, quæ *cum arcam ſuam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.* Acta SS. MM. Nicomedienſium *apud Baronium ad an. 293.* univerſam rem familiarem, quam in conclavi S. Domnæ nobilis Virginis Nicomedienſis gentilis Præfectus invenit, ita nobis deſcribunt: *Erant duæ ſtoræ in nudo ſolo ſtratæ . . . fictile præterea thuribulum, & lucerna, & lignea arcula, in qua repoſuerant ſacram oblationem* S. Hieronymus *epiſt. 50. ad Pamachium* eos inſectans, qui poſt nocturnum congreſſum cum uxoribus pudore quodam tenebantur, ne Eccleſias adirent, & interim tamen minime verebantur, Euchariſtiam domi accipere, his eos verbis alloquitur: *Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti Corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo. Unuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundat. Sed ipſorum conſcientiam convenio, qui eodem die poſt coitum communicant, quare ad Martyres ire non audent? Quare non ingrediuntur Eccleſias? An alius in publico, alius in domo Chriſtus eſt? Quod in Eccleſia non licet, nec domi licet.* Conſ. Martene *de antiquis Eccleſ. Rit. lib. 1. cap. 5. art. 1.* Bona *lib. 2. Rerum Liturg. cap. 17.* §. 4. *&c.*

Inſtitutionem hanc, abſolutis beneficio

ſed, uti laudabilis, uſus injunctus eſt (5), & declaratum, quibus Sacerdotibus uti deberent, ibi; *Docendi ſunt ſeculares viri, ut ſi in domibus ſuis myſteria divina jugiter exerceri debeant, quod laudabile eſt, ab iis tantum tractentur, qui ab Epiſcopis examinati fuerint, &c.* Videndus etiam eſt Hincmarus Rhemenſis; licet noſtris hiſce temporibus cum Ambianate queri non injuria poſſimus, Eccleſias publicas in oratoria domeſtica converſas, adeo quod vix ad ſolemnitates in templis occurſationes Nobilium conſpiciantur.

Hinc. Rhem. l. 5. cap. 8.

Ambian. in Tertull. Rediu. Obſer. 1. c. 39.

Cur autem aræ hujuſmodi portatiles, vel ſacræ tabulæ eccleſiarum vicem, prærogativamque induerint, alia afferri ratio non poſſe videtur, quam quia cum nunquam eccleſiæ conſtruerentur, vel in Dei cultum commutarentur, quin illius, in cujus honorem erigebantur, vel alterius Sancti illic collocarentur Reliquiæ, (ut habetur ex S. Gregorio, & notant omnes cum Baronio, qui de Theodomiro Galleciæ Rege mentionem habet) & altaria hæc, de quibus agimus, conſecrari non permittantur ſine Sanctorum Reliquiis, tem-

S. Gregor. in d. Epiſt. 71. lib. 9. *Baron.* ann. 560.

ficio Chriſtianorum Imperatorum perſecutionibus, minime obſoleviſſe, ſed perſeveraſſe poſtmodum, etiam apud Laicos, nedum apud Monachos, plurium Scriptorum teſtimoniis probat Martene *loc. cit. num.* 3. qui præterea *num.* 4. obſervat, Sæculo X., imo multo etiam poſtea, communi uſu apud Monachos in Orientali Eccleſia locum habuiſſe conſuetudinem deferendi Euchariſtiam in Cellas ſuas, & ibidem propria manu ſemetipſos ea ſe reficiendi; quoad Latinam vero Eccleſiam animadvertit *num.* 5., eamdem conſuetudinem ſaltem quoad Virgines Deo ſacras, uſque ad Sæculum XII. & ultra obtinuiſſe.

(5) Quod ait Auctor, etiam poſt novellam Juſtiniani Imperatoris Conſtitutionem ita ſe habentem: *Omnibus interdicimus magnæ hujus Civitatis habitatoribus, magis autem totius noſtræ ditionis, in domibus ſuis habere quaſdam quaſi orationis domos, & in his ſacra celebrari myſteria*: Quod, inquam, ait, contrarium nihilominus uſum ſemper invaluiſſe, atque hinc conſequentibus Sæculis ſæpius non permiſſum tantum, ſed uti laudabilem uſum injunctum fuiſſe, ut ſacrum fieret in privatis domibus, id profecto nimis generatim, abſoluteque dictum mihi videtur, minuſque cohærere cum iis, quæ nobis adhuc ſuperſunt, illorum temporum monumentis. Monet enim Doctiſſimus Martene *lib.* 1. *cap.* 3. *art.* 5. *num.* 8. 9. & 12. tam Eccleſiaſticis quam civilibus legibus paſſim per ea, & conſequentia ſæcula interdictum fuiſſe in domibus privatis celebrare. Plura, eaque apertiſſima ſunt, quæ hanc ad rem ab eo afferuntur teſtimonia, ac Synodorum decreta. Viden. quoq. Lupus *in Can.* 31. *Concil. Trullani*.

Diſſimulandum tamen non eſt cum eodem Martene, conſentiente etiam Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 19. §. 3., eaſdem leges & ſtatuta permiſiſſe, ut ſi qua pietatis, ſive neceſſitatis urgeret ratio, divina myſteria peragerentur extra templum Deo Sacrum, in privatis domibus, aut in tentoriis, & aris ab Epiſcopo benedictis. Ac I. ab iis legibus eximebantur, qui tempore belli incenſis eccleſiis propter frequentes armatorum incurſus ad longe poſitas convenire nequibant, aut in itinere conſtituti, nulla, in quibus celebrare valerent, templa offendebant. II. Aliquando etiam in ſollemnibus SS. Reliquiarum tranſlationibus propter affluentem populi multitudinem in patenti campo celebrare cogebat neceſſitas, ut pote quam nullus Eccleſiarum ambitus continere poterat. III. Propter infirmos privatis in domibus celebrare permiſſum non modo fuit, ſed & Eccleſiaſticis probatum decretis, & Sanctorum exemplis frequentiſſimis confirmatum. Poſt hæc ita rem agit cit. Martene: *Ceterum extra hujuſmodi caſus inſolitos, in domibus Sacrum facere vetitum ſemper fuit*; quod ex diametro pugnat cum iis quæ Eminentiſſimus noſter Auctor hîc ſcribit.

Verum neque Martene omnino concedendum puto, extra prædictos caſus inſolitos vetitum ſemper fuiſſe Sacrum facere in privatis domibus; ſed arbitror potius, variam apud varias regiones fuiſſe hac de re diſciplinam. Rem præclare demonſtrant, quæ noſter Auctor appoſite affert

templorum loco recte haberi quidem, & adhiberi poterunt (6).

Ex quibus omnibus deduci facile poterit, ſi de Epiſcopis præſertim, & Cardinalibus loquamur, vix privilegium, aut legis laxationem dici poſſe, tam ſi iter habeant, quam ſi domi permaneant, ut in propriis palatiorum ſacellis ara portatili hujuſmodi celebrari licuerit ante Tridentinæ Synodis decretum. Quo cum nihil Epiſcopis Cardinalibus demptum voluerint Ampliſſimi Patres illi, ut notavimus, non eſt cur aliquem iis ſcrupulum injiciamus, tam ſi ipſimet ſacrificium offerant, quam ſi coram ipſis offerre faciant, & in itinere, & domi, ut plenius infra diſcutiemus. Et hæc quoad locum.

De tempore Sacrificii.

Quo ad tempus autem, & horam, ſupereſt nunc aliquid ſimili methodo conſiderandum, quidve ab Eccleſiæ naſcentis exordio,

* * Ttt

afferț ex S. Gregorio Magno. Cum enim Joannes Epiſcopus Syracuſanus ad iracundiam merito provocatus a quodam Venantio Patritio prohibuiſſet, ne in domo ipſius Sacra Miſſarum ſolemnia peragerentur; S. Gregorius, cui plurimum cordi eſſet, ut Epiſcopus priſtinam Venantio oſtenderet benevolentiam, eum adhortatus eſt, ut in domo ipſius Miſſarum peragi Myſteria permitteret. Quæ ſane res argumento eſt clariſſimo, & in Syracuſana, & in Romana Eccleſia permiſſum fuiſſe divinis vacare in privatis domibus. Me etiam plurimum movet, ut a Martene diſſentiam, Canon 31. Concilii Trullani, qui ita ſe habet: *Clericos, qui in Oratoriis, quæ ſunt intra domos, Sacra faciunt, vel baptizant, hoc illius loci Epiſcopi ſententia facere debere decernimus. Quare ſi quis Clericus hoc non ſic ſervaverit deponatur.* Permittit itaque Canon, in domeſticis Oratoriis fieri Miſſæ Sacrificium, at de licentia Epiſcopi. Ex quo conſtat, minus accurate fuiſſe a Martene dictum, *in domibus Sacrum facere vetitum ſemper fuiſſe*.

(6) Rationem, quam affert Emin. Auctor, cur Aræ portatiles, vel Sacræ Tabulæ Eccleſiarum vicem prerogativamque induerent, non æque convenire video quibuſvis temporibus, & locis. Nam ratum imprimis eſt, Eccleſias aliquando ſine Sanctorum reliquijs fuiſſe alicubi conſecratas, conſuetudinemque Baſilicas dedicandi cum Sacris Martyrum pignoribus, quæ in Romana præſertim Eccleſia viguit *S. Greg. M. lib.* 11. *ep.* 76. *indict.* 4., non ſtatim ubique receptam. Plura ad id probandum congeſſit veterum Scriptorum teſtimonia Martene *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 10., illudque imprimis S. Ambroſij *epiſt.* 50. *ad Marcellinam Sororem*, quo paratum ſe fuiſſe ſignificat ad Baſilicam dedicandam, nullis adhibitis Martyrum reliquiis, ſic enim ſcribit: *Cum Baſilicam dedicare vellem, mihi tanquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes: ſicut in Romana, ſic Baſilicam dedices. Reſpondi: Faciam, ſi Martyrum reliquias invenero.*

Dubitandum præterea non eſt, conſecratas aliquando fuiſſe aras portatiles, *geſtatorias*, aut *itinerarias* dictas, abſque eo quod ullæ in jis Sanctorum reconderentur Reliquiæ. Id primum certo affirmari poſſe videtur de Aris Viaticis, quarum uſus obtinuit vel in ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio, ac inde proxime ſecutis temporibus, ut demonſtrant Martene *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 1. & Gatticus *De uſu Altaris portatilis cap.* 1. adverſus nonnullos, quibus nuper adhæſit Thiers *in diſſert. de Altaribus cap.* 2., contendentes altaria portatilia incognita prorſus fuiſſe ad VIII. uſq. Sæculum. Idem quoque dicendum de Aris Viaticis, quæ Sæculis XIII. & XIV. apud nonnullas Eccleſias in uſu fuerunt. Martene quippe *loc. cit.* duos refert ordines ad benedicendum altare geſtatorium, alterum ex ms. Pontificali Eccleſiæ Cameracenſis annorum 500., alterum ex ms. Pontificali Eccleſiæ Arelatenſis annorum 400., in quorum neutro ullum fit verbum de Sanctorum Reliquiis in eo recondendis. Quinimmo ad calcem ejuſdem capitis legitur cujuſdam Anonymi Scriptoris, incertæque Eccleſiæ Ordo hunc in modum: *Ordo ad conſecrandum lapidem itinerarium ſeu Viaticum ſecundum morem aliquarum Eccleſiarum ſine impoſitione reliquiarum.* Alia addit Gatticus *loc. cit. cap.* 3. *num.* 23., quibus magis magiſque efficitur, rationem a noſtro Auctore redditam, quare aræ viaticæ templorum loco recte haberi, adhiberique poſſint, neque ad quælibet tempora, neq. ad quaſvis olim Eccleſias eſſe accomodandam.

dio, variiſque in regionibus ſervatum comperiatur. Et diverſimode quidem uſus obtinuit: ut enim tempori Fideles, & neceſſitati parerent urgente perſecutione, ait Baronius, ſummo mane, ſeu nocturno tempore, convenientes ſecreto ad ſacram Synaxim, divinam Euchariſtiam communicabant, itemque ſero offerebant, ut habemus ex D. Cypriano, & ex Georgio, qui mentionem facit Sancti Antiochi Anachoretæ, ac tandem ex eodem Baronio. Et id, quod de Theleſphoro habemus in ejus Actis, ibi: *Hic fecit, ut in Natali Domini Noſtri Jeſu Chriſti noctu Miſſæ celebrarentur, cum omni alio tempore ante horæ tertiæ curſum nullus præſumeret Miſſas celebrare*, qui ea hora Dominus Noſter Jeſus Chriſtus aſcendit in Crucem; optime ab eodem Baronio declaratur, accipiendum ſcilicet eſſe de iis, quæ frequentiori uſu in Eccleſia ſervarentur; *Cum alioquin* (ait ipſe) *multis conſtet exemplis, in ſacris vigiliis noctu ſacrificium offerri conſueviſſe*: & Amalarius Fortunatus, cum hujuſce Theleſphori conſtitutionis meminiſſet, *Vidi Leonem Apoſtolicum* (inquit) *diluculo intrare ad Miſſam, neſcio utrum cauſa neceſſitatis intercedente hoc ageret, an ſola poteſtate*. Hæcque Amalarius, admiratus forſan, quia in Homilia, juſſu ejuſdem Leonis, ab Epiſcopis ſuis ſubditis recitanda, & a Baronio relata, vetitum reperiretur, ibi: *Nullus Miſſam cantet ſolus, nullus ante Solis ortum, niſi in Nativitate Domini*, & ſic videri poterat, hoc contra ſuammet prohibitionem feciſſe (7).

Baron. To. 2. anno 257. n. 11.

Cypr. Ep. 63. ad Cæcilium, ſive 3. lib. 2. in antiq. Codic. & apud Sur. die 22. April. To. v. Georg. in Act. S. Theod. Siccotæ.

Bar. Tom. 8. an. 597.

Bar. Tom. 2. an. 154. nu. 2.

Amal. Fort. De Eccleſ. Offic. cap. 42. lib. 3.

Bar. Tom. 10. an. 855.

Huicque rei favent ſequentium Pontificum exempla, horæ anticipationem hujuſmodi Principibus, ut privilegium, concedentium. Urbanus IV. Marchioni Miſnenſi anno 1264. ex Raynaldi relatione, concedit, *Ut aliqua ex neceſſitate poſſit coram ſe rem divinam celebrari facere circa ultimam noctis horam*. Bonifacius VIII. Catherinæ Imperatrici Conſtantinopolitanæ, apud eumdem Raynaldum, indulſit, *Ut ante lucem, & quod*

Raynald. Tom. 14. Annal. Eccl.

Raynald. Tom. 14. an. 1301.

dies

---

(7) Quoad tempus, & horam divina myſteria peragendi compertum omnibus eſt, in naſcentis Eccleſiæ exordio, atque perſecutionibus in Chriſtianos ſævientibus, nocturnum potiſſimum fuiſſe. Hinc Plinius junior *lib. 10. Epiſt. 97. ad Trajanum* ſcripſiſſe fertur: *quod Chriſtiani ſoliti eſſent ſtato die ante lucem convenire*. Hinc Tertullianus modo *antelucanos cœtus* commemorat, ut *in Apologet. cap. 2., & lib. de corona militum cap. 3.*, modo *nocturnas convocationes, lib. 2. ad uxorem cap. 4.* Hinc demum apud Minutium Felicem Chriſtianorum natio *Latebroſa*, & *Lucifuga* vulgo dicebatur. Vid. *Havercamp. in not. ad cap. 2. Apolog. Tertull.*

Ex quo factum eſt, ut tanquam ſuppoſititium vulgo rejiciatur decretum Theleſphoro Summo Pontifici olim adſcriptum, & a noſtro relatum Auctore, ob illa verba: *Cum omni alio tempore ante horæ tertiæ curſum nullus præſumeret Miſſas celebrare*. Quid enim magis alienum a conditione illius ævi, uti egregie animadvertunt Couſtant *Epp. RR. PP. in Theleſph. §. un. num. 4.*, & Card. Bona *lib. 1. cap. 21. §. 5.*, quo Chriſtiani furentium Imperatorum gladios declinantes ſummo ſtudio latitabant, quam hujus legis editio, quæ nullo modo poterat obſervari? Noctu, & in occultiſſimis locis conveniſſe fideles ad ſynaxim, ſupracitatus Tertullianus nos docet, qui aliquot annis poſt Theleſphorum florere cæpit, imperante Severo: nec aliter ſane poterant, ut & dignitati ſacrificii, & propriæ vitæ ſecuritati proſpicerent.

Reddita vero poſtmodum per Chriſtianos Principes Eccleſiæ pace, tempus ſacri faciendi ſecundum rationem ſolennitatum diverſum fuit, ut monet Walafridus Strabo Sæculi IX. Scriptor *lib. de*

Reb.

dies illuceſceret (proviſo tamen, quod parce conceſſione hujuſmodi utaris) Verba ſunt ejuſdem Pontificis, *quia, cum in altaris officio immolatur Dominus Dei filius Jeſus Chriſtus, qui candor eſt lucis æternæ, congruit, illud non in noctis fieri tenebris, ſed in luce*. Clemens inſuper V. Philippo Principi Tarentino ampliori juris laxamento conceſſit, ut ait idem Raynaldus, *A media nocte ad horam nonam coram ſe celebrari divina jubere poſſe, quo tamen parce privilegio uteretur*. Joannes XXII. tandem, ut cetera prætermittamus, Philippo Franciæ Regi, *Antequam dies eluceſceret coram ſe & ejus familia*, id fieri permiſit, ut idem refert Raynaldus.

Raynald. Tom. 15. ann. 1312. num. 48.

Raynald. an. 1316. num. 18.

* *

Et hæc ſatis ſint exemplorum inductiones: hinc enim erui facile potuit non minus rigor Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quam integer ſacrorum rituum uſus aliquando ex indulgentia remiſſus.

His, tam ex jure, quam ex Eccleſiaſticis hiſtoriis, ſtabilitis fundamentis; prima erit ex quæſtionibus excitanda, quamnam horam exigat privilegium, tam Cardinalibus, quam eorum ſacerdotibus in ſuorum palatiorum Cappellis deſervientibus indultum: & quomodo ly *Ante auroram*, *vel ante lucem* ſint intelligenda, quæque temporis dimenſio favori aptanda ſit. Non enim immoramur longius in inquiſitione: an idem, quod Cardinalibus permiſſum, eorum

Ttt 2 Cap-

Reb. Eccleſ. cap. 23. per hæc verba: *Interdum ante meridiem, interdum circa nonam, aliquando ad Veſperam, interdum noctu celebratur*. Dominicis nempe feſtiſque diebus, ut *lib.* 1. *cap.* 3. *art.* 4. *num.* 3. explicat Martene, *ante meridiem*; diebus jejunii, *circa Nonam*; in quadrageſima *ad Veſperam*; nonnullis autem diebus privilegio diſtinctis, *noctu*. Dies autem hujuſmodi privilegio exceptos ad quatuor potiſſimum revocat idem Martene *ibid. num.* 8., nimirum ad diem Natalem Domini, ad Sabbatum Sanctum, cujus diei Miſſa in antiquis mss. Miſſalibus inſcribitur *in nocte Sancta*, ad diem S. Joannis Baptiſtæ, cujus diei prior Miſſa (duæ enim celebrantur) in libro Sacramentorem Gellonen., & Turonen. ann. 800. inſcribitur, *Miſſa de nocte*, ſeu ut habet Codex Regius, & Noviomenſis optime notæ *De media nocte*, ac demum ad dies collationis Ordinum Sacrorum, hoc eſt ad Sabbata quatuor Temporum. De his conſ. & Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 21. §. 4.

Hæc tamen de publicis ſolemnibuſque præſertim Miſſis intelligenda eſſe, docet Martene *ibid. num.* 10. & ex illo Robertus Sala *in notis ad Card. Bona loc. cit.* §. 7. *not.* 1. Nam quoad privatas, omni has hora matutina, dummodo populum a publicis Miſſis non revocarent, celebratas fuiſſe exiſtimat, probatque ex eo, quod Græci apud Humbertum Sylvæ Candidæ Cardinalem crimini Latinis verterint, quod horam ad celebrandum ſtatutam, *Tertiam* nempe, haudquaquam obſervarent, ſed quavis matutina diei hora, præter Tertiam, Miſſas agerent. Hinc Auctor eſt cit. Card. Bona *De divina pſalmodia cap.* 3. §. 4., trium horarum *Tertiæ, Sextæ, Nonæ* intervallum, quibus veteres utebantur in deſignando tempore non ſolum precum, celebrationis Miſſæ, ſolvendi jejunii, ſed & aliarum rerum, pro una quaſi hora acceptum vulgo fuiſſe, ita ut quæ de hora præſertim *Tertia* a priſcis Scriptoribus notantur, non præciſe de hac hora intelligi debeant, ſed de prima etiam, & ſecunda; atque hinc ſub *Tertiæ* vocabulo totum tempus ab ortu ſolis ad ipſam *Tertiam* comprehendatur: idemque de ceteris dicendum ait.

Uſus itaque divina celebrandi ab Aurora ad meridiem ab antiquiſſimis ductus eſt temporibus: Quare merito in Rubrica Miſſalis. *tit.* 15. *De hora celebrandi Miſſam dicitur*: *Miſſa privata ſaltem poſt Matutinum, & Laudes quacumque hora uſque ad meridiem dici poteſt*. Id vero aptiſſimo inſtitutum eſſe conſilio, dubitare nos minime ſinunt, quæ hujus rei afferuntur, rationes: I. ſcilicet, quia immolatur Chriſtus, qui eſt candor *lucis æternæ*, & lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: II. Quia eſt Sacrificium legis gratiæ, qua illuceſcente, umbræ omnes evanuerunt: III. Quia, ut nonnulli addunt, ante illud tempus homines vulgo diſpoſiti non ſunt ad hujuſmodi opus Religionis.

Cappellanis itidem ſit. Communis enim ſententia Scribentium eſt, tam in *Cap. fin. de Privil. in 6.* quam alibi: & illam tenuere Suarez, Diaz, Rodriquez, Naldus, Tamburinus, & ceteri, qui omnes affirmant, poſſe Epiſcopos, & per conſequens Cardinales cum ſuis Cappellanis in hoc diſpenſare, ut cum Dominis conformentur.

Suar. in 3. par. to. 3. q. 83. art. 2. ſect. 4. verſ. tertia exceptio. *Diaz.* in prax. crim. can. c. 47. num. 3. *Rodriq.* in Sum. c. 243. *Nald.* in Sum. verb. Miſſa nu. 29. *Tamb.* de Sacr. Miſſ. l. 1. c. 4. §. 2. nu. 8. *D. Tho.* in 3. par. q. 83. ar. 2. ad 4. *Suar.* loc. cit. *Scort.* de Sacrif. Miſ. d. c. 15. num. 3. *Jo. a Cruz* de Stat. Relig. l. 2. c. 5. dub. 6. *Bonac.* de Sacr. Euch. to. 1. diſp. 4. q. ult. pun. 9. nu. 5. *Barboſ.* in Collec. Conc. ſeſſ. 22. de obſervandis, &c. num. 29. *S. Tho.* d. q. 83. art. 2. ad 4.

Et quidem regulariter initium auroræ terminus eſt, ante quam non licet Miſſam celebrare, ex D. Thoma, Suarez, Scortia, Fr. Jo. a Cruz, Bonacina, & aliis innumeris, quos colligit Barboſa.

Ut autem clarius ſe ſe prodat reſponſio, diſſerendum nobis erit primo circa eos, qui nullo utuntur privilegio, quid hoc caſu, auroræ initium importet: deinde quid pro iis, qui favoribus, gratiiſque conceſſis fruuntur. Et quidem S. Thomas conſtituit auroræ initium inter mediam noctem, & Solis ortum, quando ſcilicet ſubſtantia Solis ſuper terram apparet; auroramque incipere, quando claritas radiorum Solis, non Sol, in cœlo conſpicitur: tunc enim quodammodo dicitur Sol ortus; & ſignate auroræ initium eſſe per horam, & quartam horæ partem, ante Solis apparitionem, affirmant Sotus, & Gabriel; & Polancus ex Aſtronomis firmat lineam crepuſculi, in qua Sol, cum ſit ſub Horizonte in parte Orientali, facit principium auroræ, tuncque diſtat ab eodem Horizonte per gradus 18. in quibus aſcendens conſumit horam integram cum quinta horæ parte, & tali tempore quilibet ſacerdos ſine alia diſpenſatione celebrare poterit. Bonacina vero horam cum dimidio crepuſculis aſſignat ex communi Theologorum, & Aſtronomorum ſententia: licet rectiori ſententia diverſe aſſerendum erit in menſe Martio, & Junio; in primo enim crepuſcula per horam, & quadrantem durant; in ſecundo duas integras horas excedunt, quod exactiſſime (ut infra etiam videbimus, cum de tempore pomeridiano agendum erit) obſervatum apparet a Marcello Francolino, adeo quod nihil ſuperſit deſiderandum, cum animadverſionibus tamen, quas infra perpendemus.

Sot. in 4. diſt. 13. q. 2. art. 2. *Gabr.* in lect. 14. in Can. *Polan.* in 1. aphor. de ſac. cæremon. a num. 7.

Bonac. de Sacr. Euch. to. 1. diſp. 4. q. ult. pun. 9. n. 5.

Francol. in Trac. de temp. horar. Can. in fine.

Aſſerendum igitur videretur quoad eos, qui nullo fruuntur privilegio, poſſe per duas fere horas ante Solis manifeſtationem ſacrificium offerre: ſufficit enim, quod terminetur per horam cum quadrante ante Solis ortum; ita ex Suarez, Hieronymo Rodriquez, Scortia, Roſello, Azorio, Rodriquez, & alijs, quos colligit Diana, qui ut probabiliorem exiſtimat aſſerentium opinionem, per horam cum dimidio ante Solis ortum id licere. Adeo quod, exempli gratia, in menſe Januario, a principio uſque ad medietatem, juxta communem poli altitudinem Italicam, plus, minuſve, a gradu 39. ad 43. (quæ latitudo comprehendit omnem fere Italiam, & nonnulla alia loca) celebrationem inchoare potuerint hora horologij communis duodecima cum dimidio circiter. Et, ut ſcrupulis occurratur, juxta ſententiam doctiſſimi Suarij, & aliorum, non inſiſtendum ſuper illo quadrante ultra horam, cum in re morali per mathematicam menſuram non ſit procedendum, & ſic poſſe per ſeſquihoram agere: & illum ſequuntur Victorius, Layman, & communiter alij (8). Quid autem pro iis, qui privile-

Suar. loc. cit. Verſ. tertia exceptio. *Hier. Rodr.* in comp. QQ. Reg. reſol. 25. de celeb. Miſſ. *Scor.* loc. cit. c. 15. num. 3. *Roſel.* in verb. Miſſ. num. 2. *Azor.* d. l. 10. c. 25. qu. 5. *Rodriq.* tom. 1. QQ. Regul. q. 43. art. 3. *Diana* par. 2. trac. 14. de celeb. Miſ. reſol. 33.

Suar. loc. cit. verſ. 2.

Victor. in Sum. 47. *Laym.* trac. 5. de Sacrif. Miſ. c. 4. n. 2.

(8) Confectis Tabellis, quæ pro vario cujuſque regionis ſitu, ſurgentis Auroræ

vilegijs utuntur, dicendum erit? & quidem, ſi de ipſis conſtat, conceſſionum verba ſectanda ſunt, & ad illorum amuſſim peragendum. Quoad Cardinales vero (quorum privilegia apud Doctores, & uſum, traditionemque reperiuntur, & quod eſt amplius, ſcientia Summorum Pontificum, eorumque tolerantia nituntur) equidem cenſerem, amplianda uſque ad lineam Regularibus conceſſorum, & præſertim S. Dominici, & S. Franciſci, quibus indultum, quod per tres horas ante Solis ortum poſſint celebrare, ut inquiunt Suarez, Miranda, & Hieronymus Rodriquez. Et ſaltem ex ſupradictis certum erit, quod ſi ſimplex ſacerdos, præciſo quocumque privilegio, Miſſam inchoare poterit per mediam horam ante initium crepuſculi, & hoc, quia ſufficit, quod terminetur circa auroræ initium; certe Cardinalibus, eorumque Cappellanis dimidium horæ ante hoc tempus concedendum erit favore hujus Eminentiſſimæ Dignitatis; & ſic per duas horas cum tribus quadrantibus anticipare, ut Miſſæ ſacrificium deſinat per duas horas cum quadrante ante Solis ortum, cum fere ſpatio ſemihoræ perfici ſoleat. Siquidem ex communi ſententia licet hoc privilegiatis per duas horas cum quadrante alterius ante Solis ortum, ut vidimus, & notat Scortia (9).

Suar. loc. cit. Miran. in Man. privat. q. 40. art. 10. concl. 2. p. 1. Hier. Rodriq. loc. cit.

Scor. de Sacr. Miſſ. l. 2. c. 15. num. 4.

Quid autem? An poſt meridiem,

---

roræ initium, ac meridiei tempus deſignent, & quæ poſt Kalendarium imprimi ſolent, inanes prorſus evadunt tot, ac tam variæ Doctorum diſceptationes, quas noſter Auctor hic, & infra late proſequitur, de limitibus ante Auroram, vel poſt meridiem cuilibet nullo privilegio munito ad celebrandum permiſſis. Referente Benedicto XIV. *Inſtitut.* 13. Clemens XI. in Conventu plurimorum Cardinalium, ac Præſulum ſedulo examinandum mandavit, qui præciſe limites definiri poſſent, & deberent ad ſacrum peragendum. Viſum fuerat iiſdem Ampliſſimis Patribus, & Præſulibus, tertiam partem horæ ante Auroram & poſt Meridiem permitti Sacerdotibus poſſe: Hanc tamen ſententiam Summus Pontifex probandam non cenſuit, ac decretum his verbis promulgavit: *Mandamus, ne Miſſarum Sacrificia ante Auroram celebrentur, & uſque ad meridiem ſolum protrahantur.*

At ſedente in Petri Cathedra Benedicto XIII., iterum res in examen adducta fuit, & facultas tertiæ partis horæ ante Auroram & poſt meridiem conceſſa fuit in Edicto diei 20. Decembris an. 1724. cui titulus: *Editto intorno alla vita, ed oneſtà degli Eccleſiaſtici di Roma &c.* in calce Romani Concilii an. 1725. impreſſo, & in ipſo Concilio *tit.* 16. *cap.* 3. Synodali decreto approbato, ac confirmato. Ibidemq. ſtatutum fuit, ut Epiſcopi, aliique reſpective in ſuis etiam Diœceſibus illud publicandum, & omnimode obſervandum curent. Quibus inhærens Proſper Card. Lambertinus Bononienſis Archiepiſcopus poſtea Benedictus XIV. tam *in cit. Inſtitut.* 13. quam *in Inſtitut.* 68. ſuſpenſionis pœna *ipſo facto* illigatos enunciavit, qui ante vel poſt illud tempus ſacrum efficerent, facta tantummodo facultate, ut ubi celebritatis piæ cauſa Miſſa cum cantu peragitur, loco tertiæ partis horæ integra poſt meridiem hora ſubrogaretur.

Quid vero dicendum, ubi Aurora phyſice non eſt? Tunc attendenda eſt Aurora moraliter, & politice, uti declaraſſe fertur S. Congregatio Rit. *In una Miſſalis Romani* 18. *Septembr.* 1634. his verbis: *Ubi non eſt Aurora phyſice pro licita Miſſarum celebratione, attendatur ea moraliter, & politice, quando ſcilicet terminari ſolet hominum quies, & inchoari labor juxta probatam Regionum conſuetudinem.* Apud Cavalieri *Oper. Liturg. tom.* 5. *cap.* 5. *num.* 1.

(9) Ut de ingenii mei tenuitate libere dicam, qua ratione conciliari inter ſe poſſint, quæ hic loci habet Eminentiſſimus Auctor, me prorſus latet. Nam illud imprimis pro certo ponit, *ſimplicem Sacerdotem, præciſo quocumque privilegio, Miſſam inchoare poſſe per mediam horam ante initium crepuſculi.* Egregie quidem; quamquam accuratius dicendum fuiſſet *ex ſuperiori adnotatione* 8. non per dimidiam horam, ſed per tertiam horæ par-

diem, ſicut & ante auroram, & per quod temporis intervallum hoc privilegium temperandum erit? Et quidem, ut vidimus, aliquando etiam ad veſpertinum dilatum eſt Sacrificium, ut ex Suario de Sancto Antiocho diximus: & apud Græcos in Quadrageſima, & Vigilijs ad vigeſimam primam horam noſtri communis horologij, & eorum Monachi ad Solis uſque produxerunt occaſum; contra id, quod Innocentius IV. pro ijs, ne ultra horam nonam Sacrificium differrent, conſtituerat.

Nunc vero ſervanda erit Pij V. conſtitutio, quæ incipit *Sanctiſſimus*, qua omnes facultates celebrandi, aut celebrare faciendi veſpertino tempore Miſſas revocantur ſub pœnis ibidem expreſſis, de quo Scortia diſſerit. Inter iſtos igitur duos terminos, (auroram ſcilicet, & meridiem) cum poteſtas hæc ſit coercenda, & de tempore antelucano viderimus, incipiendum erit de meridiei confinibus; quid juxta probabilem ſententiam, cuicumque Sacerdoti, privilegijs non munito, permiſſum erit? Per totum enim ſpatium, uſque ad meridiem incluſive, celebrare fas erit, juxta communem omnium aſſertionem,

Scor. in epit. Bull. ſel. theor. 104.

---

partem. Addit ſtatim, *Cardinalibus, eorumque Cappellanis dimidium horæ ante hoc tempus concedendum eſſe favore hujus Eminentiſſimæ Dignitatis*. Egregie quidem & hoc. Hinc infert: *& ſic per duas horas cum tribus quadrantibus anticipare* Solis ortum. Hoc ſane eſt quod non levem mihi ſcrupulum iniicit; cum potius inferendum fuiſſe mihi videatur, *& ſic per unam horam ante Auroram, ſeu crepuſculi initium anticipare poterunt*.

Re quidem vera Auroræ ſeu Crepuſculi duratio non eadem eſt quovis Menſe: ſed, ipſo Emin. Auctore docente, in Menſe Martio *Crepuſcula per horam, & quadrantem durant*, in Menſe vero Junio *duas integras horas excedunt*; ex quo ibidem monet, *rectiori ſententia diverſum aſſerendum fore in Menſe Martio, & Junio*. Hinc ſi in Menſe Martio ſacrum anticipare licet *per duas horas cum tribus quadrantibus* ante Solis ortum, jam non *dimidium horæ ante tempus*, quo ſimplex Sacerdos, præciſo quocumque privilegio, Miſſam inchoare poteſt, *concedendum erit* Cardinalibus *favore hujus Eminentiſſimæ dignitatis*, ut Auctor admittit; ſed una integra hora, vel una hora cum quadrante. Atque proinde corrueret prorſus argumentum ab eo adhibitum.

Quamobrem inhærendo principiis ab Emin. Auctore ſapientiſſime poſitis, ſtatuendum mihi videtur (ſalvo tamen meliori judicio,) regulam firmam conſtantemque, & ad quaſvis anni tempeſtates accommodatam pro hujuſmodi Cardinalium privilegio definiendo, repetendam non eſſe ex Solis ortu, ſed ab Auroræ initio, prout deſcribitur in Kalendario cujuſcumque regionis; quemadmodum ab Auroræ initio, & non a Solis ortu, repetitur hora celebrandi Sacrum in Rubricis Miſſalis Romani, vel in Bullis Summorum Pontificum, quibus hujuſmodi privilegia concedi ſolent, uti factum præſertim novimus a S. Pio V., qui Societatis Jeſu Presbyteris conceſſit *in Compend. ſuor. privileg. verb. Miſſa* §. 3., ut poſſint per horam ante Auroram & infra horam poſt meridiem celebrare cauſa itineris &c.

Habita igitur ratione Auroræ, ſeu initii Crepuſculi dubitandum minime erit, poſſe Cardinales, eorumque Capellanos integra circiter ante Auroram hora ſacrum inchoare. Id egregie conficitur noſtri Auctoris argumento: Nimirum, *Si ſimplex Sacerdos, præciſo quocumque privilegio, Miſſam inchoare poterit per mediam horam ante initium Crepuſculi; certe Cardinalibus, eorumque Cappellanis dimidium horæ ante hoc tempus concedendum erit favore hujus Eminentiſſimæ dignitatis*; alias ſequeretur, privilegium apud illos otioſum eſſe, & inane, & nihil reſpectu eorum operari. Hac ipſa ductus ratione P. Andreucci in cit. diſſert. de Protonotariis part. 3. num. 183., ubi animadvertiſſet, dictionem hanc *ante*, ex Lexico juridico non importare ſua natura quidquid præcedit longo licet intervallo, ſed quod proxime præcedit, concludit, poſſe Protonotarios vi privilegii a Sixto V. conceſſi de celebrando Sacro *etiam ante diluculum*, integra hora ante Auroram Sacrificium inchoare.

nem, & Rubricas: Poſt illud aſſerunt aliqui, paulo a meridie delapſa, operari incipere poſse, cum non ſit, ut diximus, tempus mathematica, ſed lance morali expendendum. Ita Joannes Andreas, Fernandez, Vaſquez apud Dianam, Joannes Præpoſitus, & communiter alij.

Jo. Andr. in cap. 1. de celeb. Miſſ. *Dian.* p. 2. tract. 14. reſol. 34. & p. 4. trac. 4. reſol. 104. *Jo. Præpoſ.* in 3. p. q. 83. art. 2. dub. 4. nu. 143.

Hanc menſuram temporis poſt meridiem aliqui ſignanter affirmant, ante tertiam horæ lapſæ partem Sacrificium incipiendum eſſe, alias peccati mortalis labes incurreretur. Ita Azorius. Alij non excedunt mediam horam, ut Layman, & Homobonus. Alij trium quadrantium effluxum inducere peccatum mortale in celebrante: Sic Bonacina. Alij per horam non integram id licere abſque peccati lethalis incurſu: Ita Sylvius, & Hieronymus Rodriquez. Alij permittunt infra totam horam poſt meridiem exordire Sacrum poſſe. Ita Cardinalis de Lugo, quem refert Diana, & Philippus de la Cruz: unde ſi poſt horam initium darent, labem mortalem contraherent, ut inquiunt Tamburinus, Opatou, Franciſcus de Nigro, Ruiz & Garcia. Et alij communiter concedunt, ſacrificium abſque ſcrupulo incipi poſſe hora integra poſt meridiem, ut firmant Leandrus, & Martinus de S. Joſeph, qui aſſerunt conſuetudine jam id uſurpari, ut videre eſt apud eumdem Dianam.

Azor. p. 1. l. 10. c. 25. q. 6.

Laym. l. 4. trac. 5. c. 4. nu. 4. *Homob.* in Exam. p. 1. trac. 4. c. 14. q. 114.

Sylv. in 3. p. qu. 83. art. 2. *Hier. Rodr.* in Comp. Quæſt. Reg. reſol. 25. de celeb. Miſ. num. 2. *Card. de Lugo* de Sacr. Euch. diſp. 20. ſect. 1. num. 37. *Dian.* p. 5. tr. 5. reſ. 58. *Phil. de la Cruz* in Nor. de Confe. tr. 10. §. 3. corol. 2. *Tamb.* de Sacr. Miſ. l. 1. c. 6. §. 4. n. 122. *Opat* de Sacr. tr. de Euch. diſp. 11. q. 2. nu. 2. *Fran. de Nig.* in Add. Cærem. *Ruyz.* p. 6. animad. 2. q. 10. *Garc.* in Sum. tr. 3. diſſ. 8. dub. 1. pun. 1. nu. 72. *Lean.* de Sacr. to. 2. tr. 8. diſp. 6. q. 11. *Mart. de S. Joſeph.* in monit. Confeſ. to. 1. l. 1. tr. 14. Euch. monit. 13. *Dian.* p. 10. tr. 12. reſol. 22.

In hoc opinionum conflictu, ut verum fatear, parum puto in ſubtili quadrantium dimenſione morandum, dummodo poſt a meridie exactam horam ſacrificio initium detur. Cum enim ex dictis, in materia hac, moraliter potius, quam mathematice ſit ratiocinandum, cogitare debemus, quod non omnes, non dicam oppida, municipia, ſed civitates etiam horologijs utuntur, quibus hora per quadrantium ſectionem ſignificetur. Unde vix, quamvis peritus, & prudens ſacerdos agnoſcere poterit, ſi duo, vel tres ſint elapſi, & quot ex quatuor horæ intervallis præterierint, ita ut vetitum ſibi inſtare tempus agnoſcat; nec clepſydra, aut potius Ἀμμμέτρῳ uti facile poterit: hincque horam integram prudenter concedi poſſe exiſtimarem, ne ſcrupulos potius timoratis conſcientijs injicere videamur, cum de lethali agatur culpa.

Hæc tamen regula ſic firmata ſuas habet reſtrictiones pro iis etiam, qui nullo uti legis poſſunt laxamento.

Si, exempli gratia, Miſſa, in qua Ordinationes generales habentur, in cantu peragatur; multoties enim ob ordinandorum numerum ad aliquas poſt meridiem horas protrahi facile continget; vel ſi intra Miſſarum ſolemnia conciones ex præſcripto ſint habendæ. Itidem in Miſſa funebri, vel ſi ſacerdos celebraturus poſt meridiem in locum, ubi populus ex præcepto feſti ad ſacram Synaxim convenerit, perveniat in aliorum defectu. Inſuper, ad dandum infirmo periclitanti Viaticum, aliqui permittunt ſacerdoti ieiuno per tres horas poſt meridiem conficere poſſe. Ita Vaſquez, & poſt eum Averſa, & Diana; & in alijs ſimilibus prout de ſacerdote in itinere impedito ſcribunt Enriquez, Miranda, Suarez apud Layman, & Pilippus de la Cruz apud eumdem Dianam, Caſtropalaus, & alij.

Averſ. de Sacr. Euch. q. 11. ſect. 15. *Dian.* d. p. 10. tr. 12. reſol. 26. & p. 5. tr. 13. reſ. 7. *Laym.* l. 4. tr. 4. n. 4. *Phil. de la Cruz* loc. cit. *Dian.* d. reſol. 7. tr. 13. p. 5. *Caſtrop.* tom. 4. tr. 22. pun. 7. n. 14.

Et ratio, quia ſufficit initum ſacrificium fuiſſe tempore permiſſo, cœptum ſiquidem relinqui nefas erit, pro integritate illius jure divino omnino ſervanda,

da, quod prævalet alteri poſitivo de hora.

Hæcque pro ijs, qui nulla juris diſpenſatione, aut Pontificum beneficio ſunt donati. Supereſt igitur nunc aliquid dicendum de ijs, qui privilegijs fulciuntur.

Et, ut de antelucano tempore ratiocinati fuimus, ita & in hoc conſequenter affirmandum generaliter erit (ut privilegium aliquod gratiæ afferat ſuper communem regulam *ad textum in cap. in his de privil. & cap. ſi Papa eod. tit. in 6.*) quod poſſint poſt meridiem operari per horam ſaltem cum dimidio ex vi privilegij, cum ex magis communi opinione, ut vidimus, hora poſt meridiem ipſam concedatur ijs, qui tantum jure ordinario nituntur (10). Addendum igitur erit ſaltem illius dimidium. Quamvis non deſint, qui & horam integram permittant, ita ut duæ videantur horæ conceſſæ; nihilominus judicio meo non erit adeo res dilatanda, juxta tabulas extenſas a Francolino ad uſum diverſarum poli altitudinum, ex quo deſumpſit Tamburinus Societatis Jeſu quidquid hac de re breviter ediſſerit. *Francol.* in calce tract. de temp. horar. Can. *Tambur.* de Sacrif. Miſ. l. 1. c. 6. §. 4. a num. 26.

Ceterum inſpicienda erunt privilegia, cum juxta eorum tenorem indulgenda ſint temporis ſpatia. Aliqui enim ex Regularibus conceſſum ſibi ajunt, ut uſque ad nonam, & ad tres poſt meridiem horas, ijs ipſis operari ſit liberum. Ita Joannes de la Cruz apud Dianam, quos nuper refert Avendanus, addens etiam Dicaſtillum. *Jo: de la Cruz.* in Direc. conſc. p. 2. de Sacrif. Miſ. q. 2. dub. 1. concl. 4. *Dian.* d. reſ. 34. *Auen.* in Theſ. Ind. tr. 12. c. 10. nu. 240. & num. 48. tr. 5. diſp. 4.

Sed magna quidem mea admiratione. Siquidem per Tridentini Concilij decretum *De Sacrificio Miſſæ* injunctum fuit Ordinarijs, uti Sedis Apoſtolicæ Delegatis, quod, non obſtantibus quibuſcumque privilegijs, exemptionibus, &c. non permittant, ſacerdotes; alijs quam debitis horis,

(10) Quæ hactenus in medium protulit Emin. Auctor ex variis Scriptorum opinionibus deducta, locum amplius generatim habere non poſſunt poſt Benedicti XIII. decretum in Concilio Romano an. 1725. approbatum, de quo *adnot.* 8. diximus: *Comandiamo*, en verba decreti num 9., *che non poſſano queſte* (ideſt Miſſæ) *incominciarſi prima d'un terzo d' ora avanti dell' Aurora, e un terzo d' ora dopo mezzo giorno debbano eſſere del tutto terminate ... non oſtante qualſivoglia preteſa conſuetudine in contrario, o privilegio, che non ſia ſtato eſibito nella noſtra Segretaria, ed approvato da Noi.*

Hinc argumentum ab Em. Auctore adhibitum, vim nullo modo poteſt habere poſt prædictum Benedicti XIII. decretum. Res per ſe patet. Ait enim: Affirmandum *generaliter erit* (*ut privilegium aliquod gratiæ afferat ſuper communem regulam* ad text. in cap. in his de privil., & cap. ſi Papa eod. tit. in 6.) *quod poſſint poſt meridiem operari per horam ſaltem cum dimidio ex vi privilegii, cum ex magis communi opinione hora poſt meridiem ipſam concedatur iis, qui tantum jure ordinario nituntur.* Egregia ſane hæc erat argumentandi ratio ante prædictum decretum, & cum hæc ſcripſit Auctor noſter, vel etiam modo firma eſſe poterit apud eos, quos decretum illud minime urget: nulla tamen eſt, ac prorſus irrita poſt idem decretum. Idem dicendum arbitror de argumento, quo P. Andreucci *in cit. differt. num.* 183., uſus eſt ut evincat, Protonotarios Apoſtolicos, quibus facultas facta eſt a Sixto V. celebrandi Miſſam *circa meridiem*, poſſe Miſſam incipere poſt integram a Meridie horam: *Cum enim*, ait ille, *non privilegiati poſſint ex cauſa Miſſam incipere poſt non integram horam a Meridie ex Bonacina* de Euchar. diſp. 4. q. ult. punct. 9., *id poterunt privilegiati poſt integram horam: ſiquidem pro his privilegium debet eſſe utile*. Res potius ita confici debuiſſet. Tertia pars horæ poſt meridiem conceditur ad Sacrum abſolvendum iis, qui privilegiati non ſunt. Ergo integra circiter hora concedenda erit, non ad incipiendum, ſed ad abſolvendum Sacrum iis, qui privilegio ſunt muniti.

horis, celebrare, &c. hancque Concilij conſtitutionem Regulares etiam comprehendere advertit Barboſa; & firmant alii, quos refert Diana.

Barboſ. in Collect. nu. 32. *Dian.* d. p. 10. tr. 12. reſ. 25. §. ſed quidquid ſit de hoc.

Et certo etiam ſcio, omnia hujuſmodi fere privilegia, poſt Concilium a Sancta Sede indulta, vel confirmata, hanc clauſulam inſitam habere: *Dummodo ſint in uſu, & non adverſentur Sacri Concilij Tridentini decretis*; quod etiam advertit Pellizarius, & alii poſt eum. Addo inſuper, quod privilegia Regularibus conceſſa, in quibus pleraque contra Sacri Concilii decreta continebantur, a S. M. Pio V. in Bulla, quæ incipit, *Etſi Mendicantium, &c.* contenta paulo poſt a S. M. Gregorio XIII. per aliam ſimilem, incipientem *In tanta rerum &c.* expreſſe revocata fuerint, & in omnibus Concilii Tridentini decretorum injuncta ſit exequutio, ac ſi tales Pii V. litteræ nunquam emanaſſent. Quæ revocationis conſtitutio, uſu recepta in omnibus, & ab omnibus fuit, ut teſtantur Cherubinus, Quaranta, Piaſecius, Emanuel Rodriques, Baſſeus, Machada penes Dianam, qui reſpondens huic clauſulæ, *Dummodo, &c.* diſtinctionem, ſua peritia indignam, protulit: quod ſcilicet Pontifices per hanc clauſulam, *Dummodo, &c.* non intendant revocare, vel modificare, niſi ea privilegia, quibus ſacrum Concilium expreſſe derogavit; non autem ea, quæ dicto ſacro Concilio quoque modo adverſentur. Sufficeret enim negare illud ejus *Notandum*: etenim legis explicatio ad legislatorem ſpectat, neque illi manifeſtum fuit, mentem Pontificis talem eſſe, qualem is gratis exponit, & quidem divinat, cum non afferat aliquod legale documentum. Falſum inſuper eſt ab eodem allatum exemplum de privilegio Regularibus conceſſo, quod poſſint extra tempora a jure ſtatuta, & contra diſpoſitionem Concilij, Ordines ſacros ſuſcipere.

Pelliz. in Man. Reg. to. 2. tr. 8. c. 1. ſect. 4. n. 81.

Cherub. in Comp. Bull. ſum. 2. conſt. 9. Gregor. XIII. ſchol. 1. *Quar.* ad eamd. Bull. *Piaſec.* in Prax. p. 2. c. 3. art. 6. nu. 8. *Em. Rod.* to. 3. q. 74 art. 16. *Baſſ.* in flor. verb. privileg. 4. n. 8. *Machad.* tom. 2. l. 4. p. 6. tr. 10. docum. 11. nu. 4. *Dian.* p. 11. tr. 2. reſol. 6.

Seſſ. 23. cap. 8.

Hoc enim privilegio iterum donati ſunt poſt Concilium a Clemente VIII. & Paulo V. abſque prædicta clauſula *Dummodo, &c.* ut advertit idem Barboſa, quemadmodum etiam a Gregorio XIII. Patres Societatis Jeſu; alias in vim privilegiorum, ante Concilium obtentorum, ordinari nequirent, ut inquiunt Miranda, Riccius, & Lezana. Unde hodie Epiſcopus ordinans diſpenſat cum Regularibus ob cauſas, ab eorumdem Superioribus allatas, ut nuper Auda exponit in Diaconatu, & Diana, qui alios refert, & Novarius (11).

Barboſ. in Collec. d. c. 8. n. 5.

Miran. in Man. to. 1. q. 38. art. 4. *Ricc.* p. 4. prax. reſol. 93. nu. 6. alias q. 4 reſ. 213. in prax. Interſtit. *Lezan.* in Sum. c. 14. nu. 1. *Aud.* in Theat. Regul. verb. Ordo. *Diana* p. 3. tr. 2. reſol.

Et ratio eſt aperta: nam idem eſt, quod Concilium aliquod fieri

* * V v v

(11). Graviſſimam Emin. Auctor quæſtionem hic attingit, fidenter pronuncians, Regulares in vim privilegiorum ante Concilium obtentorum ordinari amplius non poſſe extra tempora a jure ſtatuta. De hac re fuſe inter ceteros doctiſſimeque agit Emin. Petra *tom. 5. ad Conſtit. 7. Pii II.*, ubi poſtquam utriuſque partis momenta, ac rationes expendiſſet, ſic habet: *n. 40. Unde concluditur, has duas opiniones eſſe probabiles; quia contra ſe nullum habent oraculum Pontificium, aut S. Congregationis, nec pro ſententia utraque eſt habenda, ſed pro opinione.* Benedictus XIV. *Inſtit.* 23. monet, ſe, cum per plures annos S. Congregationis Concilii a Secretis fuerit, nullum aliud privilegium *extra tempora* probari advertiſſe, niſi illud, quod PP. Societ. Jeſu directe, & immediate conceſſum fuit, non quidem a Paulo III., quod Synodum Tridentinam anteceſſerat, verum a Gregorio XIII., qui poſt eamdem Synodum Pontificatum obtinuit. Monet præterea, Romæ privilegium *extra tempora* pro PP. Soc. Jeſu ſolum probari, qui poſt Trid. Concil. idipſum aſſecuti ſunt; ceteros autem Regulares ad Ordines

32. *Novar.* in Lucer. Reg. verb. Orde.

ri prohibeat per ſimplicem diſpoſitionem contrariam, ac per derogationem privilegiorum expreſſam, quoad hoc, ut clauſula illa locum ſibi vindicet. Semper enim verum eſt, quod ſi a Concilio contrarium quocumque modo diſponitur, conciliaris conſtitutio a clauſula conditionali, vel modali præſervetur, adeoque privilegium excludatur. Sicut etiam videmus, ab eodem Concilio aliquos ex ſacris Canonibus per ſimplex decretum contrarium correctos, abſque expreſſa illorum derogatione; & nemo dixerit ad correctionem prædictam Concilium devenire debuiſſe per expreſſam abrogationem; exempli gratia, cum ſtatuit, minores Ordines conferendos per temporum interſtitia, & tamen ex Decreto Alexandri Tertii licebat Epiſcopo eadem die illos conferre, ut advertunt Gloſſa, & Riccius.

Seſſ. 23. cap. Ordines Minores.

Cap. de eo tempor. Ordinat.

Gloſſ. in cap. de eo verb. Ad minores De temp. Ord. *Ricc.* decíſ. 173. p. 3.

Solertiori difficultatem hanc eludere niſus eſt effugio P. Avendanus, dum affirmat, Concilium in dicto decreto de Miſſis, comprehendere Regulares in prohibitione celebrandi extra Eccleſiam, non autem circa horam celebrationis: in hac enim de hora nulla de Regularibus mentio. At meo judicio fallitur; licet enim diverſos diverſis Religionibus ritus permittat, etiam poſt Concilium, Eccleſia, (ut ipſe conſiderat) non inde ſequitur idem eſſe dicendum de hora: hæc ſiquidem in Rubricis Miſſalis correcti poſt Concilium expreſſe ſtatuta videtur ab aurora ad meridiem: at ritus diverſi manifeſte, vel indulti, vel tolerati palam ſunt ab Eccleſia. Unde ad privilegiorum amuſſim, vel coercenda, vel laxanda erit horarum praxis, & uſus; & inde, ſi privilegia non aderunt, Regulares erunt etiam quoad horam, non tantum quoad locum, conciliari diſpoſitione devincti. Nec ſuperſtitionis conſideratio eſt cauſa principalis, & ſola, conciliaris conſtitutionis, ut ex eodem textu deduci facile poteſt. Tandem urget contra eruditum P. Avendanum declaratio Sacræ Congregationis apud Bellarminum, & Barboſam, quam ipſe refert, videlicet, *Ante diem, & horis indebitis nulli liceat celebrare etiam vi privilegij ante Tridentinum conceſſi*, ut per Barboſam, & Lezanam; quam declarationem is evitare conatur communi illa reſponſione, non ſcilicet conſtare de ipſa legitime ad formam decreti Urbani VIII. &c.

Auend. in Theſ. Ind. tit. 12. c. 10. num. 241.

Avend. d. loc. cit. num. 242.

Barboſ. in Coll. Apoſt. Dec. coll. 476. n. 5. *Lez.* ſum. to. 1. c. 21. num. 2.

Si qui vero ex Regularibus poſt Con-

---

nes *extra tempora* ſuſcipiendos minime accedere, niſi peculiarem antea facultatem ſibi comparaverint. Quoniam tamen idem Card. Lambertinus Bononienſis Archiepiſcopus optime noverat, hujuſmodi diſciplinæ caput ſuprema Sedis Apoſtolicæ auctoritate nondum fuiſſe declaratum, hinc tandem monuit, ſe non prætermiſſurum conferre in poſterum Regularibus ordines *extra tempora*, ſi cetera, quæ neceſſario requiruntur effeciſſent.

P. Ubaldus Giraldi ex Scholis Piis *in addit. ad Maſchat. lib.* 1. *tit.* 10. *de temp. Ordinat.* §. 2. *ſub num.* 15. fidenter pronunciat, ac monet, ex Conſtitutione Benedicti XIV. *Incip. Impoſiti* 27. *Sept.* 1747. *tom.* 2. *Bullar. n.* 27., privilegium recipiendi Ordines *extra tempora* haud acquiri per communicationem, ſed *de ejus privilegii exiſtentia idem judicium habendum eſſe, ac de illo ſuſpiciendi Ordines a quocumque*, de quo privilegio ſtatuit idem Summus Pontifex *cit. Conſt.*, illud ſuffragari illis ſolis Regularibus, quibus poſt Tridentinum Concilium nominatim, atque directe, non autem per communicationem conceſſum fuerit. Verum legi ſæpius, ac diligenter eamdem Benedictinam Conſtitutionem, nec verbum aliquod potui deprehendere, quo indicetur, Summi Pontificis mentem fuiſſe, novi aliquid definire, atque conſtituere circa privilegium, quod nonnulli Regulares ordines jactant, recipiendi ordines *extra tempora*. Quo fit, ut hujuſmodi res in eodem verſetur ſtatu, quo prius erat.

Concilium privilegia, ut docebam, a Summis Pontificibus abſque illa clauſula *Dummodo* obtinuerint, non abnuerim libere uti poſſe, etiam ſi contrarium a Concilio ſtatutum fuerit. Communis ſiquidem opinio, & praxis noſtra ferunt, ad derogationem Tridentinæ Synodi, diſpoſitionem, ſufficere contrariam Pontificis, abſque eo quod de hoc Concilio mentio in illa habeatur, ut poſt ceteros firmat Barboſa.

Barb. in Collec Conc. ſeſſ. 1. num. 2. in decreto de inchoan. Concilio.

An, quod Cardinalibus, idem liceat eorum Cappellanis.

Sed quoniam in hac eadem primæ quæſtionis theſi dubitare aliquis poterit: num, quod Cardinalibus licet, eorum permittatur Cappellanis, tam quoad horam, quam quoad ritum; operæ pretium viſum fuit dubitationi huic plenius, quam ſupra, facere ſatis. Et quidem, quod ij poſſint eorum Dominis in officio uniformari, voluerunt Villadiegus ex *Clem. 2. de celebr. Miſſar.* ubi hoc aperte in Concilio Viennenſi diſpoſitum habetur, & ibidem Doctores. Ita pariter firmant Alzedus, Gavantes, qui refert ſacræ Rituum Congregationis declarationem, & Neuſer, Portellus, Emanuel Rodriquez, Leander, & alij. At certum eſt, Miſſam præcipuam partem eſſe divini officij juxta Gloſſam, Ferrum, & Francolinum. Ergo non tantum quoad ritum, ſed etiam quoad tempus ſequi Dominorum exemplum recte valebunt, ſicut in ſimili & eorumdem privilegio liberi ſunt a reſidentia in Curato Beneficio, juxta ſententiam Albani, & ante eum Laudenſis, & Barbatij, (quidquid ſit de hujuſmodi opinionis veritate,) & in caſu noſtro quoad horam celebrandi affirmant Filiucius, & idem Alzedus, qui ceteros etiam, & multos cumulat.

Villad. de Card. orig. n. 63. q. 13. fol. 59. in Tract.t. 3.p. 2.

Alzed. de præſtan. Epiſc. p. 1. c. 5. num. 118. *Gavan.* in Man. Epiſc. verb. Horæ Canon. num. 3. *Neuſ.* de Hor: Can. q. 2. num. 19. diſp. 3. & q. 3. num. 22. *Portel.* in Dub. Reg. verb. Horæ Can. *Em. Rodr.* in Summ. to 4. c. 68. n. 10. Leander. q. 16. tr. 8. diſput. 3. to. 6. *Gloſ.* in d. Clem. de celeb. Miſſ. verb. Canonicus; & in Clem. Vnica de Reliq. & venerat. Sanct. circa fin. *Ferr.* de Hor. Can. n. 26. *Francolin.* de Temp. hor. Can. c. 29. num. 2. *Filiuc.* to. 1. tr. 6. c. 4. n. 113.

Et hoc eo fortius affirmandum erit, ſiquidem abſque urgenti cauſa nunquam, aut raro in Cardinalium ædibus id contingere poteſt, ut experientia docet. Quis enim ante Solis ortum per horam, & quadrantem (tempus omnibus ſaltem permiſſum, ut vidimus) Cappellam aperit ad celebrandum? niſi, exempli gratia, Urbe Cardinali diſceſſuro aliquod aliud peragendum negotium, vel ipſe, vel Cappellanus operari cogantur, quæ juſtum præbebunt fundamentum ad tempus omnibus commune præveniendum. Quod ſi Regularibus pleriſque hoc indultum vidimus, præſertim quoad tempus, rationi valde conſonum erit, id Cardinalibus non denegandum ex Pontificum ſaltem tolerantia (de qua infra iterum agendum erit) qui, cum Cardinales fuerint, cognitum habent, quid in iſtis caſibus ipſimet fecerint, & ſilent.

Alzed. loc. cit. p. 1. c. 13. n. 12.

Animadvertendum tamen pro hujuſce Diſputationis coronide aſſertiones ſupra firmatas locum ſibi regulariter vindicare poſſe in regionibus & populis, qui Chriſtianam amplexi Religionem nobis magis cogniti ſunt, ut Italia, Gallia, Hiſpania, Germania, Græcia, omneſque aliæ regiones, quæ intra ſexageſimum tertium gradum poli altitudinem obtinent; ad quam uſque, cum dies totius anni longiſſimus ſit ſemper minor viginti horis, & conſequenter nox breviſſima ſit major quatuor horis, etiamſi Miſſa celebretur duabus horis ante Solis ortum, id tamen ſemper continget fieri citra mediam noctem. Hacque regula comprehenditur Svetia, & magna pars Norvegiæ, cujus celeberrimum emporium, *Berges* nomine habet polum elevatum Gr. 61. Non ita dicendum puto de ulterioribus partibus Septemtrionis, lociſque majori poli altitudini ſubiectis, quos videre eſt apud Ricciolum; in ali-

Ricciol. lib. 9. Geograph.

quibus enim dies æſtate longiſſimus eſt 21.22. 23 24. horarum, & talis hyeme nox, dictis diebus correſpondens, ut contingit in locis Islandiæ: in aliis dies (pro die intellige ſpatium, quo Sol continuate conſpicitur) durat per menſes (plus, minuſve pro altitudine poli, cui ſubſunt) & tantundem durat nox hyeme, ut experiuntur incolæ in novaZembla, intra gradum 70. & 80. latitudinis comprehenſa, alijque populi ſimili, aut majori latitudine gaudentes.

In regionibus igitur, quæ hujuſmodi ſubeunt vices dierum, & noctium, dubitatum eſt apud Gavantem, qui refert, juſſu S. M. Urbani VIII. de hac re actum in Congregttione particulari ex peritioribus tam Theologis, quam Mathematicis, & præſertim Theodoro Rubeo coacta, & in eam communiter itum ſententiam, quod ubi aurora Phyſice non conſpiciatur, ut apud noſtras, & ſimiles regiones, attendatur ea, quam moralis, & politicus uſus exponit, quando ſcilicet ibi terminari ſolet hominum quies, & labores inchoari, juxta regionis conſue. tudinem probatam. De hoc meminit etiam noſter Magrus. Uberiori tamen calamo diſſertiſſime apud me P. Honoratus Fabri de eadem ratiocinatur materia, cujus viri labor ne parte aliqua intercidat, hic adnectendum, ut jacet, operę pretium exiſtimavi.

Gavan. in Rub. Miſ. ult. impreſſ. tit. 15. de hora celebrat. Miſſ.

Magr. in Notit. vocab. Eccleſ. vocab. Miſſa.

Duo ſunt rei Eccleſiaſticæ capita, quæ ad certam diei horam, ſeu certum circuli diurni punctum accomodari, per ſacros Canones ſtatuitur; nimirum ſacri jejunij ritus, & Miſſarum celebratio: nempe jejunij Eccleſiaſtici lege cautum eſt, ne quid cibi ſumatur, niſi ex privilegio, a media nocte ad meridiem, nec inde ad mediam noctem poſt ſolitam cœnulam; celebratio vero Miſſæ ad ortum Solis, & meridiem habitudinem dicit; cum nec diu ante ortum Solis, nec diu poſt meridiem, niſi ex privilegio, ſacrum fieri debeat.

Cum autem pro diverſa locorum latitudine, ſeu poli elevatione, ſeu declinatione Solis, ortus Solis pluribus, vel paucioribus horis meridiem antecedat; immo in ijs terrarum tractibus, qui verſus polos mundi propius excurrunt, Sol per aliquot hebdomadas, aut etiam menſes non occidat æſtivo tempore; quia ſupra Horizontem extat; nec per brumam oriatur, quia ſub Horizonte latet; juſſus dicere, quid ſentiam de hac quæſtione, paucis aſſertionibus rem iſtam breviter expedio.

Dico primo. Quivis terræ tractus, quantumvis Borealis, citra punctum poli Geometricum, ſuum habet meridiem, item punctum oppoſitum, quod apud nos, idem eſt cum puncto mediæ noctis; aſpectus autem ad Boream, aut meridiem, magneticæ acus opera, facile deprehenditur. Unde, Sole per aliquot dies, ideſt circulos diurnos integros, ſupra Horizontem extante, facile cognoſcitur, quando nam ille ſit in meridiei puncto, ſeu meridiani ſemicirculo Auſtrali: item quando ſit in puncto mediæ noctis, ſeu ſemicirculo Boreali ejuſdem meridiani; ſeu, proprie loquendo, in principio diei naturalis Eccleſiaſtici, qui a mediæ noctis puncto, ſeu ſectionis circuli diurni, cum ſemicirculo Boreali meridiani incipit: Sole vero per aliquot dies infra Horizontem latente, nimirum, quando eſt in ſignis Auſtralibus reſpectu tractus Borealis; cum habeantur ſigna Borealia Auſtralibus oppoſita, haud dubie, quando ſignum

op-

oppoſitum eſt in ſemicirculo meridiani Boreali, Sol eſt in puncto meridiei; quando vero ſignum prædictum eſt in ſemicirculo Auſtrali meridiani, Sol eſt in puncto mediæ noctis, unde quoad puncta meridiei, & mediæ noctis, nulla penitus eſt difficultas.

Dico ſecundo. Dies naturalis, proprie loquendo, illud tempus eſt, quo Sol integrum circulum diurnum, ſeu paralellum decurrit; tempus, inquam, 24. horarum, ducto ſcilicet initio numerandi horas a puncto mediæ noctis, nimirum quoad prædictos Eccleſiaſticos ritus. Unde quoad jejunium, non eſt difficultas; cum facile definiatur, & deſignetur tempus excurrens a mediæ noctis puncto ad meridiem, & hinc ad mediam noctem ſequentem.

Dico tertio. Cum initium diei Eccleſiaſtici a mediæ noctis puncto ducatur, & diu poſt meridiem Miſſa celebrari non poſſit, haud dubio totis fere duodecim horis celebrari non debet, nimirum a meridie ad mediam noctem ſequentem, in ijs ſcilicet terris, in quibus Sol per multos dies, vel extat ſupra, vel latet infra Horizontem, ut ex dictis manifeſte ſequitur.

Dico quarto. Toto illo tempore, quo Sol extat ſupra Horizontem, idque per multos dies, poſt mediam noctem ſtatim Miſſa celebrari poteſt, nihil enim vetat; ibi enim, ideſt in puncto mediæ noctis eſt principium, non quidem arcus diurni, ſed integri circuli diurni, & principium, diei, ut ſupra dictum eſt: Demus enim unam tantum vigeſimam quartam circuli partem diurni infra Horizontem latere, Sol oritur una ſemihora poſt mediam noctem; igitur ſemihora poſt mediam noctem Miſſa celebrari poteſt, nimirum ad ortum Solis, item uno quadrante horæ, ſi una quadrageſima octava pars circuli diurni latet infra Horizontem, atque ita deinceps octo quatuor, duobus deinceps minutis poſt mediam noctem; igitur, circulo diurno integro ſupra Horizontem extante, ſtatim a media nocte Miſſa celebrari poteſt.

Dico quinto. Toto illo tempore, quo Sol latet infra Horizontem, idque per multos dies, Miſſa celebrari poteſt, licet Sol non oriatur; ibi enim Miſſam non celebrari graviſſimum eſſet, & contra Eccleſiæ, & Chriſti mentem. Qua vero tandem hora? Aliquot certe ante meridiem, ſed quot? An forte tribus, aut quatuor? Cum enim non procul a nobis, puta in Belgio &c. Sol hyeme tribus tantum horis ante meridiem oriatur, ac proinde ibidem, immo & in Gallia, Germania &c. tribus, aut quatuor horis ante ortum Solis Miſſæ celebrentur teſte Leandro, qui citat Navarrum, Ægidium, Fagundez, Philibertum Narbonenſem, longe potiori jure tribus, aut quatuor horis celebrari poſſunt ante meridiem. *Leand. p. 2. tr. 8. diſput. 16. q. 16.*

Dico ſexto. Probabiliſſimum eſt toto illo tempore Miſſam celebrari poſſe in dictis regionibus ſex horis ante meridiem; cum enim ab ortu Solis illa hora determinari non poſſit, nulla enim hora Sol oritur, toto illo tempore, aliunde certe determinari non poteſt, quam a Meridiano ſextæ horæ, a quo ſemicirculus ortivus, & occiduus circuli diurni, ſeu cujuslibet paralelli æqualiter dividitur. Cum enim ſtatim a media nocte Miſſa celebrari non poſſit, toto illo tempore, ut patet, nullum aliud reſtat determinativum, niſi a dicto ſextæ horæ puncto petatur.

Dico

Dico ſeptimo. Privilegia celebrandi Miſſam poſt meridiem habent etiam locum in prædictis regionibus, non tamen celebrandi duabus horis ante alios, cum ne uno quidem momento ante mediam noctem celebrari poſſit, nimirum Sole extante per multos dies ſupra Horizontem per æſtatem; at vero per brumam Sole latente, cum alii citra privilegium celebrare poſſent, ut dixi, ſex horis ante meridiem, ij certe, qui dictis privilegiis gaudent, octo horis ante meridiem, & quatuor poſt mediam noctem celebrare poſſunt.

Hæc ſunt, quæ de hoc argumento mihi dicenda occurrunt, de quo apud Antiquos nihil fere legitur, quia forte Ritus Catholici verſus Borealem tractum ad circulum polarem, qui ſupremam Norvegiæ oram ſecat, nunquam pervenerunt. Unde ij populi, qui Religionem Catholicam ſuſceperunt, aliquot ſuper ortus Solis punctum habuerunt, quod celebrandi horam determinaret, & hæc ſalvo ſemper &c. *Utram igitur ex his, qui viam ingrediatur, judicio meo a tuta non aberrabit.*

An unica, vel plures Miſſæ poſſint celebrari.

Diſcuſſis autem his, quæ ad primum totius hujuſce diſſertationis articulum pertinere, illique lumen afferre potuerunt, ſupereſt ſecundus ejuſdem nodus exolvendus: An ſcilicet tantum unica, vel plures in eadem Cappella a diverſis ſacerdotibus Miſſæ celebrari valeant.

Ad quod prænotandum erit, Cardinales, reſpectu familiæ propriæ, Paſtoris officio perfungi. Ita Turrianus, & Præpoſitus, & ante illos Laudenſis, Albanus, Naldus, Sotus, Azorius, Suarez, qui ait, *Cardinales eſſe proprios Sacerdotes, & veluti ſuæ familiæ Parochos, & erga illam poſſe per ſe, vel per alios, hoc exercere munus*; Tannerius, & Diana poſt alios, quos cumulat: & colligitur ex Concilio Lateranenſi ultimo ſub Leone X. ibi; *Ordinamus, ut quilibet Cardinalis ſe domus, & familiæ ſuæ optimum Rectorem, Præfectumque oſtendat eſſe &c.* Unde eſt, quod in eodem oratorio Domeſtici præcepto Concilii Lateranenſis, quod habetur in *cap. Omnibus utriuſque ſexus de pœnit. & remiſ.* ſatisfaciant, nec aliam in hoc agnoſcant eccleſiam Parochialem. Cum igitur propriæ familiæ cura apud Cardinales ſit, & per alium etiam, quæ ad animarum ſalutem ſpectant, dirigere poſſunt, nil mirum, ſi ad eoſdem pertinebit licentiam dare, ut præceptum in eadem Cappella (quæ veluti Parochialis eccleſia eſt, ut diximus) quoties opus fuerit, impleant; ad quod vide Tamburinum.

Turrian. de Pœnit. diſp. 23. dub. 3. Ad. *Præpoſ.* in 3. par. *D.Tho.* q. 8. de approbat. miniſt. dub. 7. num. 53. *Lauden.* de priv. Card. q. 17. & in alio tract. de eod. q. 13. *Alban.* de Card. q. 42 privil. 25. *Nald.* in Sum. verb. Cardinales num. 8. *Sot.* in 4. diſt. 17. q. 4. art. 2. verſ. Cardinales vero. *Azor.* to 2 l. 4 c. 3. verſ. 6. quæritur. *Suar.* in 3. p. to. 4. diſp. 25. ſect. 2. In Exceptionibus nu. 12. *Tanner.* to. 4 diſp. 6. q. 9. dub 3. num. 58. *Dian.* p. 5. reſol. 10. tr. 2. *Conc. Later.* ſeſſ. 9. de Cardd.

Tambur. de Sacr. Miſ. l. 1. c. 4. §. 2.

Dixi a diverſis ſacerdotibus. Siquidem poſt conſtitutionem Alexandri II. de qua in *Can. ſufficit de Conſecr. diſt.* 1. nemini jus fuit pluries celebrandi (niſi in Nativitate Domini) (12) quemadmo-

(12) Conſtitutionem Alexandri II. *Can. ſufficit de conſecrat. diſt.* 1. jus non admiſſe Sacerdotibus pluries eodem die celebrandi ex ſola devotione, bene vero *pro pecuniis, aut oblationibus ſecularium*, ut ibidem legitur, exiſtimarunt complures Viri Doctiſſimi, inter quos Chriſtianus Lupus *in Scholiis ad decretum* 1. *Alexandri II. tom.* 5. *operum pag.* 197. *edit. Ven.*, Vaſqueſius *in* 3. *p. q.* 83. *art.* 2. *cap.* 5. *num.* 43. Thomaſſinus *De vet. & nov. Eccl. Diſcipl. p.* 3. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 3., quibus aſſentitur etiam Benedictus XIV. *in Litt. ad Epiſc. Oſcenſem an.* 1746. *tom.* 2. *Bullar. Conſt.* 3. Quinimmo etiam poſt decretum Innocentii III. *Cap. Conſuluiſti* 30. *de celebr. Miſſ.* quod ita ſe habet: *Excepto die Nativitatis Dominicæ, niſi cauſa neceſſi-*

admodum antea ſolebant, ita ut Leonem III. Pontificem aliquando ſepties, novies aliquando eadem die celebraſſe notat poſt Durandum Scortia; & de Sancto Udalrico pluribus vicibus eodem mane ſacrificium obtuliſſe ſcripſit Baronius, & ex Concilio Salegustadienſi exſcripſit, *Ne amplius, quam tres Miſſas offerre ſacerdotibus ſit permiſſum in die*. Vide eumdem Baronium, & Pamelium ex Vualafrido, & Scortiam, qui ad ornatum hujus argumenti plura, & plures erudite cumulat, ac tandem Loayſam.

Scor. de Sacr. Miſ. l. 2. c. 15.

Baron. to. 10. ann. 940. & to. 11. ann. 1022. *Concil. Salaguſt.* c. 5.

Bar. tom. 11. d. ann. 1022. *Pamel.* tom. 1. lyturg. p. 569. *Vualaſ.* c. 21. *Scor.* loc. cit c. 16. *Loas* in addit. ad adConc. xij. Toletan. cap. 5.

Et, ut ad eamdem redeamus controverſiam, affirmative reſpondendum cenſeo, poſſe videlicet pluries in eadem Cappella, ut in Parochiali eccleſia, eodem die celebrari.

Ad quorum robur animadvertendum eſt eadem ex ratione; in Urbe has Cappellas a D. Vicegerente non viſitari, prout ceteræ, quæ in aliorum ædibus ſunt,

---

ceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam Miſſam ſolummodo celebrare: etiam poſt hujuſmodi, inquam, decretum an. 1212. jus Sacerdotibus fuiſſe nonnullis in caſibus pluries celebrandi, excepto die Nativitatis Dominicæ, pluribus conſtat argumentis, antiquorumque Scriptorum ſententiis, de quibus præclare, eruditiſſimeque agit Illuſtriſs. Præſul de Zelada Archiepiſcopus Petrenſis, & S. Congregationis Concilii Secretarius in voto juſſu EE. PP. ejuſdem Congregationis exarato *in Cauſa Derthuſen.* 20. *Auguſti* 1768. *Theſ. Reſolut. tom.*37.*pag.*208.

Quamvis autem cauſæ illæ neceſſitatis ad pluries celebrandum excogitatæ juxta hodiernam Eccleſiæ diſciplinam abierint in deſuetudinem, una tamen adhuc ex illis eſt, quæ vim obtinet ſuam ex communi Doctorum ſententia, nimirum cum duas Presbyter Paræcias habet, ſi in alterutram Paræciam nequeat Populus convenire, nec alius præſto ſit Sacerdos præter Parochum, qui Miſſam poſſit celebrare, *ibid.* §. 12. *& ſeqq.*, ſive cum una tantum eſt Eccleſia, in qua Miſſa celebratur, & ad quam inſimul univerſus populus ob domorum diſtantiam convenire non poteſt, *ibid.num.*14. Hinc cum Epiſcopus Derthuſen. occaſione Paſtoralis Viſitationis comperiſſet, in nonnullis ſuæ Diœceſis oppidis unum tantum ob Sacerdotum deficientiam celebrari ſacrum, indeq. evenire, ut ex Oppidanis, qui non omnes ad illud convenire valebant, plures diebus Dominicis, ac feſtis Sacrificio carerent, preces obtulit S. P. Clementi XIII., petens, ut ſibi concederetur facultas permittendi Parochis illarum Eccleſiarum celebrationem duarum Miſſarum diebus feſtis, atq. Dominicis. Res ad S. Congregationem Concilii ex reſcripto Sanctiſſimi delata fuit, propoſitoque dubio die 17. Septembr. 1768., prodiit reſcriptum: *Scribatur Epiſcopo juxta inſtructionem*. Quid in Inſtructione contentum fuerit, quidve ab Epiſcopo reſponſum, habetur ſub die 26. Novembris ejuſdem anni, in quo iterum propoſitum fuit prædictum Dubium, cui EE.PP. reſponderunt: *Dilata, & ad Eminentiſſimum Præfectum cum Sanctiſſimo*. Sanctiſſimus vero rem omnem remiſit Conſcientiæ Epiſcopi Derthuſen., quam graviter hac in re oneratam voluit, ita quidem ut diligenter ſervatis iis omnibus, quæ tradit Bened. XIV. in Litt. ad Epiſcopum Oſcenſem, matureque expenſa gravis neceſſitatis cauſa, in Domino diſpenſaret.

Præter hæc compertum eſt etiam omnibus, Benedictum XIV. in ſuis Litteris Apoſtolicis in forma Brevis datis 21. Auguſti 1748., & confirmatis die 26. ejuſdem Menſis, & anni omnibus & ſingulis Sacerdotibus tam Secularibus quam Regularibus in Hiſpaniarum, nec non Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis exiſtentibus atque Dominiis, facultatem perpetuo feciſſe, ut in die Commemorationis omnium Defunctorum tres Miſſas celebrare poſſent, ita tamen ut Miſſæ ex vi novi privilegii dicendæ pro omnibus generatim Fidelibus Defunctis, ullaque ſine eleemoſina quocumq. prætextu ſive etiam ſponte oblata applicari deberent; ſimulque facultatem feciſſe, ut ea die etiam duabus poſt meridiem horis Miſſæ poſſent celebrari. *V tom.*2. *Bullar.n.*61.

Miſſionariis quoque a Sede Apoſtolica haud raro facultatem factam fuiſſe, & adhuc fieri, ut uno die bis operentur divinum Sacrificium, explorata res, eſt tradíturq. a Bened. XIV. *cit. Conſt. Declaraſti ad Epiſcopum Oſcen. inſcripta tom.* 2. *Bullar.*, *& Conſtit. Apoſtolicum* §. 11. *tom.* 4. *Bullar. Conſt.* 16.

ſunt, inviſuntur. Incumbit enim eiſdem Cardinalibus, decoris, ſplendoriſque in iiſdem cura, ex prædicto Concilio Lateranenſi ultimo, ibi. *Sint omnes vigiles, Miſſarumque celebrationi intenti, habeantque Cappellas ſuas in loco honeſto, pro ut facere conſueverunt*; & hinc iiſdem in Quadrageſima Pontifices pro familiaribus indulgentias elargiuntur, quibus Stationales fruuntur eccleſiæ.

Conc. Lateran. d. ſeſſ. 9.

Secundo confirmatur a ſimili Societatis Jeſu privilegio, quod ſcilicet in eorum privato ſacello valeant celebrare abſque alia Ordinarij licentia, & approbatione, quod iidem Patres, ut notum eſt, Doctiſſimi, non unicum tantum ſacrificium, ſed plura & inſuper ab exteris ſacerdotibus offerantur, permittere ſunt interpretati; ſcientibus in Urbe Summis Pontificibus, & permittentibus, ut obſervat Scortia: & hoc ea ratione, ait Suarez, quia eſt privilegium non tantum perſonis, ſed loco conceſſum, quod, ſupra loquentes de Cardinalibus, eorumque Cappellanis, firmavimus.

Scor. de Sacr. Miſſ. lib. 2. c. 13. nu. 3. Suar. d. tom. 3. diſp. 81. ſect. 3. in fine.

Tertio roboratur: ſiquidem non eſt major ratio, cur unicus tantum Cappellanus ibidem eadem die Sacris operari poſſit, & nequeant alij Domeſtici; tum quia ad ſupra firmata conſequenter ſe habeat: tum quia id prohibitum non reperiatur, ut e contra expreſſe limitatum videmus in alijs licentijs, quæ a Summis Pontificibus conceduntur; quod ſcilicet unica tantum Miſſa in dictis Oratorijs dici poſſit in die: non enim locum habet ad præſens prohibitio Concilij Antiſiodorenſis ſub Gregorio Primo, *Ut non liceat ſuper uno altari in una die duas Miſſas celebrare* (13). Cum igitur noſtrum privilegium hanc non habeat reſtrictionem, aut interpretationem; non eſt cur merito plures Miſ-

Con. Antiſiod. can. 11.

(13) Canonem hunc decimum Antiſiodorenſis Concilii an. 578. celebrati diverſo modo explicandum cenſent Martene, & Mabillonius, ac cenſeat cum aliis multis Emin. noſter Auctor. Putat hic enim, citato Canone vetitum fuiſſe in eodem Altari plures Miſſas a diverſis Sacerdotibus una eademque die celebrari. Illi e contra exiſtimant, permitti quidem plures Miſſas celebrari, a diverſis tamen Sacerdotibus, non ab uno eodemque. Canonis verba ita ſe habent. *Non licet ſuper uno Altario in una die duas Miſſas dicere; nec in Altario ubi Epiſcopus Miſſas dixerit, ut Presbyter in illa die Miſſas dicat*. Super quæ appoſite obſervat Cl. Martene *lib. 1. de Ant. Eccl. Rit. cap. 3. art. 6. num. 12.*, quod admiſſa adverſariorum interpretatione, fruſtra prorſus addita fuiſſent verba illa: *Nec in Altario, ubi Epiſcopus Miſſas dixerit, ut Presbyter in illa die Miſſas dicat*. Siquidem idem privilegium ſimplici etiam cuilibet Presbytero conveniſſet, ut nimirum in eo Altari, in quo ipſe Sacrum feciſſet, nulli alii Presbytero liceret ea die Sacrificium offerre.

Eadem ductus ratione Cl. Mabillonius *Diſſert. 7. de Altaribus*, quæ habetur *tom. 2. part. 3. operis Claudii Fleury: De diſciplina populi Dei, edit. Venetæ an. 1761.*, perſpicuam rem eſſe putat, Presbyteris licuiſſe aliis poſt alios, Miſſas in eodem Altari celebrare; ſoli autem Epiſcopo hanc ſupra ceteros Presbyteros prærogativam tributam a citato Concilio, ut in eo Altari, in quo divina confeciſſet myſteria, nulli alii Presbytero liberet Sacrificium offerre eadem die. Rem illuſtrat facto Gregorii Turonici Epiſcopi, qui cum ab æmulis apud Chilpericum eſſet accuſatus maledicentiæ in Fredegundem, apud *Brennacum villam reſtitit ad hoc cauſſa, ut dictis Miſſis in tribus Altaribus ſe de his verbis exueret Sacramento. Et licet canonibus eſſent contraria, pro cauſa tamen Regis impleta ſunt*. Poſt quæ verba mox ſic pergit Mabillonius: *Ad quid non in uno, ſed in tribus Altaribus Gregorius celebravit Miſſas tres, niſi quia uni Sacerdoti id in uno altari non licebat?* vid. ejuſdem *præfat. in Sæculum III. Benedict. part. 1. §. 6. num. 77.*

Miſſæ prohibitæ videantur. Imo ſummopere decere exiſtimarē, ut plures Cardinalium Cappellani frequenter in ejuſmodi Sacellīs operentur Sacris: cum enim ex probatis veluti Parochialis Eccleſiæ loco habeantur, congruum videtur, ut Domeſtici, varijs diſtenti curis, & muneribus, in diverſis horis ſacrificijs adeſſe poſſint, nec tanta fraudentur ſpirituali conſolatione, & utilitate (14).

An exteri, vel tantum Domeſtici ſatisfaciant.

Dubitari tertio poterit: An exteri, & Cardinalium non familiares Eccleſiæ ſatisfacere poſſint præcepto; ſi hujuſmodi Miſſis aſſiſtant; quod crebro accidere poteſt, cum ad Cardinales, Pontificiam Cappellam adituros, Nobiles, & Amici ſe conferant (ut eſt conſuetum) ad obſequium ijs præſtandum, (quod vulgo *Corteggiare* dicitur) tunc enim fere omnes ſacrificio interſunt in Cardinalis Cappella, hicque caſus ſemper in ſolemnioribus, & de præcepto, ut vocant, feſtis occurrit.

Et quidem affimative reſpondendum puto, tum quia, ut firmavimus, Capella Cardinalis eſt ad inſtar Eccleſiæ, in qua omnes admitti debent, ut Sacris interſint, exemplo Epiſcoporum in ſua reſidentia permanentium,

Tum & ſecundo, quia hoc prohibitum non reperitur, & cum non ſit de natura prohibitorum, quia mala, videtur conceſſum. *Cap. 1. de Procur. in 6. l. 1. ff. eod. l. Quod non §. quod eis ff. quib. cau. major.* cum ſimilibus, in quibus conceſſum intelligitur, quod expreſſe non prohibetur. *Cap. ſi non licet 23. q. 5. cap. Inter corporalia de translat. Epiſc.* ubi Gloſſa in verbo *Non invenitur*: & e contra, quando Pontifex id vetitum voluit, expreſſit, ut in conceſſionibus pro-

(14) Eodem ferme recidit ratio, quam nonnulli addunt, ex eo petita, quod ſicut Epiſcoporum ædes, ita Cardinalium Palatia inter privatas domos numerari non debent. Ex quo inde fit, ut quæ in iis extruuntur, Oratoria, ſeu Cappellæ tanquam publicæ Eccleſiæ habendæ ſint, neque ad eadem Oratoria transferri ullo modo poſſint, quæ de privatis Oratoriis ſancita ſunt, aut quæ in iis fieri, jure ordinario prohibentur. Quare S. Congregatio Concilii *die 18. Februarii 1623.*, uti habetur *lib. 12. decret. pag. 120. a terg.* cenſuit, *Capellas, & Oratoria ad illorum,* (Epiſcoporum ſcilicet, & Cardinalium) *uſum ubique locorum extructa, minime comprehendi in probibitione Conſtitutionis juſſu s. m. Pauli V. jampridem editæ, de non celebrando in privatis Oratoriis.* Jam vero in publico Oratorio fas eſt cuilibet idoneo Sacerdoti rem divinam agere; hinc & in Cardinalium Cappellis plures eorum Capellani, vel alii Sacerdotes operari ſacris. Addi & illud debet, quod cum *in cit. Lamacen. 19. Junii 1586.* propoſitum tertio loco fuiſſet dubium his verbis: *Præſuppoſita declaratione alias edita, ſecundum quam licentia celebrandi in Oratoriis privatis, petenda eſt a Sede Apoſtolica, nec eam poſſunt concedere Epiſcopi; An Epiſcopis valentibus commode ad Eccleſiam accedere, liceat in Oratoriis privatis, ad boc in eorum domibus, deſtinatis Miſſam celebrare, vel aliis celebrandi concedere licentiam, non obſtante decreto Concilii citato Seſſ. 22.*: Sacra Congregatio cenſuit: Ad III. *Licere.*

Hactenus dicta confirmavit Summus Pontifex Benedictus XIV. Nam primum *in Conſtit. Magno die 2. Junii 1751. tom. Bullarii* docet, *Cappellas, quæ in Epiſcopalibus* (adde & Cardinalitiis) *Palatiis ſunt, ſub privatarum domorum nomine, nunquam cenſeri poſſe*; atque hinc quæ a Concilio Trid. præſcribuntur *cit. Seſſ. 22. de obſerv. & evit. in celebr. Miſſ.*, ne Epiſcopi Secularibus, ac Regularibus Miſſam celebrare permittant *privatis in domibus*, & extra Eccleſias, *nullam cum* prædictis *Capellis* Epiſcoporum *rationem habere*. Deinde *de Sacrif. Miſſæ lib. 3. cap. 6. num. 6.* rem apertiſſimis tradit verbis: *Quod vero attinet ad Oratoria ſeu Capellas privatas, quibus certus fixuſque aſſignatus eſt locus, in domibus tam Epiſcoporum, quam Cardinalium, poſſunt plures quotidie Miſſæ celebrari etiam a Sacerdotibus, qui non ſunt ex familia, licet Epiſcopus vel Cardinalis abſit;*

privatis Oratorijs, in quibus aperte cavetur, ut tantum pro Domeſticis deſerviant, neque exteri ibidem ſe præcepto Eccleſiæ exſolvere poſſint, ſi adeunt, ut ait Quaranta. Sicut etiam in certis ſolemnioribus feſtivitatibus id pariter eſt interdictum, (quod, ut obiter dicam, deſumitur ex Concilio Agatenſi, & habetur in *cap. ſi quis etiam de conſecer. diſt.* 1. quem ornate ponderat idem diſertus admodum Nicolaus le Maiſtre) ut firmat Tamburinus, ſingillatim expendens hujuſmodi conceſſionum clauſulas contra Pellizarium, & Homobonum, qui ratione utuntur tam infirma, ut divinatores potius ſint dicendi, quam ratiocinatores, & gratis aſſerunt, illam ſcilicet clauſulam reſtrictivam poni potius ex ſtylo Curiæ, quam ut effectum limitationis inducat, ac ſi ſtylus ipſe perperam verba interpretari permittat, & eluſorius ſit contra expreſſam verborum ſignificationem, & energiam, & ſic non obligare. Et quidem in Sacra Congregatione, in qua de hujuſmodi oratoriorum conceſſione agitur, nunquam talis opinio fuit admiſſa, cum ſit divinativa, & apertiſſime falſa (15). Nec ſuffragatur ratio, quia jam non ſunt amplius cogendi Fideles ad illam in Parochia audiendam, & ſic ubicumque celebretur, valide ſatisfaciunt; nam in caſu noſtro, ut optime advertit Tamburinus, privatum illud Oratorium, quoad non Domeſticos, eſt locus prohibitus ad ſacrificium ex Summi Pontificis interdictione, dum *Tantum* pro familiaribus indulget.

Quaran. in Bull. verb. Miſſa.

Nic. le Maiſ. in d. ſuo tract. de Patrim. ſac. l. 2. cap. 5. *Tambur.* de ſacrif. Miſ. l. 1. c. 3. §. 4. num. 34. *Pelliz.* in Man. Reg. to. 2. tr. 8. c. 2. qu. 4.

Tambur. loc. cit.

At quod Cardinalibus id permittatur, facit eorum ſumma dignitas in Hyerarchico Ordine, (quoad officium, inquam) qua nulla major, excepto Pontifice, in terris conſiderari poteſt, ut ait Eugenius IV. & poſt Zabarellam, & Probum notat Loterius. Unde non videntur exteri ab hujuſmodi privilegij prærogativa expellendi, ut praxis obtinuit; nunquam enim vidimus, a doctis, & timoratæ conſcientiæ confeſſarijs illos obligari ad Miſſam in Eccleſia iterum audiendam, ſi dixerint illi; interfuiſſe in Cardinalium Sacelllo in feſtis de præcepto: ut prætaream Pontificum interpretativam

Eug. IV. in Bull. Non mediocri to. 1. Bullar. *Zabarel. & Prob.* ad Monachum *Loter.* de re benef. l. 1. q. 3. nu. 33. & ſeq.

(15) Clauſula, cujus Auctor meminit, ita vulgo ſe habet: *Volumus autem, quod Familiares ſervitiis veſtris tempore dictæ Miſſæ actu non neceſſarii ibidem Miſſæ hujuſmodi intereſſentes ab obligatione audienai Miſſam in Eccleſia diebus feſtis de præcepto minime liberi cenſeantur.* Ommitto, quod *in Auximana Oratorii privati die 30. Julii 1706.*, tranſcripta in folio prædicta Clauſula Brevis, propoſitum cum fuiſſet dubium: *An in vim dicti Brevis ſatisfaciant præcepto Miſſæ in diebus Feſtis omnes famuli commenſales, vel quinam in caſu &c.?* S. Congregatio reſcripſit: *Dilata juxta mentem*: & mens fuit, quod *Orator peteret declarationem a Papa*. Sicque patet, S. Congregationem Concilii noluiſſe manum apponere propter ſatis claram mentem Pontificis in dicta Clauſula expreſſam, ut habetur apud Monacell. *tom. 4. ſupplement. ad 2. tom. num.* 487. Prætermittendum tamen non eſt, Benedictum XIV. *in decret. edit. circa celebrat. Miſſ. in Orat. priv. die 7. Januar.* 1741., aperte declaraſſe, familiares actu non neceſſarios aſſiſtentes Miſſæ in privatis Oratoriis, non ſatisfacere in vim dictæ clauſulæ obligationi audiendi Sacrum diebus feſtis de præcepto. Ait enim: *Dummodo, quod attinet ad familiares, juxta clauſulam in iiſdem Brevibus inſertam, non ſit ex illis actu non neceſſariis.* Merito itaque noſter Auctor *divinativam* vocat, & *apertiſſime falſam* ſententiam Pellizarii, & Homoboni. Vid. Auctores hac de re cit. *apud Petram in Conſtit. VIII. Honorii III. ſect. unic. n.* 62. *& ſeq.*

vam conceſſionem, qui Cardinales cum fuerint, hoc admiſerunt, nec illud prohibuere Pontifices creati (16).

Huic favet ſententiæ præcipua animadverſio, ſcilicet conſtitutionem Eccleſiaſticam de Miſſa audienda in feſtis de præcepto, (ex diſpoſitione *cap. ſi quis etiam de Conſecr. diſt. 1. Can. omnes Fideles, &c. Miſſas ead. diſt. c. Conqueſtus de ferijs*, & in Actis Martyrum Africæ, de quibus Baronius) non arctare Fideles, ut in tali, vel tali loco illi aſſiſtant, (ſi expreſſe contrarium non diſponatur; de quo ſupra contra Pellizarium diſſeruimus) ut advertunt Azorius, & Molfeſius cum alijs, ſed ſimpliciter, ubi rite celebratur ſive in Parochiali, ſive in Eccleſia Regularium, ſive in Oratorio privato, ut vidimus, dummodo locus ſit ſacer, & ad id legitime deſtinatus, prout ſcribit Suarez ex *Can. nullus de conſecr. diſt. 1.* quamvis olim in ſolis Parochijs id licebat, de quo Fileſacius, Azorius, Barboſa, Toletus, & alij ab ijſdem relati.

Bar. an. 303. nu. 48.

Azor. p. 1. l. 7. c. 6. verſ. quarto quæritur. Molfeſ. in Sum. p. 1. tr. 3. c. 17. n. 32.

Suar. in 3. p. tom. 3. q. 83. diſp. 81. art. 3. ſect. 13. Fileſac. d. orig. paræc. c. 6. in ſuis varijs opuſculis. Azor. p. 1. l. 7. c. 6. verſ. quarto quæritur. Barboſ. de Paroch. p. 1. c. 11. nu. 18. & 19. Tolet. in Sum. d. 16. c. 7. n. 4.

Unde Sacra Congregatio Concilij die 22. Septembris 1640. reſpondit, quod intereſſentes ſacrificio Miſſæ in privato Epiſcopi ſacello ſatisfaciant præcepto Eccleſiaſtico, tam in Diœceſi, quam extra. Quamobrem nihil amplius ſuper hoc hæſitandum erit, ſi de Cappellis Cardinalium loquamur, ex ſupra abunde probatis (17).

Diſquiri pariter poteſt hic; An Cardinalis poſſit in propria Cappella Epiſcopum ſtatis cæremonijs conſecrare? Hanc quæſtionem erudite valde tetigit, poſt primam hujus diſſertationis impreſſionem, Diana, qui ſequutus eſt affirmativam ſententiam: nam locus non eſt de eſſentia conſecrationis. Peccare autem ait, Epiſcopum conſecrantem, culpamque contrahere venialem, quia in re levi communi ritui ſit adverſatus. Cui opinioni ſubſcriberem, ſi leve judicarem, in tam ſolemni celebritate, quæ ſingulis recurrit annis, ab ijs ritibus; & inſtitutis, quæ cæremoniæ poſtulant, ſi non quoad rem, attamen quoad locum, aberrare.

Dian. p. 12. tr. de conſecr. Ep. reſol. 80.

An tandem Sacerdotes exteri poſſint in hujuſmodi Cardinalium Cappellis ad celebrandum admitti, quamvis non ſit pro ſervitio Cardinalium, vel ejus familiæ? Et quidem, ſi a ſimili de privilegijs, Soc. Jeſu Patribus elargitis, argui licebit, æque cenſerem, id permittendum ex Suarez, & Naldo: quia hujuſmodi privilegium reſpicit locum, ut diximus, & in caſu, de quo agimus, Cappellæ inſtar Parochialium Eccleſiarum habentur (18).

Suar. loc. cit. Nald. in Sum. verb. Miſſa nu. 33.

** Xxx 2 Sol-

(16) Benedictus XIV. Pontifex creatus non ſolum hoc non prohibuit, verum quod adhuc S. R. E. Cardinalis, & Bononienſis Archiepiſcopus hac de re ſcripſerat *De Sacrif. Miſſæ*; hoc ipſum ratum habuit, confirmavitque in eodem opere additionibus quampluribus a ſe locupletato, ac pluries, eo Pontifice, in lucem emiſſo. Poſt verba enim *adnot.* 14. tranſcripta *ex lib. 3. cap. 6. num. 6.* hæc immediate ſubdit: *Quique, etiamſi ex familia non ſit, diebus feſtis ibi Miſſam audiat, Eccleſiaſtico præcepto ſatisfacit*: provocatque Lectorem ad hanc Emin. noſtri Auctoris diſſertationem.

(17) Difficultates nonnullas a viro quodam Clariſſimo, & pereruditو hac ſuper re nuper excitatas refert, ſapienterque diluit alias a me citatus P. Andreucci in Opuſc. De Epiſcopis Cardinalibus Suburbicariis cap. 3. a num. 72. ad num. 82., ubi plura occurrunt, quæ ad argumentum a noſtro Auctore adhibitum illuſtrandum, confirmandumque plurimum conferunt.

(18) Eamdem affirmativam ſententiam approbat Benedictus XIV. *in lib. de Sacrif. Miſſ.* cujus verba dedimus *not.* 14. quæ ita ſe habent: *Poſſunt plures quotidie Miſ-*

An, abſente Cardinali, Miſſæ poſſint a Cappellanis celebrari.

Solvenda eſt poſtremo dubitatio: An, dum Cardinalis abeſt, poſſit ejus abſentia durante, in ſui palatij Cappella ab ejuſdem Cappellanis Sacrificium offerri.

Et quidem dicendum exiſtimarem poſſe, ſi domicilium Cardinalis non dimittat, ſed eodem ſit reverſurus, præſertim, ſi pro familiæ, quæ remanſerat, commoditate, vel etiam pro eorumdem Sacellariorum devotione Sacris ibidem operentur, ex ſupra firmata ſæpius concluſione, *Cappellam banc eſſe veluti Parochialem Ecleſiam propriæ familiæ*: quare ſemper illi patere debet, etiam ſi Cardinales extra Urbem verſentur; nulla enim major ratio reddi poteſt, cur liceat celebrari, ſi interſit, vel ſi non aderit, Dominus.

Quod a ſimili probabilius redditur aſſertione. Siquidem eſt communiter apud Doctores exceptum, quod Epiſcopi palatium, & ſic Cardinalis, etiam ſi ab illo ſit abſens, & extra Urbem, (dummodo alteri non locetur) eadem gaudeat Eccleſiaſtica immunitate, ac quando Dominus aderit juxta Marium Italiam addentem, etiamſi Epiſcopus obijſſet, & loquentem expreſſe de Cardinalium palatijs, eumque ſequitur Barboſa, & Novarius; Et ratio eſt, quia, cum ſit in eamdem domum Dominus reverſurus, non ceſſat eſſe, dicique domus Epiſcopi, vel Cardinalis: & ſic etiam Cappella non debet ſua ammittere privilegia, quæ cum ſint mixta, ut probavimus, propria etiam Cappella dici poterunt. Accedit regula juxta Gloſſam, quod dicitur inhabitare domum is, qui pro æquali anni parte habitat in ea.

Mar. Ital. de Immun. Eccl. l. 1. c. 4. §. 9. num. 4.

Barboſ. in Collect. decret. to. 4. cap. conſtituimus 17. q. 4. num. 1. *Novar.* in Sum. Bull. de Immun. Eccleſ. n. 10.

Gloſ. in cap. Dilectus il 2. de Reſcript. verb. Domicilium.

Hincque licet fructus, & obventiones, quæ Cardinalibus, in Curia præſentibus, ratione, ut dicimus, Pilei, debentur loco diſtributionum quotidianarum, niſi a præſentibus, recipi nequeant, ut notat Anaſtaſius Germonius: nihilominus, ſi per ſex menſes, & non ultra abfuerint a Curia, illas lucrantur, hac tantummodo ratione, quia non videntur abeſſe cito reverſuri. Itidem, quamvis Cardinalis conſenſus non requiratur in proviſione Beneficij vacantis per obitum ſui familiaris, ſi longo temporis ſpatio abſens a Curia fuerit; hoc nihilominus fallit, juxta Gomeſium, ſi per modicum aliquod menſium intervallum id contingat.

Anaſt. Germ. de Indult. Card. §. ibi, quoad vixeris nu. 22, & 23.

Gomeſ. in reg. de impet. beneſ. vac. per obitum q. 17. num. 8.

Quamobrem recte hinc inferri poteſt, concluſionem affirmativam ſolidis niti fundamentis juxta propoſitam deductionem (19).

An autem in his terminis, Cardinalibus extra Urbem commorantibus, valeant eorum Cappellani privilegio frui celebrandi ante auroram, & poſt meridiem, ut ijs licet, ex ſupra firmatis concluſionibus, ipſis præſentibus? Controverſi quidem juris eſſe poteſt, in quo tamen negativæ adhærerem ſententiæ. Etenim

---

Miſſæ celebrari etiam a Sacerdotibus, qui non ſunt ex familia; cumq. *ibidem* ſtatim addat: *licet Epiſcopus vel Cardinalis abſit*; hinc patet, exteros Sacerdotes poſſe etiam in dictis Capellis ad celebrandum admitti, quamvis non ſit pro ſervitio Cardinalium, vel ejus familiæ. Id ipſum, quoad priorem partem, conſtat ex reſolutione S. Congregationis Concilii *in Lamacen.* 19. *Junii* 1585. de qua diximus *in d. not.* 14. Cum enim S. Congregatio tunc reſponderit, *licere* Epiſcopis concedere aliis licentiam celebrandi in Oratorio Epiſcopali; dictio illa *aliis*, quæ generalis eſt, & abſoluta, non ſolum Capellanos, ſed quoslibet etiam exteros Sacerdotes complectitur.

(19) Eamdem tradit ſententiam Benedictus XIV. ut vidimus *not.* 14. & 18.

nim privilegium hoc temporis, non eſt ex Pontificio Bonifacij indulto; ſed ex Gloſſa, & communi Doctorum ſententia deſumitur, ut vidimus, qui cum non loquantur de caſu noſtro, non auderem ad alium camdem ampliare ſententiam. Ideoque ceſſante hoc fundamento, conſequens itidem erit, ut, Cardinalibus ipſis taliter abſentibus, nequeant eorum gaudere privilegio (20).

Gloſ. in d. c. fin.

INDEX

(20) Animadvertendum denique occurrit, Cardinales frui minime poſſe privilegiis hactenus expoſitis in Laicorum Oratoriis per Sanctam Sedem iiſdem conceſſis, niſi ipſi forte in Domibus Laicorum occaſione viſitationis, vel itineris, hoſpitio excipiantur, & hoc etiam quando legitime abſentes a Domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum ſimilis habitationis, uti ex Innocentio XIII. adnotavimus *not.* 2. Nam extra prædictos caſus Epiſcopos nihil amplius poſſe in privatis Laicorum Oratoriis, quam poſſint alii quilibet ſimplices Presbyteri, declaratum eſt a Clemente XI. *in cit. decret. diei* 15. *Decembr.* 1703. En verba: *Pari modo in Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem conceſſa fuerint, non licere... quibuſcumque Sacerdotibus, etiamſi eſſent Epiſcopi, in iis celebrare in diebus Paſchatis, Pentecoſtes, Nativitatis Chriſti Domini, aliiſque anni feſtis ſolemnioribus, ac diebus in indulto exceptis: in reliquis vero diebus prædictis... Sacerdotibus quibuſcumque, etiam Epiſcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Miſſa, quæ in* Indulto conceditur, fuerit celebrata; ſuper quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo ſe optime informare; atque illa etiam in caſibus permiſſis celebrari nequeat poſt meridiem: demandando ulterius, & declarando in omnibus hujuſmodi caſibus perſonas quaſcumque dictas Miſſas audientes nullatenus præcepto Eccleſiae ſatisfacere. Conf. Gatticum *de Orat. Domeſticis cap.* 17. *num.* 24. *&* 25.

FINIS.

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

A

Abbates Monachi Presbyterio initiati. Pag. 42. 43. 49. Juſſi Sacerdotes fieri. p. 50.
Abbatiſſæ Gallicanæ privilegium pro Oratorio conceſſum a Paulo V. p. 203.
Abbreviatores Cancellariæ Apoſtol. iidem ac Notarii Apoſtol. p. 33. Ipſis conceſſum Privilegium a Sixto IV. p. 107. Aliud ab Urbano VIII. p. 215. Vid. *Acolythi*.
Ac quando disjunctive, aut copulative accipiatur. p. 239.
Accademiæ Eccleſiaſt. Nobilium in Urbe Privilegium pro Oratorio privato. p. 165.
Acolythi R. Urbis in tres Claſſes bene diſtributi. p. 33.
Acolythi S. R. E. p. 33. Hideſerviebant Pontifici. ibid.
Acolythi Papæ nunc ſunt Votantes Signaturæ, & Abbreviatores. ibid.
Adminiſtratores Epiſcopatuum non gaudent privilegio Miſſarum domeſticarum. p. 183. Nec Altaris Portatilis privilegio. p. 436.
Adſperſio Aquæ Benedictæ in Oratoriis privatis non eſt facienda. p. 318. Neque in Oratoriis Confraternitatum. p. 319. Fieri debet diebus Dominicis in Majoribus Eccleſiis, & Parochialibus. ibid. Conceditur in Eccleſiis Regularium. ibid.
Advocatorum Conſiſtorialium privilegium a Benedicto XIV. conceſſum. p. 215.
Æthiopum reverentia in Altaris delatione. p. 368.
Affines Privilegiati quando in hujus Oratorio ſatisfaciant Miſſæ præcepto. p. 282.
Altare ab Altitudine nominatur. p. 347. Hæc altitudo exhibet dignitatem Chriſti. ibid.
Altaris nomen primis Eccleſiæ Sæculis notum. p. 349.
Altaria aurea, & argentea. pag. 356. 357. 359.
Altare pretioſiſſimum S. Sophiæ. p. 357.
Altaria Lapidea. p. 349. 358. Altare dicitur *Lapideum Metallum*. ibid. Lapidis materia Chriſtum repræſentat. p. 358.
Altaria omnia conſecranda. p. 362.
Altaria fixa etiam poſt conſecrationem Eccleſiæ conſecrata. p. 364. Hæc avulſa a fundamento amittunt conſecrationem. p. 373.
Altaria fixa in Cœmeteriis. p. 352. Super Martyrum Sepulchra. ibid.
Altaria plura etiam olim in Eccleſiis. pag. 364.
Altare mobile in Eccleſiis locari poteſt. p. 353.
Altaria Portatilia non facile conſecranda. p. 102. Horum antiquitas. p. 352. Rariſſime ſine Reliquiis permittuntur. p. 372.
Altare Viaticum quadratum. p. 361. In duos Lapides diviſum non probatur. ibid.
Altare Viaticum S. Adhelmi fractum divinitus reparatur. p. 389.
Altaris Portatilis uſus in Oratorio privato. p. 265.
Altaris Portatilis latitudo. p. 360. Prophanatur ſublato Lapide Sepulchri. p. 375.
Altaris Portatilis uſus in impoſitione primi Lapidis Eccleſiæ. p. 415.
Altare S. Petri Romæ. p. 349.
Altarium Redemptio quid ſignificet. p. 65.
Altempſiana Capella. p. 12.
S. Ambroſius in Domo Matronæ Romæ celebravit. p. 262.
Amplitudo Oratorii domeſtici quanta. p. 262.
Annunciationis Feſtum excipitur in Privilegio Papali. p. 306. Quocunque Die transferatur præceptum Miſſæ audiendæ. p. 307.
S. Anſelmus nudos Lapides a Menſa avulſos conſecrari nolebat. p. 365.
Antimenſia apud Græcos gerunt vices Altaris Portatilis. p. 366. Eorum uſus non valde antiquus. ibid. Quomodo conſecrentur. p. 367.
Apocryſarii iidem qui Nuncii. p. 31.
Apoſtoli primum in Cœnaculo ſacrificarunt. p. 19. poſt acceptum Spiritum S. ibid. In domibus ſacrificabant. p. 20.
Apoſtolicæ Sedis privilegia eludi non debent. p. 107.
Approbari nequit Oratorium privatum, niſi adſint requiſita ab Indulto Papali. p. 274.
Approbatio eſt neceſſaria ad valorem Indulti. p. 275. Negari non debet ſine

juſta cauſſa . ibid.
Approbatio *in ſcriptis* melius datur . p.274. Hujus formula . ibid.
Aquæ Benedictio extra Locum Sacrum fieri poteſt . p.319.
Aqua Benedicta ſæpius Domus adſpergebantur . ibid.
Aquiſgranenſis Regia Capella . p.81.
Arbitrium debet regulari a Jure . p.276.
Arcium Oratoria , quæ egeant Indulto Papali . p.163. Quarumdam Arcium privilegia . p.164.165.
Archicappellani Regii dicti Primicerii , Abbates , Protopapæ , Protopſaltes . p. 80. 81. 85. Eorum Dignitas . p.82.
Aſcenſionis D. N. J. C. Feſtum excipitur in Brevi Papali . p.307.
Aſcetæ quo loco in Cella collocabant Euchariſtiam . p.19. Celebrabant aliquando in Eccleſia . p.42. Seu privato Sacello . p. 59. & 62. Sabbatho , & Feſtis Diebus ſimul in communi Oratorio conveniebant . p.42. Hora tertia . p.42.
Aſcetæ Lauræ quotidie Sacris aſſiſtebant . p.46.
Aræ Viaticæ tempore Perſecutionum frequentes . p.375. Illarum uſus extra Oratoria neque in Domibus Religioſis permitti poteſt . p.403.
Aſſumptionis B. M. V. Feſtum excipitur in Brevi . p.306.
Auditores Rotæ R. habuerunt Privilegium Aræ Viaticæ a Clemente VII. p. 391. Sunt Papæ Subdiaconi . p. 33. Olim Subdiaconi Palatini ab Auditoribus diſtinguebantur . ibid.
Aytho permiſit Miſſas in cubiculis Infirmorum . p.384.

B

VEn. Bagneſiæ (Mariæ) Ord. Prædicatorum conceſſum , ut in ejus cubiculo Miſſæ fierent . p.447.
Baptiſma miniſtratum a Monachis . p.46. Nequit in Oratoriis miniſtrari . p. 91. & 311.
Baptiſteria ubi erigebantur . p. 311.
Baſilicæ nomen quid ſignificet : Inſignioribus Eccleſiis tributum . p.2.
Baſilius Macedo in Palatio CP. plurima Oratoria ædificavit . p.85.
Benedictus XIII. P. quas Eccleſias conſecrari juſſit . p.1 6. Prohibuit Miſſas in cubiculis Regularium , ubi ſolet dormiri . p.446.
Benedicti XIV. P. Decretum pro præſentia Privilegiati in Oratorio tempore Miſſæ . p. 237. Reſcriptum pro Conjugibus ſeparatis . p. 241. Litteræ pro Communione Fidelium intra Miſſam . p. 323. Privilegia conceſſa pro Oratoriis privatis Principis . p. 161. Magiſtratuum , & Senatorum . p. 162. Collegii Clementini . p. 166. Nazareni . ibid. Domus Ruralis Regularium . p. 168. Monialium . p. 206. Conſervatorii . p. 209. Advocatorum Conſiſtorialium . p.215. Laicorum Juriſdictionem temporalem habentium . p. 222. Formula Privilegii modo Commiſſario . p. 223. Privilegium Altaris Viatici conceſſum Principiſſæ infirmæ . p.452. Presbytero itineranti . ibidem . Confratribus S. Joannis Decollati . p. 451. Conſtitutio ſuper Clauſura Monialium . p 203. Opera ſæpiſſime lucem præferunt Scriptori .
Benedictio Mulieris poſt partum in Eccleſia eſt facienda . p.312.
Benedictio ſimplex Eccleſiæ diſtincta a Conſecratione quando cæperit . p.117. Hæc benedictio nequit fieri in Laicorum privatis Oratoriis . p.118.
Bombycinum Tentorium in Caſtris a Græcis olim delatum . p.380.
Bonifacii VIII. P. privilegium Aræ Viaticæ Epiſcopis conceſſum perſeverat . p.169. & 389.
S. Bruno in Caſtris celebravit . p. 381. Miraculum quod contigit . ibid.
Bugia in Oratorio privato adhiberi poteſt p.318.
Burgheſio Card. Archiep. Bononienſi Breve pro Oratoriis privatis conceſſum recitatur . p. 36.

C

S. Cœleſtinus ſub dio celebravit. p.387.
Campanæ uſus quando cæperit . p. 16. Nequit appendi in Oratoriis privatis . ibid. Unica Campana pro Oratorio publico . ibid. Non eſt neceſſaria . ibid.
Cancelli in cubiculo infirmi ad Miſſam audiendam . p.459.
Canonicis Patriarchalis Ulixypponenſis nuper conceſſa Privilegia Oratorii , & Altaris Portatilis . p. 216. & 451.
Canonicis Regularibus Lateranenſibus infirmis Privilegium conceſſit Pius IV. P. p.444. Itinerantibus Sixtus IV. p.394.
Canonici Regulares publicas Eccleſias habuerunt . p. 63.
Capa S. Martini diligenter cuſtodita . p.7. Roccus vocabatur . p.8.
Capellæ nomen recens . p. 6. Publica Capella poteſt reperiri intra ambitum Domus privatæ . p 12. Erecta in Titulum Beneficiarium eſt publica . p. 12. & 13.

& 13. Hæc extra Domos privatas eſt transferenda. ibid.
Capellæ olim conceſſæ Comitibus. p.89. Capellæ Decimales, & Baptiſmales. p.9. Succurſales p.63. In Parochias mutatæ. p.9.
Capella Regia de conſenſu Epiſcopi extruebatur. p. 84. In ſingulis Palatiis Regiis. ibid. Plures inſignes erant in Palatio CPano. p. 85. Ibi ſplendide Divina Officia celebrata. p. 81. Seminarium Epiſcoporum. p.81. & 87.
Capellæ Majores in Aulis Principis non comprehenſæ in Decreto Concilii Tridentini. p.160.
Capellanus aliquando conceſſus Oratoriis privatis. p.5. Vilibus Laicorum officiis vacare non debet. p.99.
Capellani Papales plures recenſentur. p. 29. ſeq. Inſerviebant Pontifici celebranti. ibid. Alii *Honoris*, alii *Commenſales*. p.33. Alii *Secreti*. p.34.
Capellani Regii. p. 82. Inter hos adſcribi non poterant excommunicati. p.83. Aut ab Epiſcopo non probati. p. 83. 88. Inter Capellanos Regios adſcripti Regulares. p.87. Etiam Epiſcopi. ibid.
Capellani Majores Exercituum quæ privilegia a R. Pontifice habeant. p.408.
Capellani Curati. p.9.
Carceres publici Oratorium habent. p.157. In illis conceſſum fuit Miſſas celebrare. p.158.
Cardinales S.R.E. poſt Pontificem alios in Eccleſia præcellunt. p.390. Habuerunt Oratoria privata. ibid In Domo propriæ habitationis illa habere poſſunt. p.181. Gaudent privilegio Aræ Viaticæ. p.390. & 457.
S. Carolus abſtulit conſuetudines non accedendi ad Eccleſiam propter mortem Mariti, aut Matris. p. 156. In ipſius Capella quæ agebantur. p. 315. Ejuſdem Decreta ſæpius laudantur.
Cathedram inferre in Eccleſias Monachorum vetiti Epiſcopi. p. 53. Aut Monialium. p.72.
Chriſtus conſecravit in Menſa communi: quare. p.348.
Chriſmatio Altarium. p.368.
Ciboria Altarium. p.266.
Cineres, ac Candelæ nec benedici, nec diſtribui poſſunt in Oratoriis. p. 319.
Clauſura Monialium olim viguit. p.70. & ſeqq. Decretum Concilii Trid. pro illa. p.199. Intra illam Miſſæ celebrari nequeunt. ibid. Nec Euchariſtia ſervari. ibid. Quanta neceſſitas requiratur ad licitum ingreſſum intra illam. ibid. Benedicti XIV. P. Conſtitutio pro eadem. p.204.
Clementis XI. Decretum pro Miſſarum celebratione in Domibus privatis. p.144. Quot abuſus correxerit. p.152. Recitatur. p. 182. Confirmatum fuit ab Innocentio XIII. & Benedicto XIII. p.182.
Clementis XII. P. Conſtitutio pro Carthuſianis. p. 193. Pro Canonicis Patriarch. Ulyſſiponen. (*Canonici &c.*) Privilegium ab ipſo conceſſum Regi, & Reginæ M. Brittaniæ. p.309.
Clerici R. Pontif. Familiares. p. 31. Cameræ. p. 215.
Collegiis Clementino, & Nazareno nuper collata Privilegia. p. 195. & 166.
Collegii Capranicenſis antiquum Oratorium. p. 316. Inter Loca Pia recenſetur cum Collegis Nardino, & Salviato. p. 165.
Collegii de Propaganda Fide Oratoria. p. 198. & 316.
Collegia Urbis habentia Indultum pro Oratorio privato: Bandinelli, Ghislierium, Gymnaſium, Nationis Umbriæ &c. p. 165.
B. Colettæ Oratorium privatum. p.18.
Commenſalis Nobilis ex alio Loco veniens ad privilegiatum Ruri participat de iſtius privilegio Miſſarum p.293.
Comitantes Itinerantem privilegiatum uſu Aræ Viaticæ ſatisfaciunt præcepto, dum Miſſa ſuper illam celebratur. p. 460.
Communio Sacra domeſtica. p. 90. Olim ab Aſcentis in Cella ſumpta. p. 19.
Pro Communione Fidelium intra Miſſam Litteræ BENEDICTI XIV. p. 323. Non debet diſtribui in privatæ Domus Oratoriis ſine ſpeciali licentia. p.324. Aut Privilegio conceſſo Sacerdoti celebranti. pag. 327. Dummodo in illo Oratorium privatum exprimatur. ibid. Paſchalis in propria Parochia fieri debet. p. 313.
Communio Cleri in Die Cœnæ Domini antiqua. p. 308.
Communicatio privilegiorum Oratorii conceſſa Regularibus plurimis. p. 185. 195.
Concilii Tridentini Decretum prohibens celebrationem Miſſarum extra Loca Sacra. p. 119. Quanta ſedulitate fuerit executum. p. 129. ſqq. Ab Apoſtolica Sede unice pendere voluit licentiam Miſſæ domeſticæ. p. 210.
Conclavis tempore Miſſa ſuper Altare Portatile peragitur. p. 461.
Congregationis Cardinalium. Concilii Triden. Interp. inſtitutio. p.29. Quanti

ti facienda. ibid. Concilia Provincialia ejus examini ſubjicienda. ibid. Ejuſdem voto facultas Miſſarum in Oratoriis privatis dabatur. p. 140. & alibi ſæpe. *Decreta*.
Concio intra Miſſæ Actionem non poteſt haberi in Oratorio privato. p. 320.
Confeſſarius permiſſus ingredi ad Moniales infirmas. pag. 75. Cum Alba, & ſtola. 76. Rigor in hac re Monialium Minimarum. ibid.
Confraternitatum Oratoria ſubjecta Epiſcopis. p. 185. Non poteſt ibi ſervari Burhariſtia. pag. 188. Cantari poteſt Miſſa diebus Solemnibus. p. 316.
Conjuges Privilegiati, ſi ſeparentur, privilegio uti poſſunt. p. 241.
Conſanguinei quando participant de Privilegio Miſſarum conceſſo ipſorum Cognatis. p. 281. 283.
Conſecratio Altarium primis Eccleſiæ Sæculis facta. pag. 362. Ritus potiores. p. 368.
Conſecratio facta parvi Oratorii. p. 116. Quare non fiat in Oratoriis privatis. p. 115.
Conſecrata Res ad alios uſus humanos non eſt transferenda. p. 116. 121.
Conſervatoria ſine Clauſura tolerantur, non approbantur. p. 209.
Conſtantinus M. in Palatio Divinas Laudes peragebat. p. 77. Idem faciebant ejus Filii. p. 78. Ille in Palatii ſummitate Crucem collocaverat. pag. 77. In Caſtris ferebat Eccleſiam portatilem. p. 378.
Conviventes non ſatisfaciunt praecepto in Oratorio Urbano habentis privilegium Miſſæ domeſticæ, niſi ſint Cognati, aut Affines. p. 291.
Cophti frequenter conſecrant Aras Viaticas. p. 367.
Cruciatâ Bulla non concedit Miſſas in Oratorio privato. p. 329. In iſto nihil concedit extra tempus Interdicti. p. 334. Quo tempore poteſt celebrari in Oratorio jam approbato. p. 331. 333. Non ſuffragatur iis, qui in Privilegio pro Miſſa domeſtica non ſunt comprehenſi. p. 337. Non ſufficit Oratorium privatum viſitare pro lucrandis Indulgentiis. p. 339.
Cruciatæ falſæ interpretationes circa Confeſſionem reprobatæ. p. 331. Ejus Commiſſarius non poteſt dare privilegium in Oratoriis privatis. p. 328. De Cruciata aliqui in Concilio Triden. egerunt. p. 330.
Cucull a pro Capa olim uſurpata, p. 8.
S. Cypriani monita pro Sacrificio tempore Perſecutionis. p. 351.

D

Damnatis ad Triremes Miſſa in Littore ſub dio conceditur. p. 414.
Danielis Aſcetæ humilitas commendatur. p. 42.
Decentiæ Oratorii privati non videtur obſtare ſuper illud dormire. p. 263.
Decimæ Parochiis debitæ Oratoriis non applicandæ. p. 310.
Decreta S. Congregationis Concilii quæ recitantur.
De conditionibus Oratorii publici. pag. 12. 139.
De valore Indulti Papalis, etſi in eo expreſſa non fiat derogatio Tridentinæ Legis. p. 133.
De nullitate Privilegii ante Tridentinum conceſſi. p. 134.
De Oratoriis Domeſticis habentibus beneficium annexum. p. 123.
De neceſſitate petendi Apoſtol. Privilegium, ut celebretur Miſſa in privatis Domibus. p. 134. 135. 151.
De nullitate licentiæ Miſſarum ab Epiſcopis traditæ. p. 133.
De abrogatione ſimilis licentiæ a Nunciis conceſſæ. p. 142. ſeqq.
De concedenda delegatione Cardin. Sandoval ad eas licentias tribuendas. p. 142.
De Indulto Papali ab Epiſcopis non violando. p. 150.
De prohibitione Miſſæ domeſticæ cauſſa Viatici. p. 153. 154.
De Oratoriis Carcerum. p. 157. 158. 159.
De Oratoriis Principum. p. 161.
De Oratoriis Oratorum Principum. p. 161.
De Oratoriis in Publicis Palatiis Magiſtratuum. p. 161.
De Oratoriis in Palatiis Baronum. p. 162.
De Oratoriis Arcium. p. 163. 164.
De Oratorio Collegialium S. Dionyſii Granatæ. p. 163.
De Hoſpitalibus Fratrum S. Joannis Dei. p. 163.
De Oratoriis in Ædibus Epiſcopalibus. p. 170. 173. 178. 182. 427.
De Oratoriis Cardinalium. p. 181.
De Prælatis celebrantibus in Oratoriis privatæ Domus. p. 182.
De Graneiis Regularium. p. 191. 193. 194. 195. 197.
De Oratorio Monachorum S. Jo: de Pinna, p. 191.
De Oratorio privato Monialium. p. 202.
De Oratoriis Tertiariarum. p. 202.
De Principaliter Privilegiatis. p. 237.
De Domo, in qua Indultum Papale exequi poteſt. p. 251.

De Loco Diœceſis, in quo Indultum valet, p. 253.
De Oratorio, in quo Indultum peragi poteſt. p. 260.
De Janua Oratorii privati. p. 261.
De deputatione alterius Viſitatoris Oratorii, p. 273.
De Approbatione facienda ab Ordinario. p. 273.
De Revocatione Approbationis datæ ab Ordinario. p. 277.
De Perſonis, quæ in Oratoriis privatis non ſatisfaciunt præcepto. p. 296.
De non cogendis Fidelibus ad Miſſam in Cathedrali. p. 297.
De non cogendis iiſdem ad Miſſam Parochialem. p. 297. 298.
De Miſſis in Oratorio privato in die Nativitatis Domini. p. 302.
De diebus exceptis in Privilegio. p. 306.
De Cruciata. p. 329. 337.
De Pœnis Celebrantium extra Loca Sacra. p. 396.
De celebratione in Littore. p. 415.
De ſuperſtite Privilegio conceſſo Epiſcopis a Bonifacio VIII. p. 180. 427. ſeqq.
De Privilegio Aræ Viaticæ S.R.E. p. 437.
De abrogatione Privilegiorum Aræ Viaticæ ante Concilium Tridentinum Regularibus conceſſorum. p. 439. & ſeq.
De vigore Privilegii Aræ Portatilis poſt Concilium Trident. conceſſi. p. 447.
De difficili conceſſione Privilegii Aræ Viaticæ. p. 449.
Decreta S. Congreg. ſuper Epiſcopor. & Regular. Negotia. De cautela adhibenda ab Epiſcopis circa Miſſas domeſticas. p. 176. Non gaudere Oratoria privata Immunitate. p. 271. Unum Oratorium ſolum in domo privata eſſe approbandum. p. 278. Quibus in Eccleſiis ſint benedicendi Cineres &c. p. 320. Alia alibi.
Decretum S. Congreg. Immunitatis. Hac non gaudere Oratorium privatum. p. 271. Alia alibi.
Decreta S Congreg. Rituum. Pro Confraternitatibus. p. 188. 313., & alibi. Pro menſa Altaris lignea conceſſa in Oratorio privato. p. 265. Pro conſervatione Euchariſtiæ in quibuſdam Eccleſiis. p. 183. Pro exceptione dierum Solemniorum, p. 306. Pro prohibitione Miſſæ privatæ in die Cœnæ D. p. 307. Et in Sabbatho S. p. 309. Pro Benedictione Cinerum, Candelarum, Palmarum. p. 320. Pro celebratione in Mari. p. 421. Pro celebratione in Oratoriis privatæ Domus. p. 439.
Decreta S. Congregationis S. Officii. Pro Altaribus Viaticis ſine Sanctorum Reliquiis. p. 372. Pro Altaribus fractis. p. 374. Pro celebratione Sacrificiis in Navibus. p. 421.
Decretum Congregationis de Regularium Diſciplina pro Grancia Carthuſian. p. 197.
Defuncti aliquando in privatis Oratoriis ſepulti. p. 95. 314.
Delfinus (Camaldul.) in Navi celebravit. p. 425.
Diacono Palatino Pontificii diſtincti a Diaconis Regionariis. p. 21 Quale illorum munus. ibid.
Diœceſi mutata non transfertur Privilegium pro Oratorio. p. 252. 255.
S. Dominicus in privata Æde celebrans mortuum ſuſcitavit. p. 393.
Dominicum celebrare idem, ac Miſſas facere. p. 22.
Domicilium duplex ſimul haberi poteſt. p. 247. Quo gaudens Privilegiatus Miſſas in alterutrius Oratorio poteſt celebrari facere. p. 248. & 249.
Domus Epiſcopalis alteri locata ammittit Privilegium Miſſarum. p. 176.
Domus ampla duabus æquipollens permittit duobus Privilegiatis ſimul uſum Indulti Apoſtolici Miſſarum. p. 257. Si Domus ampla non fuerit, unus poteſt uti Privilegio Miſſæ domeſticæ. p. 259.
Domus Privilegiato locata ſufficit ad uſum Privilegii. p. 250. Dummodo in ea habitet. p. 251.
Domus propriæ habitationis quæ. p. 240. Quantum temporis pro Habitatione requiratur. p. 250.
Domus Religioſæ non ſunt privatæ. p. 169.
Durandi opinio pro conſecratione Aræ Viaticæ ſine Reliquiis. p. 370.
S. Dunſtanus infirmus in cubiculo proprio juſſit Sacrificium offerri. p. 388.

E

Eccleſiæ nomen cui ædificio applicatum. p. 2. Ubi Populus congregabatur. ibid.
Eccleſia unica olim in Civitate. p. 376. Publicæ Eccleſiæ ante Conſtantinum. p. 21.
Eccleſiæ publicæ Religioſorum. p. 65. & 66. Conventuales quæ. p. 65.
Eccleſia Portatilis Conſtantini. p. 378. & Aliorum. p. 380.
Eccleſiæ anguſtia, aut defectus permittunt aliquando Miſſas ſubdio. p. 387. 402. 409.

Eccleſiola pro parvo Oratorio. p. 6.
S. Eliſabeth Eccleſia Portatilis. p. 381.
Epiphaniæ Feſtum excipitur in Indulto. p. 306.
Epiſcopi olim concedebant licentiam celebrandi in privatis Oratoriis. p. 93. 95. ſeq. Etiam non conſecratis. p. 113. ſeqq. In cubiculis Infirmorum. p. 382. 384. Hanc licentiam non poſſunt amplius concedere. p. 124. ſeqq. 397. Niſi ex cauſſa neceſſaria. p. 145. ſeqq. 398. Hac urgente Epiſcopi fruuntur antiqua poteſtate. p. 146. 398. Quanta eſſe debeat hæc neceſſitas. p. 146. ſqq. Minor ſufficit, dum multos afficit. p. 157. 398. In neceſſitate petitur licentia ab Ordinario. p. 399. Aliquando ſufficit licentia præſumpta. pag. 401. Propter Infirmum dari non poteſt. 153. Hanc facultatem ſæpe Epiſcopis negaverunt RR. Pontifices. ibid. Quibuſdam conceſſerunt. p. 136. 140. 142.
Epiſcopi aliquando celebrabant in privatis Oratoriis. p. 39. Ut habeant Oratorium extra Diœceſim egent Privilegio Papali. p. 177. Quare raro confugiant pro hoc Privilegio, cum morantur extra Urbem. p. 179.
Epiſcopi Aſſiſtentes habent Privilegium pro Oratorio privato. p. 177. Certis limitationibus eſt reſtrictum. p. 179.
Epiſcopi celebrantes in Oratorio alterius Privilegiati debent ſervare conditiones Indulti. p. 182. Nec amplius poſſunt, quam alius Sacerdos. ibid.
Epiſcopi habent privilegium Aræ Viaticæ. p. 389. & 426. Non tamen in Mari poſſunt eo uti. p. 433. Eodem gaudent Epiſcopi Titulares. pag. 437. Aras Viaticas erigere poſſunt in domibus Laicorum cauſſa Itinetis, aut Viſitationis. p. 428. Extra hos caſus nonniſi in propriæ habitationis domo. ibid. Quid Romæ degentes poſſint? p. 430. Unica Miſſa illo Privilegio conceditur. p. 433. Per illam adſtantes ſatisfaciunt præcepto. p. 434. Epiſcopi Miſſas quotidianas faciebant. p. 38. Imo facere jubebantur. p. 41.
Epiſcopi vetiti moleſtias Monachi inferre. p. 53. ſeqq. & Miſſas publicas in Monaſteriis cantare, niſi ab Abbate invitati. ibid. Monialium Clauſtra ſolum cauſſa Divinorum Officiorum ingrediebantur. p. 75.
Epiſcopia non ſunt domus privatæ. p. 171. Gaudent Immunitate. pag. 172. Oratoria intra Epiſcopium erecta non ſubjacent limitationibus aliorum Oratoriorum. p. 173. Miſſa in illis poteſt celebrari abſente Epiſcopo. pag. 173. 340. & mortuo. p. 176.
Error quando Privilegium vitiet. p. 231.
Euchariſtia delata in Itineribus. p. 422. Diſtribui poteſt in privatis Oratoriis Regularium. p. 187. Aliquando in illis ſervatur. p. 166. 188. Non tamen intra Clauſtra Monialium. p. 199. Aut in Oratoriis Confraternitatum. p. 188. Aut Oblatarum. ibid. Illius expoſitio in Oratoriis privatis Regularium vetita. p. 189. Ante eam lampas accenſa eſſe debet in Oratoriis. p. 166. 189.
Euſthatiani Eccleſias deſpiciebant. p. 23.
S. Euſtochii Oratorium privatum. p. 18.
SS. Evaldi deferebant Viaticam dedicatam Tabulam. p. 365. 387.
Exemptionis Monaſteriorum argumenta quædam p. 53. ſeqq. 63.

F

FAcultas Miſſarum domeſticarum ab arbitrio Epiſcopi pendebat. pag. 91. ſeqq. Facile non debebat eam concedere. p. 103. Illam identidem caſſabat, renovabat, reformabat. p. 100. *In ſcriptis* tradebatur. pag. 101. ſeqq. Certi dies excipiebantur. p. 102. Data ab Apoſtolica Sede Epiſcopis oſtendebatur. p. 102. 103.
Familia quos amplectatur. p. 284.
Familiaris conditiones. ibid.
Familiares ſatisfacientes præcepto Miſſæ in Oratorio privato debent eſſe actu neceſſarii tempore Miſſæ. p. 287. Pauci ſolent eſſe neceſſarii. p. 288. Aliquando plures. ibid. Neceſſitas iſtorum ſumitur ex dignitate Privilegiati. pag. 289. Aliquando unus tantum Familiaris neceſſarius huic conceditur. p. 287.
Famuli Hoſpitis non ſatisfaciunt præcepto Miſſæ in Oratorio privato. p. 293. Aliquando in Indulto comprehenſi. ibid.
SS. Fauſtini & Jovitæ Acta laudantur. p. 350.
Feneſtræ quæ conguant Oratorio. p. 263.
Feſtis diebus ſingulis olim vetitæ Miſſæ domeſticæ. p. 304.
Feſta Solemniora olim excepta. p. 305. Excepta in Privilegio quæ. p. 306. An etiam Feſtum Patroni Principalis? ibid.
Fideles tempore Perſecutionis conveniebant in Domibus, & Cryptis. p. 21.
Filii de Patris Privilegio participant. p. 281. Etiam adoptivi; Non vero Spurii. ibid.
Fiſco adjudicabantur Domus, in quibus Sa-

Sacrificium ſine licentia Epiſcopi celebrabatur. p.396.
Fractio quæ auferat Altaris conſecrationem. p.374.
Fundatores Oratorii Clericos ordinandos præſentabant Epiſcopis. p. 92. 93. 99. Aliquando nimis arroganter. p.99.

G

SAncti Galli Cappella Viatica. p.289. Generalis Minorum poterat in Monaſteriis S. Claræ Miſſas celebrare. p.76.
S. Gerardi Altare itinerarium. p.351.
Genuflexorium ſub nomine Oratorii. p.1.
S. Gorgonia ante Euchariſtiam domi ſervatam orans ſanatur. p.90.
Græci habent paucas Eccleſias, multa Oratoria. p.5.
Granciæ duplicis generis, p. 191. Aliquando ſumuntur pro Monaſteriis, p.68. In Granciis Regularium conceſſa Oratoria, & exempta a Procuratione. ibid. Cautela adhibita ne in illis Res Divina indecore ageretur. p.63.ſeqq. Pro Granciarum Oratoriis aliquibus Regularibus conceſſum Indultum. p.197.
Gregorii XV. P. Conſtitutio pro Epiſcopis Aſſiſtentibus. p.177.ſeq.

H

HAbitationis Domus. Vide *Domus*. Habitatores in Terris Infidelium, & Hæreticorum ubi Miſſam poſſint celebrare. p.159. & 411.
Heſperii Domus ab infeſtatione Dæmonum Sacrificio liberata. p.282.
S. Hieronymi Charitatis de Urbe Oratoria. p.168.
Hiſpaniarum Epiſcopi amplam facultatem obtinuerant. p.140.
Hoſpitalium Oratoria. p. 167. Fratrum S. Joannis de Deo. ibid.
Hoſpes qui vere dicatur. p. 293. Nobilis participat Ruri de Privilegio. p. 292.
Hoſpitia quæ egeant Indulto pro Oratoriis. p.189.
Hoſpitii Lauretani Capuccinorum Indultum pro Euchariſtia ſervanda. ibid.

I

JAnua Oratorii cuſtodienda. p. 261. Oratorii publici quæ. p.11.ſeqq.
S. Ignatius Loyola ſæpe in privato Oratorio celebrabat. p.68.
Immunitate gaudent Epiſcopia. p.172. Non vero Oratoria privata. p.271.
Infirmis conceſſa Sacrificia in cubiculo p. 112. 383. Negata. p. 384. Coram illis Miſſa Sicca celebrata. ibid.
Infirmariæ Regularium ſervantes Euchariſtiam quæ. p.188.
Infirmitas olim exigita pro Indulto Miſſarum in Oratorio. p.131.
Indultum pro Miſſis domeſticis raro *in perpetuum* conceditur. p. 214. Errore aliquo vitiari poteſt. p.250. Raro duas Miſſas in Oratorio privato concedit. p.213.
Inſimul habitare quid eligat. p.283.
Joannis Card. Oratorium. p.41.
Itinerantibus quare Miſſa conceſſa. p.386. 412.
Jura Parochialia quæ. p.310. Violari non debent. ibid.
Juramentum præſtitum ſuper Sanctorum Reliquias. p.7.
Juriſdictio temporalis in Privilegiato quæ ſufficiat. p.234.
Juriſdictio quaſi Epiſcopalis non concedit Jus ſibi approbandi Oratorium privatum. p. 183. Nec Altare Portatile. p.436.
S. Ivo cupiebat Lapides Menſæ affixos conſecrari. p.365.

L

LAici a Monaſticis Oratoriis excluſi. p.46. cum frequenter ad illa vellent accedere. p.61.
Lapidis conſecrati Menſæ affixi myſtica conſideratio. p.366.
Lararia in Palatiis Gentilium. p.86.
Lateranenſe Palatium. Vid. *Patriarchium*.
Legati Apoſtolici in Domo Placidiæ A. recipiebantur. p.79.
Leo III. P. pluries in die celebrabat. p.26.
Lex prohibens celebrationem Sacrificii in Locis non conſecratis. p.25.
Libelli ſupplices ad R. Pontificem oblati, qui recitantur. Epiſcopi Cordubenſis pro ſupprimendis licentiis Miſſæ domeſticæ. p. 142. Magiſtratus Cæſarauguſtani pro Capella Carcerum. p.157. Vice Cancellarii Lituaniæ pro Ara Viatica. p.448.
Libelli Supplices ad S. Congr. Concilii oblati pro Oratoriis qui recitantur. M. Principiſſæ Luſitaniæ. p. 132. Comitiſſæ Neapolit. p.133. Epiſcopi Parmenſis. p.134. Epiſc. Regienſis. p. 150 Epiſc. Peruſini. p. 134. Epiſc. Caſtellanetæ. ibid. Card. Sandoval. p. 142. Epiſc. Syracuſani. p. 151. Card. Paleotti. p 153. Card. Infantis Portugalliæ. p. 154. Epiſc. Nolani. p. 158. Pro Arce

ce Anglonenſi. p.164. Patrum Oratorii S. Philippi N. p. 168. Matris Card. S. Marcelli. p. 173. Epiſc. Laudenſis. p.178. Termularum. p.179. Monachorum S. Joann. de Pinna. p. 191. Monialium Januenſium, & Mutinenſium. p.202. Baronis Caſteluccii. p. 243. Patricii Januenſis. p.253. Barchinonenſis Magiſtratus. p. 397. Epiſc. Viſenſis. p.427. Epiſc. Poſnanienſis. p. 349. Patrum Societatis Jeſu. p. 447. Reginæ Poloniæ. p.449.

Libri Pontificales Veterum pro conſecratione Altaris. p.370.

Litteræ Apoſtolicæ pro Oratorio publico. p.11. & 15.

Litteræ S. Congreg. Concilii, quæ recitantur. Ad Epiſc. Neritonenſ. p. 13. Ad Patriarch. Venetum. p. 135. Ad Nuncium Hiſpaniar. p. 137. Ad Vicarium Bononienſ. p. 138. Ad Card. de Auria. p.140. Ad Collectorem Luſitaniæ. p. 142. Ad Archiepiſc. Ulixipponenſem. p. 141. Ad Nuncium Sabaudiæ. ibid. Ad Epiſc. Aretinum, & Vicarium Beneventan. p. 158. Ad Archiep. Taurinenſem. p. 160. 163. Ad Card. de Guevara. p.176. Ad Epiſc. Mutinenſem. p. 202. Ad Epiſc. Guardienſem. p.243.

S. Lucianus ſupra pectus celebravit. p.350.

S. Ludovici Regis Tentorium. p.380.

M

Beatæ Mariæ Virg. Oratoria ubique erecta. p.118.

S. Martini ſingularis cultus apud Francos. p. 7.

Martyrium quid ſignificet. p.2.

Matrimonium in Eccleſia celebrandum. p. 312. Aliquando celebratum in privato Oratorio. ibid.

Militum Presbyteri. p. 379. Coram illis in Caſtris celebrant. p.404. & ſeq. Pro ſingula Cohorte ſufficit unica Miſſa. p. 407. Privilegia quæ pro Militibus a a Romano Pontifice dantur. p.408.

Miſſa ejus præceptum valde urget. pag. 244. Nequit in Oratorio privato ab omnibus impleri. p. 295. Qui Miſſam die Feſto non poteſt audire in publica Eccleſia non tenetur audire in privato Oratorio, niſi ſit ex participantibus de Privilegio. p.300. Neque olim permittebatur omnibus de ſimili Privilegio Miſſæ domeſticæ participare. ibidem. Præceptum illud per ſe ſolum poteſt impleri in Locis probatis. p.298.

Miſſæ in Eccleſia Matrice aſſiſtere olim juſſum. p. 297. Vel in Eccleſia Parochiali. p. 97. & 102. Audiri licite poteſt in Eccleſiis Regularium. p.66. & 397.

Miſſæ tempore perſecutionum ubique celebratæ. p.376. In Carceribus. p.350. & 477. In privatis Domibus olim conceſſæ ob neceſſitatem. p. 91. Ex licentia Epiſcopi. p.91. & ſeq. Vetitæ in privatis Domibus a Concilio Tridentino, etiamſi haberent Oratoria privata. p. 119.

Miſſæ ſub dio poſſunt celebrari tempore Peſtilentiæ: p.404. Regulæ præſcriptæ a S. Carolo. ibid.

Miſſæ præſente Cadavere in Domo privata non ſunt celebrandæ. p.156.

Miſſæ in Littore, ac Caſtris celebratæ omnes Adſtantes ſatisfaciunt præcepto. p. 416. Niſi aliter decernat Epiſcopus. ibid.

Miſſa in Mari non conceditur per ſolum Privilegium Aræ Viaticæ. p. 433. Sine privilegio numquam in Mari celebrandæ. p. 417.

Miſſe unica Privilegio Aræ viaticæ conceditur. p. 454. Hæc in cubiculis, ubi dormiri ſolet, non ita facile eſt peragenda. p. 432. 446. 449.

Miſſæ in Cœmeterio, & Sacriſtia non ſunt vetitæ a Concilio Tridentino. p. 403.

Miſſa unica ſolet concedi in Oratorio privato. p. 213. Excepto die Nativitatis Domini. p. 295.

Miſſas cantare aliquando dictum de Miſſis privatis. p. 317. Cantari nequeunt in Oratoriis privatæ Domus. p. 315.

Miſſæ privatæ in Oratoriis privatis vetitæ triduo ultimo Majoris Hebdom. p. 307. Etiamſi incidat Feſtum de præcepto. ibid. Privatæ pro Defunctis celebrantur. p. 40. Privatæ eædem, quæ ſpeciales. ibid.

Miſſæ publicæ olim in Monaſteriis vetitæ. p. 53. Ubi celebrabantur Cathedram inferebat Epiſcopus. p. 53. 72. In Monaſteriis illas facere poterat Epiſcopus invitatus ab Abbate. p. 64.

Miſſa ſimul a pluribus Epiſcopis peracta. p. 388.

Miſſa Sicca in cubiculis infirmorum. p. 384.

Miſſa Navalis eadem ac Sicca. p. 422. Hæc ſupra Naves celebrata. ibid.

Miſſæ ſolitariæ vetitæ. p. 62. Aliquando Eremitis conceſſæ. ibid.

Miſſale Gallicanum vetus pro conſecratione Altaris Portatilis allegatur. p. 364.

Miſſionariis raro conceſſum Altare ſine reliquiis. p. 372.
Monachi ordinari non poterant ab Epiſcopo niſi petente Abbate. p. 45. Raro olim Clericatui initiabantur. p. 44. Quia elationis vitium timebant. p. 44. 57. & alibi. Ordinati Sacerdotes in Monaſterio perſeverabant. p. 49. Titulo Monaſterii ordinabantur. p. 42. Aliquando extrahebantur e Clauſtro, ut Populo deſervirent. p. 45. Ordinandus Monachus communibus Monachorum ſuffragiis eligebatur. p. 49.
Monachi Presbyteri præponebantur Abbatibus. p. 44. Id non permiſit S. Benedictus. p. 50. In ordinatione Interſtitia ſervabantur. p. 45.
Monachi olim ad publicas Synaxes alicubi ibant. p. 43. Eorum Eccleſiæ ab Epiſcopo conſecrabantur. p. 55. Juniores Monachi a Laicis in Eccleſia non videbantur. p. 57.
Monachorum Oratoria privata. p. 43. & ſeqq. Habebant ſecretiora Oratoria, ac pene ſingulis Monachis reſervata. p. 62. Ipſorum Oratoria etiam Monaſteria vocabantur. p. 5. Ipſorum Granciæ exemptæ a Procuratione. p. 68.
Monachi vetiti celebrare in Sacellis Laicorum. p. 90. In Caſtris Ara Lignea Viatica uſi. p. 379.
Monaſterium pro Eccleſia uſurpatum. p. 169. Illorum Oratoria *intra* Clauſtra erigebantur. p. 56. 58. 60.
Monaſterium Foeminis inacceſſum. p. 52. 57. 60. 61. excepta magna Solemnitate. p. 61. Duplicem ſæpe habebat Eccleſiam, quarum una extra Clauſtra patebat omnibus. p. 60. 62. Poſſunt in illo eſſe plura Oratoria privata approbata. p. 184.
Monaſteria plura proprio Presbytero carebant; & extraneum advocabant. p. 44. & ſeq. Nullus celebrare poterat niſi ab Abbate invitatus. p. 56.
Monialibus primam Regulam ſcripſit S. Cæſarius. p. 71. Ipſarum curæ probatus de Clero vigilabat. p. 70. Illarum Oratorium erat intra Clauſtra. ibid. Illud ſoli Sacri Miniſtri ingrediebantur cauſſa Sacrificii. p. 71. 72. ſeq. Quo expleto ſtatim exibant. p. 73. 74. Monialium Maſſilienſium Eccleſia ſemel in Anno publicas Miſſas admittebat. p. 72.
Monialibus erat ſuus Clerus. p. 77. Cui ſpecialis erat Eccleſia. ibid.
Monialium Clauſuræ vetera monumenta, & ſtatuta. pag. 70. ſeq. Severior evaſit. p. 76. Excommunicatur Abbatiſſa neglecta Lege Clauſuræ. pag. 74. Intra ipſarum Clauſtra vetitum ſepeliri Cadavera Monachorum; aut e contra. p. 71. Miſſæ intra illarum Monaſteria rariſſime conceſſæ poſt Sæculum IX. p. 75. ſeqq.
Monialibus, qui Locus in Eccleſiis publicis daretur. p. 69. Ad eas accedebant Die Dominico gregatim. ibid. Aliquæ non exibant e Clauſtro. ibid.
Monialibus Congreg. Lateran. Infirmis Privilegium datum a Pio IV. P. p. 201. Bene ab ejus uſu poſt Conſtitution. de Clauſura Gregorii XIII. P. abſtinuerunt. ibid.
Monialium privilegia pro Oratorio intra Clauſtra. Mutinenſium. p. 202. Januenſium. ibid. Bononienſ. p. 203. Urbis. pag. 204. Pratenſium, & Viterbienſium. pag. 206. Quid dicamus de his privilegiis poſt Conſtitutionem Benedicti XIV. *de Clauſura*. p. 205.

N

Nativitatis D. N. J. C. Feſtum excipitur in Privilegio Miſſæ domeſticæ. p. 306. Niſi excipiatur poſſunt eo die tres Miſſæ in Oratorio celebrari. p. 302.
Navigantibus quando in Littore Miſſa concedatur. p. 415. Super Naves magnas S. Joan. Hieroſolymit. permiſſum Sacrificium. p. 418.
Nepotibus RR. Pontificum conceditur amplum Privilegium pro Oratoriis. p. 223. Pro Confeſſione, & Communione intra illa. p. 325.
Nobilitatis ratio ſæpe in diverſis Regionibus variatur. p. 234. Alia Perſonæ, alia Generis. p. 231. Si ammittatur, ceſſat Privilegium Miſſarum in Oratorio privato. p. 228.
Nobilitas ex ſolo Patre, ut plurimum Privilegio ſufficit. p. 234. Non item ex ſola Matre. p. 233. ob ſolam Nobilitatem ſine alia cauſſa aliquando non dabatur Privilegium Miſſæ in Oratorio: p. 131.
Nomina Martyrum ſub Altari collocatorum Lapidibus ſculpta. p. 375.
Numeri militares ſuos habebant Miniſtros Sacros. p. 379. & 407.
Nunciorum Apoſtolicorum antiquitas. p. 31. Illorum aliqui poterant ex Privilegio Pontificis quibuſdam concedere Miſſas in privatis Oratoriis. p. 141. Hæc facultas ſublata fuit Nunciis. p. 142. & paucis conceditur. pag. 143.

Nun.

Nuncio Poloniæ conceditur facultas pro nonnullis Indultis Aræ Viaticæ. p. 450.

O

OBlatarum Privilegia pro Oratoriis privatis. p. 207.
Oblationes datæ cauſſa Sacrificii. p. 25.
Oraculum pro Oratorio. p. 79. ſeqq.
Oratorii nomen ad parva Sacella reſtrictum. p. 2. ſeqq. Parva Oratoria aliquando in amplas Eccleſias mutata. p. 17.
Oratorium debet eſſe muro exſtructum. p. 260. Ita fere ſemper exſtructa fuerunt. ibid. In domo eadem duplex Oratorium ad celebrandum approbari non debet. pag. 278. Iſtud eſſe debet intra Locum habitationis, ut valeat Indultum. p. 258. Oratoria Magiſtratuum. p. 161.
Oratorium privatum ad orandum omnibus conceditur. p. 18., & 98. qui habent, laudandi ſunt. p. 18. In Cellis Aſcetarum, & Sacrarum Virginum erat, & eſt. p. 18. Ab ordinario approbatum non evadit Locus Sacer. p. 171. In privata domo conſecrari non debet. p. 116. ſeqq. Illius Locus ab ordinario non deſignatur. p. 122.
Oratoria Domeſtica olim conſecrabantur. pag. 108. ſeqq. Illis dos aſſignabatur. p. 96. Differunt nunc Oratoria privata ab antiquis. p. 109. Erant frequentiſſima in Oriente. p. 95. In illis vetitum erat Græcis Epiſcopis celebrare. p. 105. Ibi Presbyter ordinari non poterat in Italia ſine diſpenſatione apoſtolica. p. 93. Peregrinus Presbyter in illis non poterat ſacrificare, niſi ab Epiſcopo probatus. ibid. Presbyter Cardinalis Oratoriis non dabatur. p. 4.
Oratoria Patriarchii Lateranenſis alia erant ampla, alia parva. pag. 29. In Oratorio Laurentiano inſignes Reliquiæ aſſervatæ erant. p. 27. & 28. Et Clerus adſcriptus. ibid.
Oratoria non conſecrata libentius permiſſa, quando Sacrificii facultas duratura erat ad certum tempus. p. 115. Neque Oratoria in Epiſcopiis conſecrari poterant ſine licentia R. Pontificis. p. 40.
Oratoria privata Domus Religioſæ poſſunt benedici. p. 117. Iſta non ſubjiciuntur limitationibus Oratorii privatæ domus. p. 186.
Oratoria ſecreta Magnatum comprehenduntur in Decreto Tridentino. p. 160.
Oratorium privatum debet eſſe liberum a domeſticis uſibus. p. 268. Facile hæc conditio violatur. ibid. Unde incommoda multa conſequuntur. pag. 269.
Oratoria *ad divinum tantum cultum* dedicata, quæ. p. 121.
Oratoria ſæpius in viis publicis erecta. p. 10. redduntur publica, quando Dominus publico Chirographo promittit viam ad illa omnibus liberam in perpetuum ſervare. p. 12. Publica etiam aditum privatum admittunt. p. 13. Hunc prudenter ſæpe Epiſcopi negant. p. 15.
Ordinarius Loci debet viſitare Oratorium. p. 272. & ſeq. Poteſt, & debet prohibere exercitium Privilegii, ſi illo abutantur Privilegiati. p. 275.
Ordo R.XIV. Habill. non videtur Card. Cajetani. p. 36. & 37.
Officia Divina ſolemniter peracta a Monachis. p. 316.

P

PŒnitentiæ Sacramentum nullus tenetur a Parocho accipere. p. 313. Debet in Eccleſia miniſtrari: p. 322. Non in Oratorio privato ſine licentia ordinarii. ibid. Illud ſæpe Monachi miniſtraverunt. pag. 59 In Oratorio privato ex licentia Epiſcopi miniſtratum. p. 322.
Poenæ ſtatutæ adverſus Celebrantes extra Loca Sacra ſine debita licentia. p. 102. 103. ſeq. 113. 127. 329. 396.
Parochiæ olim paucæ in Agris. p. 5. In illis Populus conveniebat. p. 4., & 92. maxime diebus feſtis ad Miſſam audiendam. p. 65.
Paſchatis primus dies feſtus excipitur in Papali Indulto. p. 306.
Patres quo ſenſu dixerint Chriſtianis non eſſe Altaria. p. 349.
Patrum Congregationis Oratorii privata Sacella. p. 168.
Patriarchium Lateranenſe a Card. Raſpono deſcriptum. p. 27. In illo plura erant Oratoria. ibid.
S. Paulinus in cubiculo celebravit. p. 388.
Pax dari poteſt per Oſcillatorium in Oratorio privato. p. 318.
Pentecoſtes primus Dies Feſtus excipitur in Brevi. p. 306.
S. Philippus Ner. in loco Oratorii M. de Maximis excitavit mortuum. p. 265. Hujus Oratorii privilegia. ibid.
Piorum operariorum Oratoria. p. 168.
Pontifex. V. *Rom. Pontifex*.
Præceptum Divinum nullum extat pro Sacrificio Euchar. offerendo in Loco Sacro. p. 111.

Præcepto Eccleſ. Miſſæ ſatisfaciunt in Oratorio privato, qui in Brevi comprehenduntur. p. 294. ſeq.
Prædicatorum Ordini Parochiales Eccleſiæ conceſſæ. p. 65.
Presbyteri Palatino-Regii. p. 79. ſeqq.
Presbyterorum Secularium Doctrinæ Chriſtianæ privilegium. p. 165.
Principibus Magnis ſæpe ampla Privilegia Miſſæ domeſticæ dederunt RR. Pontifices. p. 132. 309. 449. 449. 450.
Privilegia aliqua Perſonalia non ubique transferri poſſunt. p. 252.
Privilegium poſt mortem Concedentis perſeverans. p. 242.
Privilegium æque plures principaliter reſpiciens eſt multiplex æquivalenter. p. 240.
Privilegia diſpenſantia a Lege debent reſpicere bonum commune. p. 213.
Privilegia Miſſarum pro Oratorio privato, & uſus Altaris Portatilis differunt. pag. IV. Stricte ſunt interpretanda. 227. Cauſſa movens requiritur ad ea impetranda. p. 239.
Privilegium Altaris Viatici datum durante Itinere, aut Infirmitate. 452. Illius limitationes exponuntur. 454. Illo aliqui abuſi ſunt. p. 395. Conceſſum fuit Canonicis Patriarchal. Ulixipponenſ. p. 451.
Privilegium celebrandi ſub dio eſt peculiare. p. 450.
Privilegia quæ dantur M. Principibus, & Gentilibus R. Pontificis Miſſarum in Oratoriis privatis. p. 223. Quæ dantur Nobilibus Infirmis. p. 221. 452. Habentibus Juriſdictionem temporalem. p. 222. Hæc Privilegia ſunt perſonalia. p. 241. Morte Privilegiati ceſſant. ibid.
Privilegia olim conceſſa a RR. pontificibus pro privatis Oratoriis. p. 66. ſeqq. Sublata fuerunt a Concilio Trid. illa, quæ pro domibus privatis data fuerant. p. 133. ſeqq.
Privilegia Oratorii privati conceſſa Epiſcopis Aſſiſtentibus. p. 177. Votantibus Signaturæ Juſtitiæ. p. 214. Auditoribus R. Rotæ. Clericis Cameræ, Abbreviatoribus, Advocatis Conſiſtorialibus. p. 215.
Privilegia Regularibus conceſſa. Canon. Regular. Lateran. p. 394. 444. Canon. Regul. Congreg. Rhenanæ. pag. 393. Capuccinis. p. 184. 189. Carmelitis. p. 67. 394. 411. Carmelitis Diſcalceatis. p. 447. Carthuſianis. pag. 67. 194. Caſinenſibus. p. 64. Ciſtercienſibus. p. 68. Eremitis Auguſtinenſ. pag. 67. Hieronymianis. p. 190. S. Joannis de Pinna Monachis. p. 191. S. Mauri Monachis. p. 190. Minimis p. 393. Minoribus. pag. 67. 393. Prædicatoribus. p. 66. 393. 411. Servis B. M. pag. 394. Societati Jeſu. p. 67. 184. 447. SS. Trinitatis Redemp. Captivor. p. 190. 447. B. Virginis de Mercede. p. 197.
Privilegia Altaris Viatici Regularibus ante Concilium Trident. conceſſa fuerunt abrogata. p. 439. ſeq. Alia poſt Concilium ipſis conceſſa. p. 444. 447.
Privilegia data Regularibus pro Euchariſtia diſtribuenda. pag. 327. His uti nequeunt in Oratoriis privatæ domus. ibid.
Privilegia conceſſa pro Miſſis privatis in Sabbato S. p. 310.
Privilegiatus debet eſſe præſens in Oratorio tempore Miſſæ. p. 237. Si plures fuerint in Brevi principaliter privilegiati in diverſis domibus habitantes, frui poſſunt privilegio. p. 240.
Privilegiatus habitans in domo, in qua alter habitat Privilegio Miſſæ domeſticæ fruens, ſuum nequit exercere. p. 259. Tunc exercebit ſi vel alter ceſſerit ſuo Juri, vel ipſe habitationem mutet. ibid.
Privilegiati curare debent, ut præceptum Miſſæ etiam a ſuis impleatur. p. 245.
Procuratio aliqua pro viſitatione Oratorii exigi alicubi poteſt. p. 278.
Prophanatum Oratorium iterum debet approbari. p. 269.
Publicum quid ſit. p. 11.
Pulcheria Aug. Oratorium in domo ſua S. Stephano exſtruxit. p. 78.

Q

QUerini Cardinalis Litteræ Paſtorales de Oratoriis. p. 237.

R

REferendarii Apoſtolici habuerunt Privilegium Aræ Viaticæ a Paulo III. P. p. 391.
Reginarum Clerus. p. 80. 85.
Regulares habebant Oratoria privata ad commoditatem propriam. p. 42. 62. 66. Privilegia plura ad eum finem obtinuerunt. p. 66. ſeqq. Vide *Privilegia*. In Eccleſiis ipſorum omnes Fideles ſatisfaciunt Præcepto Eccleſiaſtico Miſſæ. p. 66.
Religioſæ domus non ſunt privatæ. p. 167. 169.
Reliquiæ Sanctorum adhibitæ in Conſecra-

cra-

cratione Altaris. p. 369. Etiam Viatici. p. 370. Plurimæ in Monaſterii collocatæ. p. 58. Eas aliquando Monachi extra proprias Eccleſias transferebant, ut Populorum devotioni ſatisfacerent. p. 58. 60.
Reliquiæ obſignantur. p. 375. Sigilli fractio tollit Conſecrationem Altaris. ibid. Super Sanctorum Reliquias Juramenta præſtita. p. 7. Reliquiæ ad Caſtra delatæ. p. 7. 379.
S. Riccardus ante Muros Hieruſalem celebravit. p. 392. Ipſius Ara Viatica pretioſa. ibid.
Rithovius Epiſc. quomodo ſolabatur Infirmos Sacrificii cupidos. p. 128.
Ritus Conſecrationis, & Benedictionis in aliquibus differunt. p. 117.
Roberti Regis Tentorium pretioſum pro Sacrificio. p. 380.
Romani Pontifices in proprio Palatio Miſſarum Solemnia non celebrabant. p. 34. Quibus diebus ad Eccleſias deſcendebant. p. 26. etiam in privatis Oratoriis celebrabant. p. 27.
Rom. Pontifices graviora Palatii munera Clericis committebant. p. 30.
R. Pontif. privilegium pro Miſſis celebrandis in privatis Oratoriis etiam olim requirebatur. p. 93. ſeqq. 103. Formula Privilegii ex Litteris Pelagii P. p. 94.
R. Pontifici reſervata poteſtas Miſſas concedendi in privatis domibus. pag. 126. 133. 210. Facultatem hujuſmodi concedens antiquos retinet mores. p. 211. Miſſionariis, & Capellanis exercituum aliquando permittit conſecrare in Ara ſine Reliquiis. p. 372. Cauſſas graves exigebat pro licentia Miſſarum in Oratorio. p. 131. ſeqq.

S

SAbbato S. Miſſæ privatæ vetitæ. p. 309. Sacerdos celebraturus in Oratoriis Laicorum ab Epiſcopo mittebatur. p. 91. 94. De expreſſa hujus licentia celebrabat. pag. 98. 100. Ab eodem approbabatur. pag. 101. Sacerdoti celebranti in Oratorio privato ſufficit generalis approbatio ab ordinario Loci. p. 302.
Sacerdoti Regulari ſufficit tacita Superioris licentia ad celebrandum in illo. p. 303.
Sacerdotes extranei vetiti Monaſteriis gravamen inferre. p. 48. Abbates fieri non poterant, nec Monachi, niſi propriæ Eccleſiæ renunciaſſent. p. 50. Aliqui Sacerdotes, qui nulli Eccleſiæ olim addicti erant. p. 24.
Sacerdotes in Caſtra progredientes. p. 379. Sacerdos celebrans ſatisfacit præcepto in Oratorio privato etiam non Familiaris perſonæ privilegiatæ. p. 291.
Sacerdos celebrans aliquando eſſe debet ipſamet perſona privilegiata. p. 291.
Sacerdotale Rom. qua ratione probatum fuerit. p. 423.
Sacrificium olim paractum in cubiculis non conſecratis. p. 110. Deinde vetitum fuit. p. 111.
Sacramentaria Veterum allegantur ſæpe; præcipue. p. 363. 383.
Sacrilegium non committitur prophanatione Oratorii privati. p. 271.
Schola Baſilicæ. p. 28.
Seminarium Rom. p. 166.
Seminariorum Oratoria. p. 167.
S. Silvinus in ſuo cubiculo celebrari juſſit. p. 388.
Solemnia in Capella Papali Avenione celebrabantur. p. 35. Quæ Solemnitates in Capella fierent. ibid. Valde ante Sæculum XIII. RR. Pontifices illarum aliquas in Palatinis Oratoriis celebrabant. p. 34. ſeqq.
Stationes diu diligenter retentæ. p. 35. Quare interruptæ; has reparare ſtuduit Sixtus V. P. ibid.
Subdiaconi S. R. E. quidam recenſentur. p. 32. Subſcribebant Litteris R. Pontif. p. 32.
Subdiaconi Palatino-Pontificii. pag. 32. Quæ erant ipſorum officia. ibid. Confunduntur cum Subdiaconis Baſilicariis, & S. R. E. ibid.
Subreptio, & obreptio vitiant Privilegium. p. 227.
Suffragsa pro RR. Pontifice, & Cardinalibus defunctis facienda Alexander IV. P. ſtatuit. p. 36.
Supplices Libelli. Vide *Libelli*.
Suppellex Sacra Oratorii diligenter ſervanda. p. 267.
Suſpendi ſine cauſſa nequit Oratorium. p. 276.
Suſpenſio licet injuſta Oratorii impedit uſum Privilegii Apoſtol. p. 277.

T

TAbernaculum, ſeu Tentorium erectum in Campis propter Sacrificium. pag. 378. Olim conſecrabat. p. 380.
Tapete conſecrato utuntur aliqui Orientales loco Aræ Viaticæ. p. 367.
Tertiariæ: In illarum Oratoriis privatis ante Concilium Tridentinum Miſſæ pera-

peractæ. p. 77.

Tertiarium Privilegia pro Oratorio. p. 208.

Theodoretus celebravit ſuper manus Diaconorum. p. 350.

Theodorus Cantuarienſ. conceſſit Miſſas ſuper manus Diaconorum offerri. p. 350.

Tituli multi R. Urbis prius erant Oratoria in Domibus privatis conſecrata. p. 22. Singulis Titulis etiam plures Sacerdotes addicebantur. p. 23.

Titulus Baronis ſine Juriſdictione Temporali non ſufficit ad valorem Privilegii Papalis. p. 234.

Tournon Card. piiſſimo conceſſum Privilegium celebrandi in Navibus. p. 421.

Translatio ſolemnis Reliquiarum. p. 387. Tunc ſub dio Sacrificium offerebatur. ibid.

Triremibus Pontificiis, & S. Joan. Hieroſolym. conceſſa licentia Sacrificii ſub certis cautelis. p. 425.

Triremium Capitaneo quale Privilegium dederit S. Pius V. p. 422.

V

Via publica quæ ſit. p. 11. Viatici neceſſitas non ſuffragatur ad Miſſas in privatis Domibus celebrandas. p. 153. ſeq.

Vidua dignitatem Mariti defuncti ſervat. p. 212. Niſi inferiori nupſerit. p. 229.

Viſitatio Oratorii poſſet iterari. p. 277. Pauli IV. Conſtitutio pro Viſitatione. p. 460.

Viſitator, ſeu Provincialis poteſt abſens approbare Oratorium Monaſterii. p. 185.

Viventes more Nobilium ſi ſe vilibus officiis turpaverint, amittunt Privilegium. p. 229.

Villæ rationem habere debet Locus, in quo Privilegium pro Nobilibus Ruri degentibus conceditur. p. 256.

Umbraculum poni debet ſuper Altare, Oratorii privati. p. 266.

Unctio Lapidis facta a Jacob myſterio non caruit. p. 368.

Votantes Signaturæ Juſtitiæ ſunt Papæ Acolythi. p. 33.

Uſus prophani in Oratoriis vix poſſunt excuſari. p. 269.

S. Vviboradæ Oratorium privatum. p. 18.

Vvladislaus Rex Miſſa audita triumphum retulit. p. 381.

S. Vvulfranni Altare Viaticum. p. 370. In Navi celebravit. p. 389. Miraculum, quod tunc contigit. ibid.

S. Vvunebaldus Ab. infirmus in cubiculo celebravit. p. 392.

FINIS.

AD MAJOREM JESU CHRISTI GLORIAM.

MAG 2003700